


TETRACHORDIUM

Tragicam Passionis Mortisque
SALVATORIS AC DOMINI
NOSTRI
IESU CHRISTI
VERI DEI ET HOMINIS
Pro salute humana inhumaniter ab hominibus passi.
HISTORIAM RESONANS.
Ad concordem quatuor SS. Evangelistarũ harmoniã intentum
In tetraphonam
Id est

1. In Eleachum seu Compendium gestorum CHRISTI à resuscitatione Lazari.
2. In Textum genuinum SS. quatuor Evangelistarum Passionem Domini describentium cum annotationibus ad margines.
3. In Quæstiunculas quasdã & responsiones eundem Textũ explanantes.
4. In Meditationes, Considerationes & pios affectus erga IESVM crucifixum & dolorosissimam Matrem ejus.

Divisum.

Quæ omnia tam ex Sacra Scriptura & SS. Patribꝰ, quàm varijs S. Scripturæ Commentarijs atque approbatis Authoribus
A quodam Diæcesis Vilnensis Presbytero collecta.
A Sede Ordinaria approbata
Typis Academicis usui publico consecrata.

VILNÆ Anno M. D. CCI.

CHaritas enim CHRISTI urget nos æstimantes hoc, quoniam si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt: & pro omnib9 mortuus est Christus: ut, & qui vivunt, jam non sibi vivant sed ei, qui pro ipsis mortuus est & resurrexit. *S. Paulus 2. ad Corint: 3. v.* 14. 15.

CIthara est charitas ipsa, voces verò, loquentes verba quæ ad citharam pertinent, omnes in unam svavem conspirant consonantiam. Musicus porrò est charitatis vis: illa dulcem melodiam pulsando affert. Hæc Melodia & DEUM & Angelos lætificat: hoc totum in cælo spectaculum excitat, hoc dæmonum furorem cõpescit, & affectionum demulcet impetus. *S. Chrysost: hom: 4. in Acta.*

NEcesse est ut quisquis sibi, quia certum est, persvadeat firmiter, & sibi imprimat fortiter: quidquid CHRISTUS passus est pro omnibus, id passum pro singulis: adeò, ut illud beneficium redemptionis quod toti humano generi est commune, sit cuilibet singulare. *Gvilelmus Staniburstus.*

NOn tantùm tibi extorqueas amorem erga CHRISTUM, sed & dolorem propter CHRISTUM; & illud certissimè crede CHRISTUM non modo passum esse propter te, sed per te. Idem qui commisisti culpam, intulisti & pænam. Quare quidquid criminis commiserunt vel Iudas, qui eum prodidit, vel miles qui ligavit, vel Caiphas qui accusavit, vel Pilatus qui condemnavit, vel Herodes qui illusit, vel Romanus qui crucifixit; horum omnium criminum, quia author, es & reus. *Idem.*

DEO

DEO Patienti devotum lectorem hoc opusculum spectat: si tamen curiosus quispiam contigerit, nec libro contentus Authorem nosse voluerit; ut illi quoq; cumulatiùs fiat satis: pro uno quem inquirit, tot ac tanti (nam reverâ sunt) hujus operis exhibent se alphabetica serie Authores.

S. MATTHÆUS. S. LUCAS.
S. MARCUS. S. IOANNES.

Vetus autem Testamentum sparsim quædam suppeditavit.
Qui seqvuntur augent & authoritatem libro faciunt.

Ludovicus Abelly *Episcopus Ruthenensis in Gallia.*
Alphons: Tostatus Abulensis *Archiepisc: Toletanus.*
Christianus Adrichomius *Delphensis.*
Ægidius *Romanus ex Ord: Erem: S. Aug: Archiep: Bituricensis.*
B. Albertus *Magnus ex Ord: Præd: Episc: Ratis-(bonensis.*
B. Alcuinus *vel* Albinus *Caroli Magni Magister.*
Alexander ab Alexandro *Iurisperitus Neapolitanus.*
Alexander *Monachus Anglus Ord: S. Bened:*
S. Ambrosius *Doctor Eccl: Archiep: Mediolanensis.*
Ambrosius *Bergomas Ord: Erem: S. August:*
B. Amedeus *Episc: Lausanensis ex Ord: Minor:*
Iosephus Anchieta *Soc IESV.*
Iudocus Andries *Soc: IESV.*
S. Anselmus *Archiep: Cantuariensis ex Ord: S Bened:*
S. Antoninus *Arch: Florentinus ex Ord: Prædic:*
Antonius *Monchiacensis de Mocharis.*
Arnoldus *Abbas Bonævallis Ord: Cisterc:*
S. Athanasius *Doctor Eccl: Episc: Alexandrinus.*
Athenæus *Grammaticus.*
S. Augustinus *Doctor Ecclesiæ Epis: Hypponensis.*
Didacus de Baësa *Soc: IESV.*

Bonifacius Bagatta *Cler: Reg: Theatinus.*
Balduinus *à Nirembergio relatus in Theopolitico & alibi.*
Cæsar Baronius *Cardinalis ex Congr: Oratorij.*
Sebastianus Barradius *Soc: IESV.*
Paulus de Barry *Soc: IESV.*
S. Basilius *Magnus Eccl: Doct: Episc: Cæsariensis.*
S. Basilius *Episc: Seleuciensis.*
Bernardus Bauhusius *Soc: IESV.*
Venerabilis Beda *Ord: S. Bened:*
Robertus Bellarminus *Card: è Soc: IESV.*
S. Bernardus *Abbas Claraevallensis Ord: Cisterc:*
S. Bernardinus *Senensis Ord: Minorum.*
S. Birgitta *Sveca.*
Thomas le Blanck *Soc: IESV.*
Adrianus de Bolougne *Soc: IESV.*
Ignatius Bomplanus *Soc: IESV.*
Ioannes Bona *Cardinalis Ord: Cisterciensis.*
S. Bonaventura *Card: Ord: Min: Doct: Seraphicus.*
Bernardus de Britto *Ord: Cister: Historiographus.*
S. Bruno *Episc: Signiensis Ord: S. Bened:*
Ioannes Busæus *Soc: IESV.*
Abrahamus Bzovius *Ord: Prædic:*
Petrus Calentinus.
Thomas de Vio Cajetanus *Card: Ord: Præd:*
Vincentius Caraffa *Generalis Soc: IESV.*
Simon de Cassia *Ord: Erem: S. Aug:*
Aurelius Cassiodorus *ex Cancellario Regis Theodorici, Ord: S. Bened:*
Georgius Cedrenus *Historicus Græcus.*
Didacus de Celada *Soc: IESV.*
Ludovicus dela Cerda *Soc: IESV.*
Cicero
Clemens *Alexandrinus Presbyter.*
Clemens *Romanus I. hoc nomine Papa.*
S. Petrus Chrysologus *Episc: Ravennas.*
S. Ioannes Chrysostomus *Doctor Eccl: Episc: Constantinopol:*

Con-

Concilium *Tridentinum.*

Albertus Crantzius *Historicus.*

S. Cyprianus *Episc: Carthaginensis M.*

S. Cyrillus *Archiep: Alexandrinus.*

S. Cyrillus *Archiep: Ierosolymitanus.*

S. Ioannes Damascenus *Monachus Theologus.*

S. Petrus Damiani *Cardin: Ord: S. Benedicti.*

Ioannes David *Soc: IESV.*

Didymus *Alexandrin: cæcus à nativitate Theol: & Philos: insignis.*

S. Dionysius *Areopagita Episc: Athen: Martyr:*

B. Dionysius *Rikelius Carthusianus.*

S. Dorotheus *Archimandrita.*

Hieremias Drexelius *Soc: IESV.*

Drogo *Ostiensis Card: Ord: S. Benedicti.*

Drutmarus *Corbeiensis Ord: S. Bened:*

Gaspar Drużbicki *Soc: IESV.*

Egesippus *Historicus temporum Apostolicorum*

D. Emmanuel *Thesaurus Taurinensis Patritius.*

S. Epiphanius *Episcopus Salaminæ Cypri.*

Antonius de Escobar *Soc: IESV.*

S. Eucherius *Lugdunensis Episcop:*

Eusebius *Episc: Cæsariensis, Historicus.*

Eutychius.

Euthymius *Zigabenus Ord: S. Basilij.*

L. Florus *Historicus.*

Ildefonsus de Flores *Soc: IESV.*

Baptista Folengius *Ord: S. Benedicti.*

Franciscus Lucas *Decanus Audomarensis.*

Xaveiius de Fresneda *Soc: IESV.*

S. Fulgentius *Episc: Ruspensis.*

Ioannes Gagnejus *Cancel: Acad: Paris: Francisci I. Concionator.*

S. Germanus *Archiep: Constantinop:*

Ioannes Gerson *vel* Carlerius *Canc: Acad: Paris: Ordin: Cælestinorum.*

S. Gertrudis Abbatissa, *Ord: S Bened:*

Glossa *Ordinaria Authoribus Anselmo Laudu-*

nensi

nensi Scholastico, & Strabo fuldensi Benedictino.

Gilbertus *Abbas de Hoylandia Ord. Cisterc:*

on Vincentius Gillibertus *Cler: Reg: Theatin:*

S. Gregorius *Magnus Papa Doctor Eccl:*

S. Gregorius *Episc: Nazianzenus Ord: S. Basilij.*

S. Gregorius *Episc: Nyssenus Frater S. Basilij. Ordinis ejusdem.*

Carolus Grobendoq. *Soc: IESV.*

Gverricus *Abbas Igniacensis Ord. Cisterc:*

Antonius de Gvevarra *Episc: Mondovensis. Ord: Min: Caroli V. Imp: Conc: & consiliar:*

Gvilelmus *Abbas S. Theodorici Ord: Cisterc:*

Iacobus Hautinus *Soc: IESV.*

Haymo *Episc: Halberstattensis Ord: S. Bened:*

S. Hieronymus *Presbyter Eccl: Doctor.*

S. Hilarius *Episc: Pictaviensis.*

S. Hildebertus *Archiep: Turonensis.*

S. Hildefonsus *Archiepisc: Toletanus.*

Ioannes Hondemius *Ord: Min: in Anglia M.*

Hugo Carensis *Cardin: Ord: Præd:*

Hugo *de S. Victore Canonicus Regul. S. Aug:*

Cornelius Iansenius *Episc: Gandavensis.*

Idiota *sive Raymundus Iordanus Præp: Vticensis.*

Imperfecti *operis Author inter opera S. Chrysost:*

Innocentius *III. Papa.*

Ioannes *Aquilanus*

Iosephus *Hebræus Historicus.*

S. Isidorus *Pelusiota Ord: S. Basilij, S. Chrysostomi Discipulus.*

Aloysius Iuglares *Soc: IESV.*

S. Iustinus M.

Iustinus *Historicus.*

S. Laurentius Iustinianus *Patriarcha Venetus.*

Iustinianus *Imperator sive ejus codex.*

Franciscus Labata *Soc: IESV.*

Petrus Labbe *Soc: IESV.*

Samuel Laberhittel *Soc: IESV.*

La-

		Lactantius *Firmianus.*
Ioannes		Landspergius *Ord: Præd:*
Cornelius	à	Lapide *Soc: IESV.*
	S.	Leo *Magnus Papa.*
Ioannes		Lorinus *Soc: IESV.*
Thobias		Lohner *Soc: IESV.*
Ioannes		Lucidus *Samosathæus Chronologus.*
		Ludolphus *de Saxonia Carthusianus.*
Nicolaus		Lyranus *Ord: Min:*
Adrianus		Lyræus *Soc: IESV.*
		Mænander *Poëta Græcus.*
Carolus		Malapertius *Soc: IESV.*
Ioannes		Maldonatus *Soc: IESV.*
Ioseph		Mansi *Congr: Oratorij.*
Iacobus.		Marchantius.
		Martialis *Poëta.*
	S.	Maximus *Episc: Taurinensis.*
Simeon		Metaphrastes *Logoteta sive Cancellar: Imperij Orientalis.*
		Nicephorus *Historicus Græcus.*
Ioan: Eusebius.		Nirembergius *Soc: IESV.*
Don Aloysius		Novarinus *Cler: Reg: Theatin:*
Ioan: Bapt:		Novatus *Cler: Reg: Ministrantium infirmis*
		Olaus *Magnus Archiep: Upsalensis.*
Ioan: Paulus		Oliva *General: Soc: IESV Concion: summorum Pontificum.*
		Origenes *Alexandrinus.*
		Ovidius.
Paulus	de	Palatio *Granatensis insignis Theologus.*
Augustinus		Paoletti *Ord: Erem: S. Aug:*
Matthæus		Paris *Soc: IESV.*
	S.	Paschasius *Radbertus Ord: S. Bened:*
	S.	Paulinus *Episc: Nolanus.*
		Petrus *de Natalibus Episc: Exquilinus Ord: Præd:*
		Philo *Hebræus.*
Ioannes		Pineda *Soc: IESV.*
		Plautus *Comicus.*
		Plinius *Iunior.*

Plu-

Plutarchus.

S. Prosper *Episc: Rhegiensis.*

Rabanꝰ *Maurꝰ Archep: Moguntinꝰ Ord: S. Bened:*

Remigius *Antisiodorensis Ord: S. Bened:*

Richardus *à S. Victore Canon: Reg: S. Aug:*

Robertus *à Crypta Minervæ Capucinus.*

Ioannes de Rubeis *in vita Bonifacij III.*

S. Rupertus *Abbas Tuitiensis Ord: S. Bened:*

S. Franciscus de Sales *Episc: & Princeps Genevensis.*

Alphonsus Salmeron *Soc: IESV unus è decem primis Patr:*

Salvianus *Episc: Massiliensis.*

Actius Sincerus Sannazarius *Poëta Christianus.*

Matth: Casim: Sarbievius *Soc: IESV.*

Paulus Segneri *Soc: IESV Conc: Alexandri VIII.*

Seneca *Philosophus.*

Sixtus *Senensis Ord: Præd:*

Iulius Solinus *Polyhistor.*

Gvilelmus Stanihurstus *Soc: IESV.*

Didacus Stella *Ord: Min:*

Franciscus Svarez *Soc: IESV.*

Tacitus *Historicus.*

Tertullianus

Titus *Bostrorum Episcopus.*

Theodoretus *Episcopus Cyri in Syria.*

Theophylactus *Episc: Bulgariæ.*

S. Thomas *Aquinas Doctor Angelicus.*

S. Thomas *de Villa nova Episc: Valentinus. Ord: Erem: S. Aug.*

Franciscus Toletus *Cardinalis Soc: IESV.*

Ioan: Anton: Velasquez *Soc: IESV.*

Lucas Velloso *Soc: IESV.*

Victor *Antiochenus.*

Antonius Vieira *Soc: IESV. Regum Lusit: Conc: & Missionarius celebris in Indijs occiduis.*

Vincentius *Belluacensis. Ord: Præd:*

S. Franciscus Xaverius *Soc: IESV. Indiarum Apostolus.*

PRO-

PROOEMIUM.

Tetrachordio huic Præfationis loco nihil aptius præfigi poteſt, quàm Procœmium. Nam juxta Ambroſium Bergomatem

Sicut Citharædi pauca illa, quæ, antequam legitimũ cantum inchòènt, emerendi favoris gratiâ canunt, Procœmium cognominavêre: ſic Oratores ea, quæ, priuſquam cauſam exordiantur, ad conciliandos Iudicum animos præloqvuntur; eadem appellatione ſignârunt.

Vtroq; igitur motivo & nos juremerito procœmiamur.

INter varia humani genij oblectamenta, non poſtremum Muſicam quis dixerit, cujus ſvavem inſtrumentorum concentum maximis ingenijs non probatum ſolùm, verùm etiam cultum reperio. Alexandrum & Epaminondam Græciæ Principes eximia arte fidibus ceciniſſe teſtantur Authores, quinimò tota planè Græcia in numerorum,vocumq́: cantib9 ſummam eruditionem ſitam eſſe cenſebat: eamq́; omnes diſcebant artem. Neq́; ſatis aliquis doctrinâ excultus putabatur, ſi illâ carviſſet. Cujus dum imperitus Themiſtocles eſſet, lyramq́; in convivio recusâſſet, indoctior eſt habitus. Vt teſtatur Lemnius. 1.

Ad hanc ſedulam Muſices ſtudij applicationem à Pythagora forſitan totius mundi Machinam ex Muſicis rationibus compoſitam eſſe aſſerente, vel à Dinarcho animam humanam harmoniam (ut Hermias tradit tract: in gentiles Philoſophos) affirmante, vel ab alio quopiam Philoſophorum incitamentũ ſump- 2.

ſiſſe exiſtimo.

3. Et certè Pythagoræ ſectatores Diſcipuloſq; tantò in pretio Muſicam habuiſſe compertum eſt, ut ſummo mane vocales excitarentur ad chordas, & eadem die quietem capturi, collectas curas diurnoq; tumultu agitatam mentem lyræ ſono demulcerent.

4. Quòd verò natura diſponente animum hominis curis mundanis fractum Muſica recreat reficitq; mirum non eſt. Siquidem non jam ex antiquorum Philoſophorum deliramentis, ſed Sanctorum Patrum Orthodoxæ fidei aſſertionibus inſtruimur. Inter quos D. Gregorius Niſſenus tract: 1. in Pſal: c. 3. ideo naturalem ad Muſicam cenſet hominis proclivitatē, quia organica, inquit, corporis noſtri ſtructura ad Muſicas operationes à natura ſcitè videtur eſſe affecta. Nam intueri licet arteriæ veluti tibiam, palati veluti laminam ſeu tabulam quâ nervi intenduntur, modulationem, quæ fit per linguam & maxillam & per os quaſi per chordas. Cùm igitur omne, quod naturale eſt, naturæ ſit amicum, demonſtratur Muſicam naturæ eſſe conſentaneam.

5. Nec ego diſſentaneum puto, dum paucis hiſce pagellis Tetrachordij titulum inſcribo, pij etenim Lectoris animum cæleſti ſvavitate demulcere conor. Siquidem non ex Citherone Bæotiæ, Apollini ſacro monte, pluribus ſuperſtitioſis fabulis, quam chordis inſtructam citharam; non Iubalis Lamechi filij, patris verò *canentium Cithara & Organo* teſtudinem; qui innoxio angue portatili ſua domo eliminato ut harmoniam vacua illa in latebra conderet, ſecta pecudum viſcera imparibus diſcreta numeris tetendit; ut pollice verberata aures mulcerent; non deniq; alterius

Geneſ: 4. 21.

Emman: Theſaurꝰ.

terius

terius cujuſpiam profanæ melodiæ cultoris inſtrumentum: ſed veri DEI hominiſq́; IESV CHRISTI Salvatoris mundi, de Ieroſolymitano Golgotha monte, adfero Tetrachordium; cujus increata Sapientia & incarnatus DEVS author eſt: & non ſicut ingrat9 ille paſtor Iubal, *greges in Citharæ eqvuleo torquens, & inter tormenta canere jubens, crudelis, ut lætos ad agnorum gemitus choreas ducerent paſtorum chori, agnorum viſceribus luſit:* Sed verus & immaculatus Agnus in trabali crucis Cithara extenſus, *cùm in forma DEI eſſet, ſemetipſum exinanivit,* ut magis canoram redderet harmoniam DEO Patri, ſuumq́; gregem verus ac bonus paſtor lætum ad æviterna deduceret paſcua. Ad cujus citharæ ſymphoniam quis non jam corporis, ſed totius animi viribus admirabundus non exiliet cum Vincent: Caraffa conſiderando: carnem cum ſangvine, animam, perſonam, & divinitatem, facilèq́; fatebitur, carnem ejus pro nobis cum profuſione ſangvinis laceratam, animam causâ noſtri conturbatam, divinam perſonam incarnatam, divinitatem ipſam, cum omnibus theſauris gratiæ & gloriæ genti humanæ communicatam. Svavis profectò hic infiniti in nos CHRISTI amoris & nunquam ceſſans concentus. Nam ſicut *IESVS CHRISTVS heri & hodie & in ſæcula,* ita & immenſa ejus charitas nũquam mutatur, minuitur, aut evacuatur: prout idem S. Paulus ad Hebr: 7. 25. ait. *Vnde & ſalvare in perpetuum poteſt accedentes per ipſum ad DEVM: ſemper vivens ad interpellandum pro nobis.*

Emman: Theſaur9.

Ad Philip: 2.

Ad Hebr: 13. 8.

Quotq́; magis nos delectare debet, ſi profana Muſica irritatos hominum demulcet animos, quidni hæc diviniſſima, juſtè in nos DEI Patris commotam 6.

iram efficaciùs placare ſoleat? Refert Sozomenus Theodoſium Imperatorem Antiochenis iratum, ob temerarium tam in ipſius perſonam debacchantibus, quam in ejus ſtatuas everſas, ſoloq́; æquatas, auſum. Et licèt erroris ſui crimen advertere, temeritatem deplorare, delictum agnitum lachrymabilibus precibus ad Imperatoris pedes decantare non neglexiſſent; omnia tamen in caſſum juêre. Flavianus Præſul non ſemel ad deprecandum Imperatoris animum operam adhibens, dum implacabilem advertit, novum & feliciori ſucceſſu arripit conſilium. Symphoniacos Cæſari ad epulas occinere ſolitos adit, eoſq́; obnixè (oblato etiam xenio) rogat, ut Antiochenarum precum ſeriem, muſica modulatione decantarent. Quod dum cænante Imperatore exeqvuntur, inexſpectatâ Symphoniæ novitate, & dulci ſono ad clementiam flexus Imperator ceſſit Flaviani Præſulis precibus hæc proferendo: Cedo, inquit, & veniam concedo Antiochenis. Valuit hoc ingenioſum ad placandam Cæſaris iram inventum, & offenſum cùm nullæ cumulatæ ſupplicationes ſubditis placatum reddere poſſent, ſvavis Melodia reddidit.

7. Nec prætereunda eſt ſimilis alterius Præſulis, non jam pro alijs ſed pro ſe ipſo in placanda ira induſtria. Contra Imperatorem Ludovicum pium, Lotharium impium filium inſtinctu ac conſilio Theodulphus Epiſcopus commoverat, qui Patrem regno exuens ipſumq́; captum in carcerem conjecerat. Liberatus tandem, & regno reſtitutus Imperator Theodulphum Maieſtatis ſuæ læſæ reum, carceribus incluſit. Pontifex redeundi in gratiam Principis, placandæq́; ejus iræ hoc adinvenit medium: In palmarum

Crantzius lib. 1 Metrop:

rum Dominica, ſonora dulciq; voce in carcere ſacrũ illum modulatur cantum.

Gloria, laus & honor ſit tibi Rex CHRI-
STE Redemptor
Cui puerile decus prompſit Hoſanna piũ

Imperator conſcriptum carmen voce Pontificis decantatum ſignari juſſit, cujus dulcedine permollitus veniam dedit Theodulpho, vitæq; ſuæ inſidiatorem liberum abire permiſit. Non ſemel diviniſſimam bonitatem ad juſtam indignationem provocamus, non ſemel illi9 vindictam ad exequendas pœnas irritam9. Et certè actum eſſet de nobis, æternaſq; pœnas lueremus; niſi benigniſſimi Salvatoris noſtri acceptiſſima ſemper auribus æterni Patris harmonia demulceret iram. Nam ſicut *in diebus carnis ſuæ preces ſupplicationeſq; ad eum, qui poſſit illum ſalvum facere à* Hebr: 5. 7. *morte, cum clamore valido & lacbrymis offerens, exauditus eſt pro ſua reverentia:* ita ſemper ad ſuæ infinitæ miſericordiæ aſylum confugientibus peccatorib9 opitulatur, quando eidem DEO Patri infiniti valoris paſſionem meritaq; ſua repræſentat. *Sicq; ſententia noſtræ mortis, firmata divino decreto, & pœnâ æternâ,* Caraffa *non aliter deletur: quam vulneribus CHRISTI. Cla-* conſ: 19. *vi illi, qui ejus carnem transfixerunt, diſcerpunt chirographum damnationis, & ille ſangvis, qui ab illis vulneribus promanavit, extinguit characteres mortis.*

Et cùm non ſolùm noſtra pravitate ſeu imbecil- 8.
litate in DEI offenſam incurrimus, ſed magis capitalis generis humani hoſtis invidiâ ſauciati, lætiferis infecti vulneribus, vitam æternam perdere cogimnr; medetur & huic malo Salvatoris noſtri bonitas.

Tritum & indubitatum, quod à graviſſimis Autho- 9.
ribus

Alexander ab Alexandro. & Iulius Solinus.

ribus ac oculatis testibus de Tarantula traditur. Hoc aranei dirum genus, si casu spectes, sine noxa putabis, & reliquo anni tempore non adeò perniciosum & exitiale (quod vix aliquid virium habeat) existimabis. Cùm verò æstu flagrantissimo, assiduo sole, Apuliæ campos (cui peculiare hoc malum existit) torreri cæptum, tum maximè, seu afflatu noxio, seu æstu accensum, morsu virulento pestiferam perniciem affert. Huic pesti, & tam præsenti malo, subvenire hoc salubri remedio compertum est: si protinus citharista aut aliquis musicus varios concinat modos. Tunc enim morbo hujusmodi percussus (qui moribundus oculorum sensus amiserat, quiq; nec ingredi, nec fari, neq; alio sensu frui valuerat) mox ubi tibiam, aut citharam admotam propius audit, illo miti sono & concentu captus, & demulsus, velut è gravi excitus somno, oculos attollit parumper, mox se in pedes erigit, ac se se recipiens paulatim pro modulo & pulsu sonorum, servata psallendi lege, ingreditur inaugescenteq; sono exultabundus, maximo nisu atq; impetu in saltus gestusq; nec indecoros, neq; à pulsu Citharæ dissonos erumpit. Cùmque vis illa tabifica motu gestuq; vehementiori musicâ excitato penitus extincta fuerit, ille tarantatus sanitati redditur.

10. Genus humanum in primo Protoplasto ab infernali phalangio mortifero ac venenato aculeo infectum est: Nam *inobediens parens stirpem quoq; suam, quam peccando in se, tanquam in radice vitiaverat, pœna mortis & damnatione obstrinxit: ut quidquid prolis ex illo ac simul damnata, per quam peccaverat, conjuge per carnalem concupiscentiam, in qua inobedientiæ pœ-*

S. August. in Enchir: c. 25. 26. 27. Tom: 3.

na

na similis retributa est, nasceretur: traheret originale peccatum. Hoc est omnium vitiorum, morborum, & quidquid mali patimur, tum demq́; & ipsius mortis seminarium. *Iacebat* (ut idem ait Sanctus) *in malis, vel etiam voluebatur, & de malis in mala præcipitabatur totius humani generis massa damnata;* anima siquidem diversis in partibus sauciata, varijs exagitabatur symptomatibus: intellectus ignorantiâ, appetitus concupiscibilis pravâ concupiscentiâ, irascibilis ad generosas virtutum operationes debilitatus ac languens, ad vitia verò supra modum vividus existebat. Ad medendum exitialis veneni malignitatem nulla pharmaca, remedia nulla prodesse poterant nisi extensi in cruce Christi efficacissima saluberrimaq́; symphonia. Quâ intellectum viva fide, voluntatem actuosa charitate, appetitum concupiscibilem temperantiâ ac continentiâ, irascibilem inconcussa fortitudide, memoriam æternæ salutis omnisq́; boni tam gratiæ, quam gloriæ ac æternæ vitæ obtinendæ indubitata spe, tum & omnia lethifera vulnera efficacissimis virtutum remedijs idem Salvator noster non tantùm persanavit, sed & ipsa perempta morte nos beatæ restituit vitæ: secundùm Oseæ Prophetæ promissum: *De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos: ero mors tua ô mors, morsus tuus ero inferne.* Ose: 13. 14.

Nec quisquam conantis semper in nos maligni hostis reformidet impetus, qui eadem quâ & aliæ malignitates ejus, arte feliciter repelluntur. 11.

Carnivoræ rapacesq́; feræ innocuis insidiantes gregibus nullo tam facilius arceri fugariq́; possunt invento, quam tibiæ vel alterius terrifico instrumenti sono. Eamq́, ob causam gregum custodes pastoresq́; 12.

fistu-

fistulas vel cornu sæpè inflant, ut vel insidiantes pecoribus suis deterreant belluas, vel raptam jam prædam clangore concitato dimittere cogant. Exitialis animarum nostrarum bestia circumiens ac quærens quem devoret, passionis ac mortis Dominicæ modulatione efficacissimè absterretur, aufugit enim cum suis phalangijs absconditq; se in cavernis infernalib9, crucifixi DEI auditâ resonantiâ. *Tanta est virt9 vulnerum CHRISTI* (ait S. Bernardus) *ut ad eorum memoriam totius peccati & mortis fugetur exercitus.*

13. Sanctam illam peccatricem, quam ipsemet Christus divinissimo ore suo absoluit (*dimittuntur ei peccata multa*) post Domini in cælum ascensionem avernalis hostis in spelunca degentem, salutiferâq; passionis Magistri sui reminiscentiâ assiduò occupantem, aggredi toties conabatur. Ad cujus multùm molestos impetus arcendos, missus à Dno Angelus, qui passionis Salvatoris instrumentis ostium antri illius insigniret, & dulcissimo cælestis lyræ sono recrearet. Ex quo tempore loci illius beata inquilina, ab inimici insultibus immunis remansit. Iure merito cum S. Augustino potuisset dicere: *In omnibus adversitatibus tam efficax remedium non inveni, quam vulnera CHRISTI. In illis dormio securus, & requiesco intrepidus.* Sed nobis ejusdem S. Patris memoriâ tenenda est præcautio. *Ibi vincuntur invisibiles potestates, ubi vincuntur sensibiles cupiditates.*

14. Plurimas & alias Musices qualitates ad divinissimam Citharam nostram applicare possem, nisi Proœmij hujus molem excedere vererer. Hoc tamen minimè silentio prætermittendum est: quòd prout noxiæ feræ sono clangoreq; absterrentur & fugantur,

tur, ita alia animalia ſvavitate ac concentu alliciuntur mirificeq́; delectantur.

S. Ioannes Evangeliſta in Apocalypſi ſua vidit ſedentem in throno & inter varium apparatum cæleſtemq́; aſſiſtentiam circa thronum vidit *quatuor animalia plena oculis ante & retrò. Et animal primum ſimile Leoni, & ſecundum animal ſimile vitulo; & tertium animal habens faciem quaſi hominis, & quartum animal ſimile aquilæ volanti.* Nemo miretur in ſublimi illa ſupremi Domini aula animalia quoq́; tam diverſa ac mirifica inveniri. Conſideret attentè quod idem S. Evangeliſta ac Propheta ſequenti cap: 5. exprimat: *Et vidi, & ecce in medio throni & quatuor animalium agnum ſtantem tanquā occiſum &c.* Non alius profectò, niſi ille in crucis Cithara expanſus verus Agnus qui abſtulit peccata mundi: Ille,inquam, obſignati arcanorum decretorum libri meruit recludere ſigillum; Huic inter feſtivos applauſus: (*Dignus eſt Agnus, qui occiſus eſt, accipere virtutem, & divinitatem, & Sapientiam, & fortitudinem & honorem & gloriam & benedictionem &c.*) Muſici cœleſtes in inſtrumentis ſuis lætum pæana decantant: prout idem S. Apocalypticus audiſſe profitetur. *Et vocem, quam audivi ſicut Citharædorum citharisantium in citharis ſuis.* 15. Apoc:4.6. Apoc:4.7. Apoc:5,6. Apocal: 5. 12.

Hæc igitur Domini noſtri, ac Agni immaculati occiſi, & in cruce intenti harmonia in cæleſti aula reſonans in ſimiles concentus & illa mirifica convocavit animalia: quæ antequam inter cæleſtes DEI ſymphoniacos annumerari, illudq́; novum canticum: *Dignꝰ es Domine accipere librum & aperire ſignacula ejus: quoniam occiſus es, & redemiſti nos Deo in ſangvine* 16. Apoc: 5.9.

tuo, accinere meruerunt, priùs in terris ejuſdem Agni melodiam concordi diſſonantia & diſſonâ concordiâ per totum orbem ediderunt. *In omnem terram exivit ſonus eorum, & fines orbis terræ verba eorum.* Pſal: 18.

17. Minimè igitur à propoſito meo aberro, quando SS. quatuor Evangeliſtarum ad Tetrachordium meum, tragicam Salvatoris noſtri tragædiam decantantium, advoco ſonum: neq; enim alia præter myſtica hæc animalia: id eſt Hominem, Leonem, vitulum; Aquilam, (quæ Matthæi, Marci, Lucæ ac Ioannis Symbola ſunt) agnoſco: neq; plures præter iſtos S. Evangelij hiſtoriographos recipio. Nam cæteros, etſi ſpecioſo Sanctorum Bartholomæi, Thomæ, Barnabæ, vel alio quopiam nomine callidè ac ſubdola arte intitulatos, omneſq; confictos à Cacangelicis cum Matre mea S. Romana Eccleſia abhorreo ac rejicio.

18. Nemo autem ſacros hos ſcriptores diſſonare inter ſe ob diverſum ſcribendi modum, criminari audeat; nam in re ipſa ac ſenſu omnes concordare quiſq; fatebitur, ſi matura conſideratione perpenderit quomodo S. Matthæus in ſui Evangelij initio humanam Chriſti naturam Regiamq; (dum ejus genealogiam enarrat) dignitatem: Marcus vocem clamantis in deſerto dum intonat, Propheticam: Lucas à Zachariæ Sacerdotio ordiens, Sacerdotalem eminentiam, Ioannes divinam naturam exprimunt ac promulgant. Diverſa diſſonaq; hæc poſſet aliquis dicere. Et tamen concordi ſenſu omnes in unum collimant ſcopum. Nam ut ait S. Hieron: lib: contra Iovin: & Rupert9 in cap: 1. Ezech: c. 7. CHRISTVS fuit Rex, Propheta, Sacerdos, & DEVS. Quem illi unanimi voce

toti

toti terrarum Orbi promulgant. *Quia notitia fidei quâ cognoscuntur â DEO, ipsa est in uno quæ est simul in quatuor, quidquid enim in uno inveneris, hoc in omnibus simul quatuor cognosces.* S.Greg: P. in Ezech: hom: 2. l. 1.

Quamvis itaq; quadruplici ordine & stylo à quatuor sit conscriptum, unum tamen atq; minime diversum est Evangelium. 19.

Quæ cùm ita sint non absq; fundamento quatuor SS. Evangelistarum Passionis CHRISTI historiam in unum colligo textum; nec quidem unum apicem aut iota addens vel immutans, sed ita connexè cõsonèq; omnes rem concinantes exhibeo, ac si non plures sed unus id scribere videretur, quod prudens Lector ex numero capitum versuum, tum & nominis cujuslibet Sancti, sedulâ curâ ubiq; adjectione facilè dijudicabit. 20.

Motivum verô hujus pusilli ast dulcissimi laboris hoc in me fuit: cùm legere aut audire contigit DEI in humana carne passi historiam, quam ut aliàs, tum vel maximè in hebdomada Sancta singulari modo Sancta Mater Ecclesia in memoriam nobis revocare intendit, sæpè sæpiùs considerabam, quod exactissimus Sacræ Scripturæ explanator & religiosissimus Pater Cornel: à lap: facem Evangelijs & Evangelistis præferendo innuit canone. 2. *Sæpè non servant* (SS. Evangelistæ) *ordinem temporis in recensendis CHRISTI dictis & factis; multa enim silet unus quæ alij exprimunt, & tamen sic suam continuat & prosequitur narrationem, quasi nihil sit omissum &c. quo circa disparatas non rarò jungunt sententias &c.* Quã ob rationem cùm animum, unius S. Evangelistæ audien- 21.

diendo verba aliorum enarratione, & quasi dissonantis textùs reminiscentiâ distrahi, etsi invitè, expertus sum; ad imbecilis intellectûs & labilis memoriæ meæ suffragium, hanc Sanctorum historiam, in unam consonantiam pro privato usu solùm colligere placuit. Nam facile ijs afficimur quæ ipsi scribimus. Quod dũ magnæ authoritatis, prudentiæ, doctrinæ ac pietatis Præsuli cæterisq; multis intentionem meam, & vix inchoati opusculi lineamenta innuere contigit, languenti addiderunt calcar, ut communi non denegarem usui exhibere. Et quandoquidem omne bonum sit communicativum, CHRISTI vero passio summum nostrum sit bonum & summa Sapientia, non decuit eam privato lare obtegere & occultare. *Itaq; quam*
Sapien: 7. 13. *sine fictione didici, sine invidia communico, & honestatem illius non abscondo.*

22. Quòd verò libellum hunc Tetrachordij titulo insigniri vides, non mireris. Nam à Clemente Alexandrino CHRISTVM Dominum Citharam nostram nominatum esse scias. Quid enim Agnus ille intrabe infami extensus magis repræsentet; quam Citharæ figuram? Ille enim non jumentorum nervos, non ovium intestina, in emortua buxo adhibuit, ut in magadio extenta, digitis vel plectro irritata, invitum ederent sonum: sed nervos suos sacratissimumq; corpꝰ totum supra modum intendi, & pænali ferro percuti voluit, ut svavissimum æterni Patris auribus in nostri reconciliationem ac salutem ederet concentũ. Quem dum quatuor SS. Evangelistæ concordi nobis detonant resonantia, ex illorum tetraphonia Tetrachordium denominari libuit. Vt profectò diversis modis Redemptoris nostri innocua pro nobis à vari-

js authoribus passio exhibetur, ita utinam & hoc inventum felici eventu animos nostros demulceat.

23. Olaus magnus lib: 4. c. 8. tradit extremos septemtrionis populos Citharâ in convivijs excitatos præclara veterum Heroum facinora patrio carmine decantare, hinc in lachrymas resolutos, pronos in terram concidere, tandem Citharædis excitantibus ad lætiora carmina consurgere. Et quisnam Heros, Dux, Princeps, Rex bellicosior exstitit unquam, quàm CHRISTVS IESVS, Dominus, Salvator & DEVS noster? cujus heroica & inenarrabilia gesta dum Sancti quatuor Citharædi nobis enarrant, ad debitam excitant recordationem ac gratitudinem.

24. Ne verò hic sacer tonus, *Durus* tantùm (ut musici vocant) à quopiam denotetur, ad levandum fastidium (quod nemini CHRISTI passionem recolenti obvenire puto) annotationes pauculas SS. Patrum & approbatorum authorum in marginibus adjecimus: quas dum copiosiori longè numero quidam ex Patribus Soc: IESV, cui ab Adm: Reverendo Patre Collegij & Academiæ Rectore Magnifico Typographiæ cura commissa est, ex sua in Crucifixum Dominum pietate, & in commune bonum zelo, insigni labore ac industria non tantùm auxerit, vacua majori ex parte in marginibus spatia in toto explendo, verùm & textum ipsum Evangelicum (ut ita dicam sententiarum copiâ aggravaverit: hunc supererrogatorium ejus laborem non gravatim recipere placuit. Siquidem & totam hanc, qualiscunq; est, opellam non propriâ Minervâ, sed ex varijs SS. Patribus, S. Scripturæ Interpretibus & approbatis authoribus me collegisse ingenuè fateor. *Magna enim negotia magnis egent adjuto-*

Tacit. lib: 1. annal:

jutoribus. Et ut Ægid: de regim: Princ: p. 2. l. 3. c. 17. ait: *Licet* homo à ſe ipſo poſſit invenire vias & modos ad aliquid peragendum, attamen imprudens eſt, qui ſoli ſuo capiti innititur, & renuit aliorum audire ſententias.

25. Hoc tantùm pio Lectori propono, ut dum CHRISTI Domini paſſi hiſtoriam & ſacrum textum legerit; ſinat protunc marginales annotationes multâ diverſitate adjectas, quæ facilè poſſent animum varijs diſtrahere conſiderationibus. Sed potiùs collectam in ipſa S. Scriptura (quæ omnes ſuperat ſenſus & ſententias) mentem ſtabilem retineat.

26. Adjungimus etiam Quæſtiones nonullas textum Sacrum aliqua ex parte, explanantes quas non inutiles fore opinor, judicioq; prudentis ac pij Lectoris ſubjicio. Quem ad doloroſam Salvatoris noſtri compaſſionem nullis ſtimulo adhortationibus, ſatius ipſemet illis indigendo. Hoc ſolùm inſinuare viſum eſt, quod Dominus noſter S. Mechtildi (ut lib: 5. c. 11. notatur) revelavit. Ideo damnatos æternas luere pænas, quia nunquam dulciter unâ horâ paſſionis ac mortis ejus recordati fuerint. E contrario verò inferre poſſumus, qui in CHRISTI doloribus morantur, æternis fruituros gloriæ gaudijs, prout primus CHRISTI in terris Vicarius Petrus nos animat lætoſq; eſſe jubet. *Communicantes CHRISTI paſſi-*
Epiſt: 1. c. 14. v. 13. *onibus gaudete, ut & in revelatione gloriæ ejus gaudeatis exultantes.*

27. Poſt obtentam ex Goliath victoriam cum triumpho Davidi revertenti, in occurſum venerunt muli-
1. Reg: c. 18, v. 6. eres de urbibus Iſrael *cantantes choroſque ducentes in tympanis lætitiæ & in ſiſtris.* Anima quoque cùm abhac

vita abierit onusta spolijs & trophæis, (CHRISTI passi) habebit Cæli cives, paradysi incolas obvios cantantes in citharis, ejus heroica facinora. Qui Citharæ passi Domini in terris non tam aures, quàm cor & animum lubens adhibet, is cælestem *Citharædorum citharisantium in citharis suis* non vana spe præstoletur audire symphoniam. Vincent: Caraf: lib: 1. conf: 17. Apoc: 14. v. 2.

28. Fruere igitur benevolentissime Lector dulcissima hujus Tetrachordij sacri svavitate: cujus salutifera harmonia, assiduaq; CHRISTI passi recordatio ut in nostra semper resonet mente, amor Crucifixi excitetur in corde, imitationis ejus studium exhibeatur in opere, hoc unâ mecum à communi precare Redemptore.

Si totum me debeo pro me facto, quid addam jam pro refecto; & refecto hoc modo. Nec enim tàm facilè refectus quàm factus; nam qui semel & tantùm dicendo fecit, in reficiendo profecto, & dixit multa, & gessit mira, & pertulit dura, nec tantùm dura, sed & indigna. In primo opere me mihi dedit, in secundo se; & ubi se dedit, me mihi reddidit. Datus ergo & redditus, me pro me debeo, & bis debeo. S. Bernard: de diligendo DEO.

Ingressus ad totum opus.

SAnctus Lucas cap: 9. ubi describit CHRISTI Domini transfigurationem memorat adfuisse Sanctos Moysen & Eliam; & hi *dicebant excessum ejus quem completurus erat in Ierusalem.* Quis iste excessus? *S. Cyrillus* Respondet esse excessum bonitatis in Servatore nostro quem in assumenda nostra carne ostendit. *S. Augustinus* Credit hunc esse excessum

um pænarum & suppliciorũ quem perferre debuit. *S. Chrysostomus* Existimat excessum incredibilis humilitatis toto quo patiebatur tempore. *S. Bernardus* affirmat fuisse paupertatis excessum, quando voluit omnino nudus in cruce mori omnium spectantium oculis expositus. *S. Ambrosius in c. 3. Lucæ: & S. Hilarius in Matth:* In passione potiùs quàm in omnibus gestis excessus amoris apparet: utpote in quo cõtinetur quidquid egit, quidquid agere cupiebat aut pati, si per Patrem licuisset. *apud Barry in Blanditijs sacris.*

In hac Passione Fratres tria specialiter convenit intueri: opus, modum, causam. Nam in opere quidem patientia; in modo humilitas; in causa charitas commendatur. *S. Bernard: fer: 4. Dom: pœnosæ.*

Quò ad patientiam operis.

NOn *fregerunt ejus crura.* Ioan: 19. hoc ipsum præfigurabatur in Agno paschali *Exod: 12. non comminuentis os ex eo.* Cur autem Dominus noluerit sua ossa frangi, cum suam carnem flagellis & clavis lacerari permiserit? Respondet Theodoretus. Quia ossa CHRISTI robur & fortitudinem ejus designabant; corporis enim robur in ossibus est: robur autem & vigorem noluit CHRISTVS in sua passione deesse. Quin etiam cum tædere & pavere cæpisset, pavorem & tristitiam admisit, ut sic ejus passio acerbior esset, si enim læto animo passus esset, lætitia illa dolorem & pænam mitigasset. *Labata. tom: 1. ad lit: c. p. 426.* Iam quæ passus sit, præter ea quæ ex Evangelio constant, & tractatu nostro proponuntur ac dilucidantur: etiam sequentia habe ex probatis authoribus *P. Paulo de Barry* in blanditijs sacris & *P. Iodoco Andries* in Anno Fausto &c. quæ inibi authores memorati ex alijs antiquioribus minimè suspectis quasdam revelationes Divinas citantibus exscripserunt. Et hi sunt. *Petrus Calentinus. Ioannes*

nes

nes Landſpergius Ioannes Aquilanus & Adrichomius. Po
ſequentia libellum rationum dicere potes quo continentur
expenſæ Salvatoris noſtri in pretium redemptionis noſtræ.
Hic ergo Salvator toto paſſionis decurſu à loco orationis in
horto uſq; ad crucem confecit greſſus 4949. hos omnes vide
ſpecificatos apud *Andries* Fudit lachrymarum guttas 62200.
Calentin: in via crucis. Guttas ſudoris ſangvinei in horto
97305. Ictus in flagellatione excepit 6666. quod S. Bernardo
revelatum teſtatur *Aquilanus.* Guttas ſangvinis ſub idem tem-
pus fudit 235000. hoc Ioan: Lanſpergius viro cuidam ſancto
revelatum ſcribit additâ ad praxim doctrinâ, nempe ſi quis
per viginti annos ſingulis diebus centies Dominicam oratio-
nem repeteret, fore ut ſubductâ ratione, unâquaq; precati-
unculâ quamlibet ſangvinis guttam ſit veneraturus: quas ta-
men omnes intra unam horæ partem Amor noſter diſſipavit.
Alapas accepit 110. ictus in collo 120. in brachijs 40. in co-
xendice ac tibijs 32. Sputa fædiſſima virgineo-divino vultu
excepit. 32. Os illi contuſum vicibus 30. pedibus inſtar ca-
nis pulſatus 170. protruſus & ſolo illiſus 13. Capillis tractꝰ
300: barba ejus vulſa & implicatis manibus diſtracta 58. Spi-
nea corona in capite vulnera fecit juxta Sanctum Anſelmum
1000: juxta mitiorem aliorum calculum 300. Pro noſtra con-
verſione & ſalute ingemuit ac ex corde ſuſpiravit vicibus 900.
Tormenta, quæ ſingula ſat erant ut perimerent: pertulit 162.
ſupremo in agone quaſi jam mortuus, fuit vicibus 19. Sub
onere crucis concidit ter, graviſſimè verò ultimùm ad radi-
cem montis Calvarii. A Prætorio Pilati ad locum ſupplicij
ultimi crucem bajulans cruenta impreſſit veſtigia 1321. Ne
autem Compatientis quoq; Virginis Matris ſymbolam omit-
tamus. Et hæc ſub Filij paſſionem teſte *S. Germano* Lachry-
mas dedit 30900, quarum multæ fuere ſangvineæ. Vulnus au-
tem lanceâ, CHRISTI lateri impactum jam demortui, quō
ad doloris ſenſum ex toto fuit vulnus Virginis Matris: ita e-
D nim

...ejus ...sum percepit quemadmodum Filius vivens per-
...episset. *Tam filius quam Mater quid meruere? Et verò.*

Leviter ex merito quidquid patiare ferendum est.
Quæ venit indignè, pœna dolenda venit. *Ovid:*

Ex consideratione remedij, periculi mei æstimo qualitatem. Nesciebam: sanus mihi videbar & ecce mittitur Filius DEI & jubetur occidi, ut vulneribus meis pretioso sangvinis sui balsamo medeatur. Agnosce o homo quam gravia sint vulnera illa, pro quibus necesse fuit CHRISTVM Dominum vulnerari: si non essent hæc ad mortem & mortem sempiternam; nunquam pro illius remedio DEI filius moreretur. Sic medicinæ æstimatio & doloris & timoris mihi exaggeratio est. *S. Bernard: serm: 3. de nat: D.*

Quòd attinet humilitatem in modo, hæc certè sine modo.

O humanæ pudor superbiæ, o altitudinis terrenæ confutatio singularis; videre DEI filium aquam infundere, refundere, pedum pulverem abluere, linteo extergere, atq; singulorum pedibus oscula imprimere dulcissimæ charitatis! & quis post hanc submissionem superbiat, aut dicat, major illo sum qui suorum substernitur pedibus! *S Laurent: Iustinian:* Per *infinitos contemptus eò ventum est.* Vt nec mori dignus haberetur intra aliquam hominum habitationem neq; inter homines nisi execrabiles: neq; sub tecto aliquo nisi sub cælo de quo ejici non potuit, ut secundum Prophetam opprobrium hominum & abjectio plebis. *S. Anselmus ep: 137.* Omnia quæ in te sunt IESV bone quandam habent alliciendi efficaciam, & cogitationes solicitant in affectum: sed ad omnia non possumus attingere: sublimia solis sublimibus sunt, humilia omnibus. Quæ maior humilitas quam exaltari in cruce? & de hac ait cum exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me.

Effi-

Efficax ad trahendum humilitas est, quid mirum? quis ad simplicem cogitatum hujus rei stupore & ecstasi repleatur? cujus non affectum fides hæc exhauriat & infatuet & reddat insufficientem? facilis est ad contemplandum locus, sed fæcundus ad gratiam: *Gillibertus serm: 20. in cant.* Propter hominem omni se humilitate dejecit usq; ad mortem, mortem autem crucis. *Tertullianus de carn: Xti c. 4.* Nec ultimo (tamen) sive carceris sive crucis supplicio deformata majestas: imò his omnibus admirabilior: quid aliud quàm victus de victoribus, quia Carthago non cesserat, de fortuna triumphavit. *L. Florus l. 2. c. 2. de Attilio Regulo; quod sano sensu CHRISTO Domino applicari potest.* Decorâ facie quæ non erubescat authorem quæ non confundatur Redemptore *S. Ambr:* Quodcunq; DEO indignum est mihi expedit, salvus non sum si non confundar de Domino meo. *Qui me inquit confusus fuerit confundar & ego eum.* Alias non invenio materias confusionis, quæ me per contemptum ruboris probent bene impudentem & feliciter stultum: natus est DEI filius; non pudet quia pudendum est: mortuus est DEI filius, prorsus credibile quia ineptum est: & sepultus resurrexit, certum est, quia impossibile est. *Tertullianus.* Quantô major es humilia te in omnibus. Secundùm magnitudinem dignitatis, æqua sit mensura humilitatis: humilitas in honore, honor est ipsius honoris, & dignitas dignitatis. Omnis dignitas ipso dignitatis nomine indigna est si humilia dedignetur. Humilitas autem sine honore ipsa sibi sufficit ad honorem: honor vero sine humilitate, sese perducit ad confusionem. Balduinus apud Nirembergium in Theopolit: p. 1. lib: 2. p. 286.

Pensanda ultimò charitas summa, imò unica passionis. Causa.

EX*cessus quidam clementiæ & humanitatis erat in Traiano*

[Im]peratore qui purpuram suam in frusta scindi voluit, quibus militum suorum vulnera obligarentur: quomodo non excessum charitatis agnoscamus in CHRISTO, qui non modo vestes, verum etiam cutem carnemq; sanctissimam dilacerandam obtulit, quibus nostræ cicatrices alligarentur. Christi charitas in sua morte violentior fuit quàm Iudæorum iniquitas, nec potuit iniquitas, nisi quantùm permisit charitas. Iudas Christum vel Iudæus morti tradidit & hoc ex maligna iniquitate: tradidit Pater filium, tradidit & se filius, & hoc ex charitate: nec traditionis rea est charitas, sed innocens est etiam in morte CHRISTI: soli enim charitati licet quidquid libet, & impune sola DEUM cogere potest quasi imperiosa. Hæc de cælo DEUM deposuit, hæc in cruce posuit: hæc tam innocenter quam salubriter CHRISTI sangvinem fudit in remissionem peccatorum. *Balduinus apud Niremberg: in theopolitico.* Propter nimiam charitatem quâ nos dilexit, cùm essem9 mortui peccatis, vitam nobis desideravit & sibi mortem. Hinc ejus vulnera in cruce suspensi: hinc nostra vulnera sunt sanata: hinc nobis salus est ministrata. Desiderium ergo nostræ salutis, & pro nostra salute desiderium propriæ mortis, duo vulnera sunt alterum doloris, alterum amoris: imò utrūq; amoris, utrumq; enim desiderium de amore processit: utrumq; amorem probat, ipsâ jam patientiâ sigillatum, utrumq; plus illum sauciavit quàm clavi quàm lancea *Balduinus ibidem pensans verba* Cantic: 4. Vulnerâsti cor meum soror mea, sponsa, vulnerâsti cor meum *&* *verborum repetitionem. Quid quòd tantùm amorem non solum omnibus hominibus in genere, sed singulis in specie impendere non dubitabat: pro ut ipse revelavit* S. Birgittæ lib: 1. c. 58. Ego (inquit) si possibile esset pro uno quoq; homine talem pænam exciperem qualem semel in cruce pro omnibus recepi, ad hoc ut ad promissam hæreditatem redirent. *& lib: 7. c. 19. ad illos quoq; mortuos a corde odioq; æterno dignos nempe damnatos amorem suum videtur exten-*

tendere. Si adhuc possibile esset quòd ego toties morerer q...
sunt animæ in inferno, ita quòd pro qualibet earum talē mo...
tem sustinerem, qualem tunc pro omnibus sustinui, adhuc
corpus meum paratum esset subire hæc omnia cum libenti
voluntate & perfectissimâ charitate. *Hactenùs amator generis
nostri ad S. Birgittam.* Admirandus charitatis excessus in illis
verbis comprehendebatur *DEVS meus: DEVS meus quare
me dereliquisti*: velut dicere & amanter expostulare voluisset:
quòd sibi plura pro mortalibus tolerare concessum non esset.
Ista unica CHRISTO jam morienti cura fuit, cur plura non
pateretur? cur sibi Pater vitam in tormentis non prorogaret
uti prorogaturus erat pluribus Sanctis Martyribus. *ex Barry.*
Similem excessum in charitate illa quoq; verba sapiunt *Pater
ignosce illis &c.* Quæ eadem cum S. Engelbertus Archiep: Co-
lonensis ab hostibus interfectoribusq; suis circumventus in
itinere, patienti Domino succinens orâsset; statim à cæde sui;
ab Angelis in cælum ferri visus, obtinuit privilegium, quid-
vis per sua merita precantibus largiendi, plurimis deinceps
miraculis confirmatum, *quod Surius testatur ad 7. Septem-
bris. Quid porro excessiva humilitas, quid patientia, quid cha-
ritas spectant?* Fecit (Dominus noster) antidotum spiritua-
le, sputo, aceto, felle, sangvine, flagellis, irrisione, opprobri-
jsq; compositum: quo vulnera, dolores, tentationes crucia-
tusq; linirentur nostri. *S. Laur: Iustin:* Livore ejus sanati
sumus, Caro enim factus est, ut nos faceret spirituales: incli-
natus ut levaret; exijt ut introduceret: visibilis apparuit, ut
invisibilia monstraret: flagella pertulit ut sanaret: mortuus
est ut vivificaret. Agamus ergo gratias vivificanti & mortuo:
& ideo vivificanti, quia mortuo. *S. Gregorius Papa in Ezech:
hom:* 16. Plus Domine injurijs tuis debeo, quòd redemptus
sum, quàm operibus, quòd creatus sum. *S. Ambros: l. 1. in
Luc:* Qui habitâ creationis ratione DEVM non amat, æter-
nos inferni cruciatus meretur: ille verò qui IESVM DEVM
homi-

ominem ob illa tormenta quæ nos redimendo perpeſſus eſt, non diligit: dignus eſt cui novus infernus creetur: cujus tormenta ſint centies millies acerbiora illis, quibus damnati apud inferos cruciantur. *S. Auguſtin: apud Barry.* Quis eſt tam durus quem non emolliat amor DEI ſic hominem præveniens & tam vehemens amor! ſi amare nolebas, redamare cura. Nimis durus eſt animus qui ſi dilectionem nolebat impendere, nolit rependere! *S. Auguſtin: Manual: cap.* 26. *CHRISTVS Paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum ut ſequamini veſtigia ejus.* 1. Petr: 2. O! rem mirandam & ſtupendam inde obligamur uſque ad mortem obnoxij, unde per mortem dimittimur liberi: inde debitum mortis contrahitur, unde meritum mortis abſoluitur. *Balduinus in Theop: Niremb:*

DEVS Pater revelavit S. Melchtildi *lib: gratiarum c.* 14. Quicunq; Filio meo pro extremis laboribus quos in cruce pertulit, gratias egerit; rem illi tam gratam faciet velut ſi ſacras ejus plagas pretioſiſſimo ungvento unxiſſet: Qui ejus ardenti in cruce ſiti condoluerit: hunc tanti faciet, atq; tunc ejus ſitim extinxiſſet. Qui gratias illi retulerit, quod clavis ſe in crucem paſſus ſit agi: ita illum oblectabit, tanquam de cruce depoſuiſſet. B. Angela de Fulginio audivit CHRISTVM ſibi dicentem: Benedicat vobis Pater meus, quicunq; dolores meos acerbiſſimos commiſeratione proſequimini: cælum in vos omnia dona depluat, quotquot meos cruciatus amatis, Benedico vobis cruci meæ devotis, qui pluris Martyrum meorum cruces quam univerſi orbis gloriam æſtimatis. *In ejus vita.* Simplex Dominicæ paſſionis memoria & meditatio plus utilitatis homini adfert, quam ſi in pane ſolo & aquâ anuum integrum jejunet: plus etiam, quàm ſi diebus ſingulis ad ſangvinem ſe flagellet: Plus deniq; quàm ſi pſalterium integrum quotidie recitet. *B. Albertus Magnus.* Nihil nobis tam ſalutiferum, quàm quotidiè cogitare quanta pro

nobis

nobis pertulit DEVS homo. *S. Augustinus ser: 23. ad Fr in eremo.* Frequens Passionis memoria indoctum reddit doctissimum, imperitos & idiotas facit proficere in Magistros, Magistros inquam non scientiæ quæ inflat, sed charitatis quæ ædificat. Ipsa est velut quidam liber vitæ, in quo omnia saluti necessaria inveniuntur. *Ludolphus de Saxonia Carth:* Si vis o homo de virtute in virtutem, de gratia in gratiam, de bono in melius proficere; quotidie quantâ potes devotione, mediteris dominicam passionem: nihil enim in anima ita operatur universalem sanctificationem; sicut meditatio Passionis CHRISTI. *S. Bonaventura de Passione Domini.* Devotus miles non sentit sua, cum benigni Ducis intuetur vulnera. *S. Bernard*: Nemo ita cordialiter sentit passionem CHRISTI; sicut is cui contigerit similia pati. *Gerson:*



ELEN-

ELENCHUS,

Sive

Compendiosa Actorum Salvatoris nostri post resuscitationem à morte Lazari series.

ETsi semper perfida Iudæorum gens Christum Dominum ac Salvatorem mundi, odio persecuta sit gratis, in ejus innocentissimam vitam conspirando, vel maximè tamen diu conceptum virus effudit, quando in Bethania Lazarum mortuum & jam fætentem ad vitam revocavit. Hoc enim tam magno & evidenti miraculo permoti, quamvis multi ex Iudæis *qui venerant ad Mariam, & Martham, & viderant, quæ fecit IESVS, crediderunt in eum: Ioan.* II. *v.* 45. Nihilominus tamen quidam ex illis abierunt ad Pharisæos: sive annuntiando ut crederent, sive prodendo, ut sævirent; prout Glossa observat; sive etiam Pharisæorum gratiam captando, malè de Christo, & ejus miraculo loquendo, ut ait Cyrillus; sive calumniando hanc suscitationem Lazari quasi præstigiosam, ac Christum quasi præstigiatorem accusando, ut Euthymius putat; sive ut per hanc suscitationem, Pharisæorum invidiam in Christum magis accenderent, ut sensit Rupertus: *abierunt ad Pharisæos dixeruntq; eis, quæ fecit IESVS. Ioan.*II. 46. I.

COllecto itaq; Concilio Pontifices, & Pharisæi consultabant dicendo: *Quid facimus: quia hic homo multa signa facit? si dimittimus eum sic, omnes credent in eum; & venient Romani, & tollent nostrum locum, & gen-* 2.

tem. Ioan. 11. ℣. 47. *&* 48. O excæcata malitia! si multa signa facit? ergo Filius DEI: ergo Messias: ergo Propheta: ergo credendum ei, vel satius credendum in eum. Sed odio & invidiâ excæcati, hominem merum & vilem vocant, de ejus cæde consulunt, qui est omnium vita: ei mortem inferre decernunt, qui recentissimè à Lazaro mortem repulit, vitæq; restituit: & à quo æternam vitam sperare ac petere debebant.

3. HOc Concilium magnum, quod Sinedrim vocabatur, certè dicam impiorum, impius Præses Caiphas (quod ex Hebr. juxta Pagninum vomens ore seu sagax investigator) illo effato conclusit: *Vos nescitis quidquam nec cogitatis, quia expedit vobis, ut unus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat. Hoc autem à semetipso non dixit, sed cùm esset Pontifex anni illius prophetavit, quòd IESVS moriturus erat pro gente, & non tantùm pro gente, sed ut filios DEI, qui erant dispersi congregaret in unum. Ioan.* 11. *v.* 49. *&* 52.

4. CAiphas impius, quem licet prophetâsse dicit Evangelista, minimè tamen Propheta fuit; quia ut S. Chrysost: ait; Spiritum Sanctum lingvam illius non cor movisse: ideoq; mysterium mortis Christi non intellexisse. Vnde Origines notat, quòd Spiritus S. per os ejus locutus est, sicut Angelus locutus est Balaam impio per os asinæ. Num. 22. ℣. 28.

5. IMpij Præsulis effata, à subditis pari impietate infectis, sine debita discretione facilè acceptantur. Ioan. 11. 53. *Ab illo ergo die cogitaverunt; ut interficerent eum.*

6. IESVS ergo tanquam DEVS quid de se statuissent Iudæi, nemine nuntiante cognovit: tanquam homo, se subduxit; ait Cyrillus. Quoniam nondum passionis ac mor-

mortis ejus destinatum advenerat tempus, de quo ait *Ioan. 7. v. 6. tempus meum nondum advenit: tempus autem vestrum semper est paratum:* cessit pro tunc furori Iudæorum, secessitq; *in regionem juxta desertum in civitatem, quæ dicitur Ephrem, & ibi morabatur cum discipulis suis. Ioan.* 11. 54.

Imminente autem Paschate ultimo, ante necem Christi, de civitate Ephrem ascendit, juxta legem Ierosolymam; ut suæ passionis expleret vota, atq; ex decreto Patris æterni pro mundi redemptione in crucem ascenderet, Salutemq; nostram in medio terræ operaretur. Ioan. 11. 55. 7.

MVltoties de passione ac morte sua prædicens, maximè tamen omnia, quæ passurus erat, enucleat discipulis suis, in illo ultimo Ierosolymam arrepto itinere. Matt. 20. v. 17. *Et ascendens IESVS Ierosolymam assumpsit duodecim discipulos secretò, & ait illis* (18) *Ecce ascendimus Ierosolymam & filius hominis tradetur Principibus Sacerdotum, & scribis, & condemnabunt eum morte,* (19) *& tradent eum gentibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum, & tertia die resurget.* Idem Marc. 10. v. 33. Luc. 18. 31. Qui etiam ait: c. 18. v. 34. *& ipsi nihil horum intellexerunt, & erat verbum istud absconditum ab eis, & non intelligebant. quæ dicebantur; Quinimò Petrus cæpit increpare IESVM* ut Matth. 16. 22. testatur: *absit, à te Domine: non erit tibi hoc:* cui Christus comminatur Mar: 8. v. 33. Matth. 16. v. 23. *Vade post me Satana: scandalum es mihi: quia non sapis ea, quæ DEI sunt, sed ea, quæ hominis.* Nulla persvasio potuit à sustinenda morte Christum retardare: quinimò alacri animo *cùm essent in via, præcedebat eos IESVS, & stupebant, & sequentes timebant.* At ille inevitabile mortis 8.

suæ decretum illis reculcat. Mar. 10. 32. *Et assumens iterum duodecim cœpit illis dicere, quæ essent ei eventura.* Luc. 18. 31. *Consummabantur omnia, quæ scripta sunt per Prophetas de Filio hominis.*

9. NOtandum Ephrem Ierosolymâ distabat stadijs 210. nempe ab Ephrem ad Iericho stadia, 60 ab Iericho ad Ierusalem 150. stadia numerantur juxta Ioseph. lib. 5. de bello. cap. 4. Stadium continet passus 125. octo stadia faciunt milliare Italicum, mille passus continens: tria autem milliaria Italica faciunt leucam, seu iter unius horæ; Itaq; stadia 210, quibus Ephrem Ierosolymâ distabat, faciunt leucas novem, & circiter mediam.

10. NOtandum Christus Dominus ex civitate Ephrem per Iericho Ierosolymam tendebat. Et quia Ierosolyma in altiori loco quàm Iericho erat, ideo inde euntes ascendere (unde Christus dicit: (*ecce ascendimus Ierosolymam*) Qui verò ab Ierusalem in Iericho proficiscebantur descendere, dicebantur; prout patet Luc. 10. 30. *Homo quidam descendebat ab Ierusalem in Iericho &c.* Sed sicut ille homo, qui descendebat ab Ierusalem in Iericho, sic & DEVS Homo, qui ab Iericho ascendebat in Ierusalem, uterq; incidit in latrones; Ierichontini quidem latrones, despoliaverunt illum hominem, *& plagis impositis abierunt, semivivo relicto*, Ierosolymitani verò latrones, non tantùm vestibus, sed honore, famâ, vitâ deniq; spoliaverunt, ignominiosissimè crucifixerunt, & occiderunt Hominem DEVM.

11. IAcobus & Ioannes Filij Zebedæi, existimantes Christum Ierosolymam ascendere ad capessendum regnum; *& eò quòd esset propè Ierusalem: & quia existimarent quòd confestim regnum DEI manifestaretur* Luc. 19. ℣. 11. postulant per Matrem, ut S. Matth. c. 20. ℣. 20. exprimit; vel

vel ut S. Marc. c. 10. V. 35. aſſerit, ipſimet à Domino expoſcunt: *da nobis, ut unus ad dextram tuam, & alius ad ſiniſtram tuam ſedeamus in gloria tua.* Marc: 10. V. 37. Quibus IESVS non regnandi ſed patiendi tempus proponit. *Sedere autem ad dextram meam* (inquit) *vel ad ſiniſtram, non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt.* v. 40. (addit Matth. 20. 23.) *à Patre meo.* Dum cæteri Apoſtoli indignati ſunt de duobus fratribus; forte altiorem locum quilibet eorum appetens in regno Chriſti; docentur, non poteſtate & oſtenſione Dominij, ſed officio miniſterij, debeant eſſe majores: *Quicunq; voluerit inter vos major fieri, ſit veſter miniſter.* Matth. 20. 27. Marc: 10. 43. Luc. 22. 24.

PRope Iericho cæcum ſecus viam ſedentem & men- 12.
dicantem illuminat. Luc. 18. 35. qui cæcus juxta S. Marcum 10. 46. Bartimæus filius Timæi vocabatur. S. Matth. duos ibi cæcos à Chriſto illuminatos aſſerit. Matth. 20. 19.

TRanſiens IESVS per Iericho in domum Zachæi 13.
Principis Publicanorum ſe invitat, eoq; divertens ſalutem Domui ejus, ipſumq; filium Abrahæ denuntiat, murmurantibus multis, quòd ad hominem peccatorem divertiſſet.

PVblicani, qui publica vectigalia & telonia exige- 14.
bant, apud Hebræos habebantur iniqui, infames, & exoſi: Hebraicè vocabantur latrones. Princeps Publicanorum vocabatur Gabba. Vnde nomen Gabellæ. Publicani Gabbaim, teſte Angello Conimo.

ANte ſex dies Paſchæ venit IESVS Bethaniam ubi 15.
Lazarum mortuum ſuſcitavit. Paſcha enim eo Anno incidebat in feriam quintam; quare ſex dies diem Paſchæ præcedentes hi ſunt: Sabbatum, Dominica, feria

2da,

2da, 3tia, 4ta, & 5ta seu dies Iovis: ante quos IESVS in Bethaniam venit, scilicet die Veneris, vesperi ante Dominicam Palmarum. Fecerunt ei cœnam Cives in Bethania; Lazarus unus erat ex discumbentibus cum eo; Martha ministrabat, Maria ungvento nardi pistici pretiosi unxit pedes ejus; domus impleta ex odore ungventi murmurante Iuda, quem Christus arguit. Principes Sacerdotum cogitaverunt & Lazarum occidere: *quia multi propter illum abibant ex Iudæis & credebant in IESVM. Ioan: 12. V. 11.*

16. QVinta die ante Pascha quæ erat dies 10. primi mensis Nisan; quo juxta legem Exodi 12. Agnus Paschalis inducendus, die autem 14. ejusdem mensis immolandus erat: id est Dominicâ palmarum, quæ illo anno incidit in diem 20 Martij. IESVS abiens Bethaniâ cum appropinquâsset Ierosolymis & venisset Bethphage ad montem Oliveti mittit duos discipulos in castellum ad adducendum asinam cum pullo, super quem jactatis vestimentis suis discipuli IESVM desuper sedere fecerunt: sicq; Ierosolymam proficiscebatur. Nam ex Bethania per Bethphage montem Oliveti & vallem Iosaphat, quam interluit torrens Cedron, ibatur Ierusalem. Vbi per portam auream tam in templum, quàm in urbem intrabant, juxta quam etiam erat Aquila aurea ab Herode erecta in gratiam Cæsaris. Tradunt aliqui hanc auream portam solere esse semper clausam, sed advenienti Christo sponte per miraculum fuisse reseratam.

17. BEthphage vicus erat Sacerdotum ad radicem montis Olivarum in concavitate quadam quasi in ore vallis Iosaphat situs. Vbi agnos, capras, boves, pro Sacrificijs templi alere solebant, indeq; educebant agnos Paschales, & alias victimas in templo offerendas; eaq; de

causa

cauſa Chriſtus ex eo loco triumphalem ſuum ingreſſum in Ieroſolymam deduci voluit, ut oſtenderet ſe agnum pro peccatis mundi immolandum.

CHriſtus antea ſemper pedes totam Iudæam circum- 18.
eundo inceſſerat: jam verò ut oſtenderet ſe Davidis filium, & hæredem, Regem Iudeæ ſeu Meſſiam, regali pompa Metropolim ingreditur. At ut monſtraret ſuum regnum alterius eſſe ordinis, ſcilicet Spirituale ac cæleſte: non phalerato equo, vel aurato curru vehitur: ſed ſuper aſellum tranquillitatis & pacis, oneris quoque ac laboris patientiſſimum animal. Sicq; proficiſcenti IESV multa turba occurrit, *alij veſtimenta ſua, alij ramos de arborib9 cædentes ſternunt in via* cum applauſu clamantes: *Hoſanna Filio David &c.* Verum Meſſiam agnoſcentes & profitentes. Matth. 21. Mar: 11. Luc. 19. Ioan: 12.

IN hoc triumphali progreſſu ſuo IESVS, videns civi- 19.
tatem Ieruſalem, ſuper eam flet; exterminium ejus prædicens. Luc. 19. 41.

URbem ingreſſus primò templum adit, ex eo emen- 20.
tes & vendentes ejicit, multos ægros ſanat, acclamantibus pueris: Hoſanna in excelſis: admirante turba ſuper doctrina ejus, frendentibus Phariſæis. Matth. 21. Mar. 11. Luc. 19. Ioan. 12.

GEntiles qui aſcenderant, ut adorarent in die feſto, 21.
IESVM dum videre cupiunt Philippi & Andreæ operâ, IESVS horam ſuæ clarificationis inſtare, ſed granum frumenti prius mortificandum, ut multum fructum afferat, miniſtrantes ſibi & ſe ſequentes dicit à Patre honorificandos. Vox Patris auditur, de clarificando nomine ſuo; Princeps mundi foras eijciendus: de excæcatione Iudæorum, prophetia Iſaiæ: in Chriſto Pater honoratur vel ſpernitur. Ioan. 12.

22.

22. EAdem die, quâ triumphali modo Vrbem ingressus fuit; vespere relictis illis abijt foras extra Civitatem in Bethaniam, ibiq; mansit. Matth. 21. 18. *erat autem diebus docens in templo, noctibus verò exiens morabatur in monte; qui vocatur Oliveti.* Luc. 21. 37. *Et omnis populus manicabat* (id est manè ibat) *ad eum in templo audire eum.*

23. QVarta itaq; die ante Pascha id est feriâ 2dâ post Dominicam palmarum die 21. Martij regrediens ex Bethania, vel monte Oliveti in urbem, esuriens & non inveniens fructum, sed tantùm folia in ficulnea in via, maledicit ei, quæ statim arefacta est. Matth. 21. 19. Mar. 11. 12. &c. In templo tota die docet turbam. Inde in Bethaniam exit.

24. FEriâ 3tiâ ante Pascha die 22. Martij redeundo in urbem mirantibus discipulis arefactam ficulneam ac dicenti Petro Rabbi ecce ficus *cui maledixisti aruit.* exponit fidei & orationis efficaciam: *Si habueritis fidem, & non hæsitaveritis, non solùm de ficulnea facietis, sed & si monti huic dixeritis, tolle & jacta te in mare, fiet. Et omnia quæcunq; petieritis in oratione credentes accipietis.* Matth. 21. 20. Mar. 11. 21.

25. IN Templo docens, interrogatus à Principibus Sacerdotum & Senioribus populi, *in qua potestate hæc facis? & quis dedit tibi hanc potestatem?* id est: Quis ei dederit jus & authoritatem docendi in templo, ementes & vendentes ex eo ejiciendi, populum ad se accersendi? quasi Doctori eximio ac Messiæ sibi acclamandi? Hosanna Filio David? cavillantium retundit quæstionem interrogatione: *Baptismus Ioannis unde erat? è cælo an ex hominibus?* dicentibus illis: *nescimus.* Christus similiter illis respondet: *Nec ego dico vobis, in qua potestate hæc facio.*

Matth.

Matt: 21. V. 24. 25. 27. Mar: 11. 29. 30. 33. Luc: 20. 3. 4. 5. 7. 8.

EOdem tempore ex parabolis de homine duos filios habente uno obediente, altero inobediente: item de patrefamilias conducente vineam suam agricolis, qui missos ab eo servos, ad accipiendos fructus alios occiderunt, alios lapidaverunt. Novissimè etiam ejus proprium filium hæredem apprehensum, & extra vineam ejectum occiderunt: utrâq; hâc parabolâ prædicit regnum DEI (id est Ecclesiam) à Iudæis Christum occisuris ad gentes transferendum. Matt: 21. V. 29. &c. 33. 34. 36. 41. 43. Mar: 12. 9. &c. Luc: 20. 10. &c. 16. 26.

ET cùm audissent Principes Sacerdotum, & Pharisæi parabolas ejus, cognoverunt, quòd de ipsis diceret; & quærentes eum tenere, timuerunt turbas: quoniam sicut Prophetam eum habebant. Matt: 21. 45. 46. 27.

AT Christus nihilominus nectit parabolam de Rege, qui fecit nuptias filio suo, ad quas invitati nolebant venire, sed abierunt alij in villam suam, alij verò ad negotiationem suam, reliqui verò tenuerunt servos ejus, & contumelijs affectos occiderunt. Matt: 22 1. ad 7. Rex iratus *missis exercitibus suis perdidit homicidas illos, & civitatem illorum succendit.* V. 7. 28.

ITem mittit servos ad exitus viarum, ut quoscunq; invenerint, vocent ad nuptias: *Et congregaverunt omnes, quos invenerunt malos, & bonos, & impletæ sunt nuptiæ discumbentium. Matt:* 22. V. 9, 10. 29.

REx intrans videt inter discumbentes hominem non vestitum veste nuptiali, eumq; obmutescentem jubet ministros ligatis manibus & pedibus ejus, mittere in tenebras exteriores, ibi erit fletus & stridor dentium; multi enim sunt vocati, pauci verò electi. Ibidem. 30.

V. 11. &c.

31. AVditis his parabolis ut IESVM caperent in sermone, captiosas ei proponunt quæstiones: Imo mittentes Pharisæi discipulos suos cum Herodianis, interrogant: licet censum dare Cæsari, an non? sed Christus ostenso sibi numismate census, spectataq; in illo imagine Cæsaris, jubet reddere quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt DEI, DEO. Matt: 22. V.21. Mar: 12. 14. Luc: 20. 22.

32. 2do Pharisæis confutatis succedunt Saducæi non credentes resurrectionem, interrogant IESVM: mulier, quam septem fratres unus post alterius mortem (juxta legem Moysis Deut: 25. 5.) duxerat, in resurrectione cujus erit de septem uxor? sed Christus errorem eorum, & inscitiam scripturarum exprobrando, asserit, *in resurrectione neq; nubent, neq; nubentur, sed erunt sicut Angeli DEI. Matt:* 22. V. 24. *&c. Mar:* 12. 10. *Luc:* 20.28.

33. 3tio PHarisæis & Saducæis imposito silentio, unus ex eis legis-doctor tentat IESVM quærens! *Magister, quod est mandatum magnum in lege?* respondente IESV: *Diliges Dominum DEVM tuum, ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua: hoc est maximum & primum mandatum; secundùm autem simile est huic: diliges proximum tuum, sicut te ipsum. Matt:* 22. 35. *&c, Mar:* 12. 28.

34. COngregatis verò ijsdem Pharisæis vicissim IESVS interrogat eos, cujus filius sit Christus? respondentibus illis David: quærit Christus, *quomodo ergo David in Spiritu eum vocat Dominum* (*Psal:* 109) *Si ergo David eum Dominum vocat quomodo filius ejus est? Et nemo poterat respondere ei verbum: neq; ausus fuit quisquam ex illa die ampliùs interrogare. Matt:* 22. 41. *Mar:* 12. 35. *Luc:* 20. 41.

Chri-

CHristus Dominus docet turbas, ut doctrinam scribarum ac Pharisæorum super cathedram Moysi sedentium sequantur, illis obediant; non verò vitam & mores imitentur. *Omnia ergo quæcunque dixerint vobis, servate & facite, secundùm verò opera eorum nolite facere, dicunt enim & non faciunt.* Matt: 23. 3. 35.

REtegit Christus Pharisæorum & scribarum hypocrisim, jactantiam, avaritiam, arrogantiam, ambitionem: quomodo amant primos accubitus in cœnis, & primas cathedras in Synagogis &c. ibidem ℣. 5. &c. Discipulos verò contrariam docet humilitatem. 36.

DEinde ob hypocrisim, avaritiam, superstitionem & alia scelera multiplex væ interminatur. Et sicut olim octo beatitudines, id est benedictiones consignavit; Matt: 5. Ita vice versa octo væ id est maledictiones Scribarum & Pharisæorum ingeminat. Matt: 23. ℣. 13. &c. &c. 37.

DEniq; prædicit eos Patrum suorum mensuram, in persecutionibus justorum impleturos, ideoq; extremum excidium Ierosolymæ, & Templi destructionem prædicit. Matt: 23. 38. *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta.* Matt: 23. 38. *Luc.* 13. 35. 38.

SEdens contra gazophylacium, aspiciebat quomodo turba jactabat æs in gazophylacium, & multi divites jactabant multa. Mar: 12. ℣. 41. Vidit autem & quandam viduam pauperculam mittentem æra minuta duo, Luc. 21. 2. quam cæteris prætulit. Mar: 12. 43. Luc: 21. 3. 39.

CVm tota die in templo docuisset jejunus, exit de Templo sub vesperam ad sumendum cibum in Bethania, ac pernoctandum in monte Oliveti. 40.

OCcasione prædictæ desolationis Ierosolymæ, & 41.

templi, discipuli ut Christum excitarent ad commiserationem, & ad revocandam excidij sententiam ostendunt ei admirandam templi fabricam, pulchritudinem, ac magnificentiam, quæ æternitatem mereri videbantur, dicentes, Matt: 24. 1. Mar: 13. *Magister aspice quales lapides, & quales structuræ. Luc: 21. 5. & quibusdam dicentibus de templo quod bonis lapidibus & donis ornatum esset.* Nihil tamen hoc movit Christum ad immutandam excidij sententiam, dicente Matt: 24. 1. Mar: 13. 2. Luc: 21. 6. *Hæc quæ videtis, venient dies, in quibus non relinquetur lapis super lapidem, qui non destruatur.*

42. ET cùm sederet in monte Olivarum contra templum, interrogabant eum separatim Petrus & Iacobus, & Ioannes, & Andreas, dic nobis, quando ista fient? & quod signum erit, quando hæc omnia incipient consummari. Mar: 13. 3. & 4. Matt: 24. 3. *quod signum adventûs tui & consummationis seculi?*

43. CHristus verò monet discipulos, ut caveant à seductoribus pseudo-Prophetis, quos præcedere exponit bella, seditiones, afflictiones varias, persecutiones, abominationem desolationis, signa in cælo, sole, luna stellis: Orbis totius exterminium prædicit; tum Adventûs sui, & extremi judicij diem nemini hucusq; cognitum, sed improvisum, improvisosq; homines, sicut in di bus Noë, & diluvij tempore occupandos denuntiat: ideoq; ut se strenuè ad id parent, & ad continuam vigilantiam seriò admonet. *Matt: 24. 42. 44. ideo & vos state parati: quia quâ nescitis horâ Filius hominis venturus est.* Mar: 13. 33. *Videte, vigilate, & orate: nescitis enim quando tempus sit.* Ad quod varijs exhortatur parabolis. Marci ibidem V. 34. de homine peregrè profecto & servis suis curâ domus suæ commissâ ac Ianitori vigilare præcipiente.

Item

Item Matt: 24. 43. de Patrefamilias nesciente horam adventûs furis. Item de fideli & prudente, cibum in tempore familiæ Domini ministrante: ac de malo ebrioso servo, conservos suos percutiente. Item Matth: 25. 1. &c. de quinq; prudentibus & quinq; fatuis Virginibus, obviam exeuntib9 sponso; de talentis ad negotiationē servis distributis, quorum Dominus peregrè rediens præmiat, aut punit juxta ipsorum merita. Item ad eandem vigilantiam admonet. Luc. 21. 34. *Attendite autem vobis ne forte graventur corda vestra in crapula, & ebrietate, & curis hujus vitæ: & superveniat in vos repentina dies illa: 35. tanquam laqueus enim superveniet in omnes, qui sedent super faciem omnis terræ; 36. vigilate itaq; omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere ista omnia, quæ futura sunt.* Mar: 13. ℣. 35. *Vigilate ergo; nescitis enim quando Dominus domûs veniat. Serò an media nocte. an galli cantu an manè. Quod autem dico vobis, omnibus dico: vigilate.* Mar: 13. 37.

TAndem deniq; formam ac processum extremi judicij graphicè deducit, sententiamq; malos condemnando, bonos præmiando ferendam detonat. *Et ibunt hi in supplicium æternum: justi autem in vitam æternam.* Matt. 25. 46. 44.

HÆc Divinissima Christi monita, uti & præcedentia fuerunt feria 3*tia* post Dominicam Palmarum die 22. Martij ad vesperam, quo more Hebræo feria 4*ta* incipiebat. Sciendum enim est apud Iudæos, fuisse olim in usu triplex genus dierum, diem scilicet legalem, à vespera in vesperam, diem naturalem, ab ortu solis ad ortum; diem usualem à media nocte ad mediam noctem. 45.

QVartâ igitur & quintâ feriâ post Dominicam Palmarum, non venit IESVS Ierosolymam ad docen- 46.

cendum, uti fecit anterioribus diebus, ſed manſit in Bethania, donec feriâ quintâ id eſt die Iovis, ſub veſperam inde regreſſus in Ieruſalem, ut Paſcha celebraret, & paſſionem ſuam perficeret. Ita cum multis ſentit Ianſenius, & Maldonatus.

47. FEriâ quartâ id eſt 23. Martij congregantur Principes, & Seniores populi ad Caipham conſulendo, quomodo Chriſtum caperent & occiderent. Quod Iudas præſentiens advolat, Chriſtum tradere illis ſpondet, triginta denariorum pretio conſtituto. Vnde in memoriam Innocentiſſimi Chriſti à Iuda venditiónis non tantùm veteres Chriſtiani,uti S. Auguſt: Theophylactus, & alij teſtantur; ſed etiam noſtri temporis aliqui devoti in varijs gentibus ſolent qualibet f riâ quartâ jejunare, ab eſuq; carnium abſtinere, quia Chriſti caro pro nobis ea die vendita eſt.

48. FEriâ quintâ id eſt 24. Martij incidit dies Azymorum, in qua neceſſe erat occidi paſcha, præmittit Ieroſolymam Petrum & Ioannem ut neceſſaria ad cænam agni paſchalis præparent, quod & executi ſunt, juxta iuſſionem Chriſti ſequentes hominem, aquæ amphoram portantem oſtenſoq; ſibi à Domino domûs illius,ın quam intravit, cænaculo magno ſtrato, paraverunt paſcha. Luc: 22. 13. Mar: 14. 16. Matt: 26. 19. Quo Chriſtus cum diſcipulis veſpere venit, ibiq; cænam agni Paſchalis juxta legis præſcripta celebravit.

49. CÆnâ factâ ſurgit, ſepoſitiſq; veſtimentis ſuis, & linteo præcinctꝰ, diſcipulorũ lavat pedes: exhortatur ut idem invicem faciant? *Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis.* Ioan: 13. 15.

Divi-

DIvinissimum Eucharistiæ Sacramentum instituit, panem in corpus verum, & vinum in sangvinem verum consecrando, tradit discipulis manducandum præcipiens, ut idem faciant in sui commemorationem: Tradendum se ab uno eorum dicit: contristatisq; & singulis quærentibus: Nunquid ego sum Domine? proditori id ipsum interroganti respondet: *tu dixisti.* Matt: 26. 25. 50.

EX Petri instinctu Ioanni de eodem suscitanti *Domine quis est?* Respondet *cui ego intinctum panem porrexero, & cùm intinxisset panem, dedit Iudæ Simonis Iscariotæ. Ioan:* 13. 26. Nil tamen agunt discipuli contra proditorem, distracti forte exorta contentione, *quis eorum videretur esse major. Luc:* 22. 24. 51.

OMnes scandalizandos, Petri constantiam suam jactanti, trinam negationem, prædicit: tunicam vendere & emere gladium jubet. 52.

IVdas buccellâ sumptâ dum exit, Christus nunc clarificatum se à DEO, & DEUM in eo clarificatum esse dicit. Ioan. 13. 31. Ibidem novum mandatum dilectionis promulgat: tum mæstos discipulos, qui de discessu suo meritò gaudere deberent, longo eoq; amore pleno sermone consolatur, quem fusè S. Ioan: à cap: 14. ad 16. describit: ac sequenti cap. 17. Orationem Christi ad Patrem pro illius, & sui clarificatione, pro discipulis, ac ijs, qui per illos in ipsum essent credituri, ut unum sint, & serventur à malo, describit. Hisq; peractis omnibus, in cænaculo, Hymno dicto exierunt in montem Olivarum. Matt: 26. 36. Mar: 14. 26. Luc: 22. 36. Ioan: 13. 1. 53.

EX cænaculo & urbe exiens Christus venit in villam Gethsemani. Matt. 24. Luc. 22. Mar: 14. quæ distabat à cænaculo sexcentis circiter passibus; villa hæc fuit ad radices montis Oliveti, olearum fæcunda, ubi & tor- 54.

cular

cular fuisse videtur, in quo olivæ in monte eo copiosè provenientes deferebantur ad exprimendum oleum. Gethsemani idem est quod & torcular Olei. Ibi relictis octo Apostolis dixit: *Sedete hîc donec vadam illuc, & orem.* Matt: 26. 36. Mar: 14. 32. Assumpto Petro, Ioanne, & Iacobo cæpit contristari & mæstus esse. Tunc ait illis: *Tristis est anima mea usq; ad mortem.* Manere illos, & vigilare jubet: à quibus paululum progressus Matt: 26. 39. (Luc: 22. 41. *avulsus est ab eis, quantum jactus est lapidis*) *procidit in faciem suam orans & dicens: Pater mi si possibile est, transeat à me calix iste. &c.*

55. VEniens ad discipulos, inventis dormientibus, Petrum increpat: *non potuistis, unâ horâ vigilare mecum. &c.* Matt: 26. 40. Mar: 14. 37. Iterum abit, & orat, reversusq; ad discipulos etiam invenit eos dormientes: *erant enim oculi eorum gravati.* Quibus relictis jam tertiò oravit eundem sermonem. Factus in agonia sangvineo sudat sudore. Apparuit autem illi Angelus de cælo, confortans eum. Redit ad discipulos, quibus dicit: *Dormite jam & requiescite. Ecce appropinquavit hora & filius hominis tradetur in manus peccatorum.* Matt. 26. 45. *Mar:* 14. 41.

56. ADhuc eo loquente Iudas cum cohorte, & ministris venit comprehendere IESVM, qui contra eos procedens voce *ego sum*, prosternit omnes retrorsùm. Petrus auriculam Malcho amputat, quem Christus sanat. Iudas osculo IESVM tradit; cohors IESVM apprehendit, ligat, & ad Annam primò, deinde ad Caipham ducit. Vbi liberè respondenti, alapâ à milite percutitur, blasphemus proclamatur, illuditur, reus mortis judicatur, & pessimè tractatur.

Petrus

PEtrus ad ignem ſe calefaciens negat coram ad- 57.
ſtantibus, ſe eſſe diſcipulum Chriſti, neq; noſſe il-
lum aſſerit. Reſpiciente autem Chriſto, recordatur ver-
bi Chriſti, egreſſus flet amarè. Hæc omnia geſta ſunt fe-
riâ quintâ nocte poſt ultimam cænam.

FEriâ 6*ta* id eſt die 25. Martij, ſummo manè Cai- 58.
phas Summus Pontifex concilium grande convo-
cat, in quo Chriſtus condemnatur, ac Piſato Præſidi,
plectendus traditur. Iudas videns condemnatum eſſe
Chriſtum refert triginta argenteos, & reſtituit Iudæis,
confitetur ſe peccâſſe tradens ſangvinem innocentem; &
ſe ipſum ſuſpendit. Ager figuli emitur, pro ſepultura
peregrinorum. Accuſant apud Pilatum in multis Iudæi
Chriſtum, præcipuè, quòd ſe Regem Iudæorum fecerit,
cenſum Cæſari dare prohibuerit, tumultum concitârit,
incipiens à Iudæa uſq; Galilæam. Pilatus tacentem IE-
SVM interrogat utrum ſit Rex Iudæorum, aſſerente
Chriſto, quòd ſit Rex, ſed regnum ejus non eſſe de hoc
mundo; agnoſcit illum eſſe innocentem, audienſq;
quòd homo Galilæus eſſet, mittit eum ad Herodem tan-
quam poteſtati ejus ſubjectum, eaq; ex occaſione ſibi in-
vicem reconciliantur.

HErodes à IESV ſigna & mirabilia avidiſſimè ex- 59.
pectat, ſed nihil tale videns, ſpernit eum cum
tota aula ſua, & alba veſte indutum, illuſum iterum ad
Pilatum remittit.

PIlatus volens Chriſtum innocentem eliberare, 60.
cùm & apud Herodem nihil dignum morte actum
eſſet ei; *per diem ſolemnem conſueverat præſes populo di-
mittere unum vinctum quem voluiſſent.* Matt: 27. 15. Ba-
rabbam ergo ſeditioſum, & homicidam, çum innocente
IESV comparat, quem vultis vobis de duobus dimitti,

Barabbam an IESVM? Pontificum ſuggeſtu, Barabbam liberari, IESVM verò crucifigi poſtulat populus. *Matt:* 27. 21. *Mar:* 15. 6. *Luc:* 23. 17. *Ioan:* 18. 39.

61. NOva ad liberandum Chriſtum inſtantia Vxoris Pilati. *Sedente autem illo pro tribunali miſit ad eum uxor dicens: Nihil tibi & juſto illi: multa enim paſſa ſum hodie per viſum propter eum. Matt:* 27. 19.

62. CVm ingravarentur voces Iudæorum contra IESVM, ut crucifigatur, ad quem liberandum Pilatus, dum alij non ſucceſſiſſent modi, alium adhuc acriorem adhibet modum, ſcilicet flagellationem, etiamſi innocentem eum eſſe agnoſceret: *Nullam cauſam mortis invenio in eo, corripiam ergo illum, & dimittam. Luc:* 23. 22. ut odio in Chriſtum furentes Iudæorum animos acerbitate doloris ad commiſerationem flecteret.

63. NOn tantùm acerbiſſimè flagellatur IESVS à tota militum Præſidis cohorte, ſed & ſpinis coronatur, chlamyde coccinea circumdatur, & tanquam fictus Rex illuditur: ſicq́; ſangvine manantem Chriſtum præſentat populo Pilatus, ut hoc cruento ſpectaculo ad commiſerationem flectat furibundam gentem.

64. SEd nihil effecit & hæc flagellationis acerbitas, imò rabidi canes, innocentiſſimi agni guſtato ſangvine, inextingvibilem ſitim ſuam exacuunt vociferantes: crucifige, crucifige eum. Poſtq́, multas Pilati circa eliberationem Chriſti inſtantias, dum à furibunda plebe audit: *Si hunc dimittis non es amicus Cæſaris &c.* Convictus eo vel maximè reſpectu, ſedit pro tribunali Ioan: 19. 12. Acceptâ aquâ lavit manus coram populo dicens: *innocens ego ſum à ſangvine Iuſti hujus, vos videritis. Matt·* 27. 24. *Tunc tradidit eis illum, ut crucifigeretur. Ioan:* 19. 16.

Suſci-

SVſcipiunt lictores IESVM, crucem humeris baju- 65.
lantem, è prætorio in Calvariam educunt; laſſum
frequenterq́; ceſpitantem, metuentes ne in via ante cru-
cifixionem exſpiraret; angariaverunt prætereuntem quē-
dam Simonem Cyrenæum, venientem de villa, patrem A-
lexandri & Rufi, ut tolleret crucem ejus. Mar: 15. 21.
Luc: 23. 26. Matt: 27. 32.

PIas mulieres plangentes, ſuper ſe ipſas & filios ſuos 66.
plangere jubet. *Quia ſi in viridi ligno hæc faci-
unt, in arido quid fiet.* Luc: 23. 31.

IN montem Calvariæ locum crucifixionis venien- 67.
tes, vinum felle mixtum deinde myrrathum Iudæi
IESV propinant: quo guſtato noluit bibere. Veſtibus
ſpoliant, cruci affigunt ipſum, & cauſam mortis ejus.
Duoſq́, latrones à dextris ac à ſiniſtris ejus (tanquam ip-
ſe Dux & Princeps latronum eſſet) ſuſpendunt. Milites
veſtimenta ejus inter ſe partiuntur, & ſuper incōſutilem
tunicam mittunt ſortem. Matt: 27. 34. &c. Mar: 15. 23.
&c. Luc: 23. 33. &c. Ioan: 19. 19. &c.

IN cruce pendenti Principes & Seniores cum po- 68.
pulo tum etiam milites inſultant & ſubſannant. V-
nus latronum cum eo pendens conviciatur, alter verò
deprecatur dicens: *Domine memento mei, cùm veneris in
regnum tuum.* Ideoq́; à IESV audit: *Hodie mecum eris
in paradiſo.* Luc: 23. 43.

IESVS Matrem dilectiſſimam Ioanni, Ioannem diſci- 69.
pulum, quem diligebat, Matri commendat. Se à Pa-
tre derelictum queritur, ſitio clamat, aceto potatur, ac
tandem clamans voce magna: *Conſummatum eſt*, Spiri-
tum ſuum in Patris æterni manus commendat.

CHriſto mortuo ſol & luna obſcuratur, terra con- 70.
cutitur, petræ & velum templi ſcinditur, monu-

menta aperiuntur. Omnes creaturæ sui Creatoris mortem deplorare videntur. Quibus visis Centurio Christum justum profitetur & glorificat DEVM. *Verè Filius DEI erat iste. Matt: 27. 54. Verè hic homo Filius DEI erat Mar: 15. 39. Matt: 27. 54.* Multi de populo spectantes percutientes pectora sua revertebantur. Luc: 23. 48.

71. IVdæi ut non remanerent in cruce corpora Sabbatho, rogaverunt Pilatum, ut citò morerentur, frangerentur crura, quod & fecerunt duobus latronibus; sed IESVM cùm viderunt jam mortuum, non fregerunt ejus crura, sed unus *militum lanceâ latus ejus aperuit, & continuò exivit sangvis & aqua. Ioan: 19. 34.* &c.

72. IOseph ab Arimathæa, impetratum à Pilato, Christi corpus, de cruce illud depositũ, cum Nicodemo aromatibꝰ linitũ, sindone nova involutũ, in monumento suo novo sepelit. Ioan: 19. 38. &c. Iudæi petunt Pilatum, ut jubeat corpus Christi custodiri; quod & præstat illis: lapis ad os monumenti advolvitur, sepulchrum clauditur & obsigillatur. *Signantes lapidem cum custodibus Matt: 27. 66* Mar: 15. 42. &c. Luc: 23. 20. &c. Maria autem Magdalene & Maria Ioseph, aspiciebant, ubi poneretur Mar: 15. 47.

73. MAria Magdalene & Maria Iacobi minoris, & Ioseph Mater, id est Cleophæ, sive Alphæi uxor, & Salome Mater filiorum Zebedæi. Viderunt monumentum & quemadmodum positum erat corpus ejus. Luc: 23. 55.

74. ET revertentes paraverunt aromata & ungventa, sed propter diem illum magnum Sabbati, obsequium suum ungendi corpus IESV, in crastinum distulerunt. Igitur die Dominico summo manè quæ fuit 27. Martij; inveniunt lapidem revolutum à monumento, ab Angelisq; discunt resurrexisse Christum à mortuis; quod reversæ Petro & discipulis lætæ denuntiant. Matth: 28. Mar: 16. Luc: 24. Ioan: 20.

CHRISTUS
DOMINUS

& Salvator noster, resuscitato à mortuis Lazaro, sciens conjurationem Iudæorum in mortem suam, cujus nondum tempus advenerat; secessit in Civitatem Ephrem Ioan: 11. v. 54. Uti insinuatur in Elencho anum: 6to & sequent: Imminente autem paschate ultimo, quo ipse Agnus immaculatus pro salute mundi immolandus erat, de Ephrem Ierosolymam ascendens, passionem suam Discipulis prædicit.

MAtthæi 20. v. 17. Ascendens IESVS [a] Ierosolymam assumpsit duodecim Discipulos secretò. Marci 10. 32. Erant autem in via, & [b] præcedebat eos IESVS, & stupebant, & sequentes timebant. Et assumens iterum duodecim [c] cæpit illis dicere quæ essent Illi eventura. Lucæ 18. 31. [d] Et ait illis: ecce ascendimus Ierosolymam, & consummabuntur omnia quæ scripta sunt per Prophetas de Filio hominis. 32. tradetur enim gentibus & illudetur & flagellabitur & conspuetur, 33. & postquam flagellaverint, occident eum: [e] & tertia

a Bethleem prælegit nativitati, Ierosolymam passioni S. Leo de Epiph:

Quia non capit Prophetam perire extra Ierusalem Luc: 13. 33.

b Exultavit ut Gigas ad currendam viam Ps: 18. Sol cognovit occasum suum Ps: 103. Christus agnovit passionem suam S. August:

c Ideo duodecim Apostolis secretò mortis suæ annunciavit mysterium, quia semper pretiosior thesaurus in melioribus vasis includitur. S. Chrysost:

d Tempus moriendi elegit locum & modum, in potestate namq; hæc habebat omnia. Barradius. Tom. 3 c. 11.

S. Aug: hom: 35. Dominus ut occideret mortem, vestitus est morte, non poterat mors mori, nisi in vita. Ego sum via, veritas, & vita. Ioan: 14.

e Passione, ostendit quid sustinere pro veritate, resurrectione quid sperare in æternitate debeamus, unde dicit, & tertia die resurget S. Thom: in cat:

Intel-

die resurget. 34. [a] Et ipsi nihil horum intellexerunt, & erat verbum istud absconditum ab eis, & non intelligebant, quæ dicebantur.

a Intellexerunt quidem verba significare amaram crucem & mortem, sed non intellexerunt passionis dulce mysterium, utilitatem, causam, ideo contristati. S. Hilarius Can: 17.

In eo itinere Christus Bartimæum cæcum illuminat, in Iericho ad Zachæum Principem publicanorum divertit, &c. ac tandem ad Bethaniam venit.

Ioan: 12. 1. IESVS ergo ante [b] sex dies paschæ venit in Bethaniam, ubi Lazarus fuerat mortuus, quem suscitavit IESVS. 2. Fecerunt autem ei cœnam ibi: & Martha ministrabat, Lazarus verò unus erat ex discumbentibus cum eo. [c] 3. Maria ergo accepit libram ungventi nardi pistici pretiosi, & unxit pedes IESV, & extersit pedes ejus capillis suis, [d] & domus impleta est ex odore ungventi. *Marci* 14. *v.* 3. & fracto alabastro effudit super [e] caput ejus. [f] 4. Erant autem quidam indignè ferentes intra semetipsos, & dicentes: ut quid perditio ista ungventi fa-

b Sex diebus omnia fecit DEUS. sexta mundi ætate redimere mundum voluit. Sextâ feriâ passus, sextâ horâ cruci affixus, ad cujus præparationem sex diebus ante pascha venit in Bethaniam. Glossa Ordin.

Lazarus in schola tumuli profecisse se probat, à vitæ ne dividatur authore. Ne tu unquam se jungaris à Christo, hoc à mortis meditatione disce.

c Maria blanditur mortis amatori innocens assentatrix, dum triclinium, cum sepulchro confundens, servanda mortuo munera, viventi exhibet. Aloys: Iuglar: Soc: IESU.

d Domus impleta odore cælum & terra est, fractum alabastrum carnale est desiderium, quod frangitur ad caput ex quo omne corpus compaginatum. *S. Hieron:*

e Vngvento ungimus caput Christi, cum omnia opera nostra dirigimus ad gloriam Dei, pedes verô, cùm nostram & proximorum salutem ijsdem sincerè quærimus. *Busæus.*

f Receptissimo apud omnes more, quibus dum pietas svaviùs olere cæpit; placere desinunt: nam alienam virtutem, occasionem sui criminis faciunt. Tanto pretio alacritatem & pietatem erga Chrm declaravit. *Victor: Antioch:*

cta

ꝺa eſt? 5. Poterat enim ungventum iſtud vænundari plusquam [a] trecentis denarijs, & dari pauperibus, & fremebant in eam. *Ioan: 12. v. 4.* [b] Dixit ergo unus ex Diſcipulis ejus, Iudas Iſcariotes, qui erat eum traditurus; 5. quare hoc ungventum non væniit trecentis denarijs, & datum eſt egenis? 6. dixit autem hoc, non quia de egenis pertinebat ad eum, ſed quia fur erat & loculos habens, ea quæ mittebantur, portabat. 7. [c] Dixit ergo IESVS: ſinite illam, ut in diem ſepulturæ meæ ſervet illud. *Marci 14.* 6. quid illi moleſti eſtis, [d] bonum opus operata eſt in me. 7. Semper enim pauperes habetis vobiſcum, & cùm volueritis poteſtis illis benefacere, me autem non ſemper habetis. 8. Quod habuit, hoc fecit: [e] prævenit ungere corpus meum in ſepulturam. 9. [f] Amen dico vobis ubicunq; prædicatum fuerit Evangelium iſtud in univerſo mundo, & quod fecit hæc narrabitur in memoriam ejus.

a Quantum inſumpſerit ap... ruerunt & magnanimitatem ejus... S. Chryſoſt:

b Melior peculij cuſtos, quàm fidei ut ſervaret non ſua, ſeipſum perdidit. Unus vocatione non prædeſtinatione: numero; non merito, corpore, non animo, ſpecie, non virtute. S. Hieronym: Ipſum vili æſtimans *Dominum*, ungventum carò æſtimavit, 30. enim argenteis vendidit, quem illa (ut ipſe taxat,) unxit 300. S. Paulinus Epl: 4.

Lucri plerumq; eſt damnum Iudæ diſplicuiſſe, unde Chriſto plûs placeas.

Itamalus (Iſcariotes) ut vel à bono depravaretur ungvento, cõtinuit dentes ab eſca, ut interim morderet inſontem. *Idem Aloyſ:* Profecit per ſuos gradus impietas, alimenta primò pauperibus abſtulit, mox verò etiam Deum ſibi. *Aloyſ: Iuglar:*

c Dimittenda eſt facere quod tunc faceret, ſi poſſet conſolans hæc dicebat, ne mulieris fidem tunc germinantem diſcipulorum increpatio tabefaceret. S. Chryſoſt:

d Ex integra cauſa bonum, quia Xto gratiſſimum propter Xtm, idque omni reſpectu humano & defectu carens. Viera tom; 4.

e Quod putatis perditionem ungventi, officium ſepulturæ eſt: nec mirum ſi mihi dederit odorem fidei bonæ, cûm ego pro ea fuſurus ſim ſangvinem. S. Hieron.

Quâ conſcientia mulierem confundis quæ in ſepulturam corpus ungit; te ipſum non confundis, qui me in mortem tradis. Theophilactus.

Uni-

Ioan: 12.9. Cognovit ergo tur-
ba multa ex Iudæis quia illic esset:
& venerunt non propter IESVM
tantùm, [a] sed ut Lazarum viderent,
quem suscitavit à mortuis. 10. [b] Co-
gitaverunt autem Principes Sacer-
dotum, ut & Lazarum interfice-
rent: 11. Quia multi propter illum
abibant ex Iudæis, & credebant in
IESVM.

12. [c] In crastinum autem turba
multa, quæ venerat ad diem festum,
cùm audissent, quia venit IESVS
Ierosolymam, 13. acceperunt [d] ra-
mos palmarum & processerunt ob-
viam ei, & clamabant: [e] Hosanna,
Benedictꝰ qui venit in nomine Do-
mini Rex Israël.

Lucæ 19. 29. Et factum est, cùm
appropinquâsset ad Bethphage &
Bethaniam ad montem, qui voca-
tur Oliveti, [f] misit duos Discipu-
los suos, 30. dicens: ite in castellum,
quod contra vos est, *Matth:* 21. 1.
& statim invenietis asinam alliga-
tam & pullum cum ea, *Marci* 11.
2. Super quem nemo adhuc homi-
num sedit, [g] solvite illum, & ad-

[f] Universus orbis cogniturus est. quoniam mente pia, ferventi fide factum est: non enim propter impensas gratum fuit sed propter fidem quam cum ungvẽto obtulit. Victor Antioch: Modestus Dominus opus bonũ perpetuo celebrandum prædicens: futuram impij infamiam silentio præterit Beda.

[a] Curiositas hos, non charitas adduxit. Glossa.

[b] O stulta cogitatio & cæca sævitia! Christus Dominus qui suscitare potuit mortuum, non posset occisum &c. si aliud vobis videtur mortuus. aliud occisus: ecce Dominus utrumq; fecit, & Lazarum mortuum & se ipsum occisum suscitavit. S. August:

[c] Ecce oves ex Israël veniunt ad Pastorem; rami sunt laudes significantes victoriam superaturi diabolum. Glossa

[d] Non licet sine palma obviam ire Xto. Quot vitia superâsti tot palmas habes: si nullum vicisti nullam habes. S. Bruno Signien:

[e] Hosanna, Deo salus plurima. Salva DEUS Regem nostrum Messiam. Vel salva nos Rex Messia S. Hieronym. Processionem habere voluit cum mox futuram noverat passionẽ Forte ut amarior esset passio quàm processio præcessisset S. Bern:

[f] Isti duo sunt timor & amor: timor solvit asinam & pullum; nam timor expellit peccatum: Amor veniam impetrat & ad IESUM adducit. Hugo Caren:

Duo isti Petrus & Philippus qui primi gentes ad Christum duxerunt: Asina Iudæa jugo domita sed tamen peccatis irretita; pullus indomitus populus gentium. Glossa.

[g] Libertatis assertor ne asinam quidem patitur alligatam teneri? Iugl.

duci-

ducite. 3. Et si quis vobis dixerit: quid facitis? dicite: quia Domino [a] necessarius est: & continuò illum dimittet huc. 4. Et abeuntes invenerunt pullum ligatum ante ianuam foris [b] in bivio, & soluunt eum. 5. Et quidam de illic stantibus dicebant illis: quid facitis solventes pullum? 6. Qui dixerunt eis, sicut præceperat illis IESVS, & dimiserunt eis. *Matt:* 21. 4. Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur quod dictum est per Prophetam dicentem. 5. (*Isai:* 62. 11. *Zach:* 9. 9.) Dicite filiæ Sion: ecce Rex tuus venit tibi mansvetus, [c] sedens super asinam & pullum filium subjugalis. *Ioan:* 12. 16. Hæc non cognoverunt Discipuli ejus primùm: [d] sed quando glorificatus est IESVS, tunc recordati sunt, quia hæc erant scripta de eo, & hæc fecerunt ei.

Matt: 21. 7. Et adduxerunt asinam & pullum, & imposuerunt [e] super eos vestimenta sua, & eum desuper sedere fecerunt. *Lucæ* 19. 35. & iactantes vestimenta sua

a Magna prudentia est non omni jure ac potestate uti. *Sylveira.*

Considerate quanto ad vos salvandos utitur artificio: necessitatem se habere facit, dum vestris cupit necessitatibus subvenire *S. Bern:*

Asina & pullus: peccatores sũt, quibus DEUS videtur indigere ut exponat thesaurum misericordiæ suæ. *Hugo Carensis.*

Dni autem dæmones denotant: valde crudeles in illos quos peccatorum vinculis detinent *Sylveira.*

Prohibentes, sunt dæmones, quibus Apostoli sunt fortiores. *Theophylactus.*

b Ante ianuam in bivio. Extra Xm qui est, foris est. In bivio: qui unam fidei vitæq; viam non tenebat sed pluribus deserviebat. *Glossa.*

c Qualis ipse est, talem te esse vult. Mansvesce jugum ejus portare ut ipse sedeat super te Asinam & pullum filium subjugalis. Asina mulier, pullus ejus, masculus vir. Asina subjugalis, quia mulieris caput est vir & tamen vir filius subjugalis quia per mulierem vir. Sedet super utrumq; Rex mansvetus faciens pacem ut hæc sibi invicem non adversentur. *Drogo Ostiensis.*

d Quia adhuc erant simplices & illiterati. *Lorinus.*

e Apostolorum vestimenta & ornamenta sunt virtutes & mores honesti, his Apostoli ornati alios ornant, ut apti & pulchri sint super quos DEUS sedeat. *S. Bruno:*

a super pullum, imposuerunt IESVM. *Mar:* 11. 7. Et sedit super eum. 8. Multi autem vestimenta sua straverunt in via: alij autem *b* frondes cædebant de arboribus, & sternebant in via. 9. Et qui præibant, & qui sequebantur, clamabant dicentes: Hosanna. 10. Benedictus qui venit in nomine Domini: Benedictum quod venit regnum patris nostri David, Hosanna in excelsis.

c *Lucæ* 19. 37. Et cùm appropinquaret iam ad descensum montis Oliveti, cæperunt omnes turbæ Discipulorum gaudentes laudare Deum voce magna, super omnibus quas viderant virtutibus. 38. Dicentes: *d* Benedictus qui venit Rex in nomine Domini, *e* pax in cælo & gloria in excelsis. 39. Et quidam Pharisæorum de turbis dixerunt ad IESVM: *f* Magister increpa Discipulos tuos: 40. Quibus ipse ait: dico vobis, quia si hi tacuerint, lapides clamabunt.

Luc: 19. 41. *g* Et ut appropinquavit, videns civitatem flevit super illam, dicens: 42. Quia si co-

a Mansvetudinem ostendere voluit eundo ad passionem non elegit currus & equites Eqvus superbum animal. *B. Alb: M.*

Asinâ vehitur ut omnem suspicionem fugiendæ passionis tam pigrum animal avertat. Sapientia Patris insidet asello cui propria stultitia est. Novit enim ex summa stultitia summam sapientiam facere: quodsi unquam, fecit in passione, *Palatios.*

b Notavit eorum levitatem in frondibus, quas quilibet excuteret turbo. Ab ijsdem arboribus crucem expectans à quibus ramos habuisset.

Certa Christo de hostibus victoria est; ante pugnam palmas exposcit, mors tamen nuper in Lazaro victa justam triumpho potuit causam dare. *Alcys: Iuglar: S. I.*

c Vere memorabile divinæ operationis insigne ut adversum se testimonium extorqueat invitis: cum Deum negant affectibus, vocibus confitentur. *S. Ambrosius.*

d O quam dissimile tolle Crucifige & Benedictus qui venit: Hosanna quam dissimile! Rex Israel: & non habemus Regem nisi cæsarem quàm dissimiles rami virentes, & crux: flores, & spinæ? *S. Bernardus.*

e Pax Hebræis, prosperitatem, salutem, felicitatem omneq; bonum tam corporis quam animi significat. *Cornel: à Lapid:*

f Mira invidorum dementia quem vera docentem noverant, cum Magistrum appellant, discipulos ejus quasi melius edocti redarguendos æstimant, ques ille instituerat, quem DEUM apparet esse per miracula. *Glossa.*

g In medio triumphi in lacrimas prorupit, intuens has mundanas dignitates

gno-

gnovisses & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi: nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis. 43. Quia venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo, & circumdabunt te, & coangustabunt te undiquè, 44. Et ad tertam prosternent te, & filios tuos, qui in te sunt, [a] & non relinquent in te lapidem super lapidem: eò, quòd non cognoveris tempus visitationis tuæ.

Matthæi 21. 10. [b] Et cùm intrasset Ierosolymam, commota est universa civitas, dicens: Quis est hic? 11. Populi autem dicebant: hic est IESVS Propheta à Nazareth Galilææ. *Ioan:* 12. 17. Testimonium ergo perhibebat turba, quæ erat cum eo, quando Lazarum vocavit de monumento, & suscitavit eum à mortuis: 18. propterea & obviam venit ei turba, quia audierunt eum fecisse hoc signum 19. Pharisæi ergo dixerunt ad semetipsos: videtis quia nihil proficimus; [c] ecce mundus totus post eum abiit.

potius tristitia quam gaudio e[st] prosequendas. *Didacus Stella.*

Ostendit viscera misericordiæ per fletum, *Theophyl:*

Futura præspiciens bonus augur excidium ex tripudio præsagivit. *Iugl:*

Qui dixerat Beati flentes, ipse flevit. *Origenes.*

De suis non habebat quod lugeret, hoc agebat pro alienis. S. *Chrysost:*

Ipsum angit graviter populi contumacia & Sunctæ civitatis oblivio. *Theodoret.*

Videns pulchritudinem exteriorem, deflevit ejus culpam & pœnam non tam temporalem quam æternam. *Dionysius Carth:*

Flevit incredulitatem quia resurgente Lazaro non crediderunt S. Aug:

Flet surditatem Ierusalem. *Theophylactus.*

Stupidittm, quod ipsum non cognoverit. *Idem.*

Ut singuli discant flere sua, ipse deflet aliena. *Paschasius.*

a Post 25. abhinc annos Titus evertit Ierusalem: & ipse eversor tantæ ruinæ illacrymatus. *Ex Baronio.* Flevit & non liberavit, impossibile enim est eum etiam injuste misereri & parcere *Rupert9.*

b Qui serio oblatũ regnum fugit, scenicum acceptavit: & hoc ad breve tempus: doloris autem & contumeliæ regnum usq; ad mortem retinuit. Intravit urbem cum plausu, ut sævitiã irritaret hostium passurus. *Glossa.* Quod postea Dni exemplo facturum se dicebat S. Ignatius M. Si bestiæ venire noluerint, ego vim faciam. Ego urgebo ut devorer: quid mihi prosit ego scio. Vide breviar 1. Feb:

Commota civitas mirans frequentiam, nesciens veritatem. *Glossa.* A minoribus incipit Confessio ut ad majores perveniat. *Ibidem.*

c Si dicerent quod ille post mundum vadit: condemnent illum, bene est. Sed

quam

quia mundus vadit post illum! Ecce qualia crimina in judicio hominum agitantur! euntes post mundum nemo damnabit. Si post quem mundus eat, hunc nec ipsa sanctitas liberabit. *Viera. tom: 5. pag: 48.*

Gentiles qui ascenderant, ut adorarent in die festo, dum IESVM videre operâ Andreæ & Philippi, volunt; Christus horam suæ clarificationis dicit. Sed granum frumenti mortificandū priùs, ut multum fructum afferat; ministrantes sibi & sequentes, à Patre honorificandos asserit. Vox Patris auditur, de clarificando nomine suo, Princeps hujus mundi foras eijciendus de excæcatione Iudæorum secundum prophetiam Isaiæ. In Christo honoratur aut spernitur Pater. Ioan: 12. à versu 20. ad finem illius capitis.

Matthæi 21. 12. ET intravit IESVS in [a] Templum DEI. *Ioan:* 2. 14. Et invenit in templo vendentes boves & oves, & columbas & nummularios sedentes 15. [b] Et cùm fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes eiecit de templo, oves quoq; & boves, & nummulariorum [c] effudit æs, & mensas subvertit. 16. & his, qui columbas vendebant dixit: auferte hæc hinc, & nolite facere domum Patris mei, domum negotiationis. 17. Recordati sunt verò discipuli

a Ingressus Ierosolymam Christus cujus adiret diversorium antequam Patris? Expiatio urbis sacrilegæ quam intendebat inchoari nisi à templo non debuit: unde & authoritas vitijs & origo solet esse virtutibus.

Non ea frons homini Deo, ut in aliena domo posset corrigere, quod nec dum emendasset in sua.

b Armat flagellis assvetam beneficijs manum, indignatus ibi attolli rerum pretia ubi à se omnia gratis dantur.

c Certus ibi, ut plurimùm, magis abundare virtutes ubi minùs pecuniæ. Non suffert latrocinium in templo quod cum periculo exercetur in Sylvis.

ejus, quia ſcriptum eſt, (*Pſal:* 68.
10.) zelus domûs tuæ comedit me.
18. Reſponderunt ergo [a] Iudæi, &
dixerunt ei: quod ſignum oſtendis
nobis, quia hæc facis? 19. Reſpõ-
dit IESVS & dixit: [b] ſolvite tem-
plum hoc, & in tribus diebus exci-
tabo illud. 20. Dixerunt ergo Iu-
dæi: quadraginta & ſex annis ædi-
ficatum eſt templum hoc & tu in
tribus diebus excitabis illud? 21.
[c] ille autem dicebat de templo cor-
poris ſui. 22. Cùm ergo reſurre-
xiſſet amortuis: recordati ſunt di-
ſcipuli ejus, quia hoc dicebat, &
crediderunr ſcripturæ & ſermoni,
quem dixit IESVS. *Lucæ* 19. 47.
& erat docens quotidie in templo.
Matt: 21. 14. Et acceſſerunt ad
eum cæci & claudi in templo: [d] &
ſanavit omnes. 15. Videntes autem
Principes Sacerdotum & ſcribæ
mirabilia, quæ fecit, & pueros cla-
mantes in templo & dicentes: Ho-
ſanna filio David: [e] indignati ſunt.
16. Et dixerunt ei: [f] audis quid iſti

Martyriũ avaritiæ tolerant quo[...] acriùs conſcientia quam Chriſtu[s] flagellat.

a Indigni veniâ, qui flagellis terga ſubtrahunt non cauſas. *Aloyſ: Iugl: S. I.*

b Si malitia veſtra voluerit cũ mea miſericordia contendere, veſtræ malitlæ ſummus conatus erit templum hoc ſolvere. Sed vincet ne ob id malitia veſtra? minime verô, nam adhuc miſericordia mea invicta triumphab t. Reſurrectio enim Chriſti eſt ſummum beneficium ſine quo inanis eſſet fides noſtra. *Bapt: Novat9. tom:* 1. *n.* 234.

c In hujus templi ſtructura omnes SS. progenitores convenerunt. Patriarchæ cum gemitibus & ſuſpirijs. Prophetæ cum vaticinijs, revelationibus, deſiderijs. Et iam ædificato templo cum dies feſtivus dedicationis adveniſſet apparuit epigramma. *Hic eſt Filius Ioſeph.* Sicut olim in quodam templo *Sophia me fecit*. Cum tantùm illa jumentis materiam convehentibus fænum ſuggereret. Ita Ioſeph qui Mariam aluit. *Robertus acripta Minervæ. pag:* 318.

d Ut deinceps templum violare auderet nullus, cujus vindicta editione miraculorum confirmata *Novarin in Matth:* Prius eiecit vendentes tum ſanavit ind gen-
tes: prius enim gravioribus malis occurrendum, qualia ſunt quæ cultui divino
officiunt. *Idem* Negotiatores expelluntur, qui oraturi venerant ſanantur *Idem.*
Si in templo Chriſtus ſanat ut templa revereamur: animæ cæcitatem &c. pro-
fecto in templo contrahunt, qui irreverenter verſantur. *Idem.* Poſt præconia pro-
greditur ad facta prodigioſa & Zeloſa: hæc nempe utilitas ex laudibus humanis
percipienda ut ad magna urgeamur. Indignus laude qui laudibus auditis tor-
pet &c. *Idem.* *e* Quod audierunt pueri à maioribus acclamatum Chriſto, ac-
clamare non ceſſant. Facile maiorum exemplo ætas hæc provocari ſolet. Formã-
da

… hæc ætas ad DEI laudes cum loqui incipit, & si quæ loquitur non intelligat. *Idem.* *f* Hic nimirum invidiæ tabescentis mos est ut cum carpere aliquem non potest, alia arguat, ut priora elevet & condemnet. *Idem.*

dicunt? IESVS autem dixit eis: utiq; nunquam [a] legistis: quia ex ore [b] infantium & lactentium perfecisti laudem. *Lucæ* 21. 37. Erat autem dieb9 docens in templo, [c] noctibus verò exiens morabatur in monte, qui vocatur Oliveti. 38. & omnis populus manicabat [d] ad eum in templo audire eum.

Mar: 11. 11. [e] Et circumspectis omnibus cùm vespera esset hora. *Matt:* 21. 17. Relictis illis abiit foras extra civitatem in Bethaniam, ibiquè mansit. *Mar:* 11. 11. Cum duodecim. 12. Et alia die cùm exirent à Bethania. *Matt:* 21. 18. Manè revertens in civitatem, [f] esuriit. *Mar:* 11. 13. Cùmq; vidisset à longè (*Matth:* 21. 19. secus viam) ficum, [g] habentem folia, venit, si quid fortè inveniret in ea, & cùm venisset ad eam, nihil invenit, [h] præter folia, non enim erat temp9 ficorum [i] 14. Et respondens dixit

a Bene literati non indignantur sed gaudent. *Glossa.*

b Sumpsit Dnus verba ex Psal: 8. sed subiuncta quæ poterant sauciare Iudæos reticuit pro sua mansvetudine.

c Monstrans nobis quod oportet nocte quidem per quietem colloqui cum DEO, die autem morem gerere & prodesse hominibus. *Theophylactus.*

d Mane vigent sensus: ideo optima illa diei pars DEO danda *Corn alap d:*

e Insp citomnia corda ubi caput reclinet & non invenit in contradicentibus veritati. Secessit ad fideles, & in eis qui obediunt mansionem facit. Bethania namq; significat Domus obedientiæ. *Glossa.*

f Esuriēs non fuit naturalis sed significabat desiderium de salute populi *Lyranus.*

g Quare non aliam arborē sed fici accedit? quia aliæ amplitudine foliorum ita fructum non promittebant. Ingenti spe implere & fructu carere maledictione dignissimum *Sylveria.* Quia non præmisso flore dare solet poma adeoq́, singularitatem affectat. *Ex S. Ambrosio.* Maledictioni obnoxii qui non sensim per gradus sed repente ad summa evolant *Idem.* In illa arbore salutem hominis esuriebat & ab homine sibi debitum fructum petebat. *S. Paulinus* epl: 33. Arbor hæc synagoga Iuxta viam, quia legem habebat; ad viam tamen id est Xm non pervenit *S. Hieron:*

h Folia sola verba sine bonis operibus *Sylveira.*

i Dnus vult hominem speciem perpetuitatis induere ut fructum non accipiat de tempore sed in omni tempore sit maturus illi *S. Paulinus.* Dabit fructum

ei:

ei: [a] iam non amplius in æternum ex te fructnm quisquam manducet. *Matth:* 21. 19. Nunquam ex te fructus nascatur in sempiternũ; & arefacta est continuo ficulnea. 20. Et videntes discipuli mirati sunt dicentes: quomodo continuo aruit?

Mar: 11. 15. Et veniunt Ierosolymam: & cùm introisset in templum cæpit eijcere vendentes & ementes in templo, & mensas nummulariorum, & cathedras vendentium [b] columbas, evertit. 16. Et non sinebat ut quisquam transferret vas per templum. 17. Et docebat dicens eis: nonne [c] scriptum est, quia domus mea, [d] domus orationis vocabitur omnibus gentib9? vos autem fecistis eam speluncam [e] latronum. 18. Quo audito Principes Sacerdotum & scribæ, quærebant quomodo eum perderent: timebant enim eum, quoniam universa turba admirabatur super doctrina ejus. 19. [e] Et cùm vespera facta esset, egrediebatur de civita-

in tempore suõ. Psal: 1. Vitæ spatium tempus nostrum: nullum sine fructu esse in hac vita debet. *Lorinus.*

a Ficus transgressionis arbor est ne amplius visa ducat ad peccatum arefit. *Isid: Pelusiota.* Destructurus transgressionis peccatum arefecit operculum peccati. *S. Athanas? vide Genes.* 3. *v.* 7.

Eiectio vendentium illa de templo superius à S. Ioanne cap: 2. *descripta abhac Marci c.* 11. *est diversa. Nam illa contigit ab initio prædicationis Christi: hæc verò paulò ante passionem ejus, posuimus tamen utramq; illam, quia coram Caipha in consilio falsi testes obijciebant Christo:* nos audivimus eum dicentem: ego dissolvam hoc templum &c. *Mar:* 14. 50. *Hanc verò, quia in textu passionis à S. Marco posita est. Bis ergo Christus vendentes de templo ciecit.*

b Quomodo pateretur in templo accipitres, prædatoresq; vulturios qui ne columbas venales passus est? Grave delictum quod à Christo principe propriâ manu punitum est. *Segneri: Conc:* 28. *in quadrag:*

c Scriptum hoc. Ieremiæ. 7. v. 11.

d Non quod alibi præsens non sit. Sed Quod in templo ab omnibus agnosci & honorari velit. *Idem.* Si intemplis etiam nil nisi indignationis materiam DEUS inveniet: super quo propitius esse poterit nobis: sub quo alio tecto securitatem sperabimus. *Idem.*

Ultio Domini est ultio templi sui. *Ierem:* 50. *v.* 15.

e Nunquid ergo spelunca latronum facta est domus ista inqua invocatum est nomen meum &c. *Ierem:* 7. *v.* 11.

e Quia in Iudæis tenebras reliquit sol egrediens. *Glossa interl:*

te. 20. [a] Et cùm mane tranfirent
viderunt ficum aridam factam à ra-
dicibus. 21. Et recordatus Petrus
dixit ei: Rabbi, ecce ficus, cui ma-
lidixifti, aruit. 22. Et refpondens
IESVS ait illis: habete fidem DEI.
Matth: 21. 21. Amen dico vobis,
fi habueritis fidem & non hæfita-
veritis, non folùm de ficulnea fa-
cietis, fed etfi [b] monti huic dixeri-
tis: tolle & iacta te in mare, fiet.
Et omnia quæcunq; petieritis in o-
ratione credentes, accipietis. *Mar:*
11. 24. Propterea dico vobis: o-
mnia, quæcunq; [c] orantes petitis,
credite, quia accipietis, & eveni-
ent vobis. 25. Et cùm ftabitis ad
orandum dimiittite, [d] fi quid ha-
betis adverfus aliquem, ut & Pa-
ter vefter, qui in cælis eft, dimittat
vobis peccata veftra. 26. Quod fi
non dimiferitis; nec Pater vefter,
qui in cælis eft dimittet vobis pec-
cata veftra. 27. Et veniunt rurfus

a Non perfunctoriè pereunt, quos DEUS exauthorat. *Vide Gloffam hic.*

Mitior pæna Nabuchodonozoris, cujus radices in terra relictæ. *Danielis* 4. v. 18.

Gens impia non ad tempus vel ex parte corripienda externorũ incurfibus & per pænitentiam liberanda ficut fæpe factum eft. Sed omni & æterna damnatione punienda. Non folum humano extrinfecus, fed divino intus favore funditus deftituenda, nam & vitam perdidit in cælis, & patriam in terris. *V. Beda.*

Vita fine fructu, idem eft ac mors. Ideo ficus cum fructu privatur, vitam deperdit *Sylveira* fi exiguus ille labor quo paululũ de via divertit jufta caufa habit9 eft tam feveræ maledictionis, quid erit cum totius vitæ labores tot fatigationes, tot itinera producet Chriftus quæ fruftra pro nobis fufcepit? quam feveram maledictionem timere debemus? unde non mirum fi tempore judicij arefcere homines tanquam arbores præ timore dicuntur. *Novarin9.*

b De montium tranflationibus vide in vita S. Gregorij Thaumaturgi. 17. 9bris & in vita S. Francifci de Paula 2. Aprilis. Et Bonifacius Bagata de Admirãdis tom: 1. l. 5. c. 1. parag: 4. Mons hic erat Thabor *Abulen:* Mons, gravis tentatio præfertim ambitionis & fuperbiæ quæ vincitur fide & fpe. Deum orando & fiduciam in eo reponendo. *Sylveira ex S. Auguftino.*

c Nemo orat nifi qui credit & fperat. S. Bernard: Ser: 4. fup Miffus. Oratio eft converfatio fermocinatioq; cum DEO: eorum quæ concupifcuntur, certa fides. *S. Greg: Nyff: Serm:* 4

d Eccl: 28. *homo homini Servat iram: & à DEO quærit mifericordiam!* quafi dicat: fruftra. *Lyran9.* Vide hic gloffam pulchrè de orationis effectu ac difpofitione animadvertentem.

Per gratuitam injuriæ vobis ab homine illatæ condonationem, viam vobis ad Ie-

Ierofolymam, & cùm ambularet in
templo, accedunt ad eum fummi
Sacerdotes, & fcribæ & feniores.
28. Et dicunt ei: in qua poteftate
hæc facis? & quis dedit tibi hanc
poteftatem, ut ifta facias? 29. IE-
SVS autem refpondens, ait illis:
interrogabo [a] vos & ego unum ver-
bum, & refpondete mihi: & dicam
vobis in qua poteftate hæc faciam.
30. Baptifmus Ioannis, [b] de cælo e-
rat, an ex hominibus? refpondete
mihi. 31. At illi cogitabant fecum
dicentes: fi dixerimus, de cælo,
dicet: quare ergo non creditis ei.
32. Si dixerimus, ex hominibus, ti-
mens populum, omnes enim habe-
bant Ioannem, quia verè Propheta
effet. 33. Et refpondentes dicunt
IESV: nefcimus. [c] Et refpondens
IESVS ait illis: neq; ego dico vobis,
in qua poteftate hæc faciam?

Vide in Elencho à numero 26. ufque ad numerum 48. Quomodo Chriftus Dominus in multis parabolis Divinum fermonem fuum deducit clariffimeq; ait de Vrbis Ierofolymitanæ & Orbis totius excidio, de extremo Iudicij die, de operum bonorum ftudio, de infperato adventûs fui tempore, de ftabili & diligenti vigilantia,

DEUM munite anfamq; ut veftras vobis noxas condonet, ultro offerte. *Victor: Antioch:*

a Dominus interrogat illos de Ioanne non fruftra nec fophifticè, fed quia de eo Ioannes perhibuerat teftimonium. *Theophil:*

Potuerat aperta refponfione calumniam tentatorum confutare: fed prudenter interrogat, ut vel filentio fuo, vel fententia condemnentur. *Idem.*

b De lucerna mundi obfcurantur: unde dicit Pfal. 131. Paravi lucernam Chrifto meo, inimicos ejus induam confufione. *S. Hieronym:*

Duabus de caufis fcientia occultatur quærentibus: cum aut hic qui quærit minus intelligit, aut odio contemptuve veritatis, indignus eft, cui debeat aperiri, propter alterum dicitur, adhuc multa habeo dicere fed non poteftis portare: propter alterũ nolite dare fanctum canibus. *Beda.*

c Nefcimus. Quid aliud fciat avaritia & turpe lucrum, quibus templum Scatet: quæ bonum & honeftum cerni non finunt. *Victor Antiochenus.*

tum suam etiam instantem passionem prædixit. Ne qui alia longè eventura prophetărat, sibi mox eventura videretur ignorare, & ne discipuli morte ejus scandalisarentur, putarentq́ illa Christo inscio & invito accidere. Quod omnes SS. Evangelistæ exprimunt, quibus finitis addit S. Matth:

Matth: 26. 1. ET factum est: [a] cùm consummasset IESVS sermones hos omnes:
dixit Discipulis suis: 2. Scitis quia
post biduum Pascha fiet, & Filius
hominis tradetur, ut crucifigatur.
3. [b] Tunc congregati sunt Principes Sacerdotum & seniores populi, [c] in atrium Principis Sacerdotum, qui dicebatur Caiphas. 4. Et
[d] consilium fecerunt, ut IESVM
dolo tenerent, & occiderent. 5.
Dicebant autem: non in die festo,
[e] ne fortè tumultus fieret in populo.

a Post sermonem quo se venturum in claritate prædixit, passurum se ostendit, ut sacramentum crucis admixtum esse gloriæ æternitatis ostendat. *Glossa.* Magnus gloriæ ac passionis nexus: qui illam sperat, hanc pati non defugiat. *Novarinus.*

Iudicio memorato, de sua passione agit, ut qui duri judicis iræ se subducere vult, agni passionem & meditetur & imitetur. *Idem.*

b Perversos unitas corroborat dum conciliat: & tantò magis incorrigibiles, quantò unanimes facit. S. Gregor: lib. Moral: in Iob. 33. c. 24. & 31.

Ineunt familiaritatem ad malè dicendum, concordes ad discordiam, conciliant inter se inimicissimas amicitias &c. Convenientibus sic in unum, non est dominicam cænam manducare. *S. Bernar: Ser:* 24. *in Cant.*

c Propter atrium puto, in quo concilium fecerunt, ut Iesum dolo tenerent, & o cciderent, desolata est Ierusalem. *Orig. tr.* 35 *in Matth:*

d Gen: 49. Simeon & Levi vasa iniquitatis bellantia in consilium eorum non veniat anima mea de Simeon scribæ, de levi Sacerdotes. Hoc consilium illorum horrebat Patriarcha Iacob &c. *S. Euch: lib:* 3 *in Genes:*

e Providentibus Principibus ne Sancto die tumultus oriretur, non festivitati sed facinori studebant. Seditiones enim fieri in præcipua solennitate metuebant, non ut populus non peccaret, sed ne Christus evaderet. *S. Leo: Ser:* 7. *de Pas:*

Lucæ 22. 3. [a] INtravit autem ſatanas in Iudam, qui cognominabatur Iſcariotes, unum de duodecim. 4. Et abiit, & locutus eſt cum Principibus [b] Sacerdotum, & magiſtratibus, quemadmodum [c] traderet eis. 5. [d] Et gaviſi ſunt & pacti ſunt pecuniam ei dare. *Matth:* 26. 15. & ait [e] illis quid vultis mihi dare? & ego vobis eum tradam. At illi conſtituerunt [f] & triginta argenteos. *Luc.* 22. 6. Et ſpopondit, [g] Et quærebat opportunitatem, ut traderet eum ſine turbis. 7. Venit autem dies Azymorum, in qua neceſſe erat occidi Paſcha. 8. [h] Et miſit Petrum & Ioannem, dicens: euntes parate nobis paſcha, ut manducemus. 9. [i] at illi dixerunt ubi vis paremus? 10. Et dixit ad eos: ecce introëuntibus vobis in civitatem, occurret vobis homo [l] quidam amphoram [m] aquæ portans, ſequimini eum in domum, in quam intrat. 11. Et dicetis patrifamilias domûs: dicit tibi

a Jam ante intraverat ipſum, cum eſſet fur & loculos habens ſed tunc intravit ad eum amplius poſſidendum: ſic in omni peccato diabolus intrat in homines vel ut de novo, vel ut amplius quam ante poſſideat. *Gloſſa.*

b Peſſimè de Sacerdotibus judicans, qui Deum niſi â ſe emerent, non haberent. Eorum manus oblata illis re tam Sancta, profanat. *Aloyſ: Iuglar: S. I*

c O Iudas proditor ungventum paſſionis ejus trecentis denarijs æſtimas & vendis? dives in æſtimatione, vilis in ſcelere. *S. Ambroſ:*

d Gaviſi de complice invento, hoc enim eſt malorum. *Novarin:*

e Demens qui Deo amiſſo quæreret, non quid dare ſibi homines poſſent, ſed quid vellent, cùm DEUM non habenti dare quidpiam vel ſi velint, non poſſint. *Aloyſ: Iugl: S. I.*

e Obtulerunt Iudæi Ioanni dignitatem Meſſiæ, obtulit dæmon Xto totum mundum: recuſavit uterq; oblata, quia peccatum exigebatur. At Iudas tam immane peccatum perpetravit, non Meſſiæ honore, non regnis omnibus captus, ſed ſolùm 30. argenteis: idq; non oblatis ſed requiſitis. Nullum peccatum avarus pro pecunia recuſat. *Labata.*

f Tam vili auctione patitur æſtimari ſe Chriſtus, ut ab omnib9 ematur, ne quis pauper deterreatur *S. Ambroſ:* Vendidit Chriſtum Iudas, quem certè emere debuerat, nam eo carebat. Mercator non melior quàm Apoſtolus, depopulator ſalutis ſuæ, qui lucrari etiam alienam debuerat.

g Viderat Iudas toties Xtum immunem ab inimicis evaſiſſe & alia ejus prodigia: retineri tamen non poterat: Tantùm in mentem, quam poſſidet avaritia, poteſt *Novarinus.*

h Petrum & Ioannem Xtus miſit menſam inſtructuros: non commiſit hoc Iudæ:

quia hic aliam mensam parabat, mortem scilicet & supplicia, quæ amantis Domini svavissima sunt fercula. *Novarin:* Petrus & Ioannes paschalem agnum parant; actione nempe & contemplatione paranda mensa Eucharistica. *Idem.*

i Ingens Domini paupertas! domo viliq; habitaculo caret: unde inquiunt ubi vis paremus, proprio scilicet hospitio carenti. *Novarin.*

l Sine nomine designatur, ut pauper & ignobilis æstimetur, qui à Dno eligitur. Cujus Sanctitas in hoc apparet, quòd in strato ejus Dnus cum discipulis cum sublimium delectatione virtutum requiescit. *Glossa.*

Magister: ubi est diversorium, ubi pascha [a] cum discipulis [b] meis mãducem? *Matth:* 26. 18. Tempus meum prope est, apud te facio pascha cum Discipulis meis. *Luc:* 22. 12. Et ipse ostendet vobis [c] cænaculum magnum stratum, & ibi parate. 13. Euntes autem, invenerunt sicut dixit illis, & paraverunt [d] pascha. 14. Et [e] cum facta esset hora, discubuit, & duodecim Apostoli cum eo, 15. Et ait illis: desiderio [f] desideravi hoc pascha manducare vobiscum antequam patiar. 16. Dico enim vobis: quia ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in regno DEI. *Ioan:* 13. 1. Sciens IESVS quia venit hora [g] ejus, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem:

m Cum amphora aquæ ductor ad triclinium paschale designatur ut purificatio omnimoda ad epulum Eucharisticum commendetur.

a Pascha transitum vel saltum significat, & cæna Agni sic dicitur, ut in ea transitum ad meliora faciamus. *Novarin.*

b Non sibi tantùm pascha, sed & discipulis. Domini est etiam servorum curam habere. *Idem.*

c Capacitatem ne stupeas si hospitem agnovisti, omnes odit angustias, qui immensus est. *Aloys: Iugl: S. I.*

Cænaculum grande Ecclesia magna est, quâ nomen Domini: strata varietate virtutum & lingvarum circumamicta varietate, in qua paratur DEO Pascha. *S Hieronym:*

d Agno pascit, quos ad mansvetudinem educat. *Aloys: Iugl: S. I.*

e 14decima die Martij ad vesperam, luna iam terris apparente, juxta legem. *Glossa.*

f Desiderat imo Agnum typicum manducare & sic passionis suæ mysteria mundo declarare; ut & antiqui paschatis probator existat, & hoc ad suæ dispensationis figuram pertinuisse demonstrans, jam adveniente veritate umbra cessare debeat, sicut defecit manna postquam Filij Israel comederunt de frugibus terræ *Glossa.* Et nos ad similia desideria impelli decet. Ilene tanto desiderio arserit sese mortalibus donandi & hi cum nausea excipiant &c. *Hautinus in Sacrm: Amoris: l. 2 pag: 437.* Indignum ut quid aliud concupisceret DEUS. *Tertulianus* Non pertinet ad guttur Ecclesiæ, qui fructum hunc non esurit. *Richard: à S. Lau:*

S. Ger-

g S. Gertrudi dixit Xtus: Tanto cum desiderio festino ad te o dilecta quasi me cohibere non valeam. Quando quidem iam in sinum meum universa contuli, im quæ hodie (*dies erat parasceve*) per totam Ecclesiam cogitatione, verbo & opere perfecta sunt, ut ea simul omnia cum Sacramento corporis mei tibi infundam ad æternam salutem. *Lib: 4. insinuat. c. 36.*

b Una tantùm hora diei hujus multo maior est die Iosue. *de quo vide Ios: 10.* Quia ille dies erat Iosue: & hæc est hora IESU. *Viera tom: 4to.*

cùm dilexisset: *a* suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos. 2. Et cænâ factâ, cùm diabolus jam misisset in cor ut traderet eum Iudas Simonis Iscariotæ. 3. Sciens *c* quia omnia ei Pater dedit in manus, & quia à DEO exivit, & ad Deum vadit. 4. *d* Surgit à cæna & ponit vestimenta sua, & cùm accepisset linteum, præcinxit se. 5. Deinde mittit aquam in pelvim, & *e* cæpit lavare pedes discipulorum, & extergere linteo quo erat præcinctus. 6. Venit ergo ad Simonem Petrum, & dicit ei Petrus: Domine tu mihi lavabis *f* pedes? 7. Respondit IESVS & dixit ei; quod ego facio, tu nescis modò g scies autem postea. 8. Dicit ei Petrus: non lavabis mihi pedes in æternum: respondit ei IESVS: si non lavero te, non ha-

a In incarnatione, Pater æternus tantùm amavit homines, ut eos plus dilexisse videatur, quàm suum Filium. In Eucharistia Xtus tantùm dilexit homines, ut plus illos dilexisse vidatur quam Patrem. *Idem.*

b Adverte ut Patrem vocat sine addito suum, aliàs ubiq; fere addere solitus: homines autem tantùm vocat suos, aliud illis nomen non imponendo Et hoc annotat Ioannes cordis Xti secretarius. *Idem.*

c Illis manibus in quibus Pater omnia collocârat, pedes hominũ lavat. O humilitas! *Idem.*

d Dominus ille qui (Psal. 92. Regnavit decorem indutus est) ponit vestimenta sua, semetipsum exinanivit, formam servi accipiens: &c. (ad Phil: 2 6.) Abjicit vestimenta ut expeditior sit: præcingit se, ut sordidos pedes lavatos abstergat, & omnes partes servilis officij expediat. *Drexel:*

e Baptismа pedum affectis tumore capitibus (contentio, quis eorum esset maior) applicat. Et ijs, à quibus deferendum ie sciret, charitatis pedicas per oscula inserit. *Iuglar:*

Non lavit manibus vacuis, sed plenis: DEUS qdo lavat non tantùm mundat, sed etiam ditat Porro si plenæ manus erant omnibus, quæ Pater in eas posuerat, & illas ipsas pedibus supponit, quomodo non plus æstimat hos pedes, quàm omnia quæ Pater ei dederat *Viera.*

Quis unicus prodigus invenitur sicut unigenitus Patris. *Guilelmus.*

f Facturus consvetudinem apud suos, utquæ possedissent, ad Apostolorum pedes abjicerent. (Act: Apost: 4. 35.) primus ante alios sciens quia omnia dede-

rat

at ei Pater in manus, omnia apud eosdem deponit. Quam speciosi nunc pedes Evangelizantium (ad Rom: 10. 6. Isaiæ 52. 7.) quando eos ille ipse, qui cælos ornavit, expolit.

Non iam in medio (Luc: 22. 27.) sed ad pedes inclinatus vile munus ministraturus, potentiam infinitam ac divinam ad humanam imbecillitatem inclinavit &c. cælestes manus divinumq; caput sordidorum pedibus subjecit: ut eos abiectos indignos, ultimosq; servos ad honores cælestes, dignitatem immortalem, divinitatem prope ipsam eveheret. Drexel: de Xto morien: parag: 2.

Tu mihi! ait Petrus, acsi diceret: Videris mihi non novisse te, aut saltem non novisse me: certum nihilominus, quòd noveris te, & ames me, tantaq; est scientia tua ad dignoscendas has improportiones, quanta amoris potentia ad uniendas distantias. In amore verò infinito distantiæ dari possunt infinitæ, quod probant manus DEI pedibus hominum junctæ. *Viera tomo 2. p. 319. &c.*

g Scies postea. In cælo cùm eundem revestitum videris sua majestate, quem hodie ex dimidio vides exutum & servili præcinctũ linteo. Sublimitatem mysterij incarnationis cælesti lumine piscator unus assequi potuit in terra, 2di hujus profunditatem in tam modica aqua penetrare nequit maximus Apostolus &c. *Viera.*

a Hic patet quam sit anima toto mundo pretiosior. Pro toto mũdo Christus non curvavit, nec curvare potuit genu ante diabolum in hominem transfiguratum: & propter animam unam se demisit ad pedes hominis jam diaboli, & ab eo inhabitati Iudæ. *Idem.*

b Emphatica hæc interrogatio, & negatio videbatur & interrogatio: scitis idem erat ac nescitis ita superius, illis verbis. *Sciens. Sciebat* Evangelista studuit Xti scientiam demonstrare, ut sequatur Christum voluisse hìc demonstrare hominum ignorantiam. *Ex eodem.*

c Sciens IESVS in finem dilexit quasi perfectus de amandi arte Magister. *Salmeron:*

bebis partem mecum. 9. Dicit ei Simon Petrus: Domine, non tantùm pedes meos, sed & manus, & caput. 10. Dicit ei IESVS: qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus. Et vos mundi estis, sed non omnes. 11. Sciebat enim, quis nam esset, [a] qui traderet eum, propterea dixit: non estis mundi omnes. 12. Postquàm ergo lavit pedes eorum, & accepit vestimenta sua, cùm recubuisset, iterum dixit eis: scitis quid [b] fecerim vobis? 13. Vos vocatis [c] me Magister & Domine: & bene dicitis: sum etenim. 14. Si [d] ergo lavi pedes vestros Dominus & Magi-

Nihil frigidius doctore qui verbis duntaxat Philosophatur: neq; enim hoc doctoris est, sed histrionis & Hypocritæ. *S. Chrysost:*

Illa vox fortiùs auditorum corda penetrat, quàm dicentis actio commendat. *S. Gregorius.*

d Quis nodum argumenti hujus ſolvere valeat? *Labata.*

ſter: & vos debetis alter alterius lavare pedes, 15. Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis.

Matth: 26. 20. [a] Veſpere autem facto diſcumbebat cum duodecim Diſcipulis ſuis. 21. [b] Et edentibus illis dixit: Amen dico vobis, [c] quia unus veſtrûm me traditurus eſt, (Mar: 14. 18. qui manducat mecũ) 22. Et [d] contriſtati valde cæperunt ſinguli dicere: [e] nunquid ego ſum Domine? 23. At ipſe reſpondens ait (Mar: 14. 20. Vnus ex duodecim) [f] qui intingit mecum manum in paropſide, hic me tradet. 24. Filius quidem hominis vadit, ſicut ſcriptum eſt de illo [g] væ autem homini illi, per quem Filius hominis tradetur: [h] bonum erat ei, ſi natus non fuiſſet homo ille. 25. Reſpondens autem Iudas, qui tradidit eũ dixit: [i] nunquid ego ſum Rabbi? ait illi: *tu dixiſti.* 26. Cænantibus autem eis, accepit IESVS panem, &

a Arcanis ſuis deligens noctes, in earum una inviſibilem DEUM oſtendit in carne, in altera viſibilem hominem celavit in pane. *Aloyſ: Iugl: S. I.*

b In menſa de paſſione agit, hæc enim ejus epulum, hæc amoris deliciæ, hâc omnes menſæ condiendæ, ut ſvaves ſint. *Novarinus.*

c Novit, & non deſignat nomine, diſce aliena ſcelera in lucem non producere, alieno nomini conſulere. Forte etiam ideo non nominat proditorem, ne is fiat impudentior, huc enim evadit, qui timorem evomuit. *Idem.*

d Cùm alieno cæteri Apoſtoli trepidarent exitio; Iudas non inhorruit ſuo. *Iugl:*

e Mira diſcipulorum humilitas, ſuiq; diffidentia. Nullius cõſcij malitiæ, tamen ſinguli *Nunquid ego* quærunt: poteſt enim qui hodie Ioannes, cras eſſe Iudas. Non de alio ullus inquirit, ſed de ſe ſolicitè timet. Quanta bonitas! plus Xti verbis, quam ſuæ conſcientiæ credunt. Unus peccaturus & damnandus erat, & timent omnes: in mundo multi damnandi ſunt, pauci enim electi, & quotuſquiſq; timet? *Novarinus.*

f Voluit Xtus Iudam eadẽ ſecum lance uti, ut in amorẽ allice-ret, dum nullum charitatis exhibendæ locum relinquit. Ita amiciùs habendi inimici. Sic fere accidit, ut quos delicatiùs accipit Chriſtus, eum graviùs ut Iudas offendant. Hoc eſt expreſſum. Pſalm: 40 Homo pacis meæ qui edebat panes meos, magnificavit ſuper me ſupplantationem. Iudam hominem pacis ſuæ vocat; quia etiam proditores pacem afferre poſſunt, tantùm abeſt, ut auferre queant. *Idem.*

g Poſt benevolentiæ ſigna etiam minas adhibet, ne ulla res omittatur, per quam flecti Iudæ mens poſſit. Pij hoc Patris eſt, poſt mollia duris quoq; uti remedijs. *Novarinus.*

Diſpu-

b Disputat Philosophia, utrum cuilibet damnato melius foret non esse, quàm esse, sed apage istas argutias post conclusionem Xti, quâ extremam Iudæ miseriam ita exaggeravit. ut nil supra. *Viera.*

i Audacia bonam conscientiam, mentitur. *S. Hieron:* Familiari perditis dolo, sat correxisse se crimina credidit, si celâsset.

benedixit, ac fregit deditq́; Disci-
pulis suis, & ait: accipite & co-
medite: [a] *Hoc est corpus meum.* 27.
Et accipiens calicem [b] gratias egit,
& dedit illis dicens: [c] bibite ex hoc
omnes. 28. *Hic est enim sangvis
meus novi testamenti, qui pro mul-
tis effundetur in remissionem pec-
catorum.* Dico autem vobis: non
bibam amodo de hoc genimine
vitis, usq́; in diem illum, cum [d] il-
lud bibam vobiscum novum in re-
gno Patris mei. *Luc:* 22. 21. [e] Ve-
rumtamen ecce manus tradentis
me, mecum est in mensa. 22. Et
quidem filius hominis, secundùm
quod definitum est vadit: [f] verum-
tamen væ homini illi, per quem
tradetur. 23. Et ipsi cæperunt quæ-
rere inter se quis esset ex eis, qui fa-

Quis crederet prodigam quandoq́; exstitisse avaritiam? Ecce Iudas paucis nummulis in exhaustum ærarium, in quo omnes sunt thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi (ad Colos: 2 3.) cõmutavit, imò unica effusione abligurivit.

a Vocat ea quæ non sunt tanquam ea quæ sunt Rom: 4. v. 17. Pridie quàm moreretur sepultus in suis, ne totus esset in potestate hostium.

Nomina, quæ humilitas componit minus semper sonant, quàm continent: quod dicit est corpus & sangvis: quod subticet, est anima & divinitas. *Viera tom:* 5.

Quò magis in Xtum Iudas Iudæiq́; sæviebant, eò maiori amore ardebat majusq́; beneficium exhibebat Divinissimam Eucharistiam instituens. *Novarin:*

In qua nocte tradebatur, instituit Sacrm; ut in periculis & angustiis ad illud confugiamus *Idem.*

b Et panem gratias agens fregit & calicẽ gratias agens dedit, ut ostenderet se non ingratijs sui corporis fractionem ideſt occisionem suscipere. *Theophilactus.* Nathan ut Davidi indicaret quanto amore pauper suam ovem prosequeretur, dixit quod illa ovis de pane sui Domini comedebat, de calice bibebat. Quantus iam amor boni Pastoris qui se manducandum bibendumq́; propinat *Novarinus.* Mercedem Xtus Matth. 10. promisit qui vel calicem aquæ frigidæ in ejus nomine dedisset: quid nos exhibebimus Xto, qui calicem non frigidæ, sed amore calentis sangvinis dat nobis. *Idem.*

c Erit cum erit virtus colabilis & non fatigabit mandentem, quæ bibentem abśq; opera delectabit tanquam utiq́; potus non esca. *Donec inquit bibam illud novum* S. Bernard: ser: 72. in Cant: Sumpto poculo renunciat corporali potioni *Theophylacti; Vide Bàézam de Xto figurato tom;* 2. *l.* 5. *c.* 12.

Adeo

d Adeò præceptorem despexerat, ut jam eum non vereretur, sed cum eo intingeret. *Euthymius.*
Cum se alij à cibo in quo judicium Dominus posuerat, continerent, tu Iuda manum non retrahis à paropside, quià nec animam à crimine S. Leo.

e Pæna prædicitur, ut quem pudor non vicerat, corrigant denunciata supplicia S. *Hieronym:*

f Nota sibi erat cujusq; conscientia, verumtamen quia proximi erat ignota, ita sibi quidem singulus erat certus, ut incerti essent, & in cæteris singuli, & in singulis cæteri. *S. Augustin:*

cturus hoc esset. [a] 24. facta est autem contentio inter eos, quis eorum videretur esse major. 25. Dixit autem eis: [b] Reges gentium dominantur eorum & qui potestatem habent super eos, [c] benefici vocantur. 26. [d] Vos autem non sic: sed qui major [e] est in vobis, fiat sicut minor: & qui [f] præcessor est sicut ministrator: 27. Nam quis major, [g] qui recumbit, an qui ministrat? non ne qui recumbit? ego autem in medio vestrûm sum, [h] sicut qui ministrat. 28. Vos autem estis, qui permansistis [i] mecum in tentationibus meis. 29. Et ego dispono vobis, [l] sicut disposuit mihi Pater

a Contentio importuna agere discipulos de primatu, cùm Magister ageret de proditore: sed voluit bonus quisq; a se trudere suspicionem proditionis, inito censu honestatis domesticæ. *Velloso In Iudith: pag: 177.*

Verosimile, quòd inter se dixerint tu proditurus es: & inde pervenerint; ut dicerent: ego sum melior, ego major &c. *Theophylactus.*

Piscaturæ obliti majores se prætendebant *Viera tom: 2. conc. 8.*

Spiritu Sancto nondum e cælo afflati, ambitionis Spiritu multùm inflati pulueris instar marini gestiebant elevari. *Idem tom: 2. Serm: 3.*

Opportuna fuit inquisitio ad investigandũ sceleris tanti authorem: non ab alio fonte nisi a vena ambitionis hic rivus. Tu proditurus es! quare? quia tu videris velle inter nos esse major: & ex tali ambitione proditor demonstraris *Vincentius Gilibert. in Ps: 3 p. 50.* Certiores facti de morte magistri inquirebãt quis eorum videretur major, ut fieret Magister. *Euthym:* Nemo est tam tui, tam ignarus sui, ut locum ipsum post te concupiscat. Plin: *Paneg: ad Traian:* Non est incredibile, quòd honore se præveniendo certaverint. *Beda.*

b Gentilium meminit, ut ex hoc rem vituperandam ostendat *Cyrillus.*

c Princeps & beneficus uno communi termino exprimitur in Hebræo. *Sylveira.* Qui Pater patriæ est, quomodo Dominus est! sed gratius est nomen pietatis, quàm potestatis *Tertull: de Augusto nomen Domini recusante.* Blandi sermones eis offeruntur à subditis. *Cyrillus.* Laudatur peccator in desiderijs animæ suæ, potestatibus siquidem omnes adulantur. *S. Bernard:* A subditis bene a-

gen-

...entes dicuntur, etiam cûm agunt injuste. *Dion: Carth:*

d Multum ab eis distare debetis. *Sylveira.*

e Qui Major est auctoritate & honore fiat sicut minor modestiâ ac animi demissione *Idem.* Theophylactus pro *Minor* legit *Iunior.* Iuniorem dicit postremum *Euthym:* Cuidam S. revelatum est. *Hæc in cælo sedes magni unius e ruentibus Angelis fuit, & nunc humili servatur Francisco.* S. Bonav: vitæ. c. 6. Idem S. Fratres suos minores dici voluit. S. verò Francis: de Paula quâdam sanctè ambitiosa æmulatione humilitatis, suos Minimos. S. Magd: de Pazzis â DEO accepit dogma: *esto Ordinis minimorum & minimorum minima.* Cornel: à lapid:

f Præesse non audeat qui subesse non didicit. *S. Greg:* 1. *Dial.* c. 1. *Ecce constitui te super regna ut evellas &c. & plantes* Ier: 1. Disce prophetico exemplo præsidere non tam ad imperitandum quam ad factitandum, & sarculo tibi opus esse non sceptro. *S. Bern: l.* 2. *ad Eug. Pap:*

g Videtur mihi non obiter hujus recubitûs meminisse: sed reducere illis in memoriam, qui de uno pane comedistis, ac de uno calice bibistis; amicos & unanimes una mensa fecerit. *Theophylact:*

h Hoc ostenderat in lotione pedum *defacto:* addit tamen *tanquam,* & hinc concludit illum aptũ ad succedendum sibi in regimine Eccl: qui fundatus in vera humilitate. *Lyran:*

i Non inchoatio patientiæ sed perseverantia cælestis regni gloriâ donatur. Cunctarũ hæc est columna virtutum: quæ cum bene recta & firma consistit, nihil est certius, nihil tutius bonis moribus: quodsi aliquo dejiciatur impulsa turbine, non sola labitur: omnia enim prorsus animi bona simul corruunt. *Beda.*

l Qui pervenire Regis meretur ad mensam manducabit, quidquid Regni dominatio possidet & Potestas. *Chrysolog:* Hinc *Cant:* 2. *Introduxit me Rex &c.* Non sponsus, non amicus, non frater, sed Rex: tanta enim hac in mensa vis deliciarum, quam DEUS Rex dare potest. *Velloso.*

meus regnum. 30. Vt edatis & bibatis super mensam meam, in regno meo: & sedeatis super thronos judicantes duodecim tribus Israël. 31. Ait autem Dominus: Simon, Simon: ecce satanas expetivit vos, ut [a] cribraret sicut triticum. 32. Ego autem rogavi pro te, [b] ut non deficiat fides tua: & tu aliquando conversus confirma fratres tuos. 33. [c] Qui dixit ei: Domine tecum paratus & in carcerem

a Ut in cribro sæpius concusso, sic in mundo hoc undiq; perforato: transeunt grana, paleæ remanent: transit vita cum suis delicijs, & in novissimo nil remanet, nisi peccatum. *S. Chrysost:*

b Mi Domine, quare non pro alijs? nonne dixisti omnibus, omnes scandalum patiemini: si periculum naufragiumq; imminet omnibus, quare pro solo rogas Petro? Quia Petrus providentiâ regebatur Christi: alij sub providentia erant Petri: ut patet ex verbis seqq: *Viera tom:* 4. *Ser:* 4.

c De ardore fidei promittebat (inquit S. Hieron:) & Salvator quasi Deus, futura prædicabat.

& in mortem [a] ire. 34. At ille dixit: dico tibi Petre, non cantabit hodie [b] gallus, donec [c] ter abneges me nosse. *Ioan:* 16 32. Ecce venit hora, & jam venit, ut dispergamini unus quisq; in propria, & me solum relinquatis: & non sum solus, quia Pater mecum est.

Luc: 22. 34. Et dixit eis: 35. [d] Quando misi vos sine sacculo, & pera, & calceamentis, nunquid aliquid defuit vobis. 36. At illi dixerunt: [e] nihil. Dixit ergo eis: sed [f] nunc qui habet sacculum, tollat, similiter & peram: & qui non habet, vendat tunicam suam, & [g] emat gladium. 37. Dico enim vobis, quoniam adhuc hoc, quod scriptũ, oportet impleri in me: & cum iniquis deputatus est. Etenim ea quæ sunt de me, finem habent. 38. [h] At illi dixerunt: Domine, ecce duo gladij hic; at ille dixit eis: satis est.

Ioan: 13. 21. IESVS turbatus est [i] Spiritu, & protestatus est, & dixit: Amen, amen dico vobis: quia unus ex vobis tradet me. 22. [l] Aspiciebant ergo adinvicem Disci-

a Multa charitas animosũ reddit Petrum. Theophylact: Hoc verbum fuit amoris, & fervoris, sed tamen & cujusdam præsumptionis. Hæc compescenda erat & propterea subditur. *Dico tibi &c. S. Bonav:*

b Galli potissimum cantûs signũ datur, & non aliud: quo notata vana Petri animositas. *Velasq:* in Epl: ad Phil: porrò de hoc Plato in Theæteto. *Galli degeneris instar ante victoriam canit.* Qui inaniter præsumit maximè cadit: *Sylveira.* Ex egregio præsumptore, de gratia novi testamenti, tam creber negator factꝰ. *S. Aug: apud Sylv:* Voce Galli admonetur, ut tenebras peccati, & dæmonem Leonẽ fugitet. *Sylveira.*

c Nisi modum 3tio negandi Dominus statuisset, forsan sæpius interrogatus, sæpius abnegasset. S. *Maxim:*

d Non pera tibi sumenda est, non virga affatim dives est, qui cum Xto pauper est. *S. Hier: epl:* 1. *ad Hel:*

e Quis sui operis curam negligat? quis deserat, ac destituat, quod ipse condendum putavit? *S. Amb: l.* 1. *Offic:* Iustitiâ regnantis & generantis affectu, in se totam tui recipit solicitudinem. *S. Chrysolog:*

f Acsi diceret, hactenus cuncta vobis uberrimè affluebant, nunc autem volo vos & inopiam experiri. *S. Chrysost:*

g Domine cur emere me jubes gladium, qui ferire me prohibes, cur haberi præcipis quem vetas promi? nisi forte ut sit parata defensio; non ultio necessaria & videatur potuisse vindicari sed noluisse; ut sit in lege æquitatis eruditio, in Evangelio bonitatis perfectio. *S. Ambr:* Acuamus ingenium, exerceamus affectum, ut gladium illum quem ven-

venditâ veste emi Dominus jubet, paratum semper & lucidum, tanquam in vagina mentis reconditum habere possimus. *Idem proemio in Lucam.*

b Iussit Xtus venditâ etiam tunicâ parari gladium: cum vero gladios exhibuissent discipuli, manu abnuit Magister & satis inquit est. Laus nempe maxima est cum possis non ulcisci. *Velloso.*

Potestatis cedit ad gloriam injurias ulcisci nolle, cùm possis. *S. Hildebertus.*

Duo gladij forte unus novi, alter veteris testamenti, quibus adversus diaboli armamur insidias. *S. Ambros:*

i Præ nimia compassione turbatur, vehementer enim super eo dolebat. *Euthym:*

l Proditorem Magistri patere posse vultu crediderunt Apostoli, ne lateret proditor aspectant se mutuo. *Salmeron: & Velloso.*

puli hæsitantes de quo diceret. 23.
Erat autem [a] recumbens, unus ex
Discipulis ejus in sinu IESV, quem
diligebat IESVS. 24. Innuit ergo
huic Simon Petrus, & dixit ei: quis
est? de quo dicit? 25. Itaq; cùm recubuisset
ille supra pectus IESV,
dicit ei: Domine quis est? 26. Respondit
IESVS: ille est, cui ego [b]
intinctum panem porrexero. Et
cùm intinxisset panem, dedit Iudæ
Simonis Iscariotæ, 27. Et post
buccellam introivit in eum [c] satanas.
Et dixit ei IESVS: [d] quod
facis, fac citiùs. 28. Hoc autem
nemo scivit discumbentium, ad
quid dixerit ei. 29. [e] Quidam enim
putabant, quia loculos habebat Iu-

a Quare omnibus alijs, & Petro tremente, Ioannes quasi delicatus recumbit in sinu Domini? causa una est, quòd præomnibus diligebatur maximè, & hoc erat signum dilectionis: altera quòd volebat se ostendere alienum à crimine, per hoc, quod tam libera illi cũ Christo familiaritas. *Theophylactus.*

b Panis intinctio significat fictionẽ Iudæ, qui fictus amicus, venit ad cœnam: quæ enim tinguntur, non mundantur sed inficiuntur. *Idem.*

Sicut panis intinctus habet in superficie saporem alium, quàm interiùs, ita Iudas se exteriùs simulabat Christi discipulum, cùm tamen interiùs esset illius proditor. *Lyranus.*

Rabidum canem intincto studet in paropside sua pane placare; his non illectum blanditijs, deterret minis.

e Cùm homini ingrato intrasset, panis inventrem, hostis in mentem. *S. August:* Quod erat causa salutis, illi factum est materia condemnationis. Quia instrumentum pacis non pacatus accepit. *S. Petrus Damia:*

d Hoc Christus Iudæ ironicè dixit. *Viera tom: 3. Serm: 8.* Non imperantis est, neq; consulentis, sed exprobrantis, & permittentis ei, ad proditionem venire. *S. Chrysost:* Non desiderando iniquitatem festinatam Iudæ, sed celerem

redem

redemptionem humanæ naturæ. *Dion: Carthuſ:* Vox hæc non jubentis eſt ſed ſinentis, ſed intrepidi, ſed parati. *S. Leo.* Provocat adverſarium ad pugnam. *Origenes.*

c Innocentes & Sancti cum eſſent Apoſtoli, nihil mali de proditore cogitare ſunt auſi, humilis enim difficulter corda proximorum ſcrutatur & conſcientiæ judicium refugit alienæ. *S. Iuſtin: M. de ag: Xti c.* 5.

dus, quod dixiſſet ei IESVS: eme ea, quæ opus ſunt nobis ad diem feſtum: aut egenis aliquid daret. 30. Cùm ergo accepiſſet ille buccellam, exivit continuò, erat autẽ [a] nox. 31. Cùm autem exiiſſet, dixit IESVS: [b] nunc clarificatus eſt filius hominis: & DEVS clarificatus eſt in eo. *Mar:* 14. 26. [c] Et hymno dicto. *Luc:* 22. 39. Egreſſus ibat ſecundùm conſvetudinem in montem olivarum, ſecuti ſunt autem illum & Diſcipuli. *Mar:* 14. 27. Et ait eis IESVS: omnes [d] ſcandalizabimini in me in nocte iſta, quia ſcriptum eſt: [e] percutiam paſtorem & diſpergentur oves. 28. Sed poſtquam reſurrexero præcedam vos [f] in Galilæam. 29. Petrus autem ait illi: [g] etſi omnes ſcandalizati fuerint in te, ſed non ego. 30. Et ait illi IESVS: [h] amen dico tibi, quia tu hodie in nocte hac priuſquàm gallus vocem bis dede-

a In eo egreſſu nox erat, nec enim præſto illi erat vir cui nomen oriens, cùm egrediendo juſtitiæ ſolem reliquiſſet. *Origenes.* Corporales quoq; tenebras nequitiæ magis opportunas libenter accipiebat. *Rupertus.*

b Ac ſi honeſtatum ſe Magiſter ſignificaret, cùm improbum diſcipulũ à ſua ſchola abegiſſet. Nævus Magiſtri, diſcipulus notæ impietatis. *Velloſo.*

c Urget ad cantiones menſa Euchariſtica. *Idem* In voce exultationis, & confeſſionis ſonus epulantis. *Pſ.* 41. Ut quiſq; de ſcripturis ſacris, vel de proprio ingenio poteſt, provocatur in medium DEO canere. *Tertul: inapolog.*

Vinum germinans Virgines. Zach. 9. Hebræus legit Vinum canere faciens virgines.

d Scãdalũ patiemini, id eſt metu & infidelitate turbabimini. *S. Hilar:*

e Scriptum hoc, Zachar: 13. n. 7. Percuſſo Chriſto paſtore, ut diſperſæ fuerint oves, vel ex eo patet, cùm poſt reſurrectionẽ peregrinum indutus, errabundas in Emmaus recolligit. *Viera.*

f Ut à timore Iudæorum liberi faciliùs verbis ejus attenderẽt, & crederent. *S. Chryſoſt:*

g Eſt ardens affectus erga Dominum, qui ſic eum loqui cogit, (ait S. Hieron:) Cauſam dat S. Aug: Putat Petrus ſe poſſe, quòd ſe velle ſentit.

h Ut DEVS, modum, tempus, horam ac numerum negationis prædicit. *S Beda*

Beda. in Luc: Instruitur ad cavendum non cogitur ad negandum. *S. Ambros:* Cadit Petrus ut prælati discant compati lapsis. *Novarin.*

rit, ter me es negaturus. 31. [a] At ille amplius loquebatur etiamsi oportuerit, me simul commori tibi non te negabo. [b] Similiter autem & omnes dicebant.

32. [c] Et veniunt in prædium cui nomen Gethsemani; & ait discipulis suis: [d] sedete hîc, donec [e] orem. 33. Et [f] assumpsit Petrum & Iacobum & Ioannem secum [g] & cæpit pavere & tædere. 34. Et ait illis: tristis est anima mea usq; ad mortem: sustinete hîc [h] & vigilate. *Matth:* 26. *v.* 38. Mecum.

Lucæ 22. 40. Et cùm pervenisset ad locum, dixit illis: [i] orate, ne intretis in tentationem. 41. [l] & ipse avulsus est ab eis quantum [m] jactus est lapidis, & positis genibus, *Matt:* 26. 34. [n] Procidit in faciem suam orans & dicens: [o] Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste. [p] Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu. *Luc:* 22. 43.

a In tantûm & affectu & charitate Xti efferebatur, ut & imbecillitatem carnis suæ, & fidem verborum Dni non contueretur. *S. Hieron:*

b Ante prælium Leones, in prælio cervi.

c Getsemani vallis pingvedinis ex Hebræo. Sicut adipe & pingvedine anima repletur, quæ pro DEO pati incipit. *Novar:*

d Xti oratio nostra quies est ac firmitas. Sedere non possemus nisi ille oraret. *Idem.*

e Orat in horto: Oratio vel desertum in hortum deliciarum vertit. Ubi oratio ibi hortus & deliciæ. Omnia Spiritualia germina in horto mentis pullulant, cùm oratione irrigantur. Non legitur in horto orâsse Adamus, qui fors non cecidisset si orasset. Orat Xtus, ut lapsos erigat: orat inter arbores, quia inter arbores peccavit et non oravit Adam. *Novarin.*

f Participes hi discipuli fuêre lætitiæ, sunt participes & tristitiæ. *Idem.*

g Appropinquante morte in se mentis nostræ certamen expressit, quia valde timemus morte appropinquante *S. Greg:* 24. *Moral:* c. 17. Doles ergo Domine non tua sed mea vulnera. *S. Ambros:* in Luc.

h Multi vigilant sed non cum Christo, imò contra Xtum: vigilant in sceleribus, impietatibus, & rerum terrenarum amore: more dæmonum non dormiunt, nisi ut noceant; aut supplantent. *Novar:*

i Oratio, elevatio mentis in DEUM: quantò mens elevatur in DEUM, tantò facilius tentatio superatur. *Lyranus.*

l Quid avellitur, nisi quod inhæret, & quod infixum, & innexum est ei, à quo avellitur: cùm quid extraneum, ita conviſceratur, & concarnatur, ut cum avel-

avellitur, rapiat ſecum aliquid ex corpore, cui avellitur. *Tertul: de car. Xti.*

Hic lapis abſciſſus de monte ſine manibus, & jactus & percuſſit Goliam in fronte & ſtatuam in pedibus. *Dro: Oſtien: vid:* 1.*Reg:* 17. & *Dan:* 2.

n In terram procidit, ut maledictionem terræ auferret, & nos in cœlum eveheret. *Novar.* Erubeſcit faciem levare ad DEUM, cùm totius mundi peccata ſuſtineat. *Salmeron.*

o Poſtulat non timore patiendi, ſed miſericordiâ prioris populi, ne ab illis biberet calicem paſſionis. *Paſchaſius.*

p Licet retrahente natura ſequi oportet DEI voluntatem. *Euthym:* Corrigẽda eſt voluntas tua ad voluntatem DEI, non Divina ad tuam incurvanda. *S. Auguſtin: in Pſ.* 35. Omnes repugnantiæ in horto non erant, ad excuſandam mortem, ſed ad declarandam conformitatem. *Viera tom:* 4.

Majori neceſſitate magis decet orationi inſiſtere. *Lyran.*

Apparuit autem Angelus de cælo, confortans eum, & factus in agonia, prolixius orabat. 44. [a] Et factus eſt ſudor ejus ſicut guttæ ſãgvinis decurrentis in terram. 45. Et cùm ſurrexiſſet ab oratione & veniſſet ad diſcipulos ſuos, invenit eos dormientes [b] præ triſtitia. 46. Et ait illis: quid dormitis? ſurgite, orate, ne intretis in tentationem.

Mar: 24. 37. Et ait Petro: [c] Simon dormis! non potuiſti unâ horâ vigilare! 38. Vigilate & orate, ut non intretis in tentationem. [d] Spiritus quidem promptus eſt, [e] caro verò infirma. 39. [f] Et iterum abiens oravit eundem ſermonem: di-

a Timor quidem ſangvinem ad cor revocat, ſed vis obedientiæ, & amor timorem ſuperarunt; & ſangvinem, in membra ac ſudorem egerunt. *Eſcobar.* Non ſolis oculis, ſed membris omnibus fleviſſe videtur. *S. Bern: Serm:* 3. 4*dr:* Aperiat terra os ſuum, & bibat ſangvinem tuum, & clamet ad te, & tecum ad Patrem, melius, quàm ſangvis Abel. *Drogo.*

b Statim ut receſſeris, ſomnus occupat nos, nec vigilare poſſumus, niſi quamdiu nobiſcum es & ſuſcitas nos. *Drogo Oſtienſis.*

c Omnes dormiunt; Petrum ſignatè alloquitur: ſuperioris error maximè arguendus, ne paria ſubditi committant. *Novarin:* Dormit Petrus; jam via ſternitur ad negationem. à minimis ſcilicet itur ad maxima ſcelera. Dormiunt diſcipuli, fugient ab eo: torpor iſte Petri, futuræ ruinæ indicium. *Idem.*

Dormiunt nunc quia non attendunt, quid poſt paululum futurum ſit: magnitudo periculi ſomnum fugat. *Drogo.*

d Promptitudinem diſcipulorum laudat, ſed orandi neceſſitatem ex infirmæ carnis periculo aperit. Iam ſi periculoſè agebatur cùm illis quorum Spiritu prompto ſola caro erat infirma, quo in periculo ſunt, quorum & caro infirma, & Spiritus ſegnis, ac torpidus. *Novarinus.*

c Infirmitas ista fortis est violentia. *Tertull.*

f Ter orat Dnus ut oremus præteritis peccatis veniam, præsentibus malis medelam, futuris cautelam. *Rabanus.*

a Tentati sunt discipuli Dominum deserendo, quia somno potius indulserunt, quàm orationi. *Tertull:*

cens: (v. 36. Abba Pater omnia tibi possibilia sunt, transfer calicẽ hunc à me. Sed non quod ego volo, sed quod tu) 40. Et reversus, denuo invenit [a] eos dormientes, erant enim oculi eorum gravati, & ignorabant quid responderent ei. 41. Et venit tertiò, & ait illis: [b] dormite jam & requiescite, sufficit: venit hora: ecce filius hominis tradetur in manus peccatorum. 42. Surgite, eamus, ecce qui me tradet, propè est. *Matth:* 16. 47. [c] Adhuc eo loquente ecce Iudas unus de duodecim venit, & cum eo turba multa. *Ioan:* 18. 2. [d] Sciebat autem & Iudas, qui tradebat eum, locum; quia frequenter IESVS cõvenerat illuc cum discipulis suis. 3. Iudas ergo cùm accepisset cohortem & à Pontificibus & Pharisæis ministros, venit illuc cum [e] lucernis, & facibus, & armis. 4. IESVS itaq; sciens omnia quæ ventura erant super eum, processit, & dixit eis: [f] quem quæritis? 5. Re-

b Numquid alium concedit somnum, ubi requiescitur, & alium prohibet, in quo oculi gravantur? ita est: qui enim vigilat in te, suaviter dormit, & silet, & somno suo requiescit: qui autem dormit à te, sicut ebrius nocte nescius agitatur. *Drogo Ostiensis.*

c Contra inermem & paucis stipatum egregiè obarmatos milites ducit: timet scilicet aggredi sine valida manu: & metum ducit à natura scelerum. *Vellosο.*

d Perditissimus ille mercator monstrosæ impietatis antesignanus, isthic inauditæ perfidiæ suæ prodigium edere statuit, ubi sciebat magistrum nocturnis horis orationi vacare.

Scientia sine virtute, diaboli svasu est, ita Damian: Epl: 105. in illud *eritis sicut Dij scientes:* Qui vitiorum omnium catervas moliebatur inducere, cupiditatem scientiæ quasi Ducem exercitûs posuit, sicq; postea infelici mundo cunctas iniquitatum turmas invexit.

e Cæca nequitia ut est, oculatum pati DEUM non potest.

Cæcitatem laternis prodens non juvans.

f Quærit ut recognoscant quẽ quærant. *Sylveira.*

Tam horrendum erat facinus comprehensionis Christi, quòd per admirationem sciscitatur. sunt enim crimina, super quæ DEUS obstupescit. *Idem.*

Propriam divinitatis vocem certa intentione protulit, quod ab effectu claruit, quia adversarios in terram dejecit. *Rupertus.*

spon-

ſponderunt ei: IESVM Nazarenũ. Dicit eis: [a] ego ſum. Stabat autem & Iudas, qui tradebat eum, cum ipſis. 6. Vt ergo dixit eis: ego ſum [b] abierunt retrorſum, & ceciderunt in terram. 7. Iterum ergo interrogavit eos: quem quæritis? illi autẽ dixerunt IESVM Nazarenum. 8. Reſpondit IESVS: dixi vobis, quia ego ſum: [c] ſi ergo me quæritis, ſinite hos abire. 9. Vt impleretur ſermo, quem dixit: quia quos [d] dediſti mihi non perdidi ex eis quemquam.

Mar: 24. 44. Dederat autem traditor ejus, ſignum eis, dicens: quẽcunq; [e] oſculatus fuero, ipſe eſt, tenete eum, & ducite cautè. 45. Et cùm veniſſet [f] ſtatim accedens ad eum, ait: Ave Rabbi: [g] & oſculatus eſt eum. *Matth:* 26. 50. Dixitq; illi IESVS: [h] amice [i] ad quid veniſti? *Luc:* 22. 48. [l] Iuda oſculo filium hominis tradis?

a Exurgat DEUS & cadat armatus iſte, cadat & conteratur inimicus homo, contemptor DEI, cultor ſui, amator mundi, ſervus diaboli. *S. Bernard:*

b Xſt9 proſtravit verbo omnes, ut Iudam erigeret. *P. Samu: Laberhittel: S. I.*
Quid jam poterit majeſtas judicatura cujus hoc fecit humilitas judicanda. *S. Leo.*
Tonabit DEUS in voce ſua mirabiliter. *Iob:* 41. *v.* 15.
Imago autem caſus ille fuit omnium qui Chriſto adverſantur, quibus omnino terribilis caſus imminet. *S. Cyrillus.*
Surgendo lapſus eſt graviùs quàm cadendo.

c Charior diſcipulorum quàm ſva vita Xto, ſui oblitus de illis curam agebat, ut bonus Paſtor ſuâ ſalute neglectâ. *Sylveira.*
Prius jubet abire antequam fugiant: intendit nempe ſuorum defectus occultare. Cûm enim fuga hæc videri poſſet indecora ac reprehenſione digna. Mandavit *Sinite.* ut non timiditati ſed promptæ obedientiæ adſcriberetur. *Idem.*

d Cum eſſem cum eis ego ſervabam eos in nomine tuo quos dediſti mihi cuſtodivi. *Ioan:* 17.

e Et oſculis & vinculis ab homine læditur DEUS. *Iuglares.*
Suo malo didicit perfidus, ſolis DEUM amoribus capi: funes illi per amplexus intentat, morſus per oſcula. Omnem ſuppellectilem charitatis in uſum odij traxit. *Idem.*

f Impij citi celeres in malo ſunt: tardi & teſtudinei, ubi aliquid bonum præſtandum eſt. *Novarinus.*

g Magiſtrum vocat & tradit! ut ita ejus doctrinam irrideat & negligat. Quam diſtat hoc proditorium oſculum ab illo, de quo Propheta: *Iuſtitia & pax oſculatæ ſunt* Pſ. 84. hic injuſtitia pacem, & pacis peremptor juſtitiam oſculatur. *Idem.*

h Suſcipit oſculum proditoris ne proditionem fugere & hoſtes ſuos timere

videatur: amicum vocat â quo traditur: verũ si Xti Spiritum induas, amicos censebis qui te persequuntur. Amicus etiam qui osculo fingit amicũ: vel ideo vocat amicum, ut ex ficto faciat verum. *Novarinus.*

i Quærit non quia nesciret, sed quia scelus admirabatur. Tot beneficijs donatum in Xm insurgere tam magnum est, ut Xm in admirationem rapiat. *Idem.*

l Iuda osculo! admonet eum per ipsius appellationem (Iudas enim vocatur confitens) argentum accepisti, confitere citò. *S. Cyril: Hieros:*
Virgas, spinas clavos pertulit nullâ expostulatione, Iudæ verò formidat amplexum, catenas non exhorrescit: timet osculum: timet! quod gravissimum telum sit illecebra virulenta *Oliva Strom: l. 6.*
Xstus ante Eucharistiam, in Iuda dura verba. *Satanas.* Et *væ* illi dixit. Sumptâ autem Eucharist. â traditorem salutat *amice ad quid venisti* quid blandius quid svavius audiri poterat. Nimirum sit lingva Eucharis post Eucharistiam, mites, svavesq; det sermones ex pectore, quæ in pectus illum dulcedinem trajecit. Ex *Novarino in Agno Euch: n.* 150. Diabolum in cænaculo, amicum vocat in horto: acerbitate vocabuli inhiberi non potuit: blandiori titulo nominatus, pænitentiâ ducitur, crumenam regerit in atrium, utinam sic & fataliorem cupiditate pestem, veniæ scilicet desperationem non excepisset. *Oliva.*

49. Videntes autem hi, qui circa ipsum erant, quod futurum erat: dixerunt ei: Domine [a] si percutimus in gladio? *Ioan:* 18. 10. Simon ergo Petrus habens gladium [b] eduxit eum, [c] & percussit Pontificis servum, & abscidit auriculam ejus dexteram. Erat autem nomẽ [d] servo Malchus. 11. Dixit ergo IESVS Petro: [e] mitte gladium tuum in vaginam; calicem quem dedit mihi Pater, non vis, ut bibam illũ? *Matth,* 26. 52 [f] Converte gladiũ tuum in locum suum. [g] Omnes enim, qui acceperint gladium, gla-

a Dnus præcepit emere gladium, non percutere. *S. August: l. 22. contra Faust: c. 22.*
Interrogatur in cassum, si ante responsum exitur in opus &c. Levitate usus est Petrus qui ante responsum Dni vulneravit. *Simon de Cassia apud Escobar.*

b Petrus eruditus lege, promptus affectu, qui sciret Phineæ reputatum ad justitiam quod sacrilegas peremisset. *S. Ambr:* Petrus qui animosiori constantia Dno cohærebat. *S. Leo.*

c Ipsi Principes Sacerdotũ jam servi erant peccati, quorum omnis auditus non in dextris, sed in sinistris erat legis & ideo jure amputatur ab eis quidquid dextrum erat &c. præciditur auditꝰ dexter, cum aufertur intelligentia divini verbi. *S. Paschasius.*
Percussit aurem: docuit quod aurem habere in specie non deberent, quam in mysterio non habebant. *S. Ambr:*

d Aurem viri ferociùs instantis abscidit. *S. Leo.*
Audacior hic cæteris fuit heri auctoritate confisus, & infestior Xto Domini sui invidiam & malevolentiam imitando. *Escobar.*

Offen-

e Offendit innocentiam tuam (Christe) qui indigere te credidit defensore, converti jubes gladium, ac si te ulciscendo peccâsset. *Iugl:* Ubicunq; tu es, locus est beneficentiæ, non vindictæ. *Idem.*

Patientia Domini in Malcho vulnerata est. *Tertull: de pat: c. 3.* Noluit se Xtus a persecutorum defendere vulnere, qui voluit omnes sanare. *S. Ambr: Contra Sacram:* erat redemptionis nostræ, ut qui mori venerat pro omnibus capi nollet. *S Leo.*

f Locus gladij est vagina non hominis caro &c. Quod est judicis, piscator non faciat. *Simon de Cassia.* Quid funestius intimari sicario potuit si Oniam trucidaret in saltu? Doeg vivit tot Levitis interfectis; & moriatur Petrus præcisâ semiauricula laternarij? *Oliva.* Reponendus est quia gladius Petri non Xti. Non Xti quia infimos vulnerat, & â somno ad cædem prosilit. *Oliva.*

g Non arcet tantùm à vindicta discipulum sed comminationem addit: quam ergo procul à nobis vult esse Spiritum vindictæ in rebus proprijs, qui ita increpat discipulum semet defendentem. *Novarinus.*

dio peribunt. 53. An putas non possum [a] rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modò plusquàm duodecim Legiones Angelorum? 54. Quomodo ergo implebuntur scripturæ, quia sic oportet fieri? *Luc: 22. 51* Sinite usq; huc, [b] & cùm tetigisset auriculam ejus sanavit eum. 52. Dixit autem IESVS ad eos, qui venerant ad se Principes Sacerdotum & Magistratus templi & seniores: [c] quasi ad latronem existis, cum gladijs & fustibus. 53. Cùm quotidie [d] vobiscum fuerim in templo, & non extendistis manus in me: sed hæc est hora vestra [e] & potestas tenebrarũ.

a Videbat Petrum præsumentem, ideo dicit possum rogare Patrem, non vocare Angelos vel adducere. *S. Thom: Aqu:* Magna orationis virtus, quâ si necesse sit, in nostri defensionem Angelorum legiones mittuntur. *Novarin:* Quid Angelos poscat in auxiliũ qui Angelorum ruinam patiendo erat, reparaturus? Angelorum legiones in defensionem non postulet qui libenter patiendo Angelꝰ quidam fit. Nam & Stephanus visus est tanquam Angelus. *Idem.* Duodecim legionum meminit quarum summa 72. millia: in quot gentes & hominum linguæ sunt divisæ, scilicet ut quis se à lingvarum omnium ictibus tueatur vel 72. millia Angelorum in auxilium vocari deberent. *Idẽ.*

b Indignaris profanari cruore sacrilego hortum, quem tuis sudoribus & lachrymis consecrâsti. *Iuglares.* Servum sine lingva tolerâsses fortasse, quem sine aure non toleras. *Idem.*

c Num mori timet? imo â Petro defendi non vult: quid ergo timet? gloriam suam. Maluisset in templo teneri quam ab armatis circumveniri, tum quia

citiùs passus esset pro nobis: tum quia vinciri posset sine gloria: tæduit miraculorum non vinculorum, horruit quod in luto opprobrij tanti, ierere cogeretur margaritas omnipotentiæ suæ in elisione cohortis & Malchi curatione. *Oliva Str: l.* 4.

Quereris tanquam latronem in agro quæsitum, quem paratissimam victimam semper invenissent in templo. *Iugl:*

d In templo comprehendi noluit ne ullam sui causâ templum injuriam acciperet: violari templum noluit, cultus divini instaurator. *Novarin:*

e Quando securiùs potestas tenebrarum vim suam effudit, quàm sole captivo? *Iuglaris.* In tenebris adversus me congregamini, quia potestas vestra quâ contra lucem mundi armamini, in tenebris est *Beda.* Revera noctis attentatis opera & potestas vestra tenebrarum est, atq; idcirco hanc horam observatis, quæ convenit vobis & operi quò me invaditis. *Theophylact:*

Mar: 14. 50. Tunc discipuli ejus relinquentes eum [a] omnes fugerunt. 51. [b] Adolescens autem quidam sequebatur eum amictus sindone super nudo, & tenuerunt eum. 52. At ille rejecta sindone, nudus profugit ab eis. *Ioan:* 18. 12. Cohors [c] ergo & tribunus & ministri Iudæorum comprehenderunt IESVM & ligaverunt eum. *Ioan:* 18. 13. Et adduxerunt eum [d] ad Annam primum, erat enim Socer Caiphæ, qui erat Pontifex anni illius. 24. Et misit eum Annas ligatum ad Caipham Pontificem. 14. Erat autem Caiphas, qui [e] consilium dederat Iudæis: quia [f] expedit unum hominem mori pro populo.

a Quotquot graves oculos habuimus ad vigiliam, levissimos habemus pedes ad fugam. *Aloys: Iugl:*

Pedes Xti manibus paulo ante loti tam turpi fugâ fædantur, lavit eos Xtus, ut puriores in via DEI incederent, non ut eos hac inhonora fugâ collutularent. *Novar:*

b Adolescens ut fugeret abus9 viribus suis, nudior relicto Præceptore quàm sindone. *Iuglar·*

c Occupant paratum teneri & trahunt volentem trahi: qui si vellet obniti, nihil in injuriam possent. *S Leo.*

Arctatur in vincula myrrhæ fasciculus. A nullo magis sejuncti, quam ab eo, quem sic stringerent. *Iugl:*

Duobus manifestis subitaneisq; miraculis conspectis, mox erecti à terra pedibus Xti debuerunt advolvi, sed ecce è diametro contrarium: *injecerunt manus &c. Viera tom:* 2.

Tenetur & ligatur Christus in horto, quia nimis liberè per hortum vagata est prima mater. Tenetur Xtus comprehenditurq; quia nos sensus nostros per illicita permittimus vagari. *Novarinus.*

d Ad Annam primum ducitur cùm esset à Caipha judicandus, ut ad contumeliæ augmentum & huic ostentarent ministri communem hostem captivum & oculos

culos ejus optato spectaculo pascerent *ut ait S. Chrysost: quasi triumpum ducentes & præ voluptate de hac re gloriantes. Sylveira.*

c Facienti nequissimum consilium, super ipsum devolvetur. *Eccl: 27.*

f Sacerdotes, populi electi, hæredes *videntum* eò cæcitatis venerunt, ut summã felicitatem suam reponerent in occidendo homine, quin haud aliter quàm si nec homo esset licere arbitrantur eum è medio tollere non alia de causa, quam quia expedit. Non dignum, non decens est, sed tantùm expedit. *Segneri.*

Quod justum non est, non potest esse utile. *Cicero & Plutarchus.* Themistocles svaserat Spartanos quadam fraude aggrediendos: sed Aristides subjunxit consiliũ hoc utile esse Reip: sed minime honestum: mox cuncti assensi: quod honestum non est, non potest esse utile. *Segneri: conc: 4dr: 33.*

(*Matth:* 26. 57. At illi tenentes duxerunt ad Caipham Principem Sacerdotum, ubi scribæ & seniores convenerant) 15. Sequebatur autem IESVM Simon Petrus, & alius Discipulus.

Matth: 26. 58. Petrus autem sequebatur eum [a] à longe usq; in atrium Principis Sacerdotum. *Ioan:* 18. 15. [b] Discipulus autem ille erat notus Pontifici & intravit cum IESV in atrium Pontificis. 16. Petrus autem stabat ad ostium foris. Exivit ergo Discipulus alius qui erat notus Pontifici & dixit [c] ostiariæ & introduxit Petrum. *Matth:* 26. 58. Et ingressus intro [d] sedebat cum ministris ut videret [e] finem. *Ioan:* 18. 19. Pontifex er-

a A longè Xm sequitur qui tepidè Xtum sequitur, parùm distat quin dimittat & prolabatur. *Novarinus.*

Timor retrahit, Charitas trahit. *S. Hieron:*

Neq; negare potuisset si Xto proximus adhæsisset. *S. Remigius.*

Satius duxit sequens negare, quã fugiens confiteri. *Theodoretus.*

Petrus promissor egregius cœpit ambulare longinquiùs. *S. August:*

Metus naturæ est, cura pietatis: alienum quod timet, suum quod non fugit: quod sequitur, devotionis: quod negat obreptionis. *S. Ambr:*

b Quia rem præclaram narrat quod alijs fugientibus ipse sequeretur ideo suum nomen silet, & Petrum sibi præponit *S. Chrys:*

c O infelix beneficium, quod accipientem impulit in exitium. *Drexel.*

Malè Eva induxit Adamum: malè Petrum introduxit fæmina *S. Ambr:*

d Non potuit noxia non esse improborum Societas: aulicorum Principis scelerati se inserere nec Petro tutùm fuit. Satius & consultius ipsi fuisset in obscuro aliquo angulo gemere ac precari, quàm impij Pontificis aulam ingredi & aulicis se conjungere. *Novarinus.*

Inter impios impiorum ministros negavit Xm, quem inter condiscipulos DEI filium erat confessus, tantùm bonorum consortium & colloquia ad bonum

tan-

tantùm malorum ad malum. *Idem.*

e Ante finem non est ferendum judicium, finem si Petrus expectâsset, Xm non negâsset. *Viera tom: 5.*

Humanâ curiositate scire cupiebat quid judicaret de Domino Pontifex? *S. Hilar:*
Curiosus nemo qui non sit malevolus & præsumptuosus. *Plautus.*
Petre ingrederis ad videndum, egredieris ad flendum. *Viera tomo 1.*
Non humiliter neq; constanter ingressus est, & fortasse ideo corruit, quoniam non ut pugnaret sed ut finem videret accessit. *S. Laur: Iust:*

go [a] interrogavit IESVM de Discipulis & doctrina ejus. 20. Respondit ei IESVS: ego palam locutus sum mundo, ego semper docui in Synagoga & in templo, quo omnes Iudæi conveniunt, & [b] in occulto locutus sum nihil. 21. Quid me interrogas? interroga eos, qui audierunt, quid locutus sum ipsis, [c] ecce hi sciunt, quid dixerim ego. 22. Hæc autem cùm dixisset, unus assistens ministrorum, dedit [d] alapam IESV dicens: sic respondes Pontifici? 23. [e] Respondit IESVS: si malè locutus sum, testimonium perhibe de malo; si bene, quid me cædis?

Luc. 22. 55. Accenso autem igne in medio atrij & circumstan-

a Interrogat ut eum sic accusare possit. *S. Alb: Magn:*
Volens arguere tanquam novæ rei inventorem. &c. *Euthymius.*

Constat non audisse Caipham quid Magister disputâsset, cum petat judex quæ Christi schola fuerit. *Velloso.*
Dominus taxat ignaviam Pontificis, quòd doctrinam publicam non audivisset. Magnates enim rarò DEI verbo audiendo vacant. *Salmeron.*

b Et si quid dicebatur occultê, nõ dicebatur in occulto, quia non dicebatur ut taceretur, sed ut prædicaretur. *S. Augustin:*

Dominus qui multa secretò dixerat, dicit *ego palam* &c. Sic apud homines increvit consvetudo secreta propalandi, ut in occulto locutus sit nihil, qui in secreto multa dixerat. *Sylveira ex Ruperto.*

c Quasi notaretur digito servus hic, quod Christum audiverit aliquando & forte laudaverit *Nunquam sic locutus homo* Ioan: 7. Notam sibi impactam colapho detergere voluit. *Vellosо.*
Ne de animo suo benevolentiaq; Principes suspicarentur, alapâ Xtum cædit: solent enim ministri non ferre quidquam adversum se principibus referri. *S. Cyrill: Alexandr:*
Iste fortis percussor & mollis adulator & pro Dno suo Pontifice non fortiter sed stultè zelatus. *S. Rupertus.*

d Osconatur occludere veritati servilis adulatio.
Quid hoc impudentius? exhorrescat cælum, contremiscat terra de Xti patien-

tia

tia & servi impudentia. *S. Chrysost:*

e Ad calumnias tacendum non est, non ut contradicendo nos ulciscamur, sed ne mendacio inoffensum cursum permittamus. *S. Basil: epl:* 65.
Fit per patientiam ut suâ amplius pænitentia reverberes verberantem. *S. Ambr: lib.* 5 *in Luc:* Sitis sine querela & simplices Filij DEI. *Philip:* 2. Quasi is qui se vindicare non posset puerili quodam loquebatur affectu. *S Ambrosius.*
Ubi non respondebat, sicut ovis silebat: ubi respondebat, sicut pastor docebat. *S. Augustinus.*

tibus illis erat [a] Petrus in medio eorum. *Ioan:* 18. 8. Stabant autē servi & ministri ad prunas quia frigus erat & calefaciebant se. *Mar:* 14. 66. Et cùm esset Petrus in atrio deorsum, venit una ex ancillis summi Sacerdotis. 67. Et cùm vidisset Petrum [b] calefacientē se, aspiciens eum, [c] ait: & tu cum IESV Nazareno eras. *Matth:* 26. 70. At ille [d] negavit coram omnibus, dicens: neq; scio quid dicis *Luc:* 22. 57. Mulier, [e] non novi illum. *Mar.* 14. 68. Neq; [f] scio, neque novi, quid dicas? & exivit foras ante atrium, & gallus cantavit. *Matt:* 26. 71. Exeunte autem illo januam, vidit eum alia ancilla, & ait his, qui erant ibi: & hic erat cum IESV Nazareno. *Luc:* 22. 58. Alius videns eum dixit: & tu de illis es? Petrus [g] verò ait: ô homo, non sum! *Matt:* 26. 72. Et iterū negavit cum [h] juramento, quia non

a Nocuit brevi etiam tempore inter improbos egisse. *Drex:* parag: de Petro.
Proh quàm facilè inhærent, vel optimis aulæ mores! vix ingressus in illam piscator est, illico & simulare didicit & mentiri.

b Corripere Ianitorem Regni sui DEUS oppositâ illi ostiariâ voluit, quæ solertiùs custodiret fores Palatij, quàm ille cæli.

Ideo igne indigens quia solē suum sequebatur à longè. *Aloys: Iugl: S. I.*
Frigus Petrum obgelaverat, non enim erat in atrijs domûs Domini, sed in atris Caiphæ. *S. Pasch:*

c Ut & iste sexus peccâsse in Domini necem videretur. *S. Ambro:* Ac si non posset dæmon Petri scelus & magistri necem urgere sine opera muliebri. *Velloso.*

d Ibi negat ubi veritas non est. *S. Pasch:* In domo Caiphæ, ubi potest valere mendacium. *Idem.*

e Planè non noverat hominem, deserere illum qui poterat.

f Ita sopitus, ut ne se quidem Galilæum jam sciret: adesse sibi tempus surgendi ante galliciniū non agnovit.
Non satis est confitentis IESUM involuta, sed aperta confessio: quid prodest verba involuere si videri vis denegâsse. *S. Ambros:*
Quâ machina Petrus de cælo in tanti criminis voraginem protractus? una periodus colloquij cum ancilla eum

deje-

dejecit: adeo sermonis præsentaneum virus est in morum exterminium. *Oliva. Strom:* 15.
Corrumpunt mores bonos colloquia prava. 1. *Cor:* 15.

g Planè non erat is, quem in horto viderant; ille cohortem contempserat, hic reformidat ancillam.

b Iuratus perfidiæ suæ testis. Ecce columna firmissima ad unius auræ impulsum tota contremuit. *S. August:* Ideo cecidit Petrus quia se staturum credidit: *& si omnes inquit ego nunquam scandalizabor.* Ita est non scandalizaberis sed scandalizabis. *Oliva. Strom: l.* 6.

novi hominem. *Luc:* 22. 59. Et intervallo facto quasi horæ unius, [a] alius quidam affirmabat dicens: verè & hic cum [b] illo erat, nam & Galilæus est. *Matth:* 26. 73. Accesserunt [c] qui stabant & dixerunt Petro: verè & tu ex illis es, nam & loquela tua manifestum te facit. *Ioan:* 18. 26. [d] Dicit ei unus ex servis Pontificis cognatus ejus, cujus abscidit Petrus auriculam: non ne ego te vidi in horto cum illo? 27. Iterum negavit Petrus. *Mar:* 14. 71. Ille autem cæpit anathematizare [e] & jurare quia nescio hominem illum, quem dicitis. *Matth:* 26. 74. Tunc cæpit detestari & jurare, quia non novisset [f] hominē, & continuò. *Luc:* 22. 60. Adhuc eo loquente [g] cantavit gallus. 61. Et

a Peccatum quod pænitentiâ non diluitur, ad aliud trahit mox suo pondere. *S. Gregor:*

b Quia negavit Xti Societatē utiq; se negavit. *S. Ambros:*

c En quò alij magis urgent, & affirmant, eo Petrus vehementiùs jurat & obstinatiùs agit. *Victor: Antioch:*
Unum peccatum gradus ad aliud est, sic fit ut ubi lapsi semel fuerimus in graviora deinceps labamur. *Novarinus.*

d Ter Petrus negavit Christum quia trina verborum formula de se præsumpserat primò. *Et si omnes &c. Matth:* 26. *v.* 33. *Tecum paratus sum &c. Luc.* 22. *v.* 33. *Etiamsi oportuerit me mori. &c.* Math: 26. Respondet trinæ præsumptioni trina negatio. *Idem.*

e Turpe est sese ut fide indignum accusare, & ad juramentū confugere. *S. Basil: in Ps:* 14.
Magnum igitur dogma hinc discimus, quia videlicet nullo modo hominis voluntas sufficit, nisi auxilio superiore roboretur. S. *Chrysost:*

f Nec jurat se eum tanquam Magistrum minime nosse sed neq; tanquam hominem; in peccato nempe perseverare dat incrementa scelerum. *Novarin:*

g Conjecit Christus oculos in Petrum, gallus cantavit, conversus est Petrus. Non respiciente Christo prædicator clamat in deserto: respiciente autem Xto, quamvis voces sint unius galli, convertitur Petrus. Ut Xtus convertat non sunt necessarij Baptistæ, celebres ve prædicatores seu graves rationes: bruti cujusdam animantis ad convertendum immutandumq; illum, qui ter negaverat, vox sufficit

ficit. *Viera. tomo 5to.*

B. Torellus Eremita cum adhuc adolescens lascivam vitam duceret: gallus aliquando ex fenestra in ejus humerum devolans ter cecinit: quâ re Torellus ad bonam frugem conversus sanctè deinceps vixit. *Bzovius ad Ann:* 1282. Sicut à phalangijs ictu medetur non qui peritissimè sed qui appositè ad laborantis affectum canit: *ita & peccator non disertissima concione sed quam DEVS magis attemperat convertitur. De Rubeis. Pro gallus cantavit, Origines habet:* postquam Angelus DEI clamavit ei, tunc recordatus est. Qui te à peccato excitat tanquam Angelus est tibi. *Sylveira.*

conversus Dominus [a] respexit Petrum, & [b] recordatus est Petrus verbi Domini sicut dixerat (*Mar:* 14. 72. Priusquàm gallus cantabit bis, ter me negabis) 62. Et [c] egressus foras Petrus [d] flevit amarè.

Mar: 14. 55. [e] Summi ergo Sacerdotes & omne concilium quærebant adversus IESVM testimonium, ut eum morti traderent, nec inveniebant. 56. [f] Multi enim testimonium falsum dicebant, adversus eum, & convenientia testimonia non erant. 57. Et quidam surgentes, falsum testimonium ferebant adversus eum, dicentes. 58.

a Respici & corrigi idem â Christo provenit. Vidit in te Dominus (*Petrum alloquitur S. Leo Serm: 9. de Pass:*) non fidem fictam, non dilectionem aversam, sed constantiam fuisse conturbatam.
Respexit Petrum non corporis sed pietatis intuitu eodem modo quo respexit humilitatem ancillæ suæ. *S. Laur: Iustin:*
Quamvis gallus cantâsset casum suum â se ipso non sensit, sed Magistri admonitione indiguit: cujus inspectio quasi vox quædam corripientis, auribus Petri insonuit. *S. Chrysost:*
O Bonitas! etiam cum negaretur non neglexit discipuli salutem. *Theophylactus.*
Petrus in mari (Matth: 14.) titubat, sed non labitur: & confessus in fluctibus, negavit in terris: Itaq; illic quasi devotus manu apprehenditur: hic quasi oblitus aspectu censorio convenitur. *S. Ambros:*
Et ligatus aspexit atq; aspectu opprobravit ei. *Theophylact.* Fieri non poterat ut in negationis tenebris permaneret, quem lux reip[...] x[...]rat mundi. *S. Hieron:* Respectus ejus, profectus tuus. *S. Bernard: Aspexit & dissolvit gentes* H. bac: 3. *S. Aug: legit.* Misertus est DEUs & fecit populos pænitentes *lib: 10. de Civit:* Respice Domine IESU ut sciamus nostrum deflere peccatum & lavare delictũ. *S. Ambros: in Luc:* Illis turbatum discipulum convenit oculis, quibus eum viderat esse turbandum. *S. Leo.*

b Pleriq: pænitentiam prætermittunt: quia divinorum verborum obliviscuntur. *Novarinus.*

Xtus Iudam septies tum suavibus tum comminatorijs verbis aggress9 erat tum

In triclinio tum in horto: Iudas tamen nec suavibus emollitus, nec penetrativis compunctus, nec compassivis contritus in sua obduratione perseveravit. Petrum semel respexit, & hic mox convertitur! tantùm refert à Xto respici. *Viera tom:* 1.

Respicit terram & facit eam tremere *Psalm:* 103. Non est sufficiens concionatoris vox, nisi adsit simul Xti in peccatorem respectus. *S. Gregor: Pap:*

c Egreditur foras occasionem peccandi fugit: hæc veræ pænitentiæ nota est; non horret peccatum, qui peccati periculum non devitat. *Novarinus.*

Exivit foras, exiverunt simul & lacrymæ: quia quousq; non exibat, in occasione & desiderio videndi persistebat, oculi verò dum vident, flere non possunt: videre & flere oculi sunt munia, sed simul exerceri non possunt nisi successivè; exivit ergo non ut fleret, sed ut flere posset. *Viera tom:* 1.

d Abundavit fletus, ubi non defecit affectus, & fons charitatis lavit verba formidinis. *Iuglares.*

Omnes negationes Petri fuerunt peccata lingvæ. Si lingva peccavit, cur oculi luunt! lingva potiùs erat damnanda silentio. Luant oculi, quia licet lingva pronunciavit; oculi in crimine præcesserunt. *Ingressus ut videret finem* licet igitur lingva fuerit negationis instrumentum, oculi puniuntur, qui dederunt ansam. Quare signanter dicitur *flevit amarè?* hoc adverbium non copiam lacrymarum, non doloris vehementiam significat: fletus enim oculis, amaritudo debetur linguæ: flebant oculi pro sua & lingvæ culpa, justum ergo erat, ut amaritudo transiret à lingva ad oculos. Soluit fletus curiositatem: amaritudo negationem. *Viera tomo* 1.

e Fatigantur in fingenda calumnia Infulati Pöetæ pravitatem ubi non inveniunt, supplent suâ. *Iuglares.*

Inquirebant testimonia ut zelo justitiæ puniretur, quem ipsi zelo invidiæ insectabantur, & justitiæ velamento invidiam animiq; crudelitatem palliare tentabant. *Simon de Cassia.*

Inter leges ipsas delinquitur, quis inter hæc subveniat? Patronus? sed prævaricatur? Iudex! sed sedet crimina vindicaturus. Et ut reus innocens pereat, fit nocens testis judex. S. Cyprianus.

f Testium numerus non fides attenditur. *Iugl;* Falsa testimonia tum locum habent quando cum colore aliquo proferuntur: adversus IESUM autem nec color inveniebatur, qui posset adjuvare mendacia: adeò munda fuit vita IESU. *Origenes*

Non invenerunt: non quia falsum non invenerunt; sed quia sic invenire non potuerunt, ut falsitas non videretur. *S. Paschasius.*

Iure conveniens non erat, quia dolus & fraus convenerunt. *Sim: de Cassia.*

Non bene conducti vendunt perjuria testes. *Ovidius.*

a Xtus dixerat Ioan: 2. v. 19. *Soluite templum hoc & in tribus diebus excitabo illud.* Quomodo falsi testes, si ea dicunt, quæ Dnus dixerat? sed falsus testis est, qui non

a Quoniam nos audivimus eum dicentem: Ego dissolvam templum hoc manufactum, & per triduum

eodem sensu dicta intelligit quo dicuntur: Dnus enim dixerat de templo corporis sui, sed & in ipsis verbis calumniantur & paucis additis vel mutatis quasi justam calumniam faciunt. *S. Hieronymus.*

aliud non manu factum ædificabo. 59. Et non erat conveniens testimonium illorum. 60. [a] Et exurgens summus Sacerdos in medium, interrogavit [b] IESVM dicens: non respondes quidquam ad ea, quæ tibi objiciuntur ab his? 61. [c] Ille autem tacebat, & nihil respondit.

Matth: 26. 63. Et Princeps Sacerdorum ait illi: [d] adjuro te per DEVM vivum, dicas nobis, si tu es Christus Filius DEI? dicit ei IESVS: tu dixisti: [e] verumtamen dico vobis, à modò videbitis filiũ hominis sedentem à dextris virtutis DEI & venientem in nubibus cæli. 65. Tunc Princeps Sacerdo-

a Surrexit ut ab omnibus conspiceretur, velut eximium aliquid facturus. Præ ira contineri solio non potuit. Præceps & impatiens iracundia vel pontificem contra gravitatis & dignitatis formam de solio excussit, tanquam pontificia sede indignus esset, cujus menti iracundia insideret. Sed sic Pontificem illum furor â sede submovet, ut interim vel invitus vel imprudens Xto DEI Filio ejusq; innocentiæ assurgat *Novarinus.*

Eusebius hæreticus Xtiq; abnegator cum in conciliabulo Tyri contra S. Athanasium judex sederet: S. Potamon E. M. liberè exclamavit Eusebi tu sedes! & Athanasius reus coram te stat! quis hoc ferat? vide Baron: ad An. 335.

b Malè interrogantib9 Rex sapiens non respondet, apud ineptos ac stolidos opportuniùs quidquam silentio non invenit. *Iugl:* Majus est liberè & fortiter silere: quam defendere se sine ullo profectu. *Origen:*

c Pari ibi periculo tacet, ac loquitur. *Iuglares.* Ne pontifice quidem urgente quidquam adversariis respondet. An quod responsione indigna erant quæ objiciebantur: An quia sciret quod omne responsum torquendum in calumniam esset: defensionem illi non quærebant sed occasionem carpendi ac calumniandi. Tandem tacuit ut sua taciturnitate Apologiam & excusationem Adæ absolveret. *Novarinus* ex S. Hier: Bene tacet, qui defensione non indiget. *S. Ambr:*

d Non adjurat ut fateatur utrum vera testentur: sciebat enim & videbat testimonia non congruere: recurrit ergo ad cardinem & originem controversiæ, cogendo ad fatendum palàm sit ne Filius DEI? si affirmaret, convicturus ut blasphemum: si negaret ut mendacem. *Sylveira.*

e Non vidit unde meliùs corrigeret humana judicia, quàm ingesta mentione Divini.

tum *a* Scidit vestimenta sua dicens: *b* blasphemavit; quid adhuc egemus testibus? ecce nunc audistis blasphemiam. *66.* Quid vobis videtur? at illi respondentes dixerunt: reus est mortis. *67.* Tunc exspuerunt in faciem ejus, & colaphis eum cæciderunt, alij autem palmas in faciem ejus dederunt, *68.* dicentes: *c* prophetiza nobis Christe, quis est, qui te percussit? *Luc: 22. 63.* Et viri, qui tenebant illum, illudebant ei cædentes. *64.* *d* Et velaverunt eum, & percutiebant faciem ejus; dicentes: prophetiza, quis est, qui te percussit? *65.* Et alia multa blasphemantes dicebant in eum. *66.* Et ut factus est dies, convenerunt seniores, & Principes Sacerdotum, & scribæ, & duxerunt illum in concilium suum dicentes: si tu es

a Indignum se probat vestibus illis, quas lacerat; detegit diloricatus cariosæ conscientiæ cicatrices. *Iugl:*
Mentitur Caiphas dolorem justum de læsa DEI majestate. *Velloso.*
Quem furor de solio excusserat, eadem rabies ad vestes scindendas provocat. *S. Hieron:*
Scindite corda vestra & non vestimenta vestra. *Ioël 2. n. 13.*
Nesciens quid hæc significaret insania, Sacerdotali se honore privavit. *S. Leo.*
Ipse te spolias & proprijs manibus vestimenta discerpis, oblitus præcepti illius *Levit 21. Cydarim de capite suo non deponet & vestimenta sua non disrumpet.* Tu vero â quo alienabatur hæc dignitas ipse tibi executor es opprobrij. *Idem.*
Pontifex sua vestimenta scidit, cum tunica Domini ne ab ipsis qui eum crucifixere, scinderetur. *Beda.*
Sæpe qui religiosiores videntur, majori urore Sancta & sacra prosequuntur & contemnunt. *Sylv:*
b Punitur blasphemiæ Sanctus Sanctorum. *Iugl:*
Blasphemos ignis de cælo absumpsit vide in vita S. Benitij: Olympius in Affrica sub Anastasio Imp: dum SS. Trinitatem in balneo blasphemat ignito iaculo cælitus veniente in cineres reductus. *Vincen: in spec: Hist:* alias pœnas blasphemorum vide apud Bagatam tomo 2 p. 64. n. 7. & 67. n. 5. & 387. n. 13. His omnibus lege talionis dignus erat, qui blasphemiæ Xtum insimulabat.
Adeò consputus apparuit quod quasi leprosus apparebat. *S. Anselmus.*
Quid his contumelijs potest exæquari? in faciem illam quam fluctus maris reveriti sunt quam sol in cruce videns radios suos occuluit; spuebant, cædebant abunde animos suos explentes. *S. Chrysost:*
Isti falsò fortes & veraciter languidi. sic irruunt in DEI fortitudinem sicut phreneticus in medicum. *S. Rupertus.* Conspuitur: qui sputo cæcum illuminârat: hi sputatores densis sputis Xm ferè, se omnino excæcant in mente. *Novarinus.*
Hæccine Petre facies quæ sicut sol in Thabor splenduit: certê oculis Patris non minus placet. *Idem.*

gravius ipse se condemnat, & cessante justitia judicatur. Quem enim alter judicat potest utcunq; esse excusabilis: reus autem sine excusatione est, qui conscientiæ suæ judicio condemnatur *S. Maxim: Turin: Ser: 2. de pas:*

f Confessio Iudæ nulla: quia pænitentia sera; quia coram ineptis ministris: quia sine præparatione: quia nõ integra. *Escobar.* Nil profuit Iudæ sera pænitẽtia, per quam scelus corrigere non potuit. *S. Hier: Melior filius prodigus qui Luc: 15. Surgam ibo ad Patrem meum & dicam.* Intellexit lapsum, sensit ruinam, jacere se respexit in lubrico: ideo ait surgam. *S. Chrysost:* Effectus hujus impræparationis Confessio *non integra.* Peccârat indigna sumptione corporis & sangvinis, id est anticipata traditione; item peccavit furto multiplici: & solũ dicit peccavi tradens &c. *Escobar:* *g* Stimulante conscientia proditionis pretium retulit, clamat *peccavi*: audiunt Principes & suam æque sacrilegam emptionem dissimulantes solum venditorem exagitant. Nihilne ad illos spectabat contractûs cum Iuda initi flagitium, inquo hic venditor, illi essent emptores? *Gobendoq* Professio audax atq; cæca emisse se Iusti sangvinem audiunt & extra judicij reatum futuros esse credunt: cum dicendo *tu videris:* facinus suum in vendente constituunt. *S. Hilarius. Quid ad nos?* Ecce quales Sacerdotes, qui nec suam nec pænitentis attendebant animam! eligendus est confessarius, qui tantùm de sui pænitentis quantûm de sua solicitus sit conscientia. Parum est doctum esse, timoratum: oportet esse insuper cordatum: ea est mentis humanæ pusillanimitas, ut etiam in tribunali Xti magnates tanquã magnates attendant. Philipp: II. Hisp: Rex in venatione extemporali venæ sectione indigebat: advocatur chirurgus ex pago: interrogatus à Rege sciretne cui venam esset secturus? Respondit: homini. Æstimavit rex responsum pro merito, eumq; in aulæ ministeriũ adlegit *Viera tom: 1.* Periculosum est humaniter & benevolè non excipere peccatores. *Novarin:* Censent Iudam peccâsse & inquiunt *tu videris:* peccatum suum non vident. Hæc impiorum cæcitas est, aliena crimina videre, ad sua oculos non habere. *Idem*
Apparenter namq; audacissimæ iniquitatis testantur se passione ferri, & nolle à perperã cæptis desistere ficto ignorantiæ velamine stultè se adoperientes. *S. Chrys:*

Et *a* projectis argenteis in templo, recessit, & abiens *b* laqueo se suspẽdit. 6. Principes autem Sacerdotum, acceptis argenteis dixerunt;

a Videre quanta vis Dominicæ pecuniæ quam inde Iudas rejicit: inde Pharisæi loculos non recludunt: justi enim sangvinis pretiũ pertimescit iniquitas possidere. *S. Maxim:* Quantũ ponderabat eos non projecit in sterquilinio, sed in templo. Nimirum talibus dijs templum suum devoverat. *Avaritia enim simulacrorum servitus est. ad Colos 3. v. 5. Drogo Ostiens:* Aurum Iudaicum populum (vide exod: 32. v. 4.) Sic captivavit aspectu, vicit illecebris & specie prædecepit, ut hoc esse DEUM crederent & DEUM verum. *S. Chrysol: S. 29.* Iure sacra loculos moriturus ponit in ara: Nam vivo loculi numinis instar erant. *de Bologne.*

b Ps. 22. Fiat mensa eorum in laqueum. David imprecatus mensam transire in laqueum: & Iudas unam in se mortem laqueo, alteram mensâ fuit executus: la-

deat iniquitatis torrenti se opponere aut in perendinum causam rejicere. *Oliva. tom: 3. con: 6.*

Matth: 27. 2. [a] Mane autem facto [b] consilium inierunt omnes principes Sacerdotum & seniores populi adversus IESVM, ut eum morti traderent. 2. [c] Et vinctum adduxerunt eum, & tradiderunt eum Pontio Pilato Præsidi. 3. [d] Tũc videns Iudas, qui eum tradidit, [e] quòd damnatus esset, pænitentiâ ductus, retulit triginta argenteos principibus Sacerdotum & Senioribus. 4. Dicens: [f] peccavi tradens sangvinem justum. At illi dixerunt: [g] quid ad nos tu videris? 5.

a Hoc mane vobis Iudæi templum & altaria diruit, legem & prophetas ademit; regnum & Sacerdotium sustulit, in luctum æternum omnia festa convertit *S. Leo. Serm: 3.*
Qui in tenebris & in nocte offendit veniâ dignus est, qui autem in die clara offendit nunquam potest culpare errorem sed incontinentiam suam. Xti quidem discipuli nocte scandalizantur & Petrus ante galli cantum ter negavit, qui autem consilium accipiunt contra IESUM, mane facto in lumine peccant id est scientes. *Origenes.*

b Consilium hoc sine consilio, Iudicium sine judicio fuit. Deum suum vovent furori victimam Sacerdotes. Sceleri ne desit authoritas, illud coacto consilio publicum faciunt.

c Puniuntur in illo virtutes, in quo crimina nequeunt. Non judicandus sed crucifigendus adducitur. *Iuglares.*
Innocentiam judici sistunt, vinctum adducunt, quem suis prius funibus vinxit charitas. *Novarinus.*

d Tam multis admonitionibus Christi nil flexus est Iudas. Cùm verô in ultimum jam effectum res venit, tunc pænitentiâ ducitur, neq; utiliter tunc & ut oportebat. *S. Chrysost:*
Diabolus non permittit homini (nisi vigilet) ante ultimum effectum peccati magnitudinem prævidere ne resiliat: postquam autem peccatum expletum est tunc videre permittit, ut mærore afficiat & in desperationẽ præcipitet. *S. Chrys:* Tam perversa impij confessio, ut etiam pænitendo peccaret. *S. Leo Serm:* 6. Ubi pænitentiæ festinavit ad portum, ibi incidit in æternum & sine reparatione naufragium. *S. Chrysost:* Pænitentia Iudæ non fuit vera, uti spe veniæ carens & desperabunda, qualem patitur mala conscientia torquens & remordens damnatos. *Idem.* Iniquitatem, quam in SS. omnium armaveras, caput in tuum retorsisti, (*Iudam alloquitur S. Leo. Serm:* 3.) ut quia facinus tuum omnem mensuram ultionis excesserat, te haberet impietas tua judicem, te pateretur tua pæna carnificem. Turpiùs pænitens, quàm peccâsset expertus faciliùs vendi Deum quàm redimi. In nullo magis injuriùs Præceptori, quam quod illi veniæ voluptatem invideret. e Videns Iudas, quòd ipsemet damnatus esset propter crimen traditionis. *Origenes.* Non Iudam damnat Pilatus, non populus. Sed quod est

gra-

gravius ipſe ſe condemnat, & ceſſante juſtitia judicatur. Quem enim alter judicat poteſt utcunq; eſſe excuſabilis: reus autem ſine excuſatione eſt, qui conſcientiæ ſuæ judicio condemnatur *S. Maxim: Turin: Ser: 2. de paſ:*

f Confeſſio Iudæ nulla: quia pænitentia ſera; quia coram ineptis miniſtris: quia ſine præparatione: quia nõ integra. *Eſcobar.* Nil profuit Iudæ ſera pænitẽtia, per quam ſcelus corrigere non potuit. *S. Hier: Melior filius prodigus qui Luc: 15. Surgam ibo ad Patrem meum & dicam.* Intellexit lapſum, ſenſit ruinam, jacere ſe reſpexit in lubrico; ideo ait ſurgam. *S. Chryſoſt:* Effectus hujus impræparationis Confeſſio *non integra.* Peccârat indigna ſumptione corporis & ſangvinis, id eſt anticipata traditione; item peccavit furto multiplici: & ſolũ dicit peccavi tradens &c. *Eſcobar:* *g* Stimulante conſcientia proditionis pretium retulit, clamat *peccavi:* audiunt Principes & ſuam æque ſacrilegam emptionem diſſimulantes ſolum venditorem exagitant. Nihilne ad illos ſpectabat contractûs cum Iuda initi flagitium, in quo hic venditor, illi eſſent emptores? *Grobendoq* Profeſſio audax atq; cæca emiſſe ſe Iuſti ſangvinem audiunt & extra judicij reatum futuros eſſe credunt: cum dicendo *tu videris:* facinus ſuum in vendente conſtituunt. *S. Hilarius. Quid ad nos?* Ecce quales Sacerdotes, qui nec ſuam nec pænitentis attendebant animam! eligendus eſt confeſſarius, qui tantùm de ſui pænitentis quantûm de ſua ſolicitus ſit conſcientia. Parum eſt doctum eſſe, timoratum: oportet eſſe inſuper cordatum: ea eſt mentis humanæ puſillanimitas, ut etiam in tribunali Xti magnates tanquã magnates attendant. Philipp: II. Hiſp: Rex in venatione extemporali venæ ſectione indigebat: advocatur chirurgus ex pago: interrogatus à Rege ſciretne cui venam eſſet ſecturus? Reſpondit: homini. Æſtimavit rex reſponſum pro merito, eumq; in aulæ miniſteriũ adlegit *Viera tom: 1.* Periculoſum eſt humaniter & benevolè non excipere peccatores. *Novarin:* Cenſent Iudam peccâſſe & inquiunt *tu videris:* peccatum ſuum non vident. Hæc impiorum cæcitas eſt, aliena crimina videre, ad ſua oculos non habere. *Idem*

Apparenter namq; audaciſſimæ iniquitatis teſtantur ſe paſſione ferri, & nolle à perperã cæptis deſiſtere ficto ignorantiæ velamine ſtultè ſe adoperientes. *S. Chryſ:*

Et [a] projectis argenteis in templo, receſſit, & abiens [b] laqueo ſe ſuſpẽdit. 6. Principes autem Sacerdotum, acceptis argenteis dixerunt:

a Videte quanta vis Dominicæ pecuniæ quam inde Iudas rejicit: inde Phariſæi loculos non recludunt: juſti enim ſangvinis pretiũ pertimeſcit iniquitas poſſidere. *S. Maxim:* Quantũ ponderabat eos non projecit in ſterquilinio, ſed in templo. Nimirum talibus dijs templum ſuum devoverat. *Avaritia enim ſimulacrorum ſervitus eſt. ad Colos 3. v. 5. Drogo Oſtiens:* Aurum Iudaicum populum (vide exod: 32. v. 4.) Sic captivavit aſpectu, vicit illecebris & ſpecie prædecepit, ut hoc eſſe DEUM crederent & DEUM verum. *S. Chryſol: S. 29.* Iure ſacra loculos moriturus ponit in ara: Nam vivo loculi numinis inſtar erant. *de Bologne.*

b Pſ. 22. *Fiat menſa eorum in laqueum.* David imprecatus menſam tranſire in laqueum: & Iudas unam in ſe mortem laqueo, alteram menſâ fuit executus: la-

queo; quia ſe ſuſpendit, **menſâ quia in peccato communicavit**: & corpus occidit & animam, ſed crudelior animæ quàm corporis latro & carnifex. Corpus enim ſuum mortis occidit inſtrumento laqueo: Animam verô inſtrumento vitæ, pane qui dat vitam. *Viera tom.* 2. Divitiæ ſtrangulant guttur mentis nec bonum deſiderium in cor intrare ſinunt. *Beda*. Laqueus diaboli d' vitiæ hìc Iudam Apoſtolum ſtrangulavit. *S. Ambroſius*. Ecce infelix qualiter excæcatus eſt, maluit ſeipſum perdere, quâm denarios perire: denarios templo, ſeipſum laqueo addixit. Amabat hæredes ſuos, qui eoſdem denarios exinde colligerent. Qui etiam nunc reſervant in ſuo corban. Iam diu erat quidem quod à Xto receſſerat, & avaritiæ laqueo ſe ſuſpenderat, ſed quod fecerat in occulto, tandem palam innotuit. *Drogo*. Projecit argentum: invenire quietem in pecunia non potuit, quæ ipſius tortor fuit, majorem anxietatem retenta quam acquiſita voluptatem afferendo. *Novarinus*. Perdidit Iudas animam ſuam non pro, ſed contra Chriſtum, ideoq; nunquam illam invenit.

[a] non licet eos mittere in corbonã:
quia pretium ſangvinis eſt. 7. Con-
ſilio autem inito, [b] emerunt ex il-
lis agrum figuli in ſepulturam pe-
regrinorum. 8. Propter hoc vocatꝰ
eſt ager ille [c] Haceldama, hoc eſt
ager ſangvinis uſq; in hodiernum
diem. 9. Tunc impletum eſt, quod
dictum eſt, per Ieremiam Prophe-
tam dicentem: & acceperunt tri-
ginta argenteos pretium appretia-
ti, quem appretiaverunt à filijs I-
ſraël, 10. Et dederunt eos in agrũ
figuli, ſicut conſtituit mihi Domi-

a Vere culicem liquant camelum glutiunt, pretium ſangvinis non licet recipere, & licuit ſangvinem innocentis effundere. *Novarinus*.
O abominanda & odioſa pecunia! quæ nec furto ablata, nec reſtituta, neq; in templo neq; in corbona locum habuit cum DEo! Et omnino ſic ſe habet. Si pecuniam furamini, perditis DEUM: ſi reſtituitis perditis pecuniam. Si vultis ſervire DEO: DEUS & pecunia eidẽ templo non congruunt: ſi Mammonæ: (*Vide Matth*: 6. *v*. 25.) DEUS & pecunia non conveniunt in eadem crumena. *Viera tom*: 2

b Peregrinis paravit tumulum, laqueum ſibi. *Iugl*:
Xti ſangvis pretium eſt quo requies comparatur ijs, qui in hac vita ſe habent, velut peregrini. *Novarinus*.
Providentiâ DEI factum puto: ut pretium ſalvatoris non peccatoribus ſumptũ præbeat, ſed peregrinis requiem ſubminiſtret. *S. Ambroſ*:
Vt jam exinde Xtus & vivos ſangvinis ſui paſſione redimat, & mortuos ſuſcipiat *S. Auguſt*:

c Nomen loco inditum omni clariùs tubâ ſceleratam eorum prædicat cædem, ſcilicet ager Haceldama jugis exſtat teſtis pœnitentiæ Iudæ, innocentiæ Chriſti & Chriſticidij Iudæorum. *S. Chryſoſt*:

nus: *Ioan:* 18. 28. [a] Adducunt ergo IESVM à Caipha in prætorium: Erat autem manè & ipsi non introierunt in [b] prætorium ut non contaminarentur sed ut manducarent pascha. 29. Exivit ergo Pilatꝰ ad eos foras & dixit: [c] quam accusationem affertis adversus hominẽ hunc? 30. Responderunt & dixerunt ei: si non esset [d] hic malefactor, non tibi tradidissemus eum. 31. Dixit ergo eis Pilatus: accipite eum vos, & secundùm legem vestram judicate eum. Dixerunt ei Iudæi: [e] nobis non licet interficere quemquam. 32. Vt sermo [f] IESV impleretur, quem dixit significans qua morte erat moriturus. 33. Introivit ergo iterum in prætorium Pilatus, & vocavit IESVM & dixit ei: [g] Tu es Rex Iudæorum? 34. Respondit IESVS: à temet ipso hoc dicis? an alij dixerunt tibi deme! 35. Respondit Pilatus: Nunquid ego Iudæus sum; gens tua & ponti-

a Multitudo venit ut quem ratione superare non poterant, saltem vincerent multitudine. *S. Bonav:* Offerebant IESUM duris nexibꝰ vinctũ & clamoribus prædamnatum, ut inter tot præjudicia quẽ omnes vellent perire non auderet Pilatus absolvere. *S. Leo Serm:* 8. Tam multos ante judices sistitur amoris reus, ut quô plures judices ferrent sententiam, & gravior DEO injuria fieret & justior in reum censura videretur quæ tam multis doctisq; placuisset. *Vellosо ex Salmerone.*

b O impia & stulta cæcitas! habitaculo videlicet contaminarentur alieno, & non contaminarentur scelere proprio. *S. August:*

c Ad profanum forum novo scelere causa sacra traducitur. *Iugl:* Tradiderunt Pilato ad interficiendum non ad inquirendum, at ille non tulit ut priusquam inquireret, occideret: ideo discere voluit quam accusationem &c. *Euth:*

d Quasi dicerent nos sumꝰ tantæ veritatis & justitiæ quod nobis deberet credi simplici verbo sine alia disquisitione. Et sic homines malitiosi se justificant. *Glossa.* Nos ejus factum diligenter examinavimus & invenimus dignum morte non oportet ampliùs examinare. *Lyran:*

e Contra se ipsos dicunt, quia interficiebant quem interficiendum offerebãt. *Theophyl:* Vos Romani abstulistis nobis jus gladij absolutè: nolumus ergo illud hoc uno casu usurpare, hoc verò dicebant, quia volebant Xm ut seditiosum & regni affectatorem ignominiosa morte plecti, quales Romani crucifigebant. *Corn: alapide*

f *Ego si exaltatus fuero: &c. Matth:* 20. *v.* 18.

g Rex iste non venit reges pugnando superare, sed moriendo mirabiliter subjugare. Venit ergo non ut pugnet vivus sed ut triumphet occisus. *S. Fulgent:*

fices tradiderunt te mihi, quid fe-
cisti? 36. Respondit IESVS: [a] re-
gnum meum non est de hoc mun-
do; si ex hoc mundo esset; regnum
meum, ministri mei utiq; decerta-
rent, ut non traderer Iudæis: nunc
autem regnum meum non est hinc,
37. Dixit itaq; ei Pilatus: ergo rex
es tu? respondit IESVS: tu dicis
quia rex sum ego. [b] Ego in hoc na-
tus sum, & ad hoc veni in mundũ,
ut testimonium perhibeam [c] veri-
tati: omnis qui est ex veritate, au-
dit vocem meam. 38. Dicit ei Pi-

a Hoc est credentes in me etiamsi sint in hoc mundo non sunt tamen de hoc mundo. *Glossa interl:* Non quod dominium creatarum rerum abjiceret, sed quia usum dissimularet. *Oliva. tom:* 1. *c.* 2. Dicentibus maleficum esse & quo arguerent non habentibus, tacuit tamen: & cùm de regno interrogatus est tunc locutus est ad Pilatum, erudiens eum & ad altiora erigens. *S. Chrysost:*
Promptior nempe Xtus ad contumelias suas quam laudes audiendas. *Sylveira.*
Erat Rex non talis qualis ab hominibus fit, sed talis ut homines reges faceret. *S. Aug:*
Tritum est illud Caroli Martelli avi Caroli M. qui oblato sibi Franciæ regno respondit nolle se Regem esse sed velle Regibus imperare. In his qui amorem mundi, DEI amori præponunt non dignatur divinitas sibi facere mansionem. *S. Cyprianus.*
Nolite timere Reges terræ, non impedio Dominationem vestram. *S. Aug:*

b Regiam Majestatem per concionandi dignitatem, quasi causam per effectum demonstrat; nempe qui Rex est natus, per prædicationem est testificatus. *Vinc: Gillib: t.* 1. *inp-In hoc natus sum* ut Rex sim: naturâ enim hoc habeo, & ex eo quod natus sum de Patre, nam istud ipsum de Rege natum esse, Regem me esse testatur. Et propterea veni in mundum ut istud ipsum dicam & doceam. *Theophylactus.*

c Monstrabo tibi cujus rei inopiâ laborent magna fastigia quid omnia possidentibus desit, scilicet illi qui verum dicant. Senec: l. 6. de benef: Diogenes sub hasta positus cum rogaretur quo titulo vellet prædicari, isq; responderet se scire imperare liberis. Ubi vidisset quendam bene cultum præterire, huic inquit me vende nam is eget Domino. Veritatem Domini quæ est ipse eme pretio corporis, vel boni operis vel eleemosynarum: nec est timenda simonia si pro hoc spirituali datur temporale. *Hugo carensis.* Hic semel ingressa est incarnata veritas in prætorium Pilati quasi diceret. *Eme me quia indiget Domina* expandens lucem suam *Ego veni &c.* Tunc ille pulchritudine divinæ lucis illectas, judicis munus in Philosophum commutans *Quid est veritas?* sed quia pretium non muneravit, non obtinuit. Imo cum hoc dixisset iterum exivit ad Iudæos. *Vinc: Gillibert: tom.* 1. *inpt:* Eodem tempore fuit IESUS vir sapiens (si tamen eum virum fas est dicere) erat enim mirabilium patrator & doctor eorum qui libenter vera suscipiunt Ioseph Iudæus 18 Antiquitt. cap: 4.
Qui ex veritate: opponuntur ijs *qui sunt ex contradictione* ad Rom: 2. *Corn: alapide*

latus: [a] quid eſt veritas! & cùm hoc dixiſſet, [b] iterum exivit ad Iudæos, & dicit eis: ego nullam invenio in eo cauſam.

Luc: 23. 2. Cæperunt autem illum accuſare, dicentes: [c] Hunc invenimus ſubvertentem gentem noſtram, & prohibentem [d] tributa dare Cæſari, & dicentem ſe Chriſtũ regem eſſe. 3. Pilatus autem inter-

a Quid eſt veritas. *Anagramma* eſt vir qui ad eſt.
Quid eſt veritas! interrogat, eò quod ſibi videretur audire idioma quoddam novum & in aulis inauditum. *Ioſeph: Manſ: tom:* 3. *p.* 252.
Interrogat quid ſit? fermè enim inter homines abolita erat & ignorabatur ab hominibus. *Theophylactus.*
Quid eſt veritas! nempe hic judex erat, negotia cauſaſq; litigantium ſolvebat. *S. Hieron:*
Invenit malus diſcipulus, qui veritatis ne definitionem quidem audierat, optimum Præceptorem: cujus tamen interrogatione contentus non ſuſtinuit expectare reſponſum. Ut pote qui more multorum videri vellet veritatis avidus: cùm non eſſet. *Iugl:*
Pulchrior eſt incomparabiliter veritas Xtianorum, quam Helena græcorum: pro iſta enim fortius noſtri Martyres adverſus ſodomam, quàm pro illa Heroes adverſus Troiam dimicaverunt. *S. Aug.* Quid eſt veritas? Ego ſum via veritas & vita. *Ioan:* 14. Eſt præſtantiſſimum bonum. *S. Baſil:* Unum non multa ſecundùm naturam, verum quippe unum eſt, mendacium autem multiplex. *S. Dionyſ:* Facultas res obumbratas in lucem producens *Philo* Omnium rerum fortiſſima eſt veritas. *S. Nazianz: de hoc vide* 3. *Eſdr: c.* 4. Zorobabel id eſt doctor Babylonis Xtum figurabat cum in Babylone de veritate diſputaret. Babylon prætorium imo pectus Pilati, in quo juſtitia & iniquitas, verum & falſum confuſa tumultuantur: Xtus hanc Babylonem docet veritatem ſed illo demum proventu *Curavimus Babylonem* (Ierem: 51.) *& non eſt ſanata, derelinquamus ergo eam. Neotericus.* Cæli civis eſt veritas & ſola fruitur convictu deorum. *Menander.* Veritas quidem omnibus innata eſſe debet, principum tamen, præcipuum ornamentum: adeo ut ad fidem faciendam tantùm habeat unum princ pis verbum quantum privatorum jus jurandum. *Dicebat Alphonſus Rex Arragonum. Vide plura Corn: alap: in Ioan: hic.*

b Non expectabat ejus reſponſum quia fuit indignus audire. *Alcuinus.* Meritò reverberata acie protinus reſiluit, & reſponſum non ſubſiſtendo egreſſus eſt ad Iudæos, qui ambulare cæpit in magnis & in mirabilibus ſuper ſe quid eſſet veritas percontatus. *S. Bernardus.* Miſſus Pilatus eſt in Iudæum vir improbus atq; in exiguo ponens mendacium. *Egeſipp: hiſt: l.* 2. *c.* 5. Scire cupiens interrogat, ſciens autem quod mora opus eſſet ad quæſtionem, ſubſiſtit ab interrogatione confeſtim egreſſus. *Euthymius.* Fecit quæſtionem non expectavit ſolutionem: ſic multi tranſitorio favore converſi ad DEUM vera bona deſiderare incipiunt, ſed eâdem mutabilitate iterum ad tranſitoria effuſi affectu, in mentis propoſito non perſiſtunt. *Hugo Victor:* Mirum quod tam cito transferimini ab eo qui vos vocavit &c. *ad Galat;* 1. Quid hoc eſt ruris in viro nobili? quærit

de ve-

de veritate & suspenso responso Magistrum fugit? metus Pilato erat ne doleret, si Magister veri naturam explicaret, ac proinde suum fuga dolorem redemit. *Velloso.*

c Ah lingvæ non tantùm sacrilegæ ob proditionis perfidiam: sed indignæ venia ob immanem simulationem & fictionem &c. *Oliva tom: 2. Conc: parag:* 416. *Vbi hoc vitium exagitat.*

d Nisi à blasphemijs causam traduxissent ad tributa, in judicatus abscessisset IESUS è cancellis prætorij. Usq; adeò iniqvum est regni templiq; jura confundere. *Oliva in Strom:*

rogavit eum dicens: tu es Rex Iudæorum? [a] at ille respondens ait. tu dicis. 4. Ait autem Pilatus ad Principes Sacerdotum & turbas: [b] nihil invenio causæ in hoc homine. 5. At illi [c] invalescebant dicentes: [d] commovet populum, docens per universam Iudæã incipiens à Galilæa usq; huc. 6. Pilatus autem audiens Galilæam, interrogavit si homo Galilæus esset. 7. Et ut cognovit quòd de Herodis potestate esset; remisit eum ad Herodem, qui & ipse Ierosolymis erat illis diebus. 8. [e] Herodes autem viso IESV, gavisus est valde: [f] erat enim cupiens ex multo tempore videre eum; eo,quòd audierat multa de eo,

a Accersitus de Regno non negavit crimini fidem, quod probabile faceret insita vultui Divino Majestas. *Iugl:*
Certè fulgor ipse & Majestas divinitatis occultæ etiam in humana facie relucebat. *S. Hieron:*

b Hoc est quod IESUS de se dixerat pridie *Venit princeps hujus mundi & in me non habet quidquam. Glossa.*

c Maligni quærunt obtinere per clamorem, quòd non possunt per rationem. *Glossa.*

d Non illum sed se accusant docuisse enim populum & à pristina torporis ignavia commovisse, taliq; actu Iudæam pertransisse non criminis sed indicium est virtutis. *Glossa.*
Oneratum tanta rei gravitate se sentiens, molestiam hanc Inimicum in Herodem exonerat adeô apud magnates, ipsa plerumq; officia vindictæ sunt. *Aloys: Iugl: S. I.*

e Non putatur gaudium tanti esse nisi DEI in se habeat injuriam. *Salvianus.* Gavisus non propter devotionem sed propter curiositatem. *Glossa.*

f Si videre Herodes avet & audire, cur misso puero magistrum non evocat: an timet ne Xtus venire negligat! quod si timet? quare non adit,ut quæ Magister docet, auditor excipiat. *Velloso.* Ad illum videndum exire designabatur. *Salmeron.* Evincit sua ignavia Herodes Principes aut rarò aut serò veri auditores esse. *Velloso.* Perspicuum est Christi prædicationem reges mundi audire novissimos. *S. Hieron: ad Ionæ. c. 3. v. 5.*

& ſperabat ſignum aliquod videre ab eo fieri. 9. [a] Interrogabat autem eum multis ſermonibus; at ipſe nihil reſpondebat. 10. Stabant autem Principes Sacerdotum & ſcribæ conſtanter accuſantes eum. 11. Sprevit autem illum Herodes cum exercitu ſuo, & illuſit [b] indutum veſte alba & remiſit ad Pilatum. 12. [c] Et facti ſunt amici Herodes & Pilatus, in ipſa die, nam antea inimici erant ad invicem. 13. Pilatus autem convocatis principibus Sacerdotum & Magiſtratib9 & plebe, 14. Dixit ad illos: obtuliſtis mihi hunc hominem, quaſi avertentem populum, [d] & ecce ego coram vobis interrogans nullã cauſam invenio in homine iſto, in his, in

a Quia vidit Xtus Herodem nõ quærere profectum, ſed ſigna vel ſcientiam velle mirari, requiſit9 ab eo tacuit. *S. Greg:* Sciens eum ſignum velle non utilitatis ſed oblectationis causâ. *Euthym:* Noluit coram Herode concionari & miracula patrare quia ſi id feciſſet, omnino eum liberâſſet. *Dion: Carth:* Nihil reſpondit quando quidem illuſor erat. *Theophyl:* Neq; decebat ut cæleſtia ſigna coram eo ederet, qui præſtigijs ſpectandis, quam divinæ virtutis miraculis addictior erat. *Titus Boſtr:* Nec Herodes merebatur videre divina: & Dnus jactantiam declinabat. *S. Ambr:* Vt exemplum nobis præberet oſtentationis coram magnatibus, vitandæ. *Dionyſ: Carth:*

Lupum quia viderat Agnus, tacet. Non habes quod majus objicias DEO miſero, verbo muto. *Iugl:*

b Illuſit planè Herodes Chriſtum in eo vel maximè, quòd cùm illi vocem, Ioannem videlicet, ademiſſet, adhuc ab eo reſponſum exigeret. *Iugl:* Apud hoc hominum genus citius gloriam refert funambulus quidam aut præſtigiator, quam ſincerus Evangelicæ veritatis evulgator. *Eſcobar.* Putavit eſſe hominem loquacem coram vulgo & indoctas turbas eum ſequi, propterea ſprevit illum. *Caietan.* Elegit apertè à ſuperbientibus deſpici, quam à non credentibus vacua voce laudari. *S. Gregor:* Ecce quem vulpes illa malitioſa deſideraverat, ſprevit, quem videre cupiebat, illuſit. *S. Petr. Dam:* In Domino non Spirituale aliquid ſed tantùm temporale quæſivit: quid mirum, quod conſecutus ſpreverit: bona enim temporalia dum habentur in faſtidium abeunt. *Sylveira.*

c Non otioſum quòd veſte alba induitur ab Herode immaculatæ tribuens indicia paſſionis: quòd Agnus DEI ſine macula cum gloria mundi peccata ſuſciperet. *S. Ambr:* In veſte alba ſpretus, in caſta carne eſt paſſus. *Beda.* Angelus DEI in teſtimonium innocentiæ veſte alba induitur: eadem de ſtultitia damnatur, & valde glorioſum eſt ab iniquiſſimo ſtultitiæ damnari. &c. *Sylveira.* Veſtis alba erat ambientium magiſtratum, hinc candidati: Principum & morionum. Notat ergo Herodes hac veſte Xm affectâſſe principatum ſed ex fatuitate. Myſticè ſignificat Xti innocentiam, victoriam, gloriam, immortalitatem. *P. Matth: Paris.*

Impi-

d **Impios qui veræ amicitiæ capaces non ſunt, ſolius conciliat improbitatis affinitas.** *Iugl:* Vide quam diſcrepantia congreget diabolus, ſolum ut Xto mortem præparet: in unam enim conſpirationem copulat & conciliat inimicos. *Theophyl:* O novum livoris effectum! tam tenaciter novit diffidentia conglutinare: tam firmiter diſſociata connectere, ut jure pacifici nomen ei tribuendum foret in octonario Beatitudinum: niſi pax iſta ad infelicitatem & internecionem non ad beatitudinem traheret. *Vinc: Gillibert:* Decebat eum qui mundum pacificaturus erat, ut prius ipſos ſuos judices pacificaret. *S. Cyrill: Ieruſ:* F ciens utraq; unum duos ex diverſo parietes in ſe copulare cæpit. *S. Auguſt: Herodes Iudæos, Gentiles Pilatus ſignificabant.* Hoc nefandiſſimum Herodis & Pilati fœdus quod in occidendo Xto pepigerunt, hactenus eorum velut Hæreditario jure ſucceſſores cuſtodiunt: cum Iudæi & gentiles in Xtianis perſequendis conſentiunt. *Beda.*

e Æſtuabat Proconſul inter innocentiam accuſati & rabiem calumniantium, inde deſiderans non adhærere accuſantium iniquitati & agnum innoxium non objicere Leonum lanienæ, inde autem popularem auram conſequi cupiens & primatum gratiam, ſuſcepit conſilium in ſpeciem manſvetum ſed ipſa re crudeliſſimum: Columnam poſuit ad quam Xtus nec dimiſſus nec necatus laceraretur verberibus. *Emendatum ergo &c.* Conſequentia peſſima & Tartarea deformitas mediæ conditionis. Quæ nunquam non eſt noverca: decretorum in ſpeciem æquorum mater & pernicioſorum conſiliorum: ubi agitur de inflectenda juſtitia ſeu civili inter litigantes, ſeu capitali inter reos innoxios & calumniatores violentos. Oliva. Conc: *tom:* 2. *parag:* 358. *ubi recenſet quæ abſurda ex medio hoc ab Herode adinuento fluxerint nempe tormenta intermedia ante crucem.*

quibus eum accuſaſtis. 15. Sed neq; Herodes: nam remiſi vos ad illum, & ecce nihil dignum morte actum eſt ei. 16. [a] Emendatum ergo illum dimittam. *Mar:* 15. 3. Et accuſabant eum ſummi Sacerdotum in multis. 4. Pilatus autem rurſus interrogavit eum, dicens: non reſpõdes quidquam? [b] vide in quantis te accuſánt. 5. IESVS autem amplius nihil [c] reſpondit, ita, ut miraretur

a Quem occidi ſatis ſuperq; fuiſſet concidit primum Pilatus, tum ſpinis coronatum crucifixit, ecquando tantûm, vel ſomniavit ſcribarum livor probrorum dolorumq;: impetravit quod non poſcerat, in Dnum ſupplicia faſtu principum præferox. Adeo tetrior ſæviorq; livore pietas eſt: niſi ſtatim invidorum poſtulata reſcindat in limine. *Idem in ſtrom:*

b Vide Matth: habet *Non audis &c.* 27. v. 13. Non audiebat Xtus quia tanquam non audiviſſet audiebat. Xtus Dnus illa die pro peccatis noſtris quæ ſua fecerat, ſatis facturus erat, & qui Deo pro peccatis, vult ſatisfacere, non habet aures quid homines contra ſe loqvantur. Pſal: 37. v. 14. *Ego tanquam ſurdus.* Dicant homines judices, condemnent quantumcunq; & quodcunq; velint, qui de ſatisfaciendo pro peccatis tractat ſerio idq; agit ut â DEO judicetur bene, hominum judicium flocci facit. *Viera tom:* 5.

For-

c Fortius multo respondisse visus est qui immerito accusatus responsum non reddit: silentio refutans accusationem indignissimam. *Velloso.* Taceat lingva necesse est, ubi ipsa veritas sibi adest: scivit enim salvator quomodo tacendo vinceret &c. *S. Aug:* Contumeliam iratus intulit: vince & amove silentio malum, certè si despexeris, acrius illum vindicas. *S. Basil:* Fatigetur improbitas patientiâ tuâ plus improbum illum cædis sustinendo. *Tertul:* Vocem suam hoc silentium habet ad patientiam animiq; perferendis calumnijs fortitudinem alte inhortatur. *Novar:* Pleriq; secus fecissent, ubi major liberationis spes ibi magis ac solicitius se excusassent. *Idem.* Plerumq; in modesta taciturnitate magis elucescit innocentia quam in elaborata excusatione: & à crimine falso objecto magis se purgat qui humiliter se non purgat. *Idem.* Hanc taciturnitatem præsagit Ieremias. *Dabit insepulturam os suum* Thr: 3. Tanquam sepeliat os proprium ne loquatur, & velut quodam aggere virtutem obstruat, ne vocem doloris remittat. Ac vocem ipsam veluti busto quodam ac tumulo sepeliat, quã nulla possit excitare injuria. *S. August:*

Pilatus. 6. [a] Per diem autem festum solebat dimittere illis unũ ex vinctis, quemcunq; petiissent. *Matth:* 27. 16. Habebat autem tunc vinctum insignem, qui dicebatur [b] Barabbas. *Mar:* 15. 7. Qui cum seditiosis erat vinctus, qui in seditione fecerat homicidium. 8. Et cùm ascendisset turba, [c] cæpit rogare sicut semper faciebat illis. 9. Pilatus autem respondit eis, & dixit: vultis dimittam [d] vobis regem Iudæorum? 10. Sciebat enim quod per invidiam tradidissent eum summi Sacerdotes. 11. Pontifices autem

a Romanorum jugum noviter Iudæi susceperant: servabatur eis lex & consvetudo ut beneficijs provocati libentius servirent. *S. Paschasius*
Ubi primus dies Paschalis extiterit, nullum teneat carcer inclusũ, omnium vincula dissolvantur: sed ab his secernimus eos â quibus contaminari potiùs gaudia lætitiamq; communem si dimittantur animadvertimus: ut sunt sacrilegi, *adulteri effractores, homicidæ &c. Cod: Iust: l.* 1. *tit:* 4. In quæstionibus latronum & maxime Isaurorum nec Paschæ venerabilem diem existimamus excipiendum. Cum facillimè in hoc summi numinis speretur venia, per quod multorum salus procuratur. *Cocl: just: lib.* 3. *tit:* 12.

b Barabbas ex Hebræo Filius Patris sed cujus? certè illius vos ex Patre diabolo Ioan: 8. *DEUS Pater hic proponebat IESUM hic est Filius meus: & diabolus Barabbam hic est filius meus, ut in suo Paradyso sponsi pingit P. Ioan: David.* S Hieronymus. *Idem nomen Barabbæ explicat Filius magistri eorum.* Hic duo hirci adsunt (*alluditur ad Levit:* 16.) Unus apopompeos id est emissarius cum peccato populi indesertum inferni absolutus dimittitur: alter pro peccatis absolutorum ut agnus occiditur. Pars Domini semper mactatur. Pars diaboli qui est Magister eorum (quod sonat Barabbas) vivit, sed effrenata in tartarum præcipi-

cipitatur. *S. Hieronym:*

c Moris erat ut in festo Paschæ quotannis populus condemnatum aliquem à Principe peteret quem solemnitatis gratia Princeps condonaret Nunc contra, Princeps ipse à populo petit, neq; tamen sic mitigantur. Dificilè qui invidiæ laborat morbo ab incæptis revocari potest ad meliorem mentem. *Novarin:*

d Magis flagitiosum proponit eis ut eum petere erubescant. *Hug: Car:* Ut si principes propter invidiam volebant eum perdere, populus qui expertus erat ejus multiplicia beneficia peteret eum vivere. *Drutmarus.*

a Diligebant enim sui similem *Theophyl:*

b In nativitate mundi uxor duxit virum ad mortem, in passione Xti, uxor provocat ad salutem. *S. August:*

Pilato vigilanti non audent consilia præclara se sistere ad illum non nisi per uxoris somnia veniunt. *Iugl:*

Terretur hæc visis, magis tamen ille auditis. *Idem*

c In palatijs degentium conditio est, ut ab illis patrocinium nõ extorqueatur nisi terroribus ac tormentis. Qui ergo miser ab aulicis aliquid sperat, oret Deum ut illis aliquem inferat terrorem tunc enim solum sapiunt miseris patrocinari. *Sylveira ex Bàéza.*

d Subit mortis sententiã Xtus, & statim Barabbas absoluitur: in ipso protinus initio condemnationis crux liberationem largitur. *S. Athanas:*

Insontis merita oppositis Barabbæ sceleribus juvat, non feliciori consilio, quàm eventu. In eo plurimum injurius causæ tam bonæ, quod eam nisi compositam pessimæ, videri veniâ dignam non crederet. *Iugl:*

Condemnationis ingressus, liberationis condemnatorum quidam ingressus fuit. *S. Athanas:* Hæret Iudæis usq; hodie sua petitio quàm tanto labore impetrârunt. *Beda.* Iudæi reprobos mores Barabbæ diligentes virtutem persecuti sunt. *S. Athanasius.*

e Qui omnes dixit, neminem excludit: non soli aut carnifices arte infames, aut soli milites armorum usu in licentiam effusi, aut plebs sola facilis flecti ad crudelitatem: fuerunt Sacerdotes opulenti, purpurâ, authoritate pollentes, doctores magni nominis. &c. *Oliva.*

concitaverunt turbam ut magis [a] Barabbam dimitteret eis.

Matth: 27. 19. Sedente autem illo pro tribunali misit [b] ad eum uxor ejus dicens: nil tibi & justo illi: [c] multa enim passa sum hodie per visum propter eum. 20. Principes autem Sacerdotum & Seniores persvaserunt populis ut peterẽt [d] Barabbam, IESVM autem perderent. 21. Respondens autem præses ait illis: quem vultis vobis de duobus dimitti? at illi dixerunt: Barabbam. 22. Dicit illis Pilatus: quid igitur faciam de IESV, qui dicitur Christus? 23. Dicunt omnes: [e] crucifigatur: ait illis præses: quid enim mali fecit? at illi

magis

magis [a] clamabant dicentes: crucifigatur. *Mar:* 15. 15. Pilatus autẽ volens populo satisfacere. *Luc:* 23. 24. [b] Adjudicavit fieri petitionem eorum. 25. [c] Dimisit autem eum, qui propter homicidium & seditionem missus fuerat in carcerem, quem petebant, IESVM verò tradidit [d] voluntati eorum.

Ioan: 19. 1. [e] Tunc ergo apprehendit Pilatus IESVM & flagellavit.

Matth: 27. 77. Tunc [f] milites præsidis suscipientes IESVM in prætorium congregaverunt ad eum universam cohortem. 28. Et exu-

a Nullam causam inveniebat Pilatus; scribæ autem clamabant crucifigatur. Xtus habebat pro se rationem: contra se clamores, & hi prævaluerunt. ratio nihil valebat ad liberandum, clamores sufficiebant ad crucifigendum. Et quia clamores in mundo prævalent, bonum est aliquando clamare Prædicatores. &c. *Viera tom:* 5.

b Quibus muneribus ab æquitate deflexus! nullis. Quâ territus seditione quove armorum apparatu deiectus ê sede justitiæ in cænum oppressionis? nullo. Oratione detractus de solio suo: num longa? quis Demosthenes pertonuit! quot clepsydris de sua sententia dimovit! una & quidem manca periodo, decem vix verbis perstrepentis turbæ. *Oliva in strom:*

c Ipsa est infelicitas hominum hic dimittuntur, & ipsa peccata secum portant & supplicij thesauros *inveniunt. S. Augustin.*

d Suam explevit voluntatem Iudas, suam Caiphas, suam executus Pilatus; suam consecuti scribæ & Pharisæi, suam deniq; implevit incentor & instigator omnium diabolus: Et mediantibus tot voluntatibus, omnibus divinæ contrarijs, Providentia Divina finem suum consecuta est. Quantô plus contrariorum providentia permittit, tantô magis est providentiæ, quantô magis concedit humanæ, tantô magis Divina. *Viera tom: 4to.* Quid fuit causa mortis Illius Innocentiæ & solidissimæ sanctitatis! hoc verbum *volo*. Mors redemptoris per hoc verbum volo in opus redacta fuit. *Tradidit voluntati.* Propria voluntas in nobis omnis vitij & cujusvis culpæ semen existit. *Ioseph Mans: conc: t.* 3. Quis tyrannus crudelior! quæ sævior homini potestas quâm hominis ipsius voluntas. *S. Petr: Dam:*

e Præses innocentiæ patrocinium suscipiens, ut plebis efferatos animos emolliat, remedium malorum, sed malis omnibus pejus aggreditur; utq; commodius misericordiam reo conciliet; planè miserabilem facit. Obligari jubet ad columnam, nudum & suâ tantùm modestiâ coopertum. *Lyræus.* Non mitior lictoribus Iudex est, qui vel in ipsa crudelis clementia, hoc unum punit in reo, quod nullam in eo causam invenerit. In foro nequitiæ fuit semper innocentia summum crimen. *Iugl:*

f Perierat illi plurimum de laude patientiæ, nisi quæ armatis licent, tolerâsset, duriores illos expertus est ferro suo.

entes eum, [a] chlamydem coccineam circumdederunt ei. 29. Et plectentes [b] coronam de ſpinis poſuerunt ſuper caput ejus, [c] & arundinem in dextera ejus, & genu flexo [d] ante eum illudebant ei, dicentes: Ave Rex Iudæorum. 30. Et exſpu-

a Sub ludicro palliaſtro Rex verus, quod nullus tibi invideat regnum ambis. Offendit in latrones vel ipſo prætoris in atrio viator DEUS. *Iugl:* Luc: 10. *De homine qui incidit in latrones eundo in Hiericho.* Non defuit purpura veſtis irriſoriæ, quamvis ipſe veſtẽ corporis ſui, ſangvinis pretioſiſſimi effuſione multo nobilius purpuravit. Purpura enim non plus quam bis tingitur, ipſe verò purpuram corporis ſui etiam tertio ſangvineo torrente pertinxit. *S. Bernard:*
Ex quo Rex purpuram ferre cæpit; omnes ejus milites togulis purpurea ſigna appoſuêre, ut ex his appareat Regios eſſe, & Regi militare, ſic & nos purpureum ſignum pro amictu noſtro ſumpſimus, ut appareat commilitare nos Xto: & quòd tot illius gratiâ perferre debemus quot ille noſtri gratiâ pertulit. *S. Doroth: de abr: l.* 1. Tunicam hanc Moſes induit infectam ſangvine, quoniam tota vita Remp: adminiſtrantis contaminatur: dum bellum aut infertur, aut propulſatur, infeſtantibus ſubinde alijs atq; alijs caſibus. *Philo Hebr:* A cane dum conchylia Tyrio in littore vorat, oraq; ſibi colore mirabili tingit, purpuræ uſum hominibus oſtenſum ait Caſſiodorus. *l.* 1. *ep:* 2.

Sangvine de noſtros tinctas ingrate lacernas
Induis, & non eſt hoc ſatis, eſca ſumus. *Purpura apud Martialem.*
Sacrilegij eſt reatus, negligentiam in tali veſte peccare. *Caſſiod:*

b In regno patientiæ non aliud coronat quàm quod cruciat. *Iugl:* Tali diademate redimitur qui mundum redimit. Corona ſignum lætitiæ eſt Eccli 1. *Corona exultationis* Coronari vult Xtus, ut appareat quàm lætus patiatur mortiq; occurrat. Peccata noſtra ſpinæ fuerunt, quibus contexta hæc corona eſt: quia nos roſas floreſq; quærimus quibus coronemur: quia delicias ſectamur, Xtus ſpinis coronatur. *Novarin.* Moris fuit antiquis turpes fornices; amantes & amentes affectu juvenes floribus coronari. *Tertul: de coron: c.* 13. *& Cerda inibi.* Veteris deſcenſus initium inſtaurans ac de integro velut in ſummam redigens, ut oſtenderet eſſe omnia unius potentiæ *Clemens Alex: 2. pæd: c.* 8. Dum Xtus ſpinis pungitur, eam ſibi ineſſe virtutem probat, quam de rubo oſtentavit neq; enim minor eſt virtus pati quàm agere. *Velloſo* Hoc ſignum eſt rei a Dno bene geſtæ *Clem: Alex:* Spineâ corona ut victor redimitus eſt. *S. Iſid: Peluſ:* Abſtulit crucis virtus omnes crucis aculeos in dominici capitis tolerantia obtundens. *Tertull:* Cur manus in ſentes non injicio Xto duce! nihil jam pungit ſpina quæ flores parit. *Velloſo.* Carolo M. pars ſpineæ Xti coronæ obtigit, & hæc in flores erupit. *Brito l. 6. hiſt: Ciſt:* Non ineptè ſcripſit Pilatus in titulo. *Nazarenꝰ.* quod ex Hebræo ſignif: floridus, quaſi natos de ſpinis flores probaret. *Velloſo. Spinas & tribulos germinabit tibi.* Gen: 3. Ne tamen vepres lædant graviter, ſuo Xtus cerebro ſtimulos geſtat, emollit aculeos; ſuo dolore DEUS hominum dolores mulcet & ſanat. *Idem.* Corda intricata velut ſpinæ dura velut petræ audite verbum Dni; ſumite exemplum ab ipſis ſpinis & petris. Iſtæ ſpinæ & pe-

træ modo resistunt seminatori cœlesti: sed veniet tempus quo & petræ illi acclamabunt: & spinæ ipsum coronabunt. *Viera t.* 1. Corona dicitur circumstans in orbem populus: nam corona spinea id declarat fore, ut divinam sibi plebem de nocentibus congreget: nos autem qui ante cognitionem DEI fuimus spinæ, id est injusti, mali, & nocentes eramus: electi verò ex dumis & sentibus, Sanctum DEI caput cingimus: quia convocati ab ipso & circumfusi undiq; ad eum Magistro & doctori assistimus. *Lactantius*. Videte FF. ne spinas quas Dno Iudæi cruentis manibus imposuerunt nos iniquis sensibus imponamus & compungamus eum non asperitate sentium sed operum pravitate. *S. Ambr:* Retribuunt monstriferi pro beneficio maleficium, pro throno lignum, pro regno crucem, pro dono damnum, pro unctione compunctionem, pro vita mortem, & pro coronis rosarum, coronam spinarum: *Fecit DEO nostro Reges*. Apoc: 1. v. 6. *Qui coronat te in misericordia & miserationibus Ps:* 102. Quis expectaret ex coronis catenas, ex floribus spinas? malignantium hæc conventus protulit *Coronemus nos rosis*. Sap: 2. quid deinde? *Circumveniamus ergo justum*. Ecce ex teneris rosarum folijs spinas! *Vinc: Gillib: in Ps:* 2. Lenes jam dudum loquebantur, coronemus nos rosis: quid blandius? quid delicatius? de hac lenitate sperâsses cruces & gladios? noli mirari: lenes sunt & radices spinarum si quis eas contrectat, non pungitur, sed quo pungaris inde nascitur. *S. Aug: in Ps:* 2. Corona spinea semel imposita, nunquam deposita: arbitror quòd spinea illa corona consumpta est à capite IESV: ut iam non sint spinæ nostræ antiquæ, postquam semel eas à nobis abstulit IESVS per venerabile caput suum. *Origenes*. Colligamus de spinis uvas ex quo vepres inoculantur in vite. *Iugl:*

c Potestas & Regnum impiorum est arundo vento agitata. *Drogo*. Xto vero *Reges eos in virga ferrea* suum regnum salvum est. *Velloso*. Ezech: 29. Pharaonis regnum dicitur *baculus arundineus*. In calamo gentium infirmitas, Xti manu cõprehensa confirmatur. *S. Hilar: Calamum quassatum non conteret*. If: 42. Persecutores Iudæos qui sunt calamus quassatus perditâ integritate: non contrivit quia pepercit eis. *S. Augustinus*.

d Experitur quid sibi liceat, qui adorationem quoq; contemptum facit. *Iugl:* Crudeles Ludiones, suis descriptos sibi Christus vidit in donis; leves agnovit ex arundine, cruentos ex purpura, rapaces ex spina. Nobilis Actor ferali scenæ serviens, dum ageret Regem, tributi nomine, alapas collegit, & scomata: apud talem populum scierat talia abundare. *Iugl:*

entes in eum acceperunt [a] arundinem, & percutiebant caput ejus. *Ioan:* 19. 3. Et dabant ei alapas. 4. Exivit ergo iterum Pilatus foras & dixit eis: ecce adduco eum foras, ut cognoscatis, quia nullam invenio in eo causam. 5. [b] (Exivit

a *Caput Xti DEVS*. 1. Cor: 11. Calamo Xti caput percutiunt divinitati ejus contradicentes. *S. Th: Aqu:*

b Diadema & paludamentum ostendit Regem: & si hæc non sint, licet aureas vestes habeat nõdum Rex est. *S. Chrysost:* Dat principibus gemmas, sibi assumit spinas. DEUS. *Bompl:*
Pœnam vestivit honore, ipsaq; san-

sanctificans in se tormenta beavit. *Sedulius.* Sicut gloria mea erat ligata ne in corpus meum redundaret: Sic & pœna. Utq; gloria, sic & pœna illi æquabatur. *Christus in Revel: S. Brigittæ.*

ergo IESVS portans coronam spineam & purpureum vestimentum) & dicit eis: [a] Ecce Homo. 6. Cùm ergo vidissent eum Pontifices & ministri clamabant dicentes: [b] crucifige, crucifige eum. Dixit eis Pilatus: accipite eum vos, & crucifigite: ego enim non invenio in eo causam. 7. Responderunt ei Iudæi. Nos legem habemus, & secundùm legem debet mori, quia Filium [c] Dei se fecit. 8. Cùm ergo Pilatus audisset hunc sermonem magis [d] timuit. 9. Et ingressus est prætorium iterum & dixit ad IESVM: unde es tu? IESVS autem responsum non dedit ei. 10. Dicit ei Pilatus: mihi non loqueris? nescis quia [e] potestatem habeo crucifigere te & potestatem habeo dimittere te. 11. Respondit IESVS: non haberes potestatem adversus me ullam, nisi tibi datum esset desuper, propterea qui me tradidit tibi, majus peccatum habet. 12. Et exinde quærebat Pilatus dimittere eum. Iudæi autem clamabant dicentes: [f] Si hunc dimittis, non es amicus Cæ-

a Non populum: accerse ad spectaculum Principes; Pilate. Ecce homo, imo Ecce DEUS! è capite vepres non radij, manus arundinem non fulmen gerit. Sanguinem non lucem corpore fundit. ludicram vestem non paludamentum ostendit: excipit sibila non obsequia populorum: illuditur à militibus non adoratur. Hiccine DEUS exercituum est? quis Princeps fidat militibus, si militum ludus DEUS est *Bomplanus in elegijs* Homo dixit præcompassione ut & ipsi compassione moverentur. *Euthym.* Homo nascitur ad laborem. *Iob* 5.

b Irritatur spectaculo illo barbaries non expletur. *Iugl:* Exigunt â Pilato carnificis partes non judicis.

c Oportebat etiam opera ipsius in medium afferre ut Lazarum suscitatum; Filium viduæ in Naim. &c. Hæc, cæteraq; hujusmodi quibus DEUS monstrari poterat malitiosè prætereuntes, cavillationibus utuntur. *S. Cyrill: Alex:* Pessimi bona tacent, quæ mala judicant, & quæ iram accēdunt, evulgant. *Sylveira.* Pilatus ut audivit *Filium DEI*, ut gentilis suspicabatur Xtum alicujus falsi DEI filium esse. *S. Cyril: Al.*

d Non sufficit timor infelix liberare, aut se à molestia, aut innocentem à pœna &c. Oblitus illico DEUM est, cùm sibi Cæsarē plebemq; proposuit, abijt in accusatorum perfidiam.

e Noluit respondere quia inaniter interrogabat. *S. Chrysost:* Inanis quæstio

de

de patria, ubi virtus & merita ſunt in propatulo. *Vide qualiter ſeipſum condemnavit!* ſi enim in te totum pondus eſt; cujus gratiâ, nullam cauſam inveniens non abſolvis? *S. Thom: Aqui:* Mala poteſtas licere quòd noceat, poteſtas iſta tenebrarum eſt. *S. Ambr:* Tua voce Pilate conſtringeris, tua damnaris ſententia, pro poteſtate igitur & non æquitate crucifigendum Dominum tradidiſti: per poteſtatem abſolviſti latronem; auctorem verò vitæ interfeciſti. *S. Ambr:*

f Plures animas perdit reſpectus, quàm pecunia: tum quòd tentationes reſpectûs plures ſunt & majores, quâm pecuniæ: tum quòd acta reſpectûs ergò difficiliorem habent reſtitutionem, accepta enim cadunt ſub oculos eoſq; feriunt: facta autem gratiâ reſpectûs, non ita facile ſcrupulum movent &c. Fuitne Pilatus delinit9 accep a à Iudæis pecuniæ ſummæ? non. Solus reſpectus, dependentia ſola Xm condemnavit. *Si hunc dimittis.* Ne de gratia Cæſaris periclitaretur, gratiam, amicitiam perdidit DEI &c. *Vieira t.* 1. Ne in totum inanis videatur objectio, diſcute diligenter Præſes. Cæcis viſum, ſurdis auditum, claudis greſſum, mutis donavit eloquium, febres abegit, dolores reſoluit, mortuos ſuſcitavit: Magnum iſta Regem prorſus demonſtrant. *S. Leo.* Eheu! itane! quia igitur potius Romanorum timetis potentiam, quàm DEI juſtitiam: DEI juſtitia Romanorum vos caſtigabit potentiâ. Vos Xm militibus Romanis capiendum & crucifigendum traditis, ergo & vos Xtus ijſdem in captivitatem, in occiſionem & interitum tradet. Vos imperatorum Romanorum amicitiam gratiæ DEI anteponitis: permittente igitur DEO Impp: Rom: tanquam hoſtes infenſiſſimi crudeliſſimè in vos deſævient: venientq; Titus & Veſpaſianus ad vos debellandos locaq; veſtra expugnanda & funditùs evertenda, Ita ut omnes Pontificum Phariſæorumq, politiæ in caput eorum convertantur, Concilijq; reſolutiones ruinæ eorum fiant inſtrumenta. Ad hoc timor, reſpectus, dependentia, amicitia ipſis deſervivit, Porro hic infelix hujus concilij fuit exitus, non alio fine digni, quòd talia media elegit. *Vieira tom:* 2.

ſaris: omnis enim qui ſe Regem facit, contradicit Cæſari. 13. Pilatus autem cùm audiſſet hos ſermones, adduxit foras IESVM: & ſedit pro tribunali in loco, qui dicitur Lithoſtrotos, Hæbraicé autem Gabbatha. 14. Erat autem Paraſceve paſchæ, hora quaſi ſexta, & dicit Iudæis: ecce Rex veſter: 15. Illi autẽ clamabant: tolle, tolle crucifige eum, dicit eis Pilatus: Regem veſtrum crucifigam? reſponderunt Pontifices: non habemus *a* Regem

a Offerebat ille Regem Filium DEI, illi ad hominẽ recurrebant, digni qui illum haberent, & illũ non haberent. *S. Auguſt:*
Xtm abjicitis & Tiberiũ vultis? ſervietis illi quem deſideratis, non regnabitis cum eo quem exhorreſcitis, idq; eſt ſatis ad corpora veſtra perdenda & animas. *Oliva. tom:* 2. *Con:*
Ex tunc perpetuæ ſubjectioni Romanorum ſe obligaverunt renunciantes omni alteri regiæ dignitati. Patet eorum obſtinatio ad procurandam Xti mortem, cùm pro ejus procuratione confeſſi ſunt in perpetuum ſeipſos ſubjectos ſervituti. *Lyranus.*

Di-

Dilexisti omnia verba præcipitationis lingua dolosa, propterea DEVS destruet te in finem, evellet te, & emigrabit de tabernaculo tuo. Psal: 51. quæ verba S. Hilarius explicat de punitione Hæbreorum qui præcipitata electione Cæsarem Xto prætulerunt.

nisi Cæsarem. *Matth:* 27. 24. Vi-
dens autem Pilatus [a] quia nihil pro-
ficeret sed magis tumultus fieret,
[b] acceptâ aquâ lavit manus coram
populo, dicens: [c] innocens ego sum
à sangvine justi hujus vos [d] videri-
tis. 25. Et respondens universus

a Omnis fuit Pilato ratio furoris alieni, nulla muneris sui. *Iugl:* An non illi omni jure celata definitio veritatis, qui ita parum patrocinari, cognitæ posset! *Idem.* Nullam causam invenisse Pilatus crebrô prædixerat, sed causam traditionis sciebat esse invidiam, quæ nunquam quiescit, quousq; sit deleta felicitas. *Simon de Cassia.* Mala cætera habent terminum, & quodcunq; delinquitur delicti consummatione finitur: livor terminum non habet permanens jugiter malum & sine fine peccatum. *S. Cypr:*

b Impie lingvam absterge non manus, contractam labem aqua non eluit, quam nec æternus ignis purgabit. *Iugl.* Quid refert lotas esse manus Conscientiâ inquinatâ! *Vieira.* Lavet licet Pilatus suas manus, tamen sua facta non diluet; ipse enim occidit Xm quem tradidit occidendum *S. Maxim: hom:* 25. Non purgant contaminatum animum manus lotæ, nec in aspersis aqua digitis expiatur, quod famulante impiâ mente committitur. *S. Leo.* Lavit quidem manus sed culpam non lavit: quia judex non cedere debet timori nec ullis adversantium impulsibus ut sangvinem condemnet innocentem, quem prædicabat Iustum. *S. Paschas:*

Demens qui toto scelus indelebile ponto
Eluere affusâ posse putavit aquâ. *Malapert.*
Ah nimium faciles qui tristia crimina cædis
Flumineâ tolli posse putatis aquâ. *Ovid:*

c Hâc eadem voce olim usus est Daniel in causa Susannæ: sed Daniel meliùs quàm Pilatus, ille enim pudicum sanguinem non condemnat, sed liberat, *hic* autem justum sangvinem & confitetur & tradit, quid enim profuit testimonium perhibuisse innocentiæ, & veluti reum addixisse nequitiæ, nisi quòd gravius peccatum est unum eundemq; & pronunciare justum & tradere criminosum. *S. Maximus.* Tradidit Xm Iudas: tradidit & Pilatus. *Tradidit eum voluntati &c.* Mat: 26. Pilatus agnovit innocentiam Xti. *Innocens ego à sangvine justi hujus* & Iudas *peccavi tradens sangvinem justum* uter plus restituit? utiq; Iudas: retulit enim pecuniam in templum. Pilatus nullam fecit restitutionem: quare ille & non hic? quia Iudas Xm tradidit pro pecunia: Pilatus ob respectum. Fiunt ne modo multa ob respectum! imo quid non ob respectum? est ne autem aliquis vivens aut mortuus qui restituat. Hoc nec videmus nec audimus: quomodo confitentur! *Vieira t.* 1. Excessit quidem Pilati culpam facinus Iudæorum qui illum nomine Cæsaris territum & invidiosis vocibus increpatum ad effectum sui sceleris impulerunt: sed nec ipse evasit reatum qui cooperatus seditiosis reliquit

judi-

judicium proprium & in crimen transivit alienum. *S. Leo.*
Mentitur cum dicit innocens sum, nec enim condemnato justo innocens esse poterat. *Escobar.* Falsò te o judex prædicas innocentem, qui eò ipsò quod timori cedas, jam quod amplius laves contraxisti. *Idem.*

d Sensus est. Vos me ad judicandum hominem innocentem importunè compellitis, sed cùm pænam sustinebitis hujus sceleris, cognoscetis. *Simon de Cassia.* O si dixisset Pilatus *nos viderimus, & vos videritis.* Pænam etenim sustinebit impellens ad crimen & impulsus. Totus Pilati error, Iudæis judicium cæleste revocare ac simul falsò sibi blandiri, nullatenùs se hujusmodi subjacere judicio. *Escobar.*

4. Fluvij ex paradyso egrediebantur, quibus totidem designantur Cardinales virtutes. *Nomen uni Phison ipse est qui circuit omnem terram Hevilat, Nomen 2di Geon qui circuit omnem terram Æthiopiæ.* Gen: 2. En prudentia & fortitudo, circumeunt hæ terram, personas considerant, circumstantias perpendunt: *Nomen tertij Tygris & ipse vadit contra Assyrios.* Temperantia est quæ pugnat contra voluptates. *Fluvius 4tus ipse est Euphrates. Porro justitia quam hic fluvius refert nec oppugnat quenquam nec circum vallat nec habet adversarium.* Philo apud Escobar. Olim judex (apud Pierium. l. 35.) pingebatur aversis oculis ut nihil respiceret à quo flecteretur. è contra Pilatus aversis oculis à Xto ad Iudæos, contra Xm pronunciavit: quærebat quidem quid est veritas! sed mox exivit ad Iudæos: id est ab illa oculos avertit. *Ex Escobar.* Iudices timidi incredulis annumerandi. Sic Apoc: 21. *Timidis & incredulis pars illorum in stagno ignis.* Non jungit timidos cum homicidis, aut &c. Sed cum incredulis: quia timidi judices, qui propter mundialem potentiam à sententia justa recedunt, se infideles profitentur *Escobar.* Timidi sunt qui neq; fidem neq; spem habent futurorum & de promissionibus DEI dubitantes, nihil arduum propter spem vitæ, nihil propter præmiorum fiduciam aggrediuntur: id circo cum incredulis, sociantur. *S. Rupertus.* Si crederent DEUM esse, futurumq; novissimâ die judicem; nullâtenùs mundialis timor judiciarij gladij aciem hebetaret. *Escobar.*

populus dixit: [a] sangvis ejus super nos & super filios nostros.

Ioan. 19. 16. Tunc ergo [b] tradidit eis illum ut crucifigeretur. Susceperunt autem IESVM & eduxerunt.

Mar: 15. 20. Postquam autem illuserunt ei, exuerunt [c] eum purpurâ, & [d] induerunt eum vestimẽtis suis: & educunt illum ut cruci-

a Cruorem quem avent conculcare, supra se postulant; & quo tanti pæna sceleris manet in plures, ipsa posteritas culpæ vocatur in partem. *Iugl.*
Non desiderabant sangvinem illum ad abluenda capita sua, cui se per baptizmum subjicerent, flagitabant quem pedibus cum Evangelio conculcarent. *Oliva.* *Conc: tom:* 1.

b Facilitate crudeli perdidit se ipsum & DEUM.
Cave te coactum excuses, memorem mendacem esse par est.

Pur-

c Purpuram exueventurus ad crucem: bene Regem non exprimis tuo nondum fixus in Throno. *Iugl:*

d Tuas iterum vestes induere (IESU) Mariæ labori venerationem hanc debes, ut nisi nudus incedas, alia tegumenta non quæras. *Idem.*

figerent eum. 21. Et [a] angariaverũt
prætereuntem quemdam Simonem
Cyrenæum venientem de villa pa-
trem Alexandri & Rufi ut tolle-
ret crucem ejus.
Luc: 23, 27. Sequebatur autem
illum magna turba populi, [b] & mu-
lierum quæ plangebant & lamen-
tabantur eum. 28. Conversus au-
tem ad illas IESVS dixit: filiæ Ie-
rusalem nolite flere super me, sed
super vos ipsas flete & super filios
vestros. 29. [c] Quoniam ecce veni-
ent dies, in quibus dicent: beatæ
steriles, & ventres qui non genu-
erunt, & ubera, quæ non lactave-
runt, 30. Tunc incipiẽt dicere mõ-
tibus; cadite super nos, & collibus

a Christus cruci impar ferendæ, eo ipso, quo relevatur labore, torquetur, gravat illud beneficium, quod extorquetur ab invito; Condonanda tamen rusticitas de villa venienti. *Idem.* Crucem IESU suscipiunt nationes, peregrinus obediens portat ignominiam Salvatoris. *S. Hiero:* Simon ex hebr: obediens. Hic post IESUM crucem portare festinat: obediendo meruit ut tanto dignus munere esset. *S. Pasch:* Ubi adest obedientia ibi Xtus liberatur à cruce. *Escobar.* *Portavit Simeon IESVM infantem in ulnis: portat Simon crucem: uter illorum felicior?* Ex Paschasio. Ille autem potest fieri subditus Xti & tollere crucem suam: qui virtutis operarius est, qui venit à villa relinquens mundum & ea quæ sunt in mundo, & ad Hierusalem supernam & liberam tendit. *S. Paschas:* Crux quæ à IESU portabatur non erat propria, sed aliena crux nempe nostrorum peccatorum, & cum esset valde onerosa, de comportitore fuit providendum: at latrones suorum criminum ac scelerum cruces portabant, & cùm propriæ essent, inde tam gravi pondere non premebantur. *Sylveira.* Crux propria levis: aliena gravis. *Idem.* In tanta hominum multitudine nullus repertus qui vellet humerum Xti cruci subjicere: nempe fugiunt omnes crucem, delicias quærunt. omnes naturâ à Xti cruce abhorrent, quæ si post Xm bajuletur levis & dulcis est. *Novarinus.*

b Agunt non dum mortuo præficas piæ mulieres, miserationem tamen non laudat Christus, quæ tolerantem injurias lugeant, cùm lugere magis debuerint inferentes. *Idem. Iugl:* Manare eas lacrimis non patitur, quando ipse toto corpore pluit, exundatq; mista sangvine, sanie, usq; adeo & sui immemor, & nostri memor, amor salvatoris. *Oliva. Str. l.* 2.

c Lugere illis licet murorum futurum post annos 40. excidium, & DEUM su-

um jam incruce moriturum flere non possunt? saltem quod ruenti lapidi impē-
di potest, labenti DEO impendi liceat. Videns civitatem luxisti & tamen stru-
es illa saxorum diu erat statura. Num Xtus vilior Saxô? Si lapis angularis es,
sine ut tibi ijs lacrymis filiæ Sion parentent, quibus lapsuris suæ patriæ saxis;
tuo possint consilio & exemplo parentare. *Idem.* Futuras facit pluris saxorum
mæniumq; ruinas quam inceptum suorum membrorum excidium. *Idem.*
Sustinui qui simul contristaretur & non fuit. Ps. 68. An non doluerunt de vulneribus
Xti Apostoli! *Constat doluisse, constat luxisse discipulos.* S. Aug: Sed dolore muliebri
qui in fletus iret, non qui saperet magnanimitatem Prælatorum vindicantium
Xtm. *Non ait qui contristaretur. sed qui simul contristaretur, id est ex ea re quâ ego con-
tristabar, & non fuit.* S. *Aug:* Lacrymas quibus tantûm sangvis suus abluitur
prohibet *Nolite flere super me* hoc est: si quis parcendo flagitijs satis haberet Xti
stigmata osculari, meritò audiret *Mulier quid ploras?* Zelnm à te reposco non i-
nanes fletus. *Idem tom:* 1. *Conc: parag:* 291.

operite nos. 31. [a] Quia si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fi-et? 32. Ducebantur autem & alij duo nequam cum eo ut interficerentur. *Ioan:* 19. 17. [b] Et bajulans sibi crucem, exivit in eum, qui dicitur [c] Calvariæ, locum Hæbraicè autem Golgotha. *Mar:* 15. 22. [d] Et dabant ei bibere myrrhatum vinum & non accepit.

Matth: 27. 34. Dederunt ei vinũ bibere cum felle mixtum, quod cũ gustasset noluit bibere.

Mar: 15. 25. Erat autem hora tertia & [e] crucifixerunt eum. *Ioã:* 19. 18. Vbi crucifixerunt eum [f] & cum eo alios duos hinc & hinc medium.

a Si justus in terra recipit, quãtò magis impius & peccator. *Prov:* 11. Per hujusmodi ligni exemplum nihil in se ariditati mortis obnoxium significat. *S. Hilar: in Psal:* 1. Si Sancti omnes per ignẽ tribulationis exeunt de mundo; quæ tormenta manent ipsos qui omni bono sunt vacui & peccatis pleni? *Hugo Car:* Amici Iob obstupefacti ad ejus calamitatem septem diebus totidemq; noctibus velut elingves sederunt. *Origenes dat rationem* Non solum pro Iob sed etiam pro se unusquisq; eorũ solicitus erat, metuens quid etiam de se fieret vel quid expectaretur! nam si justum talia invenerunt mala, nos qui longè sumus ab his justificationibus quid expectabimus vel quid sustinebimus.

b Aula non admittit Xm nisi captivum, Petrum nisi Xtò ingratum. Non adeat aulam pius: ubi Pilatus judicat, Ancilla & famuli vilissimi jus arrogant inquirendi in Petrum. Exiit aulâ Xtus sed crucem ferens: Petrus, sed amare flens: non nisi cum fletu aut cruce ab aula exit pius. *Bomplanus.*

c Beatus locus in quo figitur crux, bona caluities quæ tali fronde vestitur &c. In calvariæ loco vexillum crucis erigitur &c. *Decalvabit verticem filiarum Sion.* Mich: 1. Ut ibi figatur gloriosa Xti crux ubi sedem sibi superbia locaverat. *Drogo.*

 Sole-

d Solebat alijs supplicio afficiendis vinum propinari: pro Xto, consultò vappam evanidam, acetosam & myrrha & felle mixtam parârunt & porrexerunt vel solam myrrham quæ vocaretur fel propter amaritudinem. *P. Matth: Paris.* Tam vinum Myrrhatum quàm felle mistum recusavit IESVS bibere: quia in 1mo erat bonum malo mixtum, in 2do malum malo cumulatum. Nempe sic abhorrendum bonum malo mixtum, ut malum simpliciter ac si absq; ulla boni mistura existeret. Malorum enim societas ita bona corrumpit, ut statim penitus convertantur in malum. *Ex Vieira tom: 5.*

e Affixa salus tua in Cruce (ô homo!) salutem sine cruce ne spera. *Iugl:* Sola crux rependit beneficium Salvatori; quàm enim ille prius, hæc eum suffert vicissim. *Idem.* Pependit ab arbore homo peccando: pendet ab arbore DEUS patiendo: eò acerbiùs quo ille svaviùs. Manus hominis tulit fructum: clavum fert manus DEI: caput extulit homo videndo, caput inclinat DEUS expirando: Hoc portentum sustinere natura non potes, nec debes: non sedet sed pendet in terra DEUS; non adoratur sed damnatur: clavo utitur pro sceptro: trabe pro throno: felle pro nectare: nuditatem pro majestate, sangvinem pro purpura, stigmata ostentat pro insignibus. Stipatur doloribus ut comitatu; patibulo gloriatur ut regiâ: mortem adit ut regnum. Sustinere debes natura hoc portentum: caritatis portentum est. *Bomplanus.* Oh! cur non fui loco felicissimæ crucis! fuissem Xto manibus & pedibus inseparabiliter conclavatus, dixissem omnino: Ioseph, non auferas ipsum â me sed me sepelias secum in sepulchro. *S. Bonav: in stim: amor.* Quoniam is qui patibulo suspenditur & conspicuus est omnibus & cæteris altior: crux potius electa est, quæ significaret illum tam conspicuum tamq; sublimem futurum, ut ad eum cognoscendum & colendum cunctæ nationes ex omni orbe concurrerent. Extendit in passione manus suas orbemq; dimensus est, ut jam tunc ostenderet ab ortu solis usq; ad occasum magnum populum ex omnibus tribubus atq; lingvis congregatum sub alas suas esse venturum *Lactantius. l. 4. c. 26. IESVS moriturus erat, ut Filios DEI qui erant dispersi congregaret in unum. Ioan: 11. 11. 52.*

f Latrones adjuncti ut Xti innocentia obscuraretur: imo ut latronum princeps & antesignanus videretur. Tribus crucifixis multa miracula facta sunt: nemo latronum sibi alterive nisi soli IESU adscripsit: ita diaboli insidiæ irritæ factæ, & Xtus DEI Filius creditus. Disce: virtus etiam inter malorum tenebras elucet, & obscurari aliorum malitiâ sanctitas & innocentia, diu non potest. *Novarinus.*

a Illis petebat veniam, â quib9 adhuc accipiebat injuriam. *S. Augusti tract: 31. in Ioan:* Verbum magnæ patientiæ, magnæ dulcedinis, magni amoris & inenarrabilis charitatis. *S. Ansel:* Flagellis cæsus, spinis coronatus clavis confixus, affixus patibulo omnium tamen dolorum immemor clamat! Pater ignosce. *S. Ber: Ser: 4. de pass:* Quam dulce tibi guttur mi IE-

dium autem IESVM. *Mar: 15. 28.* Et impleta est scriptura, quæ dicit: & cum iniquis reputatus est.

Luc: 23. 34. IESVS autem dicebat: [a] Pater dimitte illis: non enim sciunt quid faciunt. 35. Et stabat

IESU! quod ne felle quidem potatum, amarum quidpiam eructavit. Habes vitæ æternæ verba vel moriens: idioma tamen hoc tuum quia vitæ æternæ est, mortalitas nostra non percipit. *Iugl:* Nunquam dignior appellare DEUM Patrem quàm cùm ab ejus indulgentia se non degenerem ex hiberet. *Idem.* Omnem ulcionis affectum elementis excussit tantæ lenitatis auctoritas. *Idem Favus distillans labia tua mel & lac sub lingva tua Cant:* 4. Quamdiu actum est de refutandis accusatoribus: convincendis judicibus. Xtus lingvam non habuit, nec verbum protulit: cum vidit cælum obscurari, terram mugire, montes conquassari, sepulchra pandi, simul ipse oris seras fregit: & per suum sangvinem, eum effundentibus veniam petiit &c. *Oliva t. 2. con:* Nunquid tunc Dominus pro rogantibus rogavit & non potius pro insultantibus, & interficientibus. *S. Aug:* Hac in oratione non tantùm exponit desiderij sui vim summam, sed etiam rationes affert quibus id postulet extenuans peccati improbitatem, malitiæ ignorantiâ *Oliva. ibidem* Si ignorantia eos liberâsset â culpa, non indigerent veniâ: tantùm verò abfuit ut à peccato eximerentur per ignorantiam, ut ipsa potius ignorantia peccatum peccato accumulaverit tantâ obligatione constrictis, quantâ ad cognoscendum eum evidentiâ convictis. Idem videtur hodie in illis qui Xm adorant & agnoscunt; & non ex raro contingenti, sed communiter, quot & quanta quamq; enormia videmus peccata, nec in vita emendata, nec in morte confessa: nec DEO tantùm sed toti propatula mundo, & committentibus solis incognita. Non cognoscunt ob vivendi laxitatem, conscientiæ dissolutionem, animæq: cæcitatem inde ortam: non agnoscunt ob amorem proprium qui semper excusat & extenuat quòd damnationi addicit. Non agnoscunt ob mundi prospera; lucra & commoda, quæ alterius vitæ oblivionem secum trahunt. Quia nec ea discutere nec consulere quem deberent volunt: sed hæc ignorantia affectata *Noluit intelligere ut bene ageret. Ps.* 35. *v.* 4. *&c. Vieira tom:* 3. Peccato singulari ignorantiam copulavit, ut sub aliquâ umbra justitiæ, ignorantibus posset ignosci. *S. Bernard:* O amabilis condonator & tuus amor novit quid te facere oporteat. Illi *nesciunt quid faciunt* tu scis! si nostra ignorantia minus nos facit ingratos, similiter minus te facis amantem: in cote enim ingratitudinis amor sagittas acuit, & quantò durities est major, tantò magis illas acuit. Xtus eò devenit ut amoris sui deprimeret & imminueret excellentiam, ut dissimularet & obtegeret defectus nostri amoris: maluitq; videri minus amans, tantùm ut nos videremur minus ingrati. *Vieira.* Impiorum Patronus ex Iudice excusator ex vindice. *Iugl:*

populus spectans, [a] & deridebant eum principes cum eis.

Matth: 27. 39. Prætereuntes autem blasphemabant eum moventes capita [b] sua & dicentes. 40. Vach qui destruis templum DEI, & in

[a] Quasi omnes ex composito convenissent, ita signo dato ad choream omnes diabolus concitabat: voluptatem enim ex contumelijs propter immanitatem suam capiebant. *S. Chrysost:* Ecce spectaculum universale fecerunt de Filio DEI ut ab omnibus desideretur. *B. Alb: M.*

Mo-

b Movebant capita ſua, qui corda debuiſſent. *Iugl:* Et caput agitabant, quia vero capiti non inhærebant. *S. Aug:*

triduo illud reædificas; ſalva temetipſum ſi Filius DEI es deſcende. [a] 41. Similiter & Principes Sacerdotum illudentes cum ſcribis & ſenioribus dicebant. 42. Alios ſalvos fecit, ſe ipſum non poteſt ſalvum facere. Si rex Iſrael eſt deſcendat [b] nunc de cruce, & credimus ei. 43. Confidit in DEO: liberet nunc ſi vult eum. Dixit enim: quia Filius ſum. 44. Id ipſum autem & latrones qui crucifixi erant cum eo improperabant ei.

Luc: 24. 36. Illudebant autem ei & milites accedentes & [c] acetum offerentes ei. 37. Et dicentes: ſi tu es rex Iudæorum, ſalvum te fac.

Ioan: 19. 19. Scripſit autem & titulum Pilatus.

Mar: 15. 26. Et erat titulus cauſæ ejus inſcriptus [d] Rex Iudæorũ.

a Ut Chriſtum eſſe illum credas, abire jubes â cruce, in qua ideô ſolùm perſiſtit, quia Chriſtus eſt. *Iugl:* Chriſtus in cruce, quâm omnib9 votis expetebat, ita ſvaviabatur, ut neque ad tot blaſphema irritamenta deſcendere voluerit, neq; per amicum Nicodemi & Ioſephi obſequium deponi ſe permitteret, niſi in ſinum ſuæ matris collocaretur, quæ olim de ſinu æterni Patris, eum in ſuo collocavit utero. *Conſummata omni tentatione Diabolus receſſit ab illo ad tempus* Luc: 4. quodnam illud eſt tempus! S. Athan: &c. PP. dicunt diem & horam mortis Xti, quando diabol9 extremas vires exerit ad tentandum. *Deſcendat de cruce ſi Filius eſt.* Vere & phraſis & modus artificem eundem produnt, qui Xm tentaverat in deſerto & templo. Aſtutiam & conſequentiam, attẽdite, in priore tentatione quâ victus receſſit, offerebat totum mũdum: porrô cum nihil mundo pretioſius eſt quàm anima, in ultima animabus Xm tentat: *deſcendat & Credimus ei* animarum oblatione ſperaverat certam victoriam, quando toto mundo oblato nihil profecit. *Vieira.* Noverat quantum pro ſalute illius populi zelum videretur gerere, proptèrea ſuggerebat, ut dicerent deſcendat & credim9. *S. Bernard:*

b Imò ſi Rex titulum regni non deſerat. *S. Ber:* Cruci affixus erat non ad potentiæ exemplũ ſed ad patiẽtiæ. *Nov:* Inſultãt impij Xto crucifixo, cur non & latronib9! iónnocentia in cruce pendentis torquebat eorum pectora. *Nov:* Neceſſe erat periclitari aut majeſtatem regis maximi niſi deſcenderet, aut charitatem humanæ ſalutis niſi permaneret: maluit apud homines periclitari opinionem ſuæ majeſtatis, quàm ſuæ Charitatis. *Velloſo.* Ut diſcas bene operandum eſſe, & ſi homines malè de nobis ſenſerint. *Theophylactus.*

c Acetum Iudæi à vino Patriarcharum degeneres. *Gloſſa.*

Cum

a Cum esset omnium; Iudæorum regis titulum assumpsit, prius significatur per 4. latera crucis, quòd in totidem orbis partes imperium extendat; & titulus 3. linguis scriptus ostendebat huic dominium deberi nationum omnium. Quamvis igitur Rex esset omnium & mortuus pro omnibus: Iudæi tamen eum interfecerunt: ubi ergo erat major inimicorum amor: ibi titulus regis melius quievit: qui intensiores illi hostes; à quibus majora passus odia. Eorum Rex specialiter. *Vieira.*

Matth: 27. 37. Imposuerunt super caput ejus [a] causam ipsius scriptã Hic est [b] IESVS Rex Iudæorum. *Ioan:* 19. 20. Hunc ergo titulum multi Iudæorũ legerunt quia prope civitatem erat locus ubi crucifixus est IESVS. Et erat scriptum Hæbraicè Græcè & Latinè. 21. dicebant ergo Pilato Pontifices Iudæorum: noli scribere Rex Iudæorum, sed quia ipse dixit: Rex sum Iudæorum. 22. Respondit Pilatus: [c] quod scripsi scripsi. 23. Milites ergo cùm crucifixissent eum, [d] acceperunt vestimenta ejus (& fecerunt quatuor partes, unicuiq; militi partem) & tunicam. Erat autem tunica inconsutilis de super contexta per totum. 24. Dixerunt autem ad invicem, non scindamus eam, sed sortiamur de illa, cujus sit, ut scriptura impleretur dicens: partiti sunt vestimenta mea sibi, & in vestem meam miserunt sortem.

a Si Pilatus nullam invenit, quomodo causa imposita cruci! En discrimen clarum inter judicatum cum intellectu, & judicatum cum voluntate. Pilatus innocentiâ deprehensâ, omne judicium ad voluntatem Iudæorum remisit *tradidit voluntati eorum*: & quomodo judicatus in judicio voluntatis? statim invenerunt causam: in judicio intellectus contra Xtm non fuit causa: in judicio voluntatis inventa. Quare voluntas cæca plus invenit quàm intellectus Argus: quia intellectus invenit quòd est; voluntas invenit quod vult. Voluntas in favorem inclinans inveniet merita in Iuda, à versa inveniet culpas in Xto. *Vieira t.* 5. Nec titulum Xto abigit honorarium, nec se hominum regem negat: imò urget ut negantibus dicat judex quòd scripsi, scripsi: scilicet videri voluit nomenclaturâ dignus regia cum salutem peregisset humani generis, vitâ pie donatâ & condonatâ injuriâ. *Velloso.* Exorando crucifixoribus veniam tunc nomen Regis inscriptum super caput retinere voluit, cum alibi oblationem regiæ dignitatis recusavit. *Novatus.*

b Condimentum aliquod doloribus tuis IESU quærens, suavitate nominis tui, nullum opportunius invenisti, admovisti illud propiùs ægro capiti, & eo quasi galeâ usus, irato te opposuisti cælo. *Iugl:* Patentes habes ab hominibus literas, quibus, quàm egregiè opus tuum impleveris certò constat. *Iugl:*

Tuus

Tuus inte aspectus non est (Isai: c. 53.) suppleri illum affixione nominis oportuit. *Idem.*

c Unum quemq; fallunt sua scripta & authorem prætereunt: atq; ut filij etiam deformes delectant parentes: sic etiam indecores quoq; sermones palpant. *S. Ambr:* Quodquis eruditus & tumidus semel scripsit, pro nullius respectu revocat & si hac de causa innocentiam damnari sit necesse; intolerabilis ista cæcitas intellectûs, rationis abusus, justitiæ simul & veritatis injuria; ut quôd scribendum non erat, sustinendum sit, solùm quia scriptum est: & quia semel; necessariâ consequentiâ semper sit scriptum relinquendum, libros suos isti prædestinationis libro æquales volunt; in quo quidquid scriptum deleri nequit. Characteres suos sacramentorum characteribus, qui semel impressi indelebiles existunt. Non sic D. Augustinus cujus 118. libros habemus exceptis qui interciderunt. Hic cûm calamum ponere & sapientiæ templo velut scientiarum trophæum figere potuit: eundem resumpsit, aptavit ut singulari libro *Retractationum* omnes suos corrigeret libros. *Vieira t.* 3.

d Mortis suæ studium in lictoribus, quia conveniebat cum suo, datis munerat vestibus; scindi tamen illas non vult, hinc etiam probaturus quâm amaret integritatem in moribus, qui eam ne lædi quidem pateretur in vestibus. *Iugl.* Indumenta exteriora sunt bona temporalia homini à DEO data: tunica interior est anima. Ecce nunc quam justè Xtus conqueritur *diviserunt sibi vestimenta mea & super vestem meam miserunt sortem* Ps. 27. v 35. Bona temporalia tanti æstimant ut dubio sortium ea permittere nolint ad filum usq; attenti ea partiuntur & quilibet suam sibi partem assecurat. Animam verò ita vilipendunt ut sortib9 fortunæ & jactui aleæ subjiciant. *Vieira tom.* 1.

Partiti inter se Xti vestimenta milites, & ille qui inconsutilem tunicam acceperat, cum in sua indumenta vertissent, nec pectora percusserunt cûm Centurione, nec, agnoverunt Dominum cum bono latrone: perseverârunt in priore malitia: adeo parum confert sacer habitus ad meliorem frugem nisi adsit Sancta voluntas. *Idem.* Partiuntur ea vestimenta per quæ miracula facta sunt sed nunc nihil efficiebant, Xto ineffabilem illorum virtutem cohibente. *S. Chrysost:* Quãtos verò Xt9 suâ veste vestivit? puto quòd non quatuor sed omnes vestivit milites & omnibus abundavit. *S. Ambros:* Acerbissimus erat sensus Xti morientis dum cerneret sibi cum vita & vestes eripi; & adhuc esse quòd miles desideraret post sangvinem. Ut grata erat centurionis adorantis pietas, ita pungebat, corpus denudantium crudelitas: affligebat per tunicam projecta alea; ut solabatur per sinus profusa lacryma. Ut amabat eos qui debitos honores deferebant numini, ita oderat eos qui vestes eripiebant homini. *Diviserunt sibi &c.* Miserũ me! cui milites in mortis tristitia ne vestium quidem relinqvunt solatia: plus alea quâm spina me cruciat. Hæc culpa militum, sed en & pœnam. Nulla pœna gravior martiali animæ quâm timidi & ignavi animi divulgata infamia: mallet suo sangvine miles quâm ignavi metûs pallore, imo etiam labe contaminari. Impudentes illi patientem DEUM privârunt vestibus: iidem turpiter suis vigilijs indormiêrunt. Illi DEO cripuere tunicam. ijsdem vix non timor animam: *Præ timore ejus exterriti sunt custodes & facti velut mortui. Matth:* 28. Pudendum factum militi ante ictum concidere, & metu hostis, non ferro exani-

exanimari: hoc eos manet qui imbelli manu amicis detrahunt spolia. &c. &c. *Fresneda. in conc: exequ:* Tunicam milites dividere noluerunt, unitatem Ecclesiæ firmantes, a cujus sorte excluduntur hæretici, quoniam sorte provenit ut eam unus, id est unitas possideret. *S. Prosper; lib. de prom: p. 1. c. 26.* Discimus hinc nihil morari si qui dividant vestimenta ex quadruplici elementorum serie compagmentata, quid enim nocumenti afferre queant, si tunica superis in oris contexta anima salva & integra permaneat. *Germanus Constant:* Cum 12. tribus Israel scinderentur; vestimentum suũ Ahjas Propheta discidit. 3. *Reg:* 11. At verò quia Xti populus non potest scindi, tunica ejus per totum textilis & cohærens, divisa non est. *S. Cypr:* Ista vestis ex pretiosis filis id est tuis beneficijs homini collatis contexta & sutili magisterio facta & decorata, quæ designatur per tuam tunicam inconsutilem nec divisam quia Amor neq; dividi debet, nec scindi. *Idiota.*

Et milites quidem hæc fecerunt.

Luc: 23. 39. Vnus [a] autem de his, qui pendebant latronibus, blasphemabat eum dicens: Si tu es Christus: [b] Salvum fac temetipsum & nos. 40. Respondens autem alter [c] increpabat eum dicens: neq; tu times DEVM, quòd in eadem [d] damnatione es. 41. Et nos quidem

a Ne tu planè malus es Latro, qui ne pendentem quidem coram te vitã sciens suffurari, non meruisti scelerum veniã, abusus pæna. *Iugl:* Cur tacet alterum Lucas? cum ex Matthæo constet quod *latrones improperabant.* Quia pænitentia celeri maledici nomẽ exuerat. *Velloso.* Converso culpã ignoscebat. *S. Ambros:* Quòd priorem negationem sequenti confessione deleverit. *S. Hieron:* Iam illum diabolus absorbuerat & in corpus suum trajecerat, ideò nisi quòd ille volebat agere non poterat: inter mortuos computatus erat, propterea vitam quâm habebat juxta se minimè agnoscebat. *S. Laur: Iust;*

b Quod latro malus petiit à Xto, idem furibus & latronibus à suis petendum est Regibus, licet malo sint latroni nequitiâ pares: nec tu Princeps nec nos absq; restitutione salvi esse possumus. Tu nos coge ut salvum facias & te & nos. *Vieira.*

c Bene latro auspicatur suam salutem à refutando socio scelerum quòd est signum probatæ pænitentiæ. *Velloso.* Ex abundantia receptæ justitiæ proximum & socium quondam arguit. *S. Aug:* Infortunio suo felix, pereundi occasione servatus est. *Iugl:* Sodalem arguens, se ipsum accusans ab utroq; recessit extremò. Bonus latro priusquam quidquam petat sibi, curat socium lucrari quæ insignis est charitas. *S. Chrysost:* De altero curam gerebat in cruce doctor effectus. *S. Aug:* Hoc amici, hoc pij Officium est in tantis bonis amicos facere socios. *S. Chrysost:* Quia exiguo tempore DEUM timuit, beatus factus est: nullum est enim malum quòd non extinguat DEI metus. *S. Chrysost:*

d In cruce sinistri pæna pro culpa & post damnatio. *Hugo vict:* Et quæ major damnatio quam de cruce transire ad infernum. *Sylveira.* Et hoc est quòd Ps: 17. imprecatur *duplici contritione contere eos.*

[a] justè, nam digna factis recipimus,
hic verò nihil mali gessit. 42. Et
dicebat ad IESVM: [b] Domine me-
mento mei cùm veneris in regnũ
tuum. 43. Et dixit illi IESVS: A-
men dico tibi [c] hodie mecum eris
in paradiso. *Ioan:* 19. 25. [d] Stabat
autem juxta crucem IESV Mater
& Soror Matris ejus MARIA Cle-

a Nulla est sera pænitentia. *S. Hier:* Nemo vim fecit sed ipse se divulgavit. *S. Aug:* Increpat maledicum nec sibi parcit. *Arnold: Ab.* Hic bonus fungitur vice Iudicis condemnatus, & incipit de veritate censere: Xm pronunciat innocentem *nihil mali fecit* quasi dicat nos viventes occidimus, hic mortuos suscitavit; nos aliena sumus furati hic & sua jubet tribuere. *S. Chrysost:* Crucem libens patitur qui se agnoscit reum scelerum. *Velloso.*

b Mutavit furti materiam furacitate retenta. Exeuntem de mundo Regem in äërem usq; secutus, adhæsit lateri; & festinatæ noctis opportunitate usus, quando jam non poterat manu, furatus est halitu cælum. Verùm latroni ne bono quidem plùs æquò fidendum Plures hic piè moriendo quàm impiè vivendo peremit. *Iugl:* Quid enim regni vides? clavi & crux est quôd inspicis: sed ipsa crux inquit regnum est: & ideo ipsum Regem nomino: quia crucifixum inspicio: imperatorum est pro omnibus mori: & Regis optimi pro communi utilitate nunquam recusare supplicium. *S. Chrysost:* Fuit ille confixus omnibus membris, manus clavis inhærebant, pedes transfixi erant, totum corpus adjungebatur ligno: lingva vacabat & cor: corde credidit, ore confessus est. *S. August:* Latro honorificat patientem quem Iudas prodidit osculantem: ab hoc pacis blandimenta venduntur: ab illo crucis vulnera prædicantur. *S. Ambr:* DEUM credit quem reum nescit: intellexit quod pro alienis peccatis has plagas susciperet, & scivit quod illa in corpore, Xti non essent vulnera, sed latronis. Atq; ideò plus amare cæpit postquàm in corpore ejus sua vulnera recognovit. Plus in cruce latro Xm diligit, quàm Iudas dilexit in cæna: ille per cibum supplantat magistrum, hic ei credit per dolorem. *Idem.* Ubi convictus ibi damnatus, sed ibi liberatus ubi mutatus. *S. August:* Unde hæc in latrone cura, pietas, religio? attendit latro ad crucis titulum, oculis perlegit, & totam de Xto doctrinam hausit: unde sanam mentem recipit improbitatem exuit sacra lectione. *Velloso.* Iam tum ad hanc scripturam latro pertinebat, & eum intra se literæ illæ colligebant. *Arnold: Abb:* Simul tecum ad mortem eo, memineris comitis tui, omnis enim homo afficitur ad comitem suum. *S. Cyril: Ierosl:* Petiit latro, & memoria Xti effecit ut ambo se eodem die in paradyso viderent: Hæc memoria maximè Regibus convenit, & eam inculcare tenentur qui auribus Regijs sunt proximi: ut meminerint latrones ducere ad paradysum & quidem secum. Neq; enim regibus fas est intrare in paradysum sine comitatu latronum; neq; latrones pergere possunt in infernum sine comitatu Regum. *Vieira.* Confessus est & tantæ fiduciæ robur accepit ut regnum de latrocinio deposceret. *S. Aug:* Ignosce Cæsar: deprehensus Cinna vitæ tuæ nocere non potest, famæ prodesse potest. *His Livia pro Cinna apud Augustum instabat: his poterat pro se bonus latro. Domine &c.* Una vox

Xto impenditur, reliquas prose lavernio effudit: & tamen vox sceptro donatur;
vox emendicantis non psallentis. Sed palàm coram scribis & pontificibus pro-
lita. Nihil tamexile adeòq; tenue offerri Xto potest, quin ei gratificere, si palàm
Divinitati ejus obsequare. *Oliva*. Inanissima vox una est, sed pretium quo ip-
sa caret à loco turbaq; habet. *Idem*. Primus fuit hic latro qui exemplo suo do-
cuit quàm Xm Crucifixum piè & devotê alloqui sit fructuosum. *Barry*.
c Quantum præstat confessio ut sine dilatione introduci latro in paradysum
meruerit. *S. Chrysost:* Latronem alterum servat, damnat alterum ut spem salu-
tis metu damni temperatam promoveat. Absurda est hominum spes, quæ al-
terum sine altero latronem respicit, & quà peccati reus peccat iterum opem
sperans à serâ pænitentiâ Quod raró fit, argumento esse non potest, ut pecces
spe conceptæ veniæ. *Velloso*. Noli tam periculosæ expectationi credere temet
ipsum. *S. Bernard:* Promittit cum affirmatione paradysum: tam insignis enim
peccator vix crederet sibi dandum. *Salmeron:* Adverte veniam serâ pænitentiâ
ægrè parari. *Velloso*. DEUS nihil potest amplius dare quàm quod latroni dedit.
Eris in paradyso: Nec minus DEO dari potest, quàm quòd illi latro obtulerat.
regni emptionem conficiens paucorum verborum comprehensione. Contume-
lia hoc effecit illata donanti ab eo cui datur, & hic enim improperabat, convi-
ciabatur blasphemabat: id succendit Xti amorem immoderatum in donis sup-
plici conferendis. *Oliva Conc: p 2.* Lyndij ut ab Hercule suo quidpiam inpetra-
rent, loco sacrificiorum in eum plurima convitia ac improperia jactabant. *A-
thenæus*. Absens eras o Petre, & ministerij claves modo non profers: supplet
vicem tuam summus Sacerdos, apertisq; seris antiquis aperiente Xto introdu-
citur latro in regnum cælorum. *Arnold: Abb. Carnot:* Vicarij sui vicarium Xus
agit, clavos pro clavibus adhibuit: ecce quâ ratione nunquam defutura sit pro-
videntia clavium Petri. *Vieira*. Videris Xte quodammodo cælestem aulam tali
adhibito socio dehonestare & beatitudinis gloriam offuscare; minime: Nam
talis emerserat latro ex vera pænitentiâ, ut condecoratus ipse plurimis sanctita-
tis titulis valeat præsentiâ suâ cæli regnum condecorare. *de Flores in Eccl:*
Xtus sacratissimam ingrediens patriam secum latronem introduxit non concul-
cans paradysum istius pietatis opere sed honorans: neq; confundens latronis in-
troitu sed illustrans. *S. August:*
d Deficiente DEO cur mundus omninò non ruerit, causam attende. Stabat
adhuc MARIA regendo mundo potuit basis ista sufficere. *Iugl:*
B. MARIA adjutrix redemptionis. *B. Alb: Mag: sup: Missns*. Stabat Virgo ita
divinæ Voluntati conformis ut (sicut Anselmus ait) si oportuisset ad implen-
dum secundùm rationem voluntatem DEI, ipsa filium in cruce posuisset ac
obtulisset, nec enim minoris fuit obedientiæ quàm Abraham. *S. Antoninus*. Te-
nebræ factæ sunt super universam terram sed juxta Prov: 31. Non extincta in
nocte Lucerna ejus. *Novatus*. Fides explicita de Xto surrecturo in sola tunc
virgine fuit. *Abulen:* Universos Martyres tantùm excedit quantum sol sidera.
Basil: Selev: Vicit sexum, vicit hominem, & passa est ultra humanitatem. *A-
madæus*. Stabat juxta crucem, non miror quia Xti matrem decebat. *Arnold: Car-
not:* Dolores quos effugit pariens, illos tempore passionis sustinuit ex materna
compassione viscerum, lacerum reparturiens. *S. Damascen:* Stabat juxta crucē

parata ad quamlibet pœnam suscipiendam si percussoris manus accessisset. *S. Ildefonsus.* Ipsa sibi per affectum quodammodo erat crux. *Gvilelmus in Cant:* Tantus fuit dolor virginis, quod si in omnes creaturas quæ pati possunt divideretur, omnes subitò interirent. *S. Bern: Senen:* Omnino tunc erat una Xti & MARIÆ voluntas, unumq; holocaustum: ambo pariter offerebant DEO: hæc in sangvine cordis, hic in sangvine carnis. *Arnoldus.* Stabat juxta crucem fortiter, non collapsa, non dejecta mærore, divina enim virtus & Spiritus S. gratiâ ipsum corpus virgineum nova accingebat fortitudine. *Assitit Regina a dextris tuis in vestitu de aurato.* Arabs legit *in vestitu purpureo. Psal:* 44. Tanquam Martyr & commartyr Xti strenuissima. *De Flores de Martyrio B.V.M.* Stabat in fide constantissima & patientissima, pulchrè stabat, verecundè stabat, disciplinata lacrymis plena, doloribus immersa. *S. Anselm:* Spectabat unigeniti sui passionē: stantem lego, flentem, non lego. *S. Ambros:* Stabat nimirum tanquam miles stationarius juxta crucis vexillum interrita & invicta. *Arnoldus Carnoten:* Nunquid tantùm juxta crucem? imò certe in cruce cum filio, ibi crucifixa eras secum. Sed hoc distat quôd ipse corpore, tu corde. Nec non & vulnera per corpus ejus dispersa sunt, in corde tuo unita: o Dna! cur voluisti immolari pro nobis, nunquid non sufficiebat passio nobis Filij, nisi crucifigeretur & mater: o Cor amoris cur conversum es in globum doloris! *S. Bonav:* Præterita quoq; præsentia & futura prospectans quasi tribus clavis ferreis jacebat spiritualiter in nati cruce confixa. *Idem.* Olim nil jucundius ac MARIA ad cunas IESU; ibi meridies nocte mediâ fulsit: nunc nihil funestius ac MARIA ad crucem, ecce enim meridie nox irruit. Hoc unum non debuit amor permittere ut staret prope crucem MARIA, crux MARIÆ IESUS erat. *Bomplanus.* Stabat juxta crucem MARIA altior cruce: Filius patibulum matri; Mater Filio fuit. Crux erat opposita cruci. Duplex & una arbor, gemina & una victima: graviora perpessa est quàm omnes martyres; sæpius moritura nisi miraculo fecisset ut mater viveret; qui contra se miracula fecit ut mori posset: deniq; aspexit morientem & mori voluit. *Labbe in elogijs.*

ophe & Maria Magdalene. 26. Cùm vidisset ergo IESVS Matrem & discipulum stantem quem diligebat: dicit Matri suæ: [a] mulier ecce filius tuus. 17. Deinde dicit discipulo: [b] ecce mater tua. [c] Et ex illa hora, accepit eam Discipulus in sua.

a Si dixisset Mater: cor defecisset in virgine, divisumq; esset aut ruptum pietate quàm videbat. *Gerson:* Voluit indicare in ea affectum matris humanum adeò animi fortitudine fuisse cohibitum: quòd ipsa in devovendo filio proprio ita se gereret, ac si mater non esset. *Novatus. Mulier* dicit *non mater* ut sponte se privaret omni honore qui sibi ut tantæ Matris Filio debebatur. *Idem.* Quiâ ibi dolores ut parturientis sustinuit omniū nostrum salutem B. V. M. peperit & facta plenè est omnium nostrum Mater. *S. Rupertus* Paulisper publicam differt salutem, ne matrem inhonoram relinquat. *S. Ambr:* An non plus quàm gladius fuit sermo ille. *Mulier ecce &c.* O commutationem! filius Zebedæi pro Filio DEI; servus pro Domino redditur.

S. Ber-

S. Berrard: in Apocal: Non legimus turbatam talibus auditis Virginem: Turba-
tur cum DEI Mater eligitur. non turbatur cum ex DEI Matre hominis mater
fit: humilis nempe Virgo quòd celsitudinem sonat exhorret: quòd demissionem,
lubens audit & secura amplectitur. *Novar: in Umbr: Virg:* In Cruce IESUS e-
rat & salutem curabat hominum ex DEI scito: Matrem discipulo commendat,
sed matrem appellat mulierem, ac si non meminerit maternæ appellationis cum
DEI jussa facit. Solet enim affectus iste hominem à verò & bono avocare. Benè
Rachel Labano Patri suo non assurgit dum idolis insidet. Gen: 31. *Nemo credat*
læsam esse paternam reverentiam quòd stante patre sedit: quoniam scriptum est. Qui a-
mat Patrem plus quàm me non est me dignus Matt: 9. S. Ambr: apud Velloso. Cùm de-
buisset Matrem, mulierem dixit: fragilitatis titulo, amplificare roboris forti-
tudinem, atq; imprimere in hominibus MARIÆ veneratione voluerat. *Iugl:*
Domine si mihi testamento Mariam pro matre & crucem pro hereditate legâ-
sti, dives satis sum & explesti vota mea; nam nec vivere sine cruce, nec mori si-
ne MARIA volo. *Iugl:*

b Per Ioannem intelligimus animas electorum quarum per dilectionem B. V.
facta est Mater. *S. Ber: Sen:* An Ioannes alter IESUS? MARIÆ enim filius Io-
annes: IESUM in præsepio, Ioannem peperit sub cruce. Quid Ioannes! Gra-
tiæ populus: non vult solus & nasci & amari IESUS à MARIA. Moritur ut a-
lij nascantur. Ideo dicitur nascens primogenitus: quia moriens daturus erat
MARIÆ sobolem electorum: dubitas? nihil differt dilectus, ab electo. *Bompl:*

c Cur verò cum dicit à se receptam: non ait vicissim se ab illa acceptum?
quâm primum enim Virginem in Matrem nostram accipimus, mox illa omni
sepositâ mora in filios nos recipit. *Vieira.* Expressit quod magis dubium esse
poterat, tacuit quòd minùs dubium erat. *Salmeron.* Ipsa unica V. Mater quæ se
Patris unicum genuisse gloriatur eundem unicum suum in omnibus membris
suis amplectitur omniumq; in quibus Xm suum formatum vel formari cogno-
scit, matrem se vocari non confunditur. *Gverricus.*

Matth: 27. 45. A sexta autem hora [a] tenebræ factæ sunt super universam terram usq; ad horam nonam. 46. Et circa horam nonam clamavit IESVS voce magna dicēs: Eli, Eli, lamma sabacthani! hoc est DEVS meus, DEVS meus [b] ut quid dereliquisti me! 47. Quidam autem illic stantes & audientes dicebant: Eliam vocat iste. 48. Et continuò currens unus ex eis [c] acce-

a Miserata nuditatem Parentis sui natura, involuere eum tenebris studuit. *Iugl:* Pudore suffusis, honesti amore: virginitatis, modestiæ, pudicitiæ zelo, fecit ab hora crucifixionis ut ad obitū suum tenebræ crassissimæ essent *Robertus à Crypta.* Humilitatis Magister qui gloriam nunquam amavit, in cruce illam exhorruit, acrius illum pupugere miracula quàm clavi: hinc tenebræ. *Oliva.* Ut malos tegeret carnifices & à turpi nota vindicaret, tenebras toto offudit cælo: eo scilicet velo Si non scelera, authores certè Dominus amoris reus tegit, ne quòd male

male patratum eſt, notam inurat infamiæ. *Velloſo.*

Teſtatur ſol ipſe cavâ ſub nube dolorem
Jam latilans atrâq; notans ferrugine frontem. *Sannaz.*

b Nec cum blaſphemaretur à ſcribis, nec cum configeretur à milite, nec cum derideretur â turbis, ſed cum in confirmationem divinitatis ejus in noctem dies degenerâſſet, derelictum ſe clamat. *Oliva.* Non dicit Pater mi ſed DEUS meus. Noverit nempe mundus tantam Patris mei integritatem ut cum Pater eſſet & DEUS, me dereliquerit, quaſi Pater non eſſet; noverit & matris magnanimitatem, quæ cum ſit Mater & mulier, me offerat quaſi neutrum eſſet. Ut iuſq; encomium grande, ſed pace Patris, B. Virginis grandius. *Vieira.* Pater illum dereliquit; quia ille ſimiliter dereliquit Patrem amore hominum. Interim neq; filius unquam magis placuit patri: neq; Pater unquam magis agnovit filium quàm per hæc eadem quibus homines amavit extrema. &c. *Vieira.* O quanta conſolatio nunc deſolari, quanta dilectio nunc derelinqui, ut unico Patris mereamur in paſſionibus ſimilari. *Gver: Abb.* Omnia incommoda ſi DEI cauſa uti par eſt, ſubeantur: profectò magna ſolatia ſunt, & materia multarum magnarũq; cæleſtium voluptatum. *Experientiſſimus talium S. Fr: Xav: ep.* 1. Chriſtus privari voluit delectatione Deitatis, & ſaginari voluptate patientiæ ſepoſuit gaudia cæli, & in prædam ſe dedit tormentis & doloribus vulnerum. *Vincent: Caraſſa. conſid:* 42. *lib:* 1. Quam diu tibi mater adſtat, quid te quereris derelictum à Patre? plena DEO MARIA eſt; eâ præſente DEUS abeſſe non poteſt. *Ingl:*

c Spongia fraudulenta ſunt corda, quæ impietatis humorem ebibunt ſtatim, licet ebibiſſe non videantur. *Novarin:* Acetum gens Hebræa, quæ ex forti optimoq; vino in acetum degeneraverat: Quô generoſius! vinum: eo magis aceſcit ſi corrumpatur: ita deteriores fiunt qui ab altioris ſanctitatis ſuggeſtu cadunt. *Novarin:*

ptam ſpongiam implevit aceto & impoſuit arundini & dabat ei bibere. 49. Cæteri verò dicebant: ſine, videamus an veniat Elias liberans eum. 50. IESVS autem iterũ clamans voce magnâ. *Luc:* 23. 46. Ait *a* Pater in manus tuas commendo Spiritum meum.

Ioan: 19. 28. Poſtea ſciens IESVS quia omnia conſummata ſunt ut conſummaretur ſcriptura, dixit: ſitio. 29. Vas ergo erat poſitum aceto plenum: illi autem *b* ſpongimen

a B. Bonajunta Generalis ſervorum B.V.M. addictiſſimus colendæ & meditandæ Xti Dni paſſioni: moribundus cum præcipua capita paſſionis Xti, magna affectûs energiâ percurriſſet: ubi ad crucifixionem ventum eſt, magna vi lacrymarum profuſâ, brachijs in crucem tenſis, dicens. *In manus tuas &c.* eò ſitu felicem ſpiritum reddidit: & pleriq; ſancti in his verbis expirare gaudebant. *Barry.*

b Poterat hoc verbum videri non amoris excellentiſſimi, ſed appetitûs naturalis, ſi refrigerium peteret non tormentum: ſi aquam ſibi propinandam ſperâſſet leva-

men peteret, verum sciens fel propinandum nova postulabat tormenta *sitio*: o
homines recordemini fellis &c. *Vieira*. In horto aversabatur *transeat à me*: nunc
magnis vocibus ait *sitio* alius enim calvariæ & alius horti calix: iste & non ille.
In horto calix separationis à carissimis discipulis: in calvaria calix mortis, &
prior ille videtur fuisse acerbior: quòd & innuitur Luc: 22. *Avulsus est ab eis*.
Vieira. Quid sitis! ergone plus cruciat sitis quàm crux? de cruce siles & de siti
clamas. Sitio: quid? vestram fidem, vestram salutem, vestrum gaudium; plus
animarum vestrarum quam corporis mei cruciatus me torret. *Diogo Host*.

Ah! sitio! clamas desunt his rupibus undæ
Sola fluunt oculis flumina, sola bibe. *Sarbiew:*

Potatorem mi IESU te iterum Iudæi si dixerint, quâ dilues excusatione calu-
mniam, paucas intra horas calicem exhausisti, quem à Patre plenum acceperas,
& sitis! *Iugl:* Præter fel & acetum quid propinet sitientibus mundus non habet.
Idem Profanatum contactu Iudæ fædo, divinissimum guttur, venire mox ad
Patris oscula horruit, nisi se priùs, quâ felle, quâ myrrha, quâ aceto lavaret, fuit
hæc tota sitis in cruce, quàm detergere spongia voluit, si quid in labijs de perfi-
di osculo supererat, ideò cùm gustasset assecutus jam vota, bibere noluit. *Iugl:*
S. Brigitta Sveca cibos sibi admixto absynthio corrumpebat ut eo pacto coleret
Xti palatum myrrhâ & absynthio male tractatum. *Barry*.

am plenam aceto hysopo circumponentes obtulerunt ori ejus. 30. Cùm ergo accepisset IESVS acetũ, dixit: [a] consummatum est. Et [b] inclinato capite tradidit Spiritum.

Matth: 27. 51. Et ecce [c] velum templi scissum est in duas partes à

a Tu autem considera quomodo crucifixus omnia sine aliqua perturbatione transegit: matrem commendavit, prophetias implevit latroni spem bonam dedit &c. *S. Chrysost:*

b Absoluto redemptionis mysterio, nil nisi mors defuit, quæ & ipsa suo officio perfuncta est postquam illi DEI filius ut mortis ac vitæ Dnus potestatem fecit:

atq; ita facto capitis annutu Xtus obiit. *S. Athanas:* Inclinavit caput ut Patri suo
cælesti, obsequentis & ad nutum parati filij signum exhiberet, quem paulò ante
invocarât ex *S. Bernard:* Quasi supra Patris gremium caput repausans. *Ori-
genes*. Inclino caput quia per obedientiam morior. *Hugo Card:* Sicut olim
Moses mortuus est jubente Dno Deut 34. Agit gratias Patri pro data facultate mori-
endi ob hominum salutem. *Barry*. Cupiebat matrem ad pedem crucis stantem
intueri, & extremum dicere vale, quàm quia vidisset adeo afflictam, idcirco tã
acerbum dolorem percepit ut expiraverit, matris carissimæ tristi aspectu mor-
tem accelerante. Demisit caput, velut eo habitu honoratum titulum regis sibi
impendentem recusaret non aliud imperium quàm cordium nostrorum affe-
ctans. Vel ut honorem nomini IESU supra caput affixo haberet. Ut circum
spiceret seipsum num in toto SSmo corpore pars ulla super esset nondum sau-
cia, cumq; vidisset latus & pectus adhuc illæsum, capitis nutu significavit illam
etiam partem vulnerandam. Inclinavit caput ut extremam paupertatem osten-
deret, ut nec habuerit ubi caput reclinaret vivens ac moriens. *Barry*. Homo

post

post peccatum mansit versùs terram inclinat9 *Concidit vultus ejus. Gen: 4.* Xt9 requirit capite inclinato *levate capita vestra. Luc: 21. S. Amb:* Ut respiceret Adamū sub cruce jacentem *Surge qui dormis! Eph: 5.* Inclinavit cervicē sub onere criminū nostrorum: *iniquitates vestræ supergressæ sunt caput meum & sicut onus grave gravatæ super me Psal: 37* Demisso capite petit ablui, abstergi, curari, foveri, tumulari maximè in cordibus. *Ex Staniursto.* Inclinat caput pastor ad ovem perditam supponens humeros ad nos & onera nostra. *Hugo Car:* Caput suum inclinavit ad indulgentiam. *S. Laur: Iust:* Quasi in signum reconciliationis & condonationis hominibus noxarum, caput pronum habuit ut amicis suis bene precaretur, & cum manus ejus essent impeditæ, capite ad eam rem usus quòd solum in potestate habuit. Ut mundo valedicat quasi nutu, vale munde perfide, fallax, crudelis qui tam indignis modis tuum conditorem tractâsti. Commendarât Patri Spiritum, sed hunc etiam DEUS Pater hominibus deberi monuit, proinde ut alius Evang: *tradidit Spiritum* inclinato capite ad homines, quò pondus ejus amor ejus, tanquam ad suum centrum gravitabat *Barry.* SS. August: & Bernard: ideò putant ut nos ad se amandum invitaret, Ideo locum illum aspexit, quo vulnus postea cordi debuit infigi, docens hoc esse vulnus amoris: hanc latebram ubi nostri amores collocandi, in quem mens nostra pro eorum quæ pro nobis pertulit, recordatione secedat *apud Barry.* B. Agnes Ord: Minim: moribunda curavit sibi prælegi passionem Cum audiret Xm alapâ percussum: sibi quoq; excussissimam inflixit: & hic fuit supremus conatus velut ultimi igniculi morientis candelæ: cum verò proferretur *Inclinato capite &c.* ipsa quoq; caput inclinans expiravit. *Barry.*

Cernitis ut pronum flectat caput ut pia pandat
Brachia: & ingratas vocet ad sua vulnera gentes.
Scilicet amplexus non rejecturus amicos. *Sannazar:*

Caput habet inclinatum ad osculandum, brachia extensa ad amplectendum, totum corpus expositum ad redimendum. *S. Aug:* Recedite Parcæ accedite gratiæ, vestro in sinu moriatur vitæ parens: caritas non mors vulnerat DEUM: vulnus charitatis quis mortale crediderit! seu habitu charitatis armata mors vitam attulit cum abstulit: vel os mortis induens vita mortem attulit DEO: ut mors disceret vivere & vita reviviscere. *Bomplanus.*

Luce obijt Veneris, Veneris fit turba: videtur
Causa DEI passi non minima esse Venus. *Bauh:*

c Eodem fungebatur officio quo Xti corpus: postquam ergo caro ipsius, velamentum ignominiæ effecta est, propterea velum templi scissum. Qui charitatē proximi quæ operit multitudinem peccatorum scindit, Xti corpus non ut Xtianus sed ut gentilis: scindit *S. Cyril: Ierof:* Ob fictam blasphemiam DEI Filio imputatam Pontifex vestem scidit, nunc DEUS ob innumeras maximè sacerdotum blasphemias templi sui vestem scindit, ut statim appareat quàm peccata in DEI templo commissa displiceant. *Novarin:*

a Xto adhuc vivente sol occidit; terra vix emortuo mota est. Serò terra commovetur ad mortē Dni, citò solem tristi velo tectū

summo usq; deorsum [a] & terra mota est [b] & petræ scissæ sunt. 52. Et

video:

video: Qui præest luminaribus præeat sensu conditoris interempti necesse est. *Velloso.* Nobiliora citiùs vim divinitatis & radios ejus senserunt. *Salmeron:* Apparet hic summa Xti morientis clementia & pietas in suos persecutores: terram concutit, lapides scindit: ostendit se longè faciliùs eos perdere & in nihilum redigere posse si vellet: vires suas in elementis ostendit ut in hominibus bonitatis & clementiæ divitias ostenderet. *Novarin:*

b O duriora saxis pectora Iudæorum! finduntur petræ, sed horum corda durantur: horum immobilis duritia manet orbe concusso. *S. Ambr: l. 10. in Luc:* Celebravit ingenti natura tripudio, inferias mortis, exiliêre saxa præ gaudio & in choreas excitata cadavera, tumulos relinquêre. *Iugl:*

a monumenta aperta sunt, & multa corpora Sanctorum qui dormiêrant, surrexerunt. 53. Et exeuntes de monumentis post resurrectionē ejus venerunt in sanctam civitatem & apparuerunt multis. 54.[b] Centurio autē & qui cum eo erant custodientes IESVM. (*Mar: 15. 39.* Videns quia sic clamās exspirâsset [c]) viso terræ motu, & his, quæ fiebant, timuerunt valde, dicentes: verè filius DEI erat iste. *Luc: 23. 48.* Et [d] omnis turba eorum, qui simul aderant ad spectaculum istud, & videbant, percutientes pectora sua revertebantur. 49. Stabant autem omnes noti ejus à longè. *Matth: 27. 55.* Erant autem ibi & mulieres à longè quæ secutæ erant IESVM à Galilæa ministrantes ei. 56. Inter quas erat Magdalene & Maria Iacobi & Iôseph Mater, & [e] Ma-

a Nasciturо Xo tellus negavit hospitium, sui eum non receperunt; denato aperuit tumulos, ipsi mortui certârunt officijs, surrexerunt ut tumulando Deo locum concederent: intrantem autem in orbem vivi excluserunt ab ædibus & omni diversorio. *Xaver: Fresneda.* Tubâ nōdum auditâ novissimâ jam resurgunt mortui, perire DEUM posse non crederent, nisi iterum viverent ut viderent. Noctem hanc ne somno natam putares, corpora quæ dormierant, surrexerunt. *Iugl:*

b Bene te hominem credere Cēturio, desijt cùm ita morientem, ita exclamantem audivit. *Iugl:*

c Cur Xtus lapides in se correptos. Ioan: 8. & 10. evasit? crucis autem supplicium subijt! ℟. S. Chrysost: Tumultuarium genus necis est lapidatio, & inter lapidū fragorem non poterant exaudiri Xti verba. *Novarin:* quod in *Schedis* notat in decursu passionis non aliud miraculum Xm patrasse, nisi Malcho aurem restituisse: nimirū ut ubiq; auris integræ usus est necessarius: tum maxime, ubi DEUS pro nobis passus dicitur: ut per aurem ad cor eat. *lib: 9. n. 12.*

d Compuncti corde conversi; & tanti sangvinis, tâm impiè & immaniter fusi indulgentiam perceperunt, ipso redempti sangvine, quem fuderunt. *S. Aug: in Ioan: Tract: 92.*

Ma-

e Magna harum mulierum fortitudo: ŭt cŭm diſcipuli fugiſſent; ad fuerint. Virile induunt mulieres pectus, fæmineum viri. Adfuiſſe mulieres dicuntur & Xto ex ſuis ſubſtantijs miniſtrâſſe: ut hic quoq́, hoſpitalitatis & beneficentiæ fructus extiterit, tam magnum in tot diſcriminibus animum habuiſſe. *No varino* Quæ regnum ſuis filijs poſtulaverat uſq; ad crucem ſequitur. Hic nihil poſtulat: ſed majori laude dignum Crucifixo adhærere quàm dextram ſiniſtramve Regni petere. *Idem.*

ter filiorum Zebedæi.
Ioan: 19. 31. Iudæi ergo (quoniam paraſceve erat) ut non remanerent in cruce corpora Sabbatho (erat ~~enim~~ magnus dies ille Sabbathi) rogaverunt Pilatum ut fragerentur eorum crura & tollerentur.
32. Venerunt ergo milites, & primi quidem fregerunt crura, & alterius, qui crucifixus eſt cum eo.
33. Ad IESVM autem cùm veniſſent, ut viderunt eum jam mortuũ, [a] non fregerunt ejus crura.
34. [b] Sed unus militum lanceâ [c] latus ejus aperuit, & continuò exivit ſangvis & aqua.
36. Et qui vidit teſtimo-

a Oſſa quæ ubiq; in ſcripturis myſticè pro virtutibus accipiuntur nihil nobis myſterij prædicarent in eo quòd frangerentur. *S. Rupertus.*

b Si fuiſſem in loco lanceæ illius numquid de latere illius exiviſſem. *S. Bonav:* Carolus IV. Imp: ab Innocentio IV. impetravit feſtum lanceæ Xti & clavorum feria 6. poſt octavam Paſch:

c Elatus in cathedram, veri Magiſter amoris, idiomate amãtium poſt hâc locuturus, ore clauſo, cor aperuit. *Iugl:*

Vt viderunt eum mortuum non fregerunt ejus crura hoc fecerunt milites oculos habentes, Longinus verò (juxta communem traditionem) cæcus quid! percuſſit Xm lanceâ: cæco in manus dans lanceam, illam in Xti latus mitti deſiderat. Heu quot hodie tales in mundo Longini, tam longi extenſi præſumptuoſi. &c. *Vieira. tom:* 1. *p.* 215. Eccleſia de Xti ſui ſponſi latere eſt formata ſicut Eva de latere Adæ: & formata quando illinc exivit ſangvis & aqua; ſangvis redemptionis pretium, & aqua baptizmatis: exiverunt ſimul; quia vim & efficaciam aqua capit ex ſangvine: *jam unus militum lanceâ latus aperuit*: ergone & milites ad formandam concurrũt eccleſiam! etiam: frequenter enim milites neceſſe eſt ſuis armis aditum aperire, liberumq́; per portam introitum pandere, per quàm ſangvis & aqua communicetur. *Idem.* Sic aperuit Carolus M. portam in Saxoniam & ſeptemtrionalia regna: Hiſpani in Indias utraſq́;. Non dixit percuſſit aut vulneravit, ſed aperuit, ut illic quodammodo vitæ oſtium panderetur, unde ſacramenta Eccleſiæ manârunt, ſine quibus ad veram vitam non intratur. *S. Aug:* Eccleſia & fit & conſiſtit per Sacramenta. Nam Baptiſmo naſcimur, confirmatione roboramur, Euchariſtiâ paſcimur & perficimur, pænitentiâ ſanamur, extrema uncti-

one

one munimur, ordine gubernamur, matrimonio propagamur. *S. Chrysost:* Qualis sudor in horto fluxit ex corpore; talis in cruce manuit ex corde. Cùm flere adhuc multa volentem Spiritus defecisset, quos jam non posset dare fletus ex lumine, dedit ex vulnere. *Idem Iugl:* Quis iste sangvis in corpore penitus exangvi, quæ aqua in mortuo præ siti? sangvis ille fuit (juxta Cyrillum) quem super se induxerunt ejus interfectores. *Sangvis ejus super nos.* Et aqua illa qua Pilatus manus lavit: (*erant hæc duo de latere: judicanti aqua, clamantibus verò sangvis.* S. Cyril:) Et quoniam utraq; fuit injuria ac ingratitudo immanis; quid mirum si Xus *tactus dolore cordis intrisecus* (quòd Gen: 6. de aqua diluvij dicitur) sentiret: quòd ad cor usq; penetrarent, ibidemq; usq; ad mortem conservarentur. Quid hæc sunt cum illinc exeunt! SS. PP. sentiunt in aqua baptizma, in sangvine fuisse Eucharistiam. Si igitur sangvis & aqua pectus Xti intrando fuerunt duo mortis instrumenta, quomodo exeundo duo sunt vitæ nostræ elemēta? hæc nempe excellentissima est cordis Christi qualitas: sic immutantur ibi contumeliæ in beneficia, injuriæ in misericordias, sacrilegia in sacramenta, ingratitudines summæ destillantur in amorem (ut Theophylac:) *contumelia invertitur.* Fecit autem hoc amor non ob Centurionis conversionem & confessionē, non ob plebis pectora tundentis pænitētiam: sed ob 3tiam eamq; maximam ingratitudinem. Omnium ingratitudinum maxima, lateris fuit percussio: quia aliæ omnes in Xm vivum, hæc in mortuum: & quidem pro hominum salute mortuum hinc Ps. 21. *Erue à framea DEUS animam meam.* Sive à lancea. Liberari petit non ob dolorem corpori subeundum, hoc enim jam mortuum erat: sed propter horrorem qui jam ejus feriebat animam: tantam apprehendendo atrocitatem. Hæc immanissima ingratitudo maximum elicuit beneficium, clavis facta (juxta Chrysost:) ultimorum gratiæ thesaurorum. Sic Xus contumelias vindicat & injurias, hâc monetâ soluit ingratitudines. *Vieira.* Lanceâ, non ait, vulneravit latus sed aperuit. Illa enim percussio non fuit vulnus pro corpore, sed porta pro sangvine: non inflixit vulnus corpori, illud enim non sensit, portam aperuit sangvini: quia sangvis emanavit: in corpore mortui sensus non vigebant ad patiendum: in sangvine etiam post mortem impulsus erat ad exeundum. *Vieira.* Aquam quâ manus laverat Pilatus; & sangvinem quem super se accusatores petierunt duo velut authentica suæ innocentiæ testimonia posuit Xus in corde suo, sicut quispiam per calumniam accusatus defert in sinu suo defensionis chartam & literas. Deinde innocens (quòd quotidie in mundo accidit) ivit ad supplicium. Præco proclamabat culpas, cor habebat defensiones: præconis culpæ erāt falsæ; defensiones cordis veræ. Sed quia cor in mundo non valet pro testimonio, innocentia est crucifixa. Moritur tandem & lanceâ aperiente cor patefit: exeunt illæ defensiones in publicùm, sangvis & aqua. Et hæc est distinctio judicij unius ab altero. In judicio DEI post mortem, proficiunt conscientiæ defensiones: in judicio hominum stante vitâ nullum valorem habent *Vieira.* Exivit sangvis & aqua; ut ita redemptio & emundatio prioris Adæ dimanaret. *S. Athan:* Aqua ut mundaret, sangvis ut redimeret. *S. Ambr:* S. Melchtildis sacri amoris flammas vidit è vulnere lateris erumpere. IESUS autem illam ad ingressum & deambulationem illuc invitabat, dicebat q. locum illic spatiosum esse ob desideria & amores quibus nos fuit complexus totâ æternitate: longum verò ob immē-

immensam diuturnitatem infinitæ suæ bonitatis. Aliàs eidem Divæ in acutissimis capitis doloribus ad captandum solatium cùm DEI Filius copiam faceret, in quo vellet vulnere quiescendi: atq; illa definire nollet, divinæ charitatis arbitrium secutura: Xtus lateris sui vulnus ostendit dixitq; huc intra hic quiesce: quôd illa tantâ sui consolatione fecit ut nil doloris in capite sentiret. An non & nobis idem domicilium in SSmi lateris plaga capite inclinato demonstravit, cùm digito non posset ob manus cruci affixas: ut illuc nostri oculi, vota & meditationes piæ respicerent. Ut perfugium in caverna ista cordis quærerent: ut illic ceu in fonte inspiceremus, quid nostri causa voluerit, fecerit pertulerit, & nostram vicem conferamus. Ostendit cor nostri amore penitus saucium, ut ipso vulnere vicissim sauciaret. *Barry.* Aperi nobis Domine: aperi nobis ostium lateris tui quòd est in arca tua, ut introducas nos cum mundis animalibus. Introduc nos ad te per ostium lateris tui quòd est fides Ecclesiæ &c *Drogo.* Inspice vulnera, cor habet apertum ad diligendum. *S. Aug:* Auri argentiq; venas qui cupis, hic siste. Non aliunde magis ditabere quàm è Xti latere. Latus Xti amoris fodina est: sangvis pro auro, pro argento aqua; in illo pretium, in hoc innocentiam cape: haurieo libentiùs quò amantius offertur. Quid lancea! amoris clavis: amor aperit, dum ferit. *Bomplanus.* De latere tuo fons egreditur in vitam æternam prosiliens & de eadem consubstantiali origine divisis limitibus aqua & sangvis emanant ad complementum perfectionemq; totiùs justitiæ. *S. Cyprian:* Ut nos faceret aquâ vocatos, sangvine electos: hos duos baptizmos de vulnere perfossi lateris emisit: quique sangvinem ejus crederent, aquâ lavarentur: qui aquâ lavissent, etiam sangvinem potarent. *Ter tull:*

a Dives dicitur: an ut hoc inter miracula Xti morientis recenseatur; quòd dives Xm crucifixum quærat, ut conferri cum petrarum scissione &c. possit. *Novarin: Dives* ut ostendatur cur à Pilato impetrare potuerit: si pauper, rejectus facile fuisset sed divitiarum vis potuit, quôd religio ac pietas non potuisset. *Idem.* Præclarum facinus ausus est, neq; enim ignotus aut obscurus erat sed unus ex senatoribus. *Victor: Antioch:*

b Exemplo Xti mortis animatus ostendit se publice Xti discipulum esse *Lyran:* Sensit Arimathæus emollitos mucrones patiētiâ magistri qui nec prætorem nec lictorem timet, & si minas intentant graves: nam crux DEUM explicans hominib9 lex est imperās necessitatem patiendi. *Velloso.*

nium perhibuit, & verum est testimonium ejus. Et ille ipse scit quia vera dicit, ut & vos credatis. 36. Facta sunt autem hæc, ut scriptura impleretur: os non comminuetis ex eo. 37. Et iterum alia scriptura dicit: videbunt in quem transfixerunt.

Matth: 27. 57. Cùm autem serò factum esset venit, quidam homo [a] dives ab Arimathea nomine Ioseph, qui & ipse discipulus erat IESV. *Ioan:* 19. 38. [b] Occultus autem, propter metum Iudæorum. *Luc:* 23. 50. Vir bonus & justus, hic non

consenserat consilio & actibus eorum. *Mar:* 15. 43. Nobilis decurio, qui & ipse erat expectans regnum DEI, [a] & audacter introivit ad Pilatum & petijt corpus IESV. 44. Pilatus autem mirabatur, si jam obijsset, & accersito Centurione, interrogavit eum, si jam mortuus esset. 45. Et cùm cognovisset à centurione donavit corpus Ioseph. *Ioan:* 19. 38. Et permisit Pilatus. Venit ergo & tulit corpus IESV. 39. Venit [b] autem & Nicodemus, qui venerat ad IESVM [c] nocte primùm, ferens mixturam Myrrhæ & aloës quasi libras centum. [d] Acceperunt ergo corpus IESV & ligaverunt illud linteis cum aromatibus, sicut mos est Iudæis sepelire. *Mar:* 15. 46. Ioseph autem mercatus [e] sindonem, & deponens eum involuit [f] sindone. *Matth:* 27. 59. Et accepto corpore involuit illud in sindone munda. 60. Et posuit in monumento suo novo quòd exciderat in petra. *Ioan:* 19. 41. Erat autem in loco, ubi crucifixus est, [g] hortus & in horto monumentum novum, in quo non dum quisquam positus erat. *Matth:* 27. 60. Et po-

a Mori non timet qui videt & cogitat vitæ auctorem pro se mortuum: in magistri morte did cerar mortem non timere vitamq; libenter prodigere *Metaphrastes* &c. placuit nec improbabile est, arduum hoc opus agressum Iosephum, virginis quæ aderat, hortatu: ut discamus difficilia quæq; in B. V. obsequium nobis adeunda. Nec periculum timendum dū B. V. svadet aut aliquo pacto seu indicio invitat. *Novarin:*

b Seu te crux nollet dimittere, seu tu crucem; inferenda utriq; à Nicodemo vis fuit. *Iugl:*

c Dimidia tantûm parte Xtum amans. *S. Greg: Naz:*

d Repuerascere visus es, Matris iterum ulnis exceptus, fuit hæc infantia mortis tuæ, quæ lactata MARIÆ lacrymis immortalem uiq; adolevit ad vitam. *Iugl:* De filio male tractato satiari non porat. *S. Bernard: Tunica filij mei est* cruentam pueri vestem quasi filij corpus deosculans: eâdem re dolorem incendens & leniens. *S. Gr: Naz: de Iacob orat:* 14. Nimia fili mi in patriam charitas, nimiaq; simul humanitas te: simul & me perdidit. *Dicebat Segistrata Mater super Agi filio principe Spartano cæso apud Plutarch:* Mater depone filij cadaver: amoris pondus, pondus est doloris. Hiccine DEUS! sqallet crinis flos potentiæ, squallet frons majestatis speculum: jacet supercilium æternitatis horoscopus, rigent signa felicitatis oculi, langvent manus rerum artifices: frigent pedes naturæ Domini: horrescit corpus pompa pulchritudinis. Sit cecidit sic jacet columen & culmen rerum. Erravi: cadaver DEI, trophæum est amoris: si gloriari vellet DEUS hoc gloriaretur. Cum ab amore vincitur

citur triumphat DEUS: hoc cadavere mors animatur in vitam. *Bomplanus.*

e Quantiscunq; sumptibus constet, lucrum est pietatis nomine facere sumptum. *Tertul:* Ille Xm in munda sindone involuit qui purâ eum mente suscipit. *S. Hieronym:*

f A mundissimis manibus in Sindone munda depositus, ne mortuus quidem toleras sordes. *Iugl.*

g Ut DEO mortem fuisse in delicijs scias tumuli locum attende: non Eremus sed Hortus est. *Iugl:* Quid si in horto geniali sepulchrum, ne quis genio largè indulgeret! *Velloso.* Renascitur homo ubi tumulatur Xtus: inchoatur immortalitas hominis, ubi desinit mortalitas DEI, Eheu! exanimis DEUS est! quia homo deseruit Spiritum DEI. Dejicitur in tumulum, quia è corde ejicitur: nisi doles ti me: prope tumulum Tribunal erit: imò gaude, sepulchrum DEI, limen cæli est. *Bomplanus.*

fuit illud in monumento suo novo, *a* quod exciderat in petra, & advoluit saxum magnum ad ostium monumenti & abiit. 61. Erat autẽ ibi Maria Magdalena & altera Maria *b* sedentes contra sepulchrum.

Mar: 15. 47. Maria autem Magdalene & Maria Ioseph aspiciebant ubi posuerunt. *Luc:* 23. 55. Viderunt monumentum & quemadmodum positum erat corpus ejus. 56. *c* Et revertentes paraverũt aromata & ungventa, & Sabbatho quidem siluerunt, secundùm mandatum. *Matth:* 27. 62. *d* Altera autem die quæ est post parasceven convenerunt Principes Sacerdotũ & Pharisæi ad Pilatum. 63. Dicen-

a Vide in isto pietatis & sanctitatis semina, ac veluti fundamenta: novum sibi sepulchrum exciderat, mortem & sepulchrum cogitabat: quidni pijs operibus det operam? si Sacerdotum principes mortem, si sepulturam cogitâssent, in tam immania scelera fors non cecidissẽt. *Novarin:* In simplici sepulchro Dominus ponitur, ut divitũ ambitio arguatur, qui etiam mortui fastûs & superbiæ insignia præferunt. In aliena sepultura locari voluit, quia pro aliena salute mortuus. Suum non habuit sepulchrum qui non sibi mortuus sed nobis. Cur denique propriũ curaret brevi surrecturus. *Idem.* Non admissurus ad ostium lapidẽ nisi cum eo sepulta mors esset, quam ultra liberam nollet? *Iugl:*

b Vide conversum Ordinem: Discipuli siquidem fugerant, Discipulæ verò assistentes permanebant. *Euthymius.* Cæteris abeuntibꝰ solæ mulieres perseverãt; ideo meruerunt primæ videre Xti resurrectionem. *Novarinus.*

c *Nardus mea dedit odorem suavitatis.* Cant: 1 Unxerat ante mortem Magdalena Christum nardo: at Virgo Mater multò plus habuit de pretiosiore alabastro, multo pretiosiorem nardum in filium jam mortuum sepul-

tumq;

tumq; effudit, tota illi commoriendo & se totam illi per maternum consepeliendo affectum. *Guilelmus in Cant:* Indivisa assidebat sepulchro. *Metaphr:* In ipsa sola remansit fides (*vide dicta superius*) & propterea dies Sabbati attribuitur ei. *S. Bonav:* Alias quoq; Marias adhortata ut secum versarentur persvasit, utq; essent forti & generoso animo: & vellent adhærere huic sponso qui non videtur & tamen cum non cernatur appropinquat. *Metaphr:* Infundunt mulieres oleum; Apostoli fundunt sangvinem: mortem istæ stupent; hi subeunt mortes: illæ portant aromata; hi flagella. *S. Chrysol:* Non hoc præcipuum amicorum munus est prosequi defunctum ignavo questu, sed quòd voluerit meminisse: quòd mandaverit exequi. *Tacitus.*

d Idest Sabbatho quare non exprimit Evang: An ut obliquè principes sacerdotum perstringat & arguat quod hac die Sabb: tam solenni, tanquam Sabb: non fuisset: quâ alias Xm facientem miracula calumniabantur ex mera superstitione: nunc ipsi nullâ sabbati religione tacti Præsidem adeunt, militem petunt, revoluto lapide sepulchrum aperiunt, claudunt obsignant, operibus servilibus minime abstinentes, tanquam si Sabbatum non esset: adeoq; nec Evan: nominat: quia non erat, quantùm ad Iudæorum insaniam. Hic impiorum mos ut alijs per calumniam legis violationem objiciant, ut invidiæ & malitiæ suæ famulentur; nullâ religione tangantur: nimirum in quo alios reprehendunt, magis reprehensibiles datâ occasione redduntur; & errorem quem in alijs damnant, in se non vident. In totâ historia passionis vix alibi Pharisæorum mentio fit: cur ergo signatè hic exprimuntur? an ut notanter illos perstringeret: qui cum exactissimam legis & traditionum observationem profiterentur: nunc Sabbatum violent: ut suæ malitiæ satisfaciant. Ferè accidit ut qui alios calumniosè carpunt, in eandem culpam facilè labantur. *Novarinus.*

tes: Domine recordati sumus quia
a seductor ille; dixit adhuc vivens:
post tres dies resurgam. 64. Iube er-
go custodiri sepulchrum usq; in
diem tertium, ne forte veniant di-
scipuli ejus, & furentur eum, & di-
cant plebi surrexit à mortuis. Et
erit novissimus error peior priore.
66. Ait illis Pilatus: habetis custo-
diam, ite custodite, sicut scitis. 66.
Illi autem abeuntes munierunt [b]
sepulchrum signantes lapidē cum
custodibus.

a Seductor vocatus titulum hunc pro epitaphio excipis nullā tibi magis laude placens quàm quòd ambulantes in tenebris seduxeris in viam lucis. *Iugl:*

Epitaphiū sepulti IESV.

b Conditur hoc tumulo conditor, exemplar hominis & exemplum DEI. Prius fecit quæ doceret; opus enim in homine animat verba: verbum in DEO animat opera. Puer latuit, paruit juvenis, vir toleravit. Non custoditur pueritia nisi lateat, non regitur juventus nisi pareat: nisi toleret, vir degenerat. Mitis vixit ac humilis corde; & mansvetudo conciliat homines: humilitas DEUM. Quid verò est vivere?

nisi Deo hominibusq́; placere. Demum ex alto moritur: non bene enim moritur qui non procul à terra. Natus in stabulo, in cruce mortuus, in sepulchro novo conditur: an quia novum in orbe, nasci & mori DEUM. *Bomplanus.*

Aliud epitaphium Xto sepulto, instrumentis passionis ejus deniq́; Iudæ proditori, invenies apud Aloisium Iuglarem, in elogijs DEI hominis.

Cui sit honor & gloria. Amen.

ADMONITIUNCULA AD LECTOREM

De annotationibus hujus secundæ partis deq́; earum usu.

ANnotationes marginales non singulis versibus textùs Evangelici apponũtur; sed ijs tantùm qui moralitatis, præsertim rarioris capaces visi. Nec omnes quotquot reperiri in Sanctis Patribus, probatisve Authorib9 possent: sed illæ duntaxat quas suggesseruut authores, qui ad manũ erant; idq́; semper habito delectu. Literulæ annotationib9 præfixæ remittunt lectorem ad textum eâdem literâ prænotatum; & vicissim â textu ad annotationem. Numeri qui in versibus textùs sparguntur, ubi sunt bini, prior caput Evangelistæ, posterior versum designat: ubi singuli, solùm versum illi9 capitis quod superiùs fuit expressum. Dum uberior seges moralitatum occurrit, non solùm oppleti margines, verùm etiam in aversam alicubi, alicubi in oppositam paginam, subinde integram, annotationes excurrerunt: scito proinde Lector benevole quidquid supra textum sequentem est, ad antecedentem totum spectare. Authores cuilibet textui subjunguntur: sicubi vero nomen authoris non est appositum: ex arguto charactere facile Aloysium Iuglarem conjicies. Ne autem dimidiata authorũ nomina dubinm faciant; syllabum omnium initio libri invenies, ex quo & nomina & qualitatem Authorum addiscas. Textus eorũ plerùmq́; ea fide posui, prout in fontibus, aut ab alijs citatos inveni: si prolixiorẽ alicuj9 discursũ brevitatis studio fuit op9 cõtrahere, non apposui Authorẽ in recto: sed ex eo dũtaxat hoc vel

vel illud esse annotatum. Vsus porrò annotationum istarum multiplex esse potest. 1mò si continuâ lectione passionem Domini percurrendam statueris: identidem ad notas marginales excurrere non erit inutile, manducentibus literulis ad colligendam uberiorem meditandi materiam. Verùm expediret potiùs per partes sacram hanc Historiam commentari; & per membra, quàm totam simul: aliàs enim frequens excursus ad margines, & in ipsis marginibꝰ ad varias nec rarò oppositas reflexiones, offendiculo màgis erit quàm auxilio. Totam passionem lecturus, consultiùs oculum ab annotationibus ad solum textum recollegerit.

2do Si concionem, exhortationemve sacram de passione Domini seu universa, seu in mysteria dispertita, institueris: perleges totum opusculum: nec enim prolixum est, aut certe illam partem, quæ ad propositum est, adibis cnm suis annotationibꝰ. Ex quibus (ni fallor) tum argumenta dictionis, tum confirmationis adjumenta, tum amplificationis semina decerpes. Quanquàm (ut fatear) sicciùs nonnihil illa mysteria tractavimꝰ quæ complures alij patrio latinove idiomate tractant, & quorum lucubrationes præstò occurrunt. Nec enim luculentos commẽtarios, sed breves reflexiones scribere fuit institutum.

Deniq; ad alias quasvis sacras conciones cujuscunq; argumẽti fæcundandas & ornandas, moralitates hic non paucæ congestæ sunt: quarum si indicem in calce libri positum consulueris, forsitan subinde poteris juvari. Numerus in indice paginã, literula annotationem indigitat. Cæterùm pro complemento paginæ affectum ab argumento proposito non abludentem ex P. Gvilelmo Stanihursto habe.

Supplex affectus ad CHRISTVM Passum.

QVærens me sedisti lassus, redemisti crucem passus, tantus labor non sit cassus. Te obsecramus per illam crucem, quam incurvo corpore, inclinato vertice, capite spinis coronato, fra-

ctis humeris, lacero tergo, ſangvinolentis pedibus, lacrymantibus oculis, ſuſpirante corde, pro noſtra ſalute portâſti, repens per plateas Ieruſalem, ad montem Calvariæ. Per illam crucem te obſecramus, quam perfudiſti tuo ſudore, tuis lacrymis, tuo ſangvine, in qua pro inimicis Patrem orâſti, latroni paradiſum promiſiſti, Patri Spiritum reddidiſti, ut hæc Crux in die judicij ſit nobis inſtrumentum vitæ, non mortis: ſalutis, non perditionis; clavis denique Cœli, ubi tecum æternùm regnemus, qui regnâſti à ligno.



QVÆSTIONES & responsiones Textum SS. Evangelistarum, passionem CHRISTI describentium elucidantes.

Quandoquidem Principes Sacerdotum & tota perversa gens Iudaica in Salvatoris innocentissimam mortem tum vel maximè conspirârunt dum quatriduanum & iam fœtentem Lazarum de monumento ad vitam revocavit & nos opusculi hujus materiam inde exordimur uti in Elencho n. I. exprimitur. Operæ pretium est inquirere ac elucidare.

I.

Quis nam ille fuerit Lazarus quem CHRISTUS à morte suscitavit? & an majus sit miraculum obstinatum peccatorem converti, quàm à mortuis resurgere?

LAzarum Marthæ & Magdalenæ fratrem inde bonum virum c gnoscimus, cùm eum CHRISTO dilectum esse *Discipulus ille quem diligebat IESVS* testatur *Ioan:* 11. Neq; alia persvasione ad ferendam ei opem CHRISTVM absentem. Sorores quam dilectione invitant; *Domine ecce quem amas infirmatur.* CHRISTVS I.

 etiam

etiam Dominus postpositis in suam vitam Iudæorum machinationibus accinxit se itineri in Iudæam, non obstante discipulorum disvasione: *Rabbi nunc quærebant te Iudæi lapidare, & iterum vadis illuc.* Vt Lazarum, quem amicum suum vocat, à somno excitaret. Deniq; & Iudæi dum IESVM lachrymantem advertunt, profitentur teneritudinem amoris ejus in Lazarum: *dixerunt ergo Iudæi: ecce quomodo amabat eum.*

2. Et quamvis idem S. Evangelista non faciat mentionem, post suam tamen ad vitam revocationem Lazarum ingentes CHRISTO egisse gratias vitamq; ab ipso receptam æternùm dedicasse, piè existimandum est, factus enim ejus Discipulus, Prædicator & Episcopus.

3. Vitam ejus describit Petrus de Natal: Episc: Esquilinus lib: 1. Catal: Sanct: c. 72. *Lazarus Episcopus frater Marthæ & Magdalenæ, nobilis de genere Iudæorum; dives ac præpotens, patre Syro, matre Eucharia exortus: quatriduanus defunctus, à Domino ex mortuis suscitatus, Discipulus CHRISTI & Apostolorum consocius fuit, & in die* Pentecostes *unus ex numero centum viginti Discipulorum exstitit, in quos Spiritus Sanctus corporaliter effusus est. Et deinde una cum cæteris prædicationi verbi Domini instabat &c. Verùm persecutione Iudæorum, quæ facta est post Stephani lapidationem, ut dicitur Act:* 8. *ipse unà cum sororibus suis & S. Maximino, & S. Celidonio, qui fuerat cæcus à nativitate, & cum Marcella pedisequa Marthæ, naviculæ sine remo vel duce impositi sunt, & mari expositi, à Iudæorum finibus expulsi. Qui DEO duce Massiliam pervenerunt; ubi prædicante Magdalena, & omni Provincia ad DEVM conversa, ipse anno decimo quarto, à Clero & populo Episcopus Massiliensis constitutus est. Et postquam Magdalena deserta montium petijt, ipse Massiliæ degens, DEI* popu-

populum feliciter gubernavit, ubi & in Domino requievit 10. Kalen: Ianuarij cujus ibidem in matrice Ecclesia caput ostenditur.

Addit idem Author: *Dicitur quòd Lazarus à Domino suscitatus confestim CHRISTUM interrogavit, an eum iterum mori oporteret: & quod de cætero nunquam risit.* Certè posset de se dicere Ecclesiast: 2. *Risum reputavi errorem: & gaudio dixi: quid frustra deciperis?* 4.

Si quæras quod fuerit majus miraculum an Lazarus à morte suscitatus an Soror ejus Magdalena peccatrix ad pænitentiam conversa? 5.

S. Gregor: lib: 3. dialog: c. 17. hoc resoluit. *Majus est miraculum prædicationis verbo, atque orationis solatio peccatorem convertere, quam carne mortuum suscitare, in isto enim resuscitatur caro iterum moritura, in illo verò anima in æternum victura.* 6.

Considera hoc etiam quòd in S. Scriptura mortui passim dicuntur dormientes: & CHRISTVS Dominus dixit: *Laxarus amicus noster dormit, sed vado ut à somno excitem eum.* Qualis ergo differentia est inter dormientem & mortuum, talis inter, naturali in corpore, & spirituali per peccatum in anima, mortis sopore obrutum. Ne tamen talis quamvis sepultus & fætidus desperet æternam vitam, S. Thomas à villanova hæc sex remedia proponit, scilicet: *Pia Patronorum interpellatio, amara delictorum contritio, diligens passionum curatio, clara peccatorum confessio, efficax Sacerdotum absolutio, & pænitentis debita satisfactio.* Vide plura tùm alibi, tùm in conc: ejusdem Sancti fer: 6. post Dominicam 4. quadragesimæ & Dominica passionis. Vbi etiam hæc reperies. *Sic dole, sic luge, sicut Mulier unigenitum plorat defunctum &c. &c. O Homo si sic plorares animam tuam, si sic plangeres ani-* 7.

mæ tuæ mortem! neq; enim minùs cara est anima tua, quàm Matri unigenitus. (addit verba S. Augustini) *quantò ergo magis lamentari deberes animam mortuam, quam potes lachrymis suscitare, quàm illa filium, quem lugendo non potest revocare ad vitam. Si enim posset* (ait idem S.Thom:) *quid non faceret? quomodo ejularet? sed væ nobis insensatis, qui mortuâ animâ mille peccatis, nullum sentimus dolorem! sed opus est exprimere lachrymas, excitare dolorem, quærere afflictionem &c. &c.*

8. Quàmvis plures mortuos CHRISTVS ad vitam suscitaverit, tres tamen notabiliter SS. Evangelistæ recensent. 1. Filiam Archisynagogi in domo. 2. Filium viduæ, qui ad tumulandum efferebatur in porta. 3. Lazarum quatriduanum & fætentem in sepulchro.

9. Puella repræsentat peccatorem, qui peccatum suum continet in mente & cogitatione. Adolescens in porta, peccatorem, qui peccatum suum opere patefacit, & alijs affricat. Lazarus in monumento: qui peccatum opere consumavit, illudq; iterando, ejus habitum contraxit. Vnde primam suscitat CHRISTVS seorsim & secretò orando, secundum, imperando: *Adolescens tibi dico, surge* Luc: 7. 14. tertium voce magna clamando: *Lazare veni foras.* Ioan: 11.

10. Et quoniam hoc miraculum, id est Lazari resuscitati, majoris miraculi insigne sit, videlicet resurrectionis illius, quando peccator à peccati mortiferi horrenda morte in vitam gratiæ à DEO revocatur. Profectò conversio obdurati peccatoris jure merito miraculum miraculorum dicitur: Prout S. Chrysost: serm: 63. Miraculum hoc Lazari à morte resuscitati signum signorum, & virtutem virtutum appellat id est miraculum miraculorum. Euthymius: maximum ac duplex miraculum, S. Basil: hom: 4. de

4. de gratiar: actione, miraculum in miraculo. Sed hi in eo sensu fortè scripserunt quia, non solùm, qui fætebat resurrexit, sed etiam qui vinctus erat in sepulchro; exivit de monumento. Ideoq; S. Ambros: lib: de fide resurrectionis inquit: *Comprehende si potes, quomodo Lazarus clausis oculis iter carpat, vinctis pedibus gradum dirigat? &c.* Sed hæc posses & de peccatore, spirituali morte mortuo, applicare; qui intellectu excæcatus, vinculis malarum consvetudinum strictus, tamen potest, per gratiam DEI excitantem gradus virtutum facere, & progredi. Itaq; ex his circumstantijs, conversio peccatoris, miraculum in miraculo, vel miraculum miraculorum, dici potest.

II.

Quot genera consiliorum Iudæi habebant, & illud, quod contra CHRISTVM habuerunt, quale fuit?

MAldonatus & Franciscus Lucas, cum alijs ex Talmudicis Doctoribus tradunt triplex apud Hebræos fuisse Tribunal. Imum Din mamonæ, id est judicium de re pecuniaria, quod erat triumvirûm. Secundum Din mispat, id est Tribunal judicij scilicet de re capitali, in quo examinabantur causæ homicidij, latrocinij &c. &c. Hoc Tribunal constabat viginti tribus judicibus. Tertium erat Sanedrin, in quo graves causæ & scelera, & hæresis, falsi prophetæ, idololatriæ, apostasiæ &c. examinabantur, quod erat septuaginta duorum Iudicum. Hoc concilium tàm statim post re suscitationem Lazari, quàm postea capto jam vincto & in domo sua præsentato Christo, contra eum Caiphas convocavit. I.

2. Verisimile est in utroq; hoc concilio aliquos CHRISTI sectatores vel amicos absuisse vel quia à Caipha non fuerunt vocati ne CHRISTVM defenderent, vel etiam nolentes se impiorum consilio involvere & in mortem innocentis consentire, sponte aliò diverterunt, vel etiam, quàmvis intersuerunt aliqui illorum uti Nicodemus, Iosephus ab Arimathæa vel alter quis ex occultis CHRISTI discipulis & favorabilem in CHRISTI partem sententiam tulerunt, tales impiorum insultu extrusi, vel in condito clamore oppressi tacere coacti sunt.

3. Sederunt itaq; (impij illi consultores ac iniquissimi judices) *& singuli sententiam dicebant* (ut ait S. Thom: à Villan:) *unus* dicebat, comprehendatur secretè, & mittatur procul in custodiam ubi amplius non appareat. Alius, *ligetur, & mittatur* ad Cæsarem vel *Pontio Pilato tradatur.* Alius, *occidatur secretè* ab aliquo. Alius invitetur & potetur veneno. Alius publicè rapiatur & occidatur sed non in die festo ne fiat tumultus in populo. Nullus erat ibi qui responderet pro innocente & diceret: quid mali fecit? nullum aliud crimen reperitis, nisi quòd signa multa facit, quòd sanat ægrotos, quòd illuminat cæcos, quod suscitat mortuos, propter hæc adorare debuistis, & pro his occiditis? his beneficijs talem præstatis remunerationem? ô audaciam! ô cæcitatem stolidorum consiliariorum! Illum tentatis occidere, qui mortuis vitam præstat? qui tantam à DEO accepit potestatem, & non consulitis an poteritis? talem vobis facitis inimicũ, & non timetis ne fortè ille occidat vos. Faciliùs enim multò est vivos occidere, quàm mortuos suscitare.

4. Pulcherrimè ac Graphicè idem S. Thomas conc: fer: *6.* post Dominicam passionis processum Consilij illius cõtra CHRISTVM deducit, verbis impiorum contra justum

in

in libro Sapient: c. 2. (*Dixerunt impij &c.*) adcitatis, quæ brevitatis cauſâ omittimus. Hoc minimè prætermittendum eſt, quòd Caiphas Pontifex anni illius auditis ſingulorum ſuffragijs abſolvit negotium dicens: *Vos neſcitis quidquam, nec cogitatis quia expedit vobis ut unus moriatur homo pro populo. &c.* quid aliam cauſam inquiris? ſufficit ad hoc ſalus populi. O profane quantam veritatem dixiſti! &c. Non debet occidi innocens etiamſi inde ſperetur quæcunq; commoditas, quia ſangvis effuſus clamat contra populum: neq; occiſio innocentis poteſt eſſe populo utilis, ſed nociva. Aliâ viâ quærendum eſt remedium, nam occidere innocentem, non eſt quærere ſed deſtruere bonum publicum. Ab illo ergo die decretum & determinatum eſt ut CHRISTVS Dominus occideretur, ſed quia non dum advenerat tempus paſſionis ejus, *abijt in regionem juxta deſertum, in civitatem, quæ dicitur Ephrem & ibi morabatur.* Ioan: 11. uti inſinuatum eſt in Elencho n. 6.

Phariſæi & Pontifices non invenientes eum Ieroſolymis, dederunt mandatum & voce Præconis juſſerunt ſub anathemate & ejectione à Synagoga, ut ſi quis noverit ubi ſit, indicet ut comprehendatur, & ut exiſtimo (ait S. Thom: à Villan:) quæſitus eſt in domo MARIÆ & Marthæ & per totam civitatem. 5.

CHRISTVS Dominus contempſit conſilium malignantium & impia decreta. Nam ante ſex dies paſchæ in Bethaniam venit, hoc eſt die veneris veſperi ante Dominicam palmarum, ibiq; ſequenti die id eſt Sabbatho ſumpſit cænam aſſidente Lazaro à morte ſuſcitato & à Maria Magdalena oleo pretioſo inunctus ſequenti die Dominico cum applauſu & gaudio populi Ieruſalem eſt ingreſſus & ſequentibus diebus erat docens in templo ut in E- 6.

Ien-

lencho n. 15. & sequ: innuitur, & non secundùm Concilij, sed suam voluntatem & Patris æterni decreta, mortẽ subivit.

7. Consilium definit Romanus Orator. *Consilium est examinandarum gubernandarumq; causarum subtilis animi prospectus* Tull: in 2. Rhet: *Deliberatio est ante quodlibet inceptum plena maturitatis & solertiæ consideratio.* Idem. Et Ecclesiastes admonet: *Fili sine consilio nihil facies, & post factum non pænitebit.* c. 32. *Fili ne sis Sapiens apud te ipsum, sed consilium semper à sapiente inquire. ibid:* Et ipse Dominus DEVS speciem quandam consilij repræsentavit in creatione hominis, quod sit idea & norma nostrorum, dum ait *faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Genes: 2. ut S. Greg: Niss: perpendit, *Solius ad hominis fabricationem Creator ille universitatis rerum quadam cum consideratione accedit:* quod & S. Basil: admirans ita loquitur. *Mare & pelagus immensum præcepto ad esse producta sunt: piscium genera omnigena jussu facta sunt; feræ & jumenta, & volatilia, dixit & facta sunt: hic non dum est homo, & consilium fit de homine. Ideo consiliamur, ut regulemur in actionibus nostris* Ægid: de regim: Princ: p. 2. l. 3. c. 16. *Ideo DEVS consilium præmisit dum hominem effingeret, ut eum doceat, aliorum consilia non detrectare.* Ioan: Pineda. l. 4. c. 37. Ethol: 924. n. 8. S. Chrysost: hom: de ferendis reprehension: ait: *Etiamsi perfectus sis, opus est tibi consiliario. Consiliarijs omnes opus habent. Multa enim sunt, quæ, etiam magni & admirabiles viri ignorant.*

8. Sprevit Iulius Cæsar spurinæ consilium, qui ob prognosticum Cæsari factum quòd *ultra Calendas Martij non viveret,* Ei, ut sibi cautè prospiceret, svaserat; quẽ cùm Cæsar fideliter monentem derideret, imò sibi Sena-

tum

tum ingredienti obvium hoc dicterio notaret: *nonnè Calendæ Martij advenêre?* Spurina eidem respondit: *sed nondum præteriêre.* Vnde paulò post per manus conspiratorum Bruti & Cassij violenta & funesta mors ei accidit.

Sed qui consilium bonum cupit invenire: DEI lucẽ postulet, quæ veluti fax inquisitioni præeat. Barad: tom: 3. l. 6. c. 7. Præclara sunt verba Iosaphat 2. Paralip: 20. *Cùm ignoremus quid agere debeamus, hoc solùm habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te &c.* Abjiciendus pravus timor, prava cupiditas, invidia, odium, omnesq; animi perturbationes longè repellendæ. Nam ut docet Angelicus Doctor 2. 2. quæst: 44. art: 2. Dicitur aliquis consiliativus, à facultate bene consiliandi, & sic nec timor, neq; aliqua passio consiliativos facit, quia homini affecto, secundùm aliquam passionem, videtur aliquid vel minus vel majus, quàm sit secundùm veritatem. Sicut amanti videntur ea, quæ amat, meliora; & timenti ea, quæ timet, terribiliora. Et sic ex defectu rectitudinis judicij, quælibet passio (quantùm est de se) impedit facultatem bene consiliandi. Hæc D. Thomas Angelicus Doctor. 9.

Necessaria est quoq; consultoribus scientia, necessarium est consilium. Proverb: 8. *Ego Sapientia habito in consilio & eruditis intersum cogitationibus. &c.* Necessaria maximè est conscientia, quæ ostensam amplectatur veritatem, & secundùm illam sententiam ferat. 10.

Vnde observanda cautio. Eccles: 37. 9. *A consiliario serva animam tuam, priùs scito quæ sit ejus necessitas.* Hugo Card: ait. Ideò primò considera qualis sit consiliarius, quàm ei consentias: Ne fortè sit terrenum ejus consilium, & te per cupiditatem figat in terram, & suum cõfirmet pro terreno commodo. 11.

Ex quibus patet consilium Caiphæ fuisse erroneum, 12.

qui solùm sibi sapiens videbatur? omnes alios veluti imprudentes vel inexpertos despicit & contemnit dicens: *Vos nescitis quidquam &c.* & ipse se magis ignorantem esse manifestè probat. *Consilium hujus Pontificis simpliciter fuit erroneum* inquit Dionys: Carthus: Svadebat enim facere malum, ut inde bonum eveniret, qui tanquàm ignorans nesciebat, quòd non sunt facienda mala, ut eveniant bona.

13. Carebant certè hi tam scientiâ, consilio, quàm conscientiâ. Odium enim, atq; invidia, consilium, conscientiamq; absorbuerat. Itaq; nesciebant quidquam. *Vos nescitis quidquam* &c. Sed neq; ipse Caiphas sciebat, neq; enim quod dixit intellexerat; etiamsi Evangelista eum dicit prophetâsse. Os tantùm ejus ad loquendum, non verò cor à DEO movebatur.

14. Consilium hoc Caiphæ fuit consilium iniquorum vanorumq; hominum ut ait Rupert: in Ioan: Nam neq; in eo videmus DEI imploratam lucem ideòq; tetra consultantes operuit caligo Psal: 81. *Nescierunt neq; intellexerunt, in tenebris ambulant, movebantur omnia fundamenta terræ. &c.* In tenebris consilium congregatum est cōmotaq; sunt Reipub: Iudaicæ fundamenta, consilij decreto atq; à fundamentis commota corruerunt. Neq; lex & Prophetæ in hoc consilium introierunt. Nam non secundùm legem atq; Prophetas sententiam dixerunt. Si enim (inquit Rupertus) Lex & Prophetæ in illam Ecclesiam introjissent, si ab illo consilio consulti fuissent, quid responderent dicentibus illis: quid facimus, quia hic homo multa signa facit? quid inquam, responderent? nisi, audite eum & credite in eum &c. *Iniqvum est omne consilium in quod Lex DEI ejusq; mandata non ingrediuntur.*

Opti-

Optimè de Caipha alijsq; malis consiliarijs verifica- 15.
tur: *Cagitaverunt consilia, quæ non potuerunt stabilire.* Psal: 20. 12. Quæ verba à S. Athanasio ita explantur: *Cogitaverunt consilia maligna, ut nomen CHRISTI delerent de terra, quæ non potuerunt stabilire, quia non est consilium contra Dominum. Hæc cogitaverunt & erraverunt, quia impediti sunt in consilijs suis, etenim hoc ipso amiserũt Regnum & gentem, quia CHRISTVM occiderunt.* Hugo Card: Dionys: Carthus: ait, *Ideò IESVM occiderunt nè a Romanis vastarentur, sed ideò sunt vastati, quoniam IESVM occiderunt.* Euthymius in c. 11. Ioan: *Prætextum sumpserunt occidendi CHRISTVM nè à Romanis internecioni traderentur; quia verò occiderunt internecioni traditi sunt. Et quæ fecerunt ut effugerent, ea, quæ fecerũt, non effugerunt.*

Socios multos hi habent Pontifices & Pharisæi: qui 16.
trepidant in damno temporalium, ubi non est timor; & non trepidant in damno Spiritualium, ubi maxima causa timoris existit. Ne timeas amittere pecuniam, sanitatem, honorem, sangvinem, vitamq; pro DEO animiq; salutem, hoc enim non est amittere sed lucrari. Tertul: ad Martyr: *Si aliqua, inquit, amisistis vitæ gaudia, negotiatio est aliquid amittere, ut majora lucreris.* Et S. August: *Pereat mundi lucrum, ne fiat animæ damnum.* Hunc timorem exigit à nobis DEI amor super omnia &c.

D. Bernard: tract: de gradibus humilitatis, Caiphæ 17.
& Pharisæorum judicium, appellat judicium timoris. *Iniqvus judex est timor pravus: sententiam contra CHRISTVM fert. Ne regnum terrenum amittamus, occidatur CHRISTVS. Eximius autem. Iudex est amor DEI, semper fert hanc pro DEO sententiam. Ne unus DEVS amittatur, amittantur omnia.*

18. Proverb: 10. *quod timet impius, veniet super eum &c.* Timebant Romanos Iudæi, venerunt Romani super eos, Remq; publicam penitus everterunt: (adde & vitam æternam amiserunt.) Vnde D. Auguſt: tract: 49. *Temporalia perdere timuerunt, & vitam æternam non cogitaverunt, ac ſic utrumq; perdiderunt.*

19. Vtinam ex hoc infelici Caiphæ ac Conſiliariorum ejus proceſſu & eventu, ſæculi noſtri Pſeudopolitici Machiavelliſtæ & perverſi Apolecti conſiliarijq́, intelligerent, ſaperent, & noviſſima providerent! *Non rationem ſtatûs*, ſed DEVM, Iuſtitiam ac conſcientiam præ oculis habendo. Profectò falſum illud non promulgarent tàm ſæpè edictum: expedit ut unus moriatur ne tota gens pereat, expedit, & præſens rerum ſtatus exigit ut Ius divinum humanumq́; violetur, expedit ut indemnitas Eccleſiaſtica juribus & ſancitis ſæcularibus ancilletur: expedit ut pauperes ſubditi continuis exactionibus opprimantur. Expedit &c. &c. *Sicque contingit & nunc multis qui deteſtantur facinus Phariſæorum* (ait S. Thom: à Villan:) *conſpirantium contra IESVM, & ipſi contra ipſum conſpirant, & intra ſe ipſos, ipſum crucifigunt.* Vnde lamentatur D. Bernard: *Totus mundus hodie conſpiravit contra te ô bone IESV.* Sed uti quondam Iudæorum, ſic & modo pſeudo - Chriſtianorum, magni conſilij Angelus, *adducit Conſiliarios in ſtultum finem, & Iudices in ſtuporem.* Iob: 12. 17.

III.

Quomodo Iudæi peccaverunt CHRISTVM occidendo, quandoquidem ipſe morte ſua voluit hominem redimere?

Quam-

QVàmvis mori DEVS statuerit pro homine, assumptâ humanitate, non tamen ad peccatum Iudæorum concurrit: sed mortem quam illi intulerunt, pati voluit. Vnde S. Leo serm: 16. de pass. *Non inde* (inquit) *processit voluntas interficiendi, unde moriendi: nec de uno exstitit Spiritu atrocitas sceleris, & tolerantia Redemptoris. Non impias furentium manus immisit in se Dominus, sed admisit; nec præsciendo quid faciendum esset, coëgit ut fieret: cùm tamen ad hoc carnem suscepisset ut fieret.* Vnde idem S. Leo serm: 1. de pass: *nil*, ait, *vobis gratiæ ô Iudæi, nil tibi Iuda debemus. Salvationi quidem nostræ non hoc vobis volentibus impietas vestra servivit & per vos factum est, quidquid manus DEI & consilium decreverunt fieri. Mors igitur nos liberat, vos accusat: meritò soli non habetis, quod omnibus perire voluistis.* Actio displicuit, Passio grata fuit. 1.

Prudentissimè R. P. Samuel Laberhittel S. I. in Scientia salutis consideratione 20. asserit: quòd peccato tantùm excepto, reliqua omnia erroris, malaq; physica DEVS simpliciter velit per se (sunt enim objectum simplicis complacentiæ DEI, quia bona simpliciter vel per accidens) ut volendo Iustitiam, vult pœnam; & quia permissio tribuit DEO effectus: Non enim permitteret, nisi vellet: excepto semper peccato, ad quod aspicere DEVS non potest: fieri autem eadem res DEO displicente, & placente sibi in eadem, sub diversa consideratione; ita displicet perditio hominis, quâ creaturæ: placet, quâ satis fit Iustitiæ; & ut ait D. Basil: Epist: 165. quidquid adversi contigit innocentibus, Iobo, Tobiæ, Iosepho, CHRISTO, volente DEO accidit. Ideo statuendum est nunquam admittere displicentiam circa Paovidentiam DEI. 2.

Qua-

IV.

Quare CHRISTVS Iacobo & Ioanni Apoſtolis petentibus ut unus à dextris, alter à ſiniſtris ſedeat in regno eius, reſpõdit: neſcitis quid petatis?

1. SAnctus Hieronymus in Matth: c. 20. v. 21. commẽtario ita fatur: *reſpondens autem IESVS dixit: neſcitis quid petatis. Nec mirum ſi iſti arguantur imperitiæ, cùm de Petro dicatur neſciens quid diceret.* Nempe Petrus & Collegij vertex, & Apoſtolorum Princeps deſignatus erat: Hic inquam, aliquando audivit duriuſculum verbũ. *Neſciebat quid diceret* Luc: 9. 33. Exinde oportebat ut idonea occaſione oblata, ſimili inſcitiæ elogio diſcipuli Petro inferi res, pariter devenuſtarentur, nè Petro inſcitiæ alicubi denotato rudes tunc, nec è cælo adhuc planè eruditi, fortè arroganter tumeſcerent, & ſe in re ſapientiæ putarent præferri Petro, qui Apoſtolorum Princeps renunciatur. Audiant Iacobus & Ioannes: *neſcitis quid petatis*, ſiquidem Petrus audivit: *neſciebat quid diceret.*

2. S. Chryſoſt: Hilar: Euthym: Theophylactus cenſent matrem pro filijs, vel etiam filiosmetipſos pro ſe, Spiritualia petîiſſe, & rem Apoſtolis dignam poſtulâſſe, cur ergo hæc petitio reprobatur? cur CHRISTVS DEVS eam diſertè damnat? dicens: *neſcitis quid petatis.* Innuit aliquid imperfecti operis Author, hom: 35. in Matth: dũ ita ait: *Non dicimus quòd rectè peteret hæc mulier; ſed hoc dicimus quia non terrena, ſed cæleſtia filijs ſuis optabat.* Meritò damnatur hæc petitio, quia etſi cæleſtia petit, *non*

rectè

recte petit. Petit importuno tempore: nam dum CHRISTVS ajebat de passione, *tunc accessit ad IESVM* expetens gloriæ sedes. Petit prærogativam adstantibus cæteris Apostolis, quod eorum provocavit indignationem: *& audientes decem indignati sunt de duobus.* Petunt, quod illis iam promissum erat, quasi ambigerent de promittentis fide desiderij impatientiâ. *Nesciunt enim quid petant* (ait Hilarius) *quia nihil de gloria Apostolorum ambigendum erat, judicaturos enim eos sermo superior exposuit.* Quid importunos intercessores advocant ad obtinendas sedes, quas CHRISTVS Dominus Apostolici Collegij Rector, illis ultro donandas promiserat? *Qui autem se ipsum donavit hominibus, quomodo ergo regni sui Societatem non donabit? Petentis negligentia reprehenditur, ubi de dantis misericordia dubitatur:* Imperfect: hom: 35. in Matth: scilicet recta non rectè negotiantur, & ideo rei ipsis debitæ velut repulsam tulêre, dum audiunt *nescitis quid petatis.* Res petita placet, tempus petitionis & modus petendi fastiditur & retunditur.

Sublimiori verò sensu ad petitionem: *Dic ut sedeant hi duo filij mei, unus ad dexteram tuam, & unus ad sinistrã in regno tuo.* Cur CHRISTVS DEVS rem Spiritualem summatibus Apostolorum non palam concesserit, sed rectiùs concessionem dissimulaverit? luculenter ex S. Hieronymi verbis rationem idem Celada eruit. *Sedere autem,* (inquit) *ad dexteram meam vel sinistram non est meum dare vobis. Sed ideò sedentium in regno cælorum vocabula non dicuntur, ne paucis nominatis cæteri putarentur exclusi.* Nimirum hiduo Apostolorum Proceres primas sedes in regno cælorum expetunt, quod cæteris præsentibus, & in eis omni Christianæ Ecclesiæ multitudine, palam concedendum non erat: nè, si duos cæteris præferri 3.

ri notum esset, à primarum cæli sedium pio ambitu cæteri viderentur exclusi, & inde ad horum merita pervenire desperarent. Et ideò primò sedentium in regno cælorum vocabula non dicuntur, ne duobus ad primatum palam nominatis, primæ sedis capiendæ torperet aviditas atq; pia cessaret æmulatio. Pro viribus quisq; ad cæli primatum contendat, religiosâ pietatis invidiâ certent universi neq; putent primas cæli sedes ab aliquo mortalium præoccupatas, ut illas perfectionis æmulatione solertiùs exambiant.

4. Nimis profectò audet Salome pro filijs postulatio. Magnum quid petunt adeò (ut dixerit Chrysost: 66. in Matth:) *si novissent, quæ petebant, non ausi fuissent tantum petere, quod superexcedit superiores virtutes.* Videbant Petrum sibi in omnibus præferri, & CHRISTVM olim audierant primatum throni Petro pollicentem, dum illi dixerat: *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Matth: 16. 17. in quo ergo inniti potuit tanta fiducia, quæ primas sedes in CHRISTI regno præsumeret excluso Petro, qui expressissimis verbis ad throni primatum à CHRISTO electus erat, & palàm primus Apostolorum omnium renunciatus: quid? ambiunt ut CHRISTVS DEVS revocet promissionem à se factam & omnibus pervulgatam, & repetitis actibus stabilitam? unde tanta Salome & filiorum præsumptio? scilicet Salome (ut eruditè inibi notat P. Maldonat:) *creditur Sororem B. Virginis fuisse.* Ecce tibi audacissimæ ambitionis incentivum expressum illis verbis: *dic ut sedeant hi duo filij mei &c.* Nempe throni primatum verbo DEI, Petro confirmatum, arctæ consangvinitatis jure, & cognationis merito filijs suis, extorquere præsumit. Nihil arduum fore putat, dum cognatio electionem procurat, dum sangvis

gvis thronos negotiatur. O quid non præſumat cognatio à cognato in ſublimi dignitate fulgente!

Hoc etiam in iſta petitione vel ambitu Iacobi & Ioannis conſiderandum venit, quòd Mater illorum non poſtulet, ut in CHRISTI regno, filiorum alter primam ſedem occupet, alter ſecundam; ne ullus ſecundus ſit, & ulli inferior, qui eſt ambitionis faſtus. &c. Vnde ambitioſâ dixit audaciâ: *Vnus ad dexteram tuam & unus ad ſiniſtram in regno tuo.* Verùm peritè notavit Author operis imperfecti: non bene petijſſe latus ſiniſtrum etſi expetendum de propinquitate, timendum tamen de infauſto. Nam ſiniſtra aſpectu ad Regem CHRISTVM, damnatorum ſedes eſt & reproborum character. Ego vos vocavi ad partem dexteram, & vos veſtro conſilio de dextera curritis ad ſiniſtram. Aſt non verentur damnatorum ſtigmate inuri, dummodò Regi propiùs accedant? planè ambitio quid petat, neſcit. Illud verò ſimilius eſt, quod tempeſtivè advertit Chryſoſt: exponens illud: *unus ad dexteram &c. Videbant enim* (inquit) *ſe ipſos honoratos præ alijs &c. timebant verò Petrum ſibi præferri.* Scilicet non petunt ſublimes ſedes, quas audierant ſibi promiſſas in regno CHRISTI, ſed id unum ambiunt, ut Petrum arceant, ut Petrum à Regis CHRISTI converſatione abigant, & à latere excludant: *Dic ut ſedeant &c.* Ipſos ſolos unicè utrumq; latus CHRISTI Regis cingere negotiantur, & utramq; præoccupare, & ſemper occupare aurem procurant, ne quid unquam, niſi quod ipſi ſuggerant ſaltem, ne quid Regi, niſi coram eis ſuggeratur, ſic eſſe ambiunt. Quod, & reliquorum indignationem commovit, & CHRISTI reprehenſionem exacuit: *Neſcitis, quid petatis.* Duobus duntaxat auritus erit Rex CHRISTVS, & reliquis ſurdus? Hæc ex varijs locis Didaci Ce-

ladæ excerpta ſunt.

6. S. Hieron: ait, non dixit: non ſedebitis, ne duos confunderet. Neq; etiam dixit: ſedebitis, ne cæteros irritaret. S. Ambroſ: lib: 5. de fide. c. Non eſt meum dare vobis, quod eſt: non eſt meum, qui veni humilitatem docere; non eſt meum, qui veni, non miniſtrari ſed miniſtrare; non eſt meum, qui juſtitiam ſervo non gratiam. Deniq; ad Patrem referens addidit: quibus paratum eſt, Vt oſtenderet Patrem quoq; non petitionibus deferre ſolere, ſed meritis, quia DEVS perſonarum acceptor non eſt.

V.

An una fuit Maria Magdalena, an etiam plures?

1. S. Chryſoſt: hom: 81. in Matth: opinatur eſſe duas. Origenes Theophilactus & Euthymius in cap: 26. Matth: opinantur fuiſſe tres. Scilicet *primam*, quam S. Lucas, ejus converſionem deſcribendo, vocat Mulierem peccatricem. Luc: 7. 36. Sequenti verò capite 8. v. 2. dicit: *Maria quæ vocatur Magdalene, de qua ſeptem dæmonia exierant. Secundam*, quæ ſex diebus ante paſcha & paſſionem unxit pedes IESV ungvento pretioſo. Ioan: 12. 3. *Tertiam*, quæ ante paſcha & paſſionem Domini, in Bethania alabaſtrum ungventi pretioſi effudit ſuper caput IESV recumbentis Matth: 26. 7. Divus Ambroſ: l. 6. in Luc: dicit poſſe & unam fuiſſe, & plures. Sed communis fidelium & Eccleſiæ ſenſus eſt, unam eandemq; fuiſſe Mariam Magdalenam, ſororem Marthæ & Lazari, de qua SS. Evangeliſtæ Lucas, Ioan: & Matth: narrant. Vide hujus probationes apud Corn: à lap: in c. 7. Luc:

&

& alibi.

Quòdsi objeceris, unam fuisse M. Magdalenam Iudæam, Sororem Marthæ, quæ habitabat in Bethania, aliam verò Galilæam à castello Magdalum denominata. Quòd fortè ejus loci Domino nupserat, aut in hæreditatis paternæ divisione hoc ei castellum sorte obtigerat. Respondendum: ratione prosapiæ & habitationis eam fuisse Iudæam, ratione verò possessionis, unde & cognomen habebat, fuisse Galilæam. Nam Magdalum in Galilæa fuit situm 2.

Si verò dices, illa Magdalena ante sex dies Paschæ Ioan: 12. describitur pedes IESV unxisse, illa verò, quam S. Matth: insinuat, ante biduum paschæ fracto alabastro effudisse supra caput IESV. Si locum consideraveris, quòd in domo Simonis leprosi gestum fuit in Bethania, facilè agnosces eandem & unctionem & mulierem. Nam, quam S. Ioannes describit, S. Matthæus per recapitulationem repetit, ut occasionem proditionis Iudæ, ex non vendito illo ungvento, innuat. Quòd autem unus pedes, alter caput CHRISTI asserit inunctum: hoc utrumq; Magdalena exhibuit. Nam inunctis pedibus CHRISTI, reliqvum ungventi, quod remanserat, fracto vase in caput Domini effudit totum. Ita expositores sentiunt. Vnde unã fæminam Mariam Magdalenam bis CHRISTVM unxisse SS. Evangelistæ narrant. Semel in conversione sua, quando & peccatorum remissionem recepit, multò ante passionem, quam S. Luc: c. 7. describit. Alteram verò unctionem ante sex dies, instante passione uti S. Matth: 26. Marcus 14. Ioan: 12. exprimunt. Ita sentit D. Gregor: hom: de Magdalena. S. August: lib: 2. de consen: Evangelist: c. 9. Beda lib: 3. in Lucam & alij quos citat Sixtus Senensis in bibliotheca S. lib: 6. annotat: LIX. Vide & 3.

Barrad: tom: 3. lib: 4. c. 2. Plures abſq; dubio ſunt Magdalenæ peccantes, pauciſſimæ verò pænitentes.

VI.

Quid ſit ungventum nardi piſtici?

I. OMiſſa aliorum interpretatione, certum videtur quòd ungventum hoc fuerit liquidum, quòd facilè ex vaſe effundi poſſit ad unctionem pedum & capitis. Et cùm Græcè piſtis, Latinè fides interpretatur, intelligi debet, quòd ungventum illud fuerit purum, ſincerum, non adulterinum, non cum alio mixtum. Nam facilè, ajunt aliqui, nardum pſeudo nardo lavendulâ ſive alijs herbis adulterari poſſe. Quòd vero idem ungventum dicitur Nardi ſpicati, Cornelius à Lap: id cenſet inde dici, quòd Nardus & ſpicas & folia habet, ex utroq; conficitur ungventum & denominatur ſpicatum, & foliatum. Illud præſtantius, quod plus habet ſubſtantiæ & medullæ, quod de ſpicis fit, ſpicatumq; nominatur, & Officinæ nardi ſpicam nuncupant. Videntur ergo Græci, Latinum nomen ſpicati mutâſſe in piſtici, quòd facilius & ſvavius erat in pronuntiatione deinde quòd illorum lingvâ ſignificet fidem, & fidele, verum, genuinum ungventum exprimit. Ita cenſent recentiores lingvarum periti, prout Franciſcus Lucas.

2. Alabaſtrum, vas erat ungventarium factum ex alabaſtrite ſeu onyche lapide marmorei generis in quo ungventa incorrupta ſervabantur. S. verò Epiphanius lib: de menſuris. *Alabaſtrum* (ait) *ungventi vaſculum eſt vitreum, capiens libram olei, menſura verò eſt ſextarij dimidij; alabaſtrum verò dictum propter fragilitatem.*

3. Pretioſum ungventum odoriferumq; eſt Pænitentia, quo pedes Domini peccator perfundit. Vt S. Bernard: ait,

ait, ſerm: 56. inter parvos ſerm: D uo, inquit, ſunt pedes Domini, miſericordia & judicium. Hos primo ungit peccatrix anima, illo primo ungvento, quod dicitur compunctionis &c.

Eſt etiam ungventum magni pretij, videlicet gratiarum actionis & devotionis, & conficitur ex memoria beneficiorum divinorum, quo & ungitur caput Domini &c. Qui divina beneficia aſſiduè animo voluit, is Domini caput odorifero ungvento perungit. His adde aliud ungventi genus præſtantiſſimi, nempe eleemoſynam. Sunt (inquit Theophilact:) Domini pedes, minimi fratres, per quos vadit CHRISTVS ad uniuscujuſq; januam &c. quos unge eleemoſyna, ungvento, &c. &c. Sicut Iudæ, ſic omni diviti dat DEVS marſupium. Ad avarum divitē pauperum nulla cura tangit, quia ut de Iuda dictum, non pertinet ad eum de egenis. Iacet ad januam ejus, pauper Lazarus, fame langvet, non pertinet ad eum de egenis. Canes potiùs, equos, accipitres &c &c. curat, &c. Plura vide apud Barad: tom: 3. lib: 7. c. 4. 4.

VII.

An ſolus Iudas, an reliqui etiam Apoſtoli de effuſo ungvento murmurabant?

EX SS. Matthæo & Marco clarè patet non ſolùm Iudam ſed & reliquos Apoſtolos murmuraſſe contra Magdalenam ratione unctionis CHRISTI Matth: 26. 8. *Videntes autem diſcipuli indignati ſunt dicentes: ut quid perditio hæc? &c.* Mar: 14. 4. *Erant autem quidam indignè ferentes intra ſemetipſos & dicentes: ut quid perditio iſta! &c. & fremebant in eam.* S. Ioannes tantùm c. 12. v. 4. Solum Iudam exprimit. *Dixit ergo unus ex Diſcipulis ejus* 1.

jus, Iudas Iſcariotes, qui erat eum traditurus, quare hoc ungventum non venijt trecentis denarijs? &c. Concorditer tamen omnes SS. Evangeliſtæ, CHRISTVM Dominū, non unum ex Diſcipulis Iudam vel aliquem alium, ſed omnes in ſimul alloqui, & factum Magdalenæ excuſare deſcribunt. Matth: 26. 10. *Quid moleſti eſtis huic mulieri? opus enim bonum operata eſt in me.* Mar: 14. 6. & Ioan: 12. v. 7. *Sinite eam, quid illi moleſti eſtis? opus enim bonum operata eſt in me.* S. Aug: lib: 2. de conſ: Evang: 69. Reſpondet Iudam fuiſſe ducem & incentorem hujus murmuris, qui alios Apoſtolos ſpecie miſerationis pauperum ad indignationem ex vero miſericordiæ affectu manantem excitârit, ipſe ficto, ex avaritia indignaretur, quod pretium hujus ungventi non in loculos ſuos ſed in CHRISTI caput & pedes fuiſſet effuſum.

2. Sic vel unus nequam totam communitatem aut opinione depravat, aut pravitate infuſcat, (ut ait Celada) ſic reliquorum glorijs detrahit unius malitia, ſic ex uno cēſentur omnes. Infamis proditoris avaritia indiſcretæ murmurationis cæteris condiſcipulis notam inurit.

3. Trecenti denarij faciunt 30. aureos Romanos, ita cenſet Corn: à lap: in Marc: c. 14. v. 5.

VIII.

Cur CHRISTVS Iudæ commiſit loculos cùm ſciret eum fore furem?

1. QVia Iudas aptior erat ad res temporales procurandas, quàm cæteri Apoſtoli. Furtum verò permiſit, quia inde nata eſt occaſio proditionis & paſſionis ſuæ, quam ipſe ambiebat. Corn: à lap: in Ioan: c. 12. Vbi aliàs citat S. Aug: Quia Eccleſia loculos habitura erat, fures ad-

admisit. &c. ut doceret tolerandos esse malos, ne corp9 CHRISTI dividamus: tolera malum bonus, ut venias ad præmium bonorum. Addit Chrysost: commisit Dominus furi loculos, ut omnem ei abscideret proditionis occasionem, ne videretur ob pecuniæ defectum, eum prodere. Theophilact: verò ait: quidam dicunt Iudam, ut omnium minimum, pecuniæ administrationem suscepisse. &c.

Iudas Iscariotes ita dictus (ut melius alijs censent 2. Hieron: Maldonat: & alij) quia originem habuit ex vico Iscarioth: in Tribu Ephraim, non longè à Samaria. *Iscariotes* Hebraicè idem est, quod mercenarius. Quod appositè competit Iudæ, qui mercede 30. Denariorum vendidit CHRISTVM. Elegit verò CHRISTVS Iudam, licèt sciret eum fore suum proditorem, tum quia volebat passionem suam esse plenissimam in omni genere. Ideoq; voluit pati etiam à discipulis in proditione, negatione & derelictione, ad cumulum ergo passionis suæ, Iudam in Apostolatum adscivit: tum etiam ut doceret nos non tantùm bonis & gratis, sed & malis ingratisq; benefacere. *Eligitur & Iudas* (ait S. Ambr: l. 5. in Luc:) *non per imprudentiam, sed per providentiam, scilicet ab eo prodi voluit CHRISTVS, ut tu si à socio desertus, si à socio proditus fueris, moderatè feras errasse tuum judicium.* Permittit etiam DEVS sapienti sua providentiâ ut ex unius, vel paucorum improbitate, cæterorum probitas & Sanctitas resplendeat. Iuxta illud axioma: opposita juxta se posita magis elucescunt. Sic & cæterorum Apostolorum fides, perfidiæ Iudæ comparata magis refulget.

Aliqui etiam de Iuda tradunt illius Patrem per CHRISTVM à lepra, matrem verò à paralysi, ob respectum Iudæ, liberatos. Staturæ fuisse brevis, dicitur in revelatione D. Brigittæ l. 4. c. 99. Ait Deipara Virgo, *appropinquan-* 3.

quante Iuda proditore suo, inclinavit se Dominus ad eum dans osculum ei, quia Iudas brevis staturæ erat &c.

IX.

An Ecclesiasticis & Personis Spiritualibus loculos habere, ac possessiones bonorum vel rerum temporalium possidere liceat?

Sixtus Senensis Ord: Prædic: in Bibliotheca Sancta. lib: 6. annotat. CXXI. hanc elucidando materiam hæc scribit: quæ de verbo ad verbum hic ponuntur.

I. CHrysost: hom: 86. in Matth: videtur deplorare longâ querelâ calamitatem Antistitum & pastorum Ecclesiæ, quòd villas, domos, possessiones ut auri & argenti opes possideant, quas, inquit, multo satiùs fuisse à Laicis quàm à Clericis retineri. Veniat, inquit, in mentem vobis octo millia Levitarum Iudæos alere solitos fuisse, & cum his viduas & parentibus orbos: nunc autem agros, domos, locationes ædificiorum, vehicula, equos, mulos, &c. &c. Oportebat enim hunc Ecclesiæ thesaurum vos retinere, at Ecclesiam non parvos ex vestra devotione cõsequi fructus, modò autem duo quædam mala committuntur. Nam & vos quasi nihil dare debeatis, nihil confertis; & DEI Sacerdotes à Sacerdotio aliena tractant &c. Exclamat deinde idem Sanctus post multa. Proh! dolor vindemiæ ac messi DEI Sacerdotes & venditioni ac emptioni fructuum assistunt. &c. Cui subscribere videtur Hieron:

Hieron: in libello de vita Clericor: ad Nepotianum. Objectant & exprobrant nobis hæc (& similia) verba recentiores Hæretici (& Pseudopolitici moderni) simulq; his animant & incendunt avaros Principes, ut direptas Ecclesiæ possessiones & Clericorum facultates in fiscum redigant & in proprios vertant usus.

Cæterum si omni amoto odio (ait idem Sixtus) velint utriusq; authoris dicta perpendere, agnoscent Chrysostomum non damnasse in Clericis divitiarum possessionem, sed causam potiùs, ob quam Episcopi, & Clerici divitias possidere & administrare cogerentur. Ea erat inclementia & crudelitas divitum ejus sæculi, qui ut se liberarent assiduâ molestâq; solicitudine inveniendi, providendi, tractandi ac distribuendi ea, quæ quotidianis Clericorum usibus, atq; alijs pauperum necessitatibus satis esset, constituerant Ecclesiæ Præsulibus certa prædia ac villas, eosq; adegerant, ut ex earum cura & administratione sibi ipsis, ac cæteris ex plebe pauperibus vitæ necessaria pararent. Hanc indignitatem meritò reprehendit Chrysostomus, iniqvum esse existimans, ut Clerici compellerentur ob temporalia ministeria, & corporalem pauperum curam, dimittere Spiritualium ac Sacerdotalium functionum officia. Quod & olim Apostoli conquesti fuerant, dicentes: non est æqvum nos relinquere verbum DEI & ministrarè mensis. At si beatus ille Pontifex divites sui temporis id circo vituperat, non quia divitias Ecclesiæ dedissent, sed quod animo parum benevolo & grato dedissent, eo scilicet fine, ut se tædio ac fastidio alendi Clericos & pauperes, exolverent: quo animo, quâ lingvâ, quibus verbis putas eum fuisse deploraturum, simulq; detestaturum, si hac nostra tempestate vidisset sceleratissimos hæreticarum factionum Principes ac Tyrannos? 2.

nos? qui ad explendam inexplebilis avaritiæ suæ cupiditatem, Divorum templa suis expoliavêre thesauris, diripuerunt Ecclesiæ opes, quas olim Catholici Principes vel ad necessitatem, vel ad honestatem vitæ Episcopis & Clericis donarunt, & Ecclesiasticos curatores ad miseriam & extremam inopiam redegerunt. Sed non est hic talia deflendi locus: annotamenta scribimus, non declamam9.

3. Quantum verò ad Hieronymum attinet, D. Thom: in posteriore parte secundi voluminis summæ Theologicæ, q. 185. art: 6. ejus verba excutiens, ait illum pronunciasse non adversus Clericos, qui divitiarum possessione rectè utuntur; sed contra eos, qui illarum possessione abutuntur, ita opibus suis inhærentes, ut studium pietatis negligant, ac DEI cultum & Spiritualium deserant; quæ potior ac prior esse debet Episcoporum & Clericorum omnium solicitudo. Sunt, & qui putent Hieronymum his verbis non præceptum, sed consilium præbuisse Clericis: & in hoc exaggerando consilio conatum esse pertrahere Clericos in eam partem, ut nihil possiderent, quo saltem in medio consisterent, & moderato divitiarum usu essent contenti, more eorum loquens, qui extrema exigunt, ut mediocria impetrent: & eorum sequens exemplum, qui arborem in lævam partem deflexam in dexteram violenter contorquent: ut ipsa inde sponte suâ ad medium revertens, in rectam stipitis proceritatem assurgat.

4. Nec prætereundum arbitror, quod D. Thomas loco superius memorato admonuit, fuisse olim, qui putarent non licere Clericis, & præsertim Episcopis, divitias possidere, ob summæ perfectionis, quam profitentur, fastigium, quos ille, ut ineptos rejiciens, ait non opus esse, ut ubi major sit paupertas, cùm in summo perfectæ sanctitatis

tis

tis apice, summa possit esse opulentia. Abraham quippe, cui à DEO dictum est: ambula coram me, & esto perfectus &c. ac plerię; alij perfectissimi viri magnâ divitiarũ affluentiâ floruêre.

Prætermissis innumeris in Ecclesia Sancta Sanctissimis Viris, magis virtutum quàm nummorum divitibus, sufficiat D. Carolum Borromæum Archiepiscopum Mediolanẽsem & S. R. E. Cardinalem proponere (cujus memoriæ celebritas hac die, quâ hæc scribo, contigit.) Is namq; Sanctus multis affluens facultatibus, Vritano Principatu vendito, pretium universum ad quadraginta aureorum millia, una die in pauperes erogavit. Nec minore pietate viginti millia, quæ sibi fuerant legata, distribuit. Præter hæc, multas Ecclesias, Monasteria, collegia ædificavit. Domesticam suppellectilem, ne relicto sibi lectulo, in egenorum necessitates contulit, super nuda in posterum tabula decumbens. Nonne huic divitiæ ad summum Sanctitatis apicem profuerunt? 5.

Possent etiam hîc subjungi, quæ idem Sixtus l. 6. annotat. 156. CHRISTI verba Luc: 22. 36. (*qui habet sacculum, tollat similiter & peram: & qui non habet, vendat tunicam suam, & emat gladium*) annotando, Erasmum, cavillantem in Hugonem Carensem hunc locum in Postilla super Marcum exponentem refutat, adjungens D. Chrysostomi textum ex homilia in illud Epistolæ ad Rom: *Salutate Priscam & Aquilam* &c. quem uti ille integrum in eodem loco exhibet, sic nos brevitatis ratione Lectorem ad eundem Authorem remittimus Bibliothecæ Sanctæ lib: 6. fol: 618. ibidem Theophilact: 619. 6.

X.

Quâ die CHRISTVS pascha celebra-

vit, quâ Eucharistiæ Sacramentum instituit, & an in azymo vel fermento, & quâ die passus est?

I. QVomodo Iudæi pascha celebrare debeant immolando Agnum paschalem? sat luculenter exprimitur Exod: c. 12. Vbi hæc continentur V. 3. *Decima die mensis hujus* (id est Nisan, qui respondet partim Martio, partim Aprili nostro.) *tollat unusquisq; agnum per familias & domos suas.* v. 6. *Servabitis eum usq; ad quartam decimam diem mensis hujus, immolabitque eum universa multitudo filiorum Israël ad vesperam.* Prætermissis alijs, quomodo hunc Agnum edere debebant, exprimit Scriptura ibid: v. 18. 19. 20. *Primo mense, quarta decima die mensis, ad vesperam, comedetis azyma, usq; ad diem vigesimam primam ejusdem mensis ad vesperam. Septem diebus fermentum non invenietur in domibus vestris: qui comederit fermentum, peribit anima ejus de cætu Israël, tàm de advenis, quàm de indigenis terræ. Omne fermentū non comedetis: in cunctis habitaculis vestris edetis azyma.* Ibid: superiùs v. 14. *Habebitis autem hunc diem in monumentum: & celebrabitis eum solemnem Domino in generationibus vestris cultu sempiterno.* CHRISTVS ergo, qui venit non solvere legem, sed adimplere, ut alias, sic & hanc, pro ut D. Chrysost: ait, ad mortem usquè servavit legem. Nam decima mensis ejusdem Nisan, quæ eo anno incidit in vigesimam diem Martij, id est Dominicam palmarum, quâ Agnus paschalis inducebatur decima quarta ejusdem immolandus; CHRISTVS Dominus solenni ritu Ierosolymam ingressus est, ut in Elencho. n. 16. Decima verò quarta mensis Nisan, id est vigesima quarta Martij, die

die Iovis, id est feria quinta, ante vel sub meridiem, ut aliqui putant, ex Bethania Petrum & Ioannem misit Ierosolymam ad parandum pascha, ut illud vespere cum ijs & reliquis suis Apostolis comederet. Vbi notandum est, quòd Hebræi festa sua incipiebant à vespera, & finiebant in vespera sequenti: itaq; dies primus Azymorum quandoq; vocari potest dies decimus quartus Mensis Nisan, aliquando dies decimus quintus. Nam secundùm computum Sacrum, qui servabatur in festis, incipiebat à vespera diei decimi quarti, & pertinebat ad vesperam sequentis diei decimi quinti. Iuxta legem igitur CHRISTVS decima quarta illius Mensis, id est die Iovis ad vesperam Agnum paschalem cum suis comedit, Sanctissimam Eucharistiam instituit, eâdem nocte in horto Gethsemani à Iuda proditus, à Iudæis comprehensus, die decima quinta ejusdem Mensis, id est die Veneris, crucifixus & occisus est.

Ex quibus clarè patet CHRISTVM Dominum non 2.
aliâ die, quàm eâdem, qua ex præscriptione legis Iudæi tenebantur, celebrâsse; & cùm azymo tantùm pane non fermentato utebantur, consequenter in azymo Divinissimam Eucharistiam instituisse.

Græcorum diversa opinio.

Euthymius in Matthæi commentarijs duo tradit à 3.
Latinæ Ecclesiæ ritu aliena: ut suam in fermentato pane consecrationem tueatur.

Primum est, CHRISTVM celebrâsse pascha & postre- 4.
mam cænam peregisse die Lunaris mensis tertia decima: quarta verò decima passum & crucifixum obijsse.

Secundum est, quòd CHRISTVS in ultima cæna 5.
post legalem Agni manducationem, usus sit fermentato

pane,

pane, & quòd in eo Sacramentum corporis & ſangvinis ſui inſtituerit. Quam Euthymij opinionem cæteri Græci ſeqvuntur, eaſq; ponunt rationes.

6. Imò CHRISTVM Dominum tempus paſchæ à lege ſtatutum ob ſuam paſſionem, quæ poſtero die, quo Iudæi celebrabant paſcha, futura erat: præveniſſe. Et quia poſtero die cum paſchate incipiebat eſus azymorum, cenſet CHRISTVM ante azyma inſtituiſſe Euchariſtiam, in pane non azymo ſed fermentato.

7. 2dò Probant ex Ioannis capite 13. qui dicit *ante diem feſtum paſchæ*, adeoq; ante quartam decimam Lunæ, CHRISTVM celebrâſſe cænam, ſcilicet Agni paſchalis, & Euchariſtiæ Sacramentum conſtituiſſe.

8. 3tiò. Objiciunt noſtris Latinis. Si CHRISTVS celebravit paſcha die decima quarta Niſan, quomodo ergo Matthæus Marc: & Lucas ajunt ipſum celebraſſe illud primâ die Azymorum, hæc enim incipiebat die decima quinta ejuſdem menſis?

9. 4tò. Ad roborandam ſuam ſententiam illud Ioannis c. 18. v. 28. citant: *Adducunt ergo IESVM à Caipha ad prætorium, erat autem mane, & ipſi non introjerunt in prætorium, ut non contaminarentur, ſed ut manducarent paſcha.*

10. 5tò. Diem, quo CHRISTVS celebravit cænam agni, vocant paraſceven, id eſt præparatio ad paſcha. Deniq; adducunt conſilium Principum Sacerdotum, quo concluſerunt CHRISTVM capiendum & occidendum *non in die feſto, ne fortè tumultus fieret in populo.* Matth: c. 26. 5. & ex his inferunt CHRISTVM Dominum uno die anticipâſſe paſcha, illudq; celebrâſſe die decima tertia, ac proinde agnum comediſſe cum pane non azymo ſed fermentato, in eoq; Euchariſtiam inſtituiſſe: ſiquidem azy-

mi panis usus incipiebat cum paschate die decima quarta.

Exploduntur opiniones Græcorum ratione paschatis & fermenti.

AD primum satis patet, ut supra dictum est, Christum conservâsse legem communem, juxta quam die primo Azymorum, quo necesse erat occidi pascha, ipse, sicut cæteri Iudæi, celebravit illam solennitatem alioqui quasi legis & Iudaismi transgressorem & Apostatam arguissent & damnâssent. Quòd si verò quis asseret ex Salmerone tract: 9. tom: 4. ubi Rupertus, Ioannes Lucidus, Gagnejus, Iansen: Maldon: censent CHRISTUM juxta legem celebrâsse pascha Lunatione decima quarta Mensis Nisan: Iudæos verò illud distulisse in diem decimam quintam Nisan: Traditio enim erat (ut aliqui asserunt) si pascha incideret in feriam sextam, sive in parasceven, transferretur in Sabbathum, ne duo festa solemnia, scilicet paschæ, & Sabbathi concurrerent. Respondendum est traditionem & consvetudinem hanc esse recentiorem, cæpisseq; post CHRISTI passionem. Vt ex Talmut: &c. ac ex Epiphanio &c. Asianis probat Bellarminus lib: de Eucharist: c. 8. tum D. Thom: Abulen: Toletus, Soarez, & alij. 11.

Dato, non cōcesso. Et si anticiparet CHRISTVS pascha consvetum, uti ajunt aliqui sine fundamento, tamen usus fuisset azymo pane, non fermentato, secundùm legē, quem adhibere debebant in esu Agni Paschalis. Dupliciter igitur argueretur CHRISTVS à Iudæis, quòd & non consveto tempore pascha celebrâsset, & non azymum panem sed fermentatum adhibuisset. 12.

13. Ad secundum & tertium satis fit, dum responsum fuit primum diem Azymorum partim esse & dici diem quartam decimam, partim diem quintam decimam Mensis Nisan. Nam vespera illa, quâ Iudæi celebrabant Phase cum quo incipiebat dies & usus azymorum, secundùm computum naturalem dierum, pertinebat ad diem, quæ vesperam præcedebat, scilicet ad diem decimam quartã; eadem verò secundùm computum Sacrum festorum pertinebat ad diem sequentem, quæ erat decima quinta ejusdem mensis Nisan, quia Iudæi (ut dictum est) festa celebrabant à vespera in vesperam, & hoc sensu ait S. Ioannes c. 13. CHRISTVM cænasse Agnum *ante diem festum paschæ*, hoc est die decima quarta Nisan ad vesperam, quæ præcedit ante diem festum paschæ, id est diem decimam quintam ejusdem mensis, quæ est prima Azymorũ juxta computum Sacrum.

14. Ad quartum. Pascha significare non solum agnum sed alia quoq; Sacrificia paschalia, quæ paschalibus diebus offerebantur. Deut: 16. *Immolabis phase Domino DEO tuo de ovibus & bobus &c.* Illud ergo Ioan: 18. *Non introierunt in prætorium, ut non contaminarentur, sed ut mãducarent pascha*, non de agno paschali, quem iam comederant, sed de paschalibus sacrificijs intelligendum. Quorum pars offerentibus dabatur. Lege numer: cap: 28. Pascha igitur eo loco non significat agnum paschalem: eum jam enim comederant Iudæi eadem præterita nocte, quâ CHRISTVS cum Discipulis suis cænavit, quod ex Matthæo deprehenditur dicente: *& prima quidem Azymorum quando pascha immolabant &c.* Sed significat azymos panes, quos septem diebus continuis edere oportebat, quorum primus & celeberrimus dies ille erat, quo CHRISTVS occisus est, nempe Luna quinta decima ab ipso, ut

jam

jam dictum est, quartædecimæ Lunæ vespere incipiens. Illud verò, quod addit Ioannes, fuisse ea die parasceven, non est interpretandum de parasceve Paschæ, in quo Iudæi parabant se ad esum agni sub vesperam Lunæ quartædecimæ jam immolatum, sed de parasceve sequentis Sabbathi, quod dicebatur Sabbathum paschæ, quia intra hebdomadam paschalem inciderat. Vnde & celebrius habebatur, quàm alia Sabbatha. Sicut Evangelista indicat *erat enim magnus ille dies Sabbathi* Ioan: 19. v. 3. quapropter cùm duplici jure festus esset dies ille & propter Sabbathum, & propter hebdomadam paschalem, quæ tota festiva erat, magna quoq; præparatione ad ejus celebrationem opus erat. Eoq; respectu præcedens dies, parasceve dictus. Marc: 15. 42. *erat*, (inquit) *parasceve, quod est ante Sabbathum*; puta prosabbathum, sive diem veneris. Traditionem verò illam qua Iudæos ob incidentiam paschatis in feriam sextam & Sabbathum in sequentem diem distulisse ajunt, non ante passionem, sed post Christi resurrectionem recenter constitutam superius expressimus.

Ad 5tum ratione consilij illius conclusi, ut non in die festo, ob tumultum populi CHRISTVS c peretur & occideretur, respondetur Principes Sacerdotum oblata & promissa Iudæ proditione mutâsse postea hoc consilium, Christumq; ipso die paschæ cepisse & occidisse. 15.

Ex his itaq; constat CHRISTVM cænam perfecisse die Mensis quartadecima ad vesperam paschæ, hoc est die quinta decima à vespera præcedenti incipiente, & Sacramentum corporis sui in eo panis genere instituisse, quo tunc in mensis Iudæorum vesci licebat, nempe azymo, & absque ullo fermento: Quem ritum servans Catholica Latinorum Ecclesia jure optimo, azymum panem in Sa- 16.

cris mysterijs consecrandum jubet. Hæc excerpta sunt ex Bibliotheca Sancta Sixti Senensis lib: 6. annotat: CX. Sed fusiùs Barrad: Tom: 4. lib: 1. cap: 1. & sequent: vel maximè cap: 4. 5. & 6. Item ex Cornel: à Lap: in Matth: c. 26. v. 17 & in Ioan: cap: 13.

17. Si scire desideras exactè quæ gentes azymo quæ fermento utuntur, & an Latini quandoq; fermento, Græci azymo utebantur. Quale fermentum fuerat quod olim Pontifices ad Ecclesias Vrbis mittebant. Item de forma & figura panis consecrandi &c. Hostiarum, quibus hodie utimur origine & multa alia scitu digna; reperies apud Eminentissimum Cardinalem Ioannem Bona rerum Liturgicarum lib: 1mo cap: 24. & lib: 2do cap: 17. Vbi etiam dandæ & accipiendæ communionis modus, ordo situs describitur. Sed svadeo curioso Lectori Monitionem ejusdem Authoris in principio libri primi positam, accuratè perlegere.

XI.

CHRISTVS in Parasceve quot cænas celebraverit?

I. CHRISTVM Dominum vespere illo, quo tradebatur, tres fecisse cænas in aperto est, cum Discipulis suis. Primam ceremonialem vel potius legalem; in qua juxta legem Exodi 12. Agnum Paschalem comedit. Secundam communem & usualem. Neq; enim ex solo agno omnes personæ familiæ amplæ & numerosæ saturari poterant, quam ex communi gentis suæ more, in lectulis discumbentes cænarunt, ad finem cujus, prævia lotione pedum Disscipulorum, etiam & Iudæ, tertiam & ultimam in æternum memoriale & summum amoris pignus, Sanctis-

ctiſſimam Euchariſtiam inſtituit. Circa ſecundam horam noctis id è ab occaſu ſolis ſecunda hora. Hoc ſacratiſſimum Sacramentum inſtituiſſe CHRISTVM putant expoſitores. Et poſt prolixum ad ſuos Diſcipulos ſermonē, quem S. Ioannes c. 14. & ſequentibus deſcribit, ut in Elencho expreſſum eſt, in montem Olivarum ad orandū egreſſus, ubi à Iuda proditus, à Iudæis captus, ad Pontifices Annam & Caipham ductus, reliquæ noctis parte à miniſtris ſacerdotum & militibus alapis cæſus, conſputus illuſus, & peſſimè tractatus.

XII.

Ante lotionem pedum quænam veſtimēta CHRISTVS depoſuit?

S. Ioannes Evangeliſta ſigillatim omnes lotionis Chriſti actus & circumſtantias recenſet. Ioan: c. 13. 4. *Surgit à cæna & ponit veſtimenta ſua, & cùm accepiſſet linteum, præcinxit ſe.* Exiſtimant aliqui CHRISTVM Dominum ſupra veſtem communem, uſum fuiſſe cænatoria veſte, quam communem cænaturi de more aſſumebant. Quod alij negant; interquos Barad: ad hunc locum aſſerens veſtimentis ſuis amictum Dominum cænaſſe, eaq; ut pedes lavaret, poſuiſſe. Non verò veſtem cænatoriam. Origenes videtur exiſtimaſſe nudum, ſoloq; linteo præcinctum, hoc officio functum. Cùm accepiſſet (inquit) Dominus linteum, præcinxit ſe, ne ex omni parte nudus etiam abluiſſet pedes Diſcipulorum, eos aptiore textura detergeret &c. Quid autem mirum, ſi antequàm nudus flagelletur, & cruci ſuffigeretur, voluit veluti præludium quoddam in cæna, hanc nuditatem abiectiſſimo ſervo exhibere? ſed non eſt hæc opinio probabilis. Probabilius conjicit I.

jicit Euthymius tria tantùm habuisse vestimenta. Primũ, tunicam inconsutilem corpori applicatam in modum subuculæ. Secundùm, quo super hanc vestem utebatur: Tertium pallium. Itaq; posuit CHRISTVS vestimenta sua, id est pallium & tunicam superiorem, retenta inconsutili veste, super quam linteo se præcinxit. Aliter etiam respondetur numerum pluralem pro singulari hîc usurpari, vestimenta pro vestimento uno. &c.

XIII.

A quo Discipulorum cæpit IESVS pedes lavare?

I. CHrysost: Euthymius & Theophilact: opinantur à Iuda cæpisse. Credibile (ait Chrysost:) esse Iudã ante Petrum Apostolorum Principem discubuisse impudenter: ideoq; prius lotum. Euthym: inquit, quòd primùm laverit pedes Iscariotæ, simul quidem beneficio afficiens ac honorans proditorem suum usq; ad mortem, ut & nos similiter faciamus. Simul etiam compungi volens illum, qui talia cogitaret. Probatur opinio Verbis Evangelistæ *cæpit levare pedes &c.* deinde *Venit ad Simonem Petrum.* Chrysost: ait, Verbum *cæpit*, alium ante lavâsse significat. Is autem Iudas esse videtur. Si enim ex reliquis fuisset aliquis, idem, quod Petrus, fecisset &c. Theophilact: ait: Ex alijs Discipulis nullus sustinuisset ante Petrum lavari: Proditorem autem hoc ausum fuisse possibile est. Nam si ex discipulis alium quempiam cæpisset lavare, prohibuisset Dominum ille quisquis fuisset, & dixisset quæ & Petrus: *Domine tu mihi lavas pedes?* non alium igitur lavit priusquàm proditorem, deinde Petrum. Barad: adhunc locum putat consentaneum videri à Prin-

cipe

cipe cæpiſſe Apoſtolorum. Nam ſecundùm Theophylactum, ſi quis prior lavari recuſaſſet, recuſaſſet certè & Iſcariotes, Hypocrita enim erat, proditionem ſuam tectã eſſe volebat, ideoq; maximè lavari primus recuſaſſet, idq; feciſſet, quod hypocriſis & proditionis velamentum poſtulabat. &c. Petrum autem ante omnes lotum ſententia eſt S. Aug: tract: 56. in Ioannem, Bedæ, Ruperti Lyrani, Simonis Caſſiani, Carthuſiani, Caietani, Ianſenij & aliorum. Verbum *cæpit* non adverſatur: eſt hîc ſenſus, *cæpit lavare pedes Diſcipulorum, venit ad Simonem Petrum*, id eſt cum cæpiſſet abluere pedes, venit primùm ad Petrum. Ita Auguſt. in præfato tract: *non ita* (inquit) intelligendum eſt, quòd poſt aliquos ad Petrum venerit, ſed quòd ab illo *cæperit*. Quando ergo pedes Diſcipulorum CHRISTVS lavare cæpit, venit ad eum à quo cæpit, id eſt ad Petrum. Primò factum commemorat Evangeliſta, deinde facti ordinem.

CHRISTVS poſt ſecundam cænam, id eſt uſualem, 2.
ante Euchariſtiæ inſtitutionem pedes Diſcipulorum lavit ſignificans ablutionem, illam, ac mentis puritatem, quam tantùm myſterium exigit.

XIV.

Cur Ioaunes Evangeliſta de pedum ablutione acturus proditionem Iudæ meminerit?

IOan: c. 13. v. 2. *Cùm diabolus jam miſiſſet in cor ut traderet eum Iudas Simonis Iſcariotæ.* Reſpon: S. Auguſt: 1.
tract: 55. Vt hoc quoq; ad maximum cumulum (CHRISTI) humilitatis accederet, quòd etiam illi non dedignatus eſt pedes levare, cujus manus jam prævidebat in ſce-

lere.

lere. S. Chrysost: Hoc (inquit) perterritus addit Evangelista, quòd Iudam, qui se jam tradere proposuerat, CHRISTVS laverit? Euthym: hoc (inquit) interposuit Evangelista cum stupore admirans excellentem CHRISTI clementiam, quia hujus etiam pedes lavit, qui in proximo erat eum traditurus. Barad: addit S. Evangelistam hoc loco traditorem indicare quia postea de illo ait, cùm passionem Domini literis commendat. *Sciens quia omnia ei Pater dedit in manus* Ioan: 13. 3. Secundùm utramq; naturam vera sunt. Secundum Divinam naturam, per æternam generationem dedit Pater omnium rerum imperium CHRISTO. Secundùm humanam, perincarnationem tradidit. Ex his verbis *omnia dedit ei Pater &c.* infert Aug: ergo & ipsum traditorem. Proinde, (inquit) jam traditor traditus erat ei, quem tradere cupiebat &c. Traditꝰ erat traditor in manus CHRISTI, traditi quoq; ipsi Iudæi omnes, qui tradere eum morti moliebantur: sed mitissimæ illæ manus traditi sibi traditoris pedes abluerunt, & Iudæorum vinculis constringendas, clavisq; configendas se obtulerunt. Sciens, quia *omnia ei Pater dedit in manus* Cyrillus & Euthym: Sciens se ipsum omnipotentem ac DEI filium, licet tantæ esset potestatis, talisq; dignitatis, ad extremam tamen descendit humilitatem. *Semet ipsum exinanivit formam servi accipiens &c. &c.* ad Philip: 2.

XV.

Domus illa & cænaculum, in quo Christus pascha celebravit & Eucharistiam instituit, ad quem pertinebat, & quis Dominus eius erat?

Chri-

CHRISTVS Dominus nomen Patris familias non indicavit Discipulis, sed tantùm signa, quorum Marc9 & Lucas meminerunt. Chrysost: ad ignotum penitùs hominem missos Discipulos existimat hom: 82. Vt ostenderet potuisse passionis tormenta evitare. Idem & victor Antiochen: sentit. Nam ad asinam quoq; & pullum quærendos misit Dominus duos Discipulos. Matth: 21. neque aperuit nomen Dominorum ignotorum. Theophilact: ait: mittit Dominus Discipulos ad hominem, qui non cognoscebatur: sicut & de asina facerat; monstrans quòd possit nudis verbis persvadere etiam ijs, qui plane ipsum non cognoscebant, ut ipsum excipiant &c. Euthymius ait Christum nomen viri subticuisse, nè Iudas cognitam domum hostibus proderet. Hujus causæ meminit Theophilact: in Lucam. Aliqui putant fuisse illum patrem familias Discipulum CHRISTI, etsi occultum, ex illis verbis: *Magister dicit, tempus meum prope est.* Sed neq; hæc opposita probant, possunt enim explicari: Magister noster, non tuus. Aliqui etiam asserunt, si hactenus Discipulus non fuit, postea fuisse. Nam & cænaculum illud Christianorum postea domus facta est. Alexander Monachus, qui laudes S. Barnabæ scripsit, Tom: 3. Surij Cænaculum ait domũ fuisse MARIÆ, Matris Ioannis Marci, ex illo, inquit, die quoties Dominus Ierosolymam venisset, illuc unà cùm Discipulis divertebat, quibus cum pascha illic fecit. &c. De hâc domo legitur Act: 12 Venit Petrus ad domũ MARIÆ, Matris Ioannis, qui cognominatus est Marcus, ubi erant multi congregati & orantes &c. Nicephor: lib: 1. c. 28. cum alijs cænam paschalem in domo Ioannis Evangelistæ factam memorat, quam ille in locis, circa mõtem Sion, sitis comparaverat; incolebat domum illam alius quidam vir, non Ioannes ipse. Lege ejusdem Nicepho-

phori lib: 2. cap: 3. Cedrenus quoq; in compendio historiarum. Cùm (inquit) Zebedæus mortuus esset, adduxerunt Ioannes & Iacobus Matrem suam, eaq; cum MARIA, videlicet Deipara Virgine, habitavit, bonis porrò suis Caiphæ venditis Sionem emerunt. Is est locus, ubi pascha mysticum CHRISTVS celebravit, & foribus clausis ingressus est; ibiq; CHRISTO in cælum assumpto MARIA usq; ad finem vitæ egit. Hæc ille. Ambros: pauperem illum virum existimat, pauperisq; hospitium angustum cænaculum appellat. Luc: 22. Ideò, inquit, sine nomine designatur, ut ignobilis existimetur. &c. &c. Barad: suum sensum de cænaculo exprimit: Arbitror virum illum non pauperem fuisse, sed divitem, quod indicat *cænaculum magnum stratum.* Probabile mihi præterea est, fuisse ignotum, ut Chrysost: & reliqui Authores indicati ajunt, permotumq; à CHRISTO nunc ad parandum cænaculum, paschalemq; Agnum, & ad fidem quoq; ac Discipulatum. Cænaculum verò neq; MARIÆ Matris Marci fuit, neq; Ioannis Evangelistæ, neq; Simonis Leprosi. Erant enim satis notæ hæ domus Petro & Ioanni, neq; signo opus erat, & duce, à quo in eas ducerentur. Adde CHRISTVM mittere discipulos ad patrem familias, non ad matrem familias. Erat ergo domus viri alicujus, non fæminæ MARIÆ Matris Marci. Si quis volet fuisse aliquem Discipulum occultum (ut existimat Lyranus) & Apostolis ignotum, non repugnabo. Ditíssimum autẽ fuisse probat catinus ille, in quo Agnus Paschalis mensæ illatus dicitur. Est enim ex Smaragdo confectus, & propter margaritæ magnitudinem admirabilis, ostenditurq; Genuæ.

2. Extra Hierusalem agnum immolari, aut edi fas non erat. Præceptum exstat. Deut: 16. *Non poteris immolare phase*

in qualibet Vrbium tuarum, sed in loco, quem elegerit Dominus DEVS tuus. &c. Agnum paschalem licidum fuit cuilibet patrifamilias, etsi Sacerdotio non fungeretur, mactare. Exod: 12, *Immolabitq́ universa multitudo filiorum Israël.* Sacrificia verò paschalia, quæ etiam phase dicebantur, & in templo diebus paschalibus offerrebantur, non à quolibet, sed à Sacerdotibus immolabantur.

XVI.

Quo desiderio desideravit CHRISTVS pascha manducare?

CVm CHRISTVS dixerit Apostolis. Luc. 22. 15. *Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum antequàm patiar,* Hanc extremam fore cum Discipulis cœnam noverat, quantas ferre debebat contumelias (ait Iustinus) noverat, & tamen ex hilaritate cordis, se noluit continere, quin desideriorum suorum æstus exprimeret. Attendebat aliorum commoda proprij immemor ludibrij; pœnarum intrepidus, & de Discipulorum profectu sollicitus, atq́; amoris flammâ succensus qualis latebat intus, per oris apertionem manifestavit foris. Vt ignem igne, desiderium desiderio, & amorem excitaret amore. Hæc Iustinus. Chrysost: hom: 82. in Matth: & Tertulian: lib: contra Martionem c. 40. desiderij hujus causam reddit, tum Eucharistiæ institutionem, tum salutem, quam hominibus in cruce erat allaturus. Titus Bostrensis per hæc (inquit) disertê significat se non invitê ad mortem accedere, sed magno cum desiderio &c. Eusebius citatus in catena à D. Thoma, cùm (inquit) novum pascha celebraret, oportunê dixit: *desiderio desideravi hoc pascha,* id est novum mysterium novi testamenti, quod I.

tradebat Discipulis, quod plures ante eum Prophetæ & justi concupiverant. &c. Beda in Luc: sic interpretatur. Desiderat (inquit) primò typicum pascha cum Discipulis manducare, & sic passionis suæ mundo declarare mysteria, quatenus & legalis paschæ probator existat, & hoc ad suæ dispensationis figuram pertinuisse docendo carnaliter ultra vetet exhiberi: imò umbra transeunte, veri jam paschatis lumen advenisse demonstraret &c. Sic etiam exponit utraq; Glossa. Pessimè Euthymius interpretatur Matth: c. 26. *Desiderio desideravi* in hunc modum, festinatione festinavi hoc anno pascha edere vobiscum antequàm patiar, idest, non exspectavi tempus à lege statutum, ne passio crucis, prohiberet legalem cœnam ac mysticam. Hæc ille errat toto cælo statuendo fermentum.

XVII.

Quid significet hoc loco regnum DEI, cùm CHRISTVS dicat: ex hoc non manducabo illud donec impleatur in regno DEI?

I. REgnum DEI, significare regnum cæleste existimat Iansen: Nam in cælesti regno verum pascha, verũq; & eximium convivium exhibetur cujus umbra pascha illud vetus, juxta Luc: cap: 22. *Dispono vobis regnum ut edatis & bibatis super mensam meam in regno meo.* Beda Luc: 22. c. Regnum DEI, Ecclesiam putat vocari, in hunc modum: dico vobis, quòd nequaquam ultra manducabo Mosaicum pascha, donec impleatur in Ecclesia. Cajetan: & alij Regnum DEI pro resurrectionis tempore accipiunt;

unt: quia poſt reſurrectionem cæpit regnum CHRISTI. Non manducabo paſcha typicum, donec impleatur typus in regno DEI, id eſt in reſurrectione mea. Si objicias CHRISTVM non manducaſſe poſt reſurrectionem paſcha legale? reſpondetur particulam *donec* appoſitam nõ ad excludendum ſolùm tempus, quod inter cænam & reſurrectionem interjectum eſt: nec ſequi poſtea comediſſe, ex particula *donec*, quemadmodum Pſal: 100. *Sede à dextris meis, donec ponam inimicos &c.* & Matth: dicitur: *non cognoſcebat eam donec peperit &c.* Non ſequitur ergo cognoviſſe, poſtea, poſtquàm peperit. Neq; CHRISTVM ſeſſurum à dextris DEI, poſtquàm inimicos ejus ſubjecerit. &c.

Vatablus ſic interpretatur: non manducabo paſcha, donec agnoſcatis impletum eſſe, quod figurat hæc immolatio & eſus Agni, quod fiet, cùm poſt reſurrectionem accepero regnum à DEO. Barrad: ſic exponit: non manducabo paſcha typicum, donec impleatur à me in regno DEI, id eſt, in Eccleſia. Impletum eſt autem paſcha typicum in regno DEI, cùm CHRISTVS Euchariſtiam inſtituit, ut in regno DEI, id eſt in Eccleſia celebraretur. Significat ergo Dominus his verbis ſe Agnum paſchalem nunquàm poſt hac manducaturum, velleq; Sacramentum efficere, quod poſthac in Eccleſia Agni ipſius expleat typum.

Etſi S. Aug: lib: 3. de conſenſu Evang: & ex eo Ianſenius & alij nonnulli cenſent CHRISTVM dixiſſe illa verba: *Non bibam à modo de hoc genimine vitis, uſq; in diem illum, cùm illud vobiſcum bibam novum in regno Patris mei*: poſt cænam Euchariſtiæ, ut inſinuat hîc Matthæus. Probabilius tamen putarem dixiſſe ante inſtitutionem Euchariſtiæ de cæna & calice Agni paſchalis. In 3.

agni enim cæna circumferebatur calix vini, quem Pater-familias primus libabat, deinde mittebat in orbem ad omnes ex agno comedentes. Vt tradunt Hebræi. Matthæus brevitati ſtudens utraſq; Cænas, id eſt Agni & Euchariſtiæ in unam redigit dicens: *cænantibus autem illis*. Lucas verò diſtinctè hæc enarrans, indicat in cæna agni. (quidni in media illa cæna uſuali) CHRISTVM hæc dixiſſe ante conſecrationem calicis. Illud autem: *cùm illud vobiſcum bibam novum in regno Patris mei* denotat novi generis. In cælo enim beati bibunt vinum non terreſtre, ſed cæleſte; nimirum vinum & nectar lætitiæ & gloriæ ſempiternæ, juxta illud Pſal: 35. v. 9. *inebriabuntur ab ubertate domus tuæ & torrente voluptatis tuæ potabis eos*. Ita Origenes & Naziazen: orat: de paſch: Scriptura enim ſolet gaudia beatorum Spiritualia per corporalia, ſcilicet eſcam & potum exprimere per Cathachreſin: quia homines carnales, voluptates Spirituales non capiunt, ſed corporales. Vt patet Matth: 8. v. 11. Luc: 14. v. 15. Apoc: 19. v. 9. & alibi.

XVIII.

Quomodo accipienda ſunt verba illa cõſecrationis calicis. Hic eſt calix &c. qui pro vobis & multis effundetur. &c?

I. HÆc verba *pro multis*, Commentatores S. Scripturæ exponunt pro omnibus. Euthym: dat rationem, quia omnes hi fuerunt non pauci, ſed multi. Errant igitur tàm moderni Hæretici, quàm antiquiores, qui prædeſtinatiani vocabantur, putantes CHRISTVM pro ſolis prædeſtinatis fuiſſe mortuum. Nam eum pro omnibus omninò

mninò hominibus passum & mortuum diserte docet S. Paul: 2. Corinth: c. 5. v. 14. *Charitas enim CHRISTI urget nos: æstimantes hoc, quoniam si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt. v. 15. Pro omnibus mortuus est CHRISTVS: ut qui vivunt, iam non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est, & resurrexit!* Vel si velis pro multis intelligere, quòd licet CHRISTVS pro omnibus mortuus sit, omnibusq; media ad salutem sufficientia postulârit, impetrârit & dederit: tamen fructus mortis ipsius & perfecta salus ad justos tantùm, & eos, qui in justitia usq; ad mortem perseverant, pervenit. Ita Hieron: Iansen: Maldonat: apud Cornel: à lap: in cap: 20. Matth: ad illa verba: *qui pro vobis & multis &c.* Theophilact: & Euthym: interpretantur dare animam sive vitam pro multis, id est pro omnibus hominibus. *Multis* (ait Euthym:) dicit CHRISTVS pro *omnibus*. Omnes redemit, quamquam multi sua sponte in servitute remanserunt &c. Simili modo Isai: 53. dicitur v. 6. *Posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrûm.* & 11. *In scientia sua justificabit ipse justus servus meus multos, & iniquitates eorum ipse portabit* & v. 12. *ipse peccata multorum tulit & pro transgressoribus rogavit.* Item ad Rom: 5. v. 12. *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors; & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* 15. *Sed non sicut delictum, ita & donum Si enim unius delicto multi mortui sunt: multò magis gratia DEI unius hominis IESV CHRISTI in plures abundavit.* 18. *Igitur sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem: sic & per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ.* 19. *Sicuti enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi: ita & per unius obeditionem ju-*

sti constituerentur multi.

2. Alij etiam dicunt pro multis CHRISTVM mortem perpessum esse efficaciter, pro omnibus sufficienter. Vnde Card: Caietanus ait: multitudo hæc, comprehendit multitudinem generis humani. Quantum verò ad libertatis fructum, comprehendit multitudinem electorum. &c.

3. Quodsi aliquis ita existimaret ista CHRISTI verba, *Hic est calix sangvinis mei &c. qui pro vobis* id est vivis, & pro *multis* id est mortuis *effundetur*. Certum enim est quòd CHRISTVS Dominus & pro vivis omnibus, & pro multis mortuis, nempe qui in lymbo erant, mortuus sit. Et modò Ecclesia Sancta Missæ sacrificium pro vivis & defunctis offert.

XIX.

An benedictio panis fuerit consecratio?

1. Affirmant Lyranus. Hugo Card: & alij. Innocentius tertius lib: 4. de myster: Missæ c. 6. quidam (inquit) dixerunt quod CHRISTVS confecit, cùm benedixit: literam construentes hoc ordine: *accepit panem benedixit*, subaudiendum est, dicens *Hoc est corpus meum.* Et tunc fregit & dedit & ait: accipite & comedite, & iteravit *Hoc est corpus meum.* Priùs ergo protulit illa verba, ut eis vim conficiendi tribueret, deinde protulit eadem, ut Apostolos formam conficiendi doceret. Hæc ille. Ambros: lib: de ijs, qui initiantur c. 9. Hic est (inquit) panis, quem benedictio consecravit. Major est vis benedictionis quàm naturæ, quia benedictione etiam natura mutatur. Respondetur benedictionem non fuisse consecra-

tionem panis, quia conſecratio panis & converſio tum facta eſt, cùm Dominus protulit verba conſecratoria atq; operatoria. *Hoc eſt corpus meum.* Sed verba illa protulit, poſtquàm pani benedixit. Ergo neq; cùm benedixit, conſecravit panem, neq; benedictio eſt conſecratio. &c. Vide Concil: Trident: Seſſion: 13. cap: 1. Ambroſius autē latè ſumit benedictionis nomen, cùm ait panem benedictione conſecrari, ſumit enim benedictionem pro verbis, conſecratorijs quibus eximia & admirabilis benedictio pani confertur cùm in corpus CHRISTI convertitur.

An verò fregerit Dominus panem ante conſecratio- 2.
nem vel poſt, nonulli exiſtimârunt poſt conſecrationem, Evangeliſtas autem uſos eſſe anticipatione. Sed rectiùs cum S. Bonaventura alij putant, panis fractionem præceſſiſſe conſecrationem. Probatur ex ordine, quem ſervant Evangeliſtæ. *Accepit* (ajunt) *benedixit*, poſtea dedit diſcipulis ſuis &c.

CHRISTVS panem conſecrandum in tredecim par- 3.
tes diviſit, conſecratumq; unam primus ipſe ſumpſit, cæteras deinde duodecim; ſingulis Apoſtolis, ſingulas ſumendas diviſit ac dedit. In calice verò, ut potè liquido, id fieri non poterat; quocirca CHRISTVS prior ex eo, jam conſecrato bibit, deinde ad bibendum eum dedit ſingulis per ordinem, ut unus alteri conſequenter porrigeret.

Non ſequitur inde, uti Hæretici aſſerunt Laicis quo- 4.
q; dandum eſſe calicem, eoſq; communicare debere ſub utraq; ſpecie. Nam verba illa CHRISTI *bibite ex hoc omnes* (uti omni tempore intellexit Eccleſia) ad Apoſtolos tantùm pertinebant, qui ſoli tùm præſentes erant. quia eos tunc CHRISTVS conſecrabat Sacerdotes, eoſq; juſſit conſecrare Sacramentum, ad cujus integritatem u-

traq;

traq; ſpecies requiritur ſumenda, ut perfectum ſit ſacrificium. Laicis verò, cùm non ſacrificent, ſed tantùm ſumant Euchariſtiam ut Sacramentum, ſufficit ut illud ſub una ſpecie percipiant, quandoquidem ſub una ſpecie totus continetur CHRISTVS, &c.

5. Notandum. In forma conſecrationis calicis, quâ utimur in ſacrificio miſſæ, adduntur hæc verba: *æterni teſtamenti, myſterium fidei:* quæ, traditione eſſe accepta à S. Petro, qui noſtræ Liturgiæ eſt Author, docet S. Leo epiſt: 9. ad Michäëlem Imperat: c. 9. & S. Thomas 3. p. q. 78. art: 2. ad 4. Licèt enim non ſpectent illa verba ad eſſentiam formæ, nam in Liturgijs S. Iacobi, Chryſoſt: Clement: & Baſilij illa omittuntur, tamen pertinent ad plenam ejꝰ integritatem &c.

6. Siquis exactè ſcire deſiderat dandæ & accipiendæ cõmunionis diverſam conſvetudinem, tum quotidianam veterum communionem, poſtea ad Clerum, deniq; ad miniſtros altaris redactam. Sanctiſſimam Euchariſtiam manu exceptam, domi ſervatam, ad abſentes miſſam, in itinere delatam, in Eccleſijs cuſtoditam, defunctis conſepultam. Hos mores, & alicubi in communione abuſus abrogatos, tum de more, ordine & ſitu communicantium. Hæc omnia intelliget apud Cardinalem Ioannem Bona Rerum Liturgicar: lib: 2. c. 17. & 8.

XX.

An benedictio diſtingvatur à gratiarum actione?

1. S. Matthæus ait c. 26. v. 26. *Cænantibus autem eis accepit IESVS panem & benedixit ac fregit. &c.* Marcus *& benedicens fregit,* Lucas verò *accepto pane gratias egit*

git *&* fregit. An idem ergo ſit gratias agere & benedicere? Benedictio ſumi poteſt pro gratiarum actione, quoniam Dominus ſimul DEVM laudavit & gratias illi egit. Et iſte ſenſus erit Matthæi & Marci. Probabilius tamen eſt apud Matthæum & Marcum benedictionem non eſſe referendam ad DEVM, ſed ad panem hoc ſenſu: *accepit panem & benedixit*, id eſt ipſum panem *& fregit.* Sic refertur ad panem idem verbum *benedixit* in verbis Eccleſiæ in Canone.

XXI.

An ante Euchariſtiæ inſtitutionem, an poſt, CHRISTVS ſui proditionē Apoſtolis prædixit?

MAnifeſtationis Iudæ proditoris ordinem ponit Cornel: à Lap: 1*mo*. CHRISTVS ante Euchariſtiam, ut patet ex Matthæo & Marco, prædixit ſe prodendum ab aliquo Apoſtolorum, ſed generatim & indefinitè, proditorem nec nominando, nec deſignando. Vnde conſternati Apoſtoli, vel ut ait Chryſoſt: ſemimortui dixerunt ſinguli *nunquid ego ſum Domine?* Nam licèt eos conſcientia tanti criminis non argueret, tamen, ut ait S. Chryſoſt: & Baſil: eidem adſtipulatur magis verbis CHRISTI, quam conſcientiæ ſuæ confidebant præſertim quia ut alibi ait S. Aug: non eſt peccatum quod fecit homo, quod non faciat alter homo, ſi deſit rector à quo factus eſt homo. Deinde poſt ſingulorum Apoſtolorum interrogationem. *Nunquid ego ſum Domine?* CHRISTVS reſpondit eum eſſe proditorem, qui intingeret ſecum manum in paropſide. Quia veteres terni vel quaterni communem habebant paropſidem, imò eandem habere poterant, qui I.

accumbebant in lectulis oppositis vel lateribus. Hinc hisce verbis non definitè indicavit CHRISTVS quis esset proditor. Postea CHRISTVS Eucharistiam instituit, ac rursus ait proditorem secum esse in mensa, ut disertè narrat Lucas & Ioannes c. 13. 21. Quocirca Petrus innuit Ioanni recumbenti in sinu CHRISTI, ut rogaret eum, quis definitè & nominatim sit proditor? Ioanni interroganti respondet CHRISTVS eum esse, cui daturus sit buccellam, ac mox eam dat Iudæ, ille eâ acceptâ ex conscientia sceleris & hoc indicio CHRISTI sentiens se notari, impudenter & obstinatè rogat: *Nunquid ego sum Rabbi?* Origenes ait: existimo quia imprimis putavit latere quasi hominem, qui postquam vidit conscientiam suam notam CHRISTO, amplexus est occultationem positam in verbis ipsius: quorum primum infidelitatis erat, secundum autem impudentiæ. CHRISTVS respondet *tu dixisti*, id est, tu es. Quare omninò detectum & infamatum se videns, quasi amens & furens egreditur ad proditionem CHRISTI perficiendam. Non minùs & illa verba Christi eum exstimulârunt, *quod facis, fac citiùs.* Simon Cassianus ait impeditum Apostolorum intellectum ne verbũ intelligerent: tenebatur, inquit, CHRISTI voluntate Apostolorum intellectus, ne intelligeret, ne adversus proditorem tumultus insurgeret.

2. *Tu dixisti*: Ita terminos nobis ac regulas tolerantiæ & oblivionis fixit injuriarum. S. Chrysost.

3. Ex quibus dictis sententia inter duas, media melior videtur, scilicet asserens CHRISTVM tam ante Eucharistiam, quàm post prædixisse proditionem Iudæ.

XXII.

An Iudas in cæna Domini sumpserit

San-

Sanctissimam Eucharistiam?

INterfuisse celebrationi paschæ & Eucharistiæ eamq; 1.
sumpsisse Iudam proditorem negant S. Hilar: Theophil-
act: Clemens Romanus, Rupert: & alij multi, quorum ratio est, quia proditor indignus erat tantis mysterijs. Verùm communis cæterorum Patrum ac Doctorum sententia est Iudam interfuisse Paschæ & Eucharistiam cum cæteris Apostolis sumpsisse. Ita Origenes, Cyrillus, Chrysost: Ambros: Leo, Cyprian: August: Rabanus, Beda, Thomas & alij, quos citat & sequitur Soarez tertia parte, quæst: 73. disp: 41. sect: 3. apud Cornel: à Lap: tom: 1. in c. 26. Matth. v. 20. Vbi & probationes hujus sententiæ ponuntur. Nam CHRISTVS etsi licitè posset peccatum & proditionem Iudæ cæteris Apostolis occultam detegere, tum quia erat Dominus famæ Iudæ, tum quia & proditio illius alibi, id est apud Principes & Seniores esset publica, & paulò post apud ipsosmet Apostolos post proditionis executionem erat evulganda, noluit tamen Christus eam detegere ad Divinitatis & charitatis suæ manifestationem, ut perfectæ charitatis daret exemplum ac Iudam lenitate & charitate ad pænitentiam alliceret; tum etiam ut doceret occultos peccatores non esse prodendos, nec publicè traducendos & infamandos, ideoq; nec à Sacra Synaxi arcendos.

S. August: arbitratur Iudam non credidisse CHRI- 2.
STVM esse DEVM, putâsseq; proditionem suam illum latere, qui omnia haberet explorata. (Ait ille tract: 55.) Factum jam fuerat in cor Iudæ per immissionem diabolicam, ut traderet discipulus Magistrum, sed quem non didicerat DEVM. Iam tàlis venerat ad convivium explorator pastoris, insidiator Salvatoris, venditor redemptoris,

j.m talis venerat & se ignorari arbitrabatur &c. Sed non ignorabatur ab eo, cui cor illius intimæq́; cogitationes patebant omnes, liberavit illum hoc errore, cùm sceleris patrati commonefecit.

3. Mittit crimen in numerò ut conscius agat pænitentiam. S. Hieron: Redi in integrum & deposito furore resipisce. Clementia invitat, salus pulsat, ad vitam vita te revocat. S. Leo serm: 7. de passione.

XXIII.

Ex qua occasione inter Apostolos contentio facta sit, quis eorum maior esset?

I. SAlmeron ait non esse alienum à veri similitudine, contentionem hanc excitatam ante pedum ablutionẽ in ipso cænaculo, & ante Eucharistiæ institutionem: fortè antequàm cænæ accumberent excitata contentio est propter mensæ loca potiora. Lucas verò recapitulatione usus hoc loco illius fecit mentionem. Beda ait non esse incredibile, contentionem humilitatis fuisse potiùs quàm superbiæ. Non est (inquit) incredibile, quia honore se invicem præveniendo certârint. &c. Sed CHRISTI cõmonefactio aliud indicat. Isidorus Clarius ortam conjicit ad deprehendendum proditorem. Cùm audîssent (inquit) unum ex duodecim fore proditorem, arbitrati sunt, hunc, qui id esset ausurus, patraturum hoc facinus, gratiâ imperandi alijs, atq́; ita quærebant, quis eorum videretur esse major, ut aliquo modo deprehendi proditor posset. Non congruit hæc opinio cum admonitione Christi. Theophilact: verò, inciderunt (ait) Apostoli in hanc

litem,

litem, quia verisimile est, quòd inter se dixerint unus alteri: tu proditurus es? & alius alteri, & inde eò pervenerunt, ut dicerent: ego sum melior, & ego sum major, & similia &c. Euthym: existimat intellexisse Discipulos CHRISTVM tradendum à Discipulo & occidendum, atq; ideo de primatu contendisse futuro post illius mortem. In eadem sententia est D. Antonin: Carthus: Caietan: Iansen: &c. Hæc contentio habuisse videtur motivum, quòd cùm Dominus ab hominibus transmigraret, oportebat aliquem eorum fieri aliorum principem, quasi Domini vicem gerentem. In catena. D. Thomæ.

XXIV.

Qualis panis fuit, quem intinctum Christus Iudæ porrexit, & in quo intinctum?

EX Græco significat buccellam, sive offam, ex Hebræo non tantùm significatur panis, sed & cibus aliquis. Sed verisimilius est illum panem fuisse azymum, sive buccellam: intinctam verò non in vino, ut putat Nonnus, sed in aliquo condimento, quod mensæ apponebatur apud Hebræos, uti embamma, vel aliud ex intybis & lactucis aggrestibus aut alijs rebus condimentum. I.

XXV.

An illa buccella fuerit Eucharistia?

IVlius summus Pontifex in Epist: ad Episcopos per Egyptum, declarat: intinctum panem alijs discipulis Christum præbuisse non legimus, excepto illo tantùm Discipulo, quem intincta buccella Magistri proditorem ostenderet, I.

deret, non quæ Sacramenti illius institutionem signaret. &c, Innocent: III. in lib: myster: Missæ: non debet intelligi, quòd sub buccella panis intincta, CHRISTVS Eucharistiam dederit traditori. Eadem est Sententia Divi August: tract: *62*. D. Thomæ, Euthymij & aliorum.

XXVI.

Quomodo intravit Satanas in Iudam?

I. NOn intravit satanas in Iudam ut in energumenos intrat. Nam non ut torqueret, sed ut tentaret, & in scelus impelleret; in eum intravit. D. Anton: Intravit (inquit) satanas in Iudam non quidem per vexationem corporis sed ad novum malitiæ effectum. S. Ioan: Evangelista cùm ait c. 13. *post buccellam introivit in eum Satanas*, id est dum mensæ cum CHRISTO accumberet. Iam introiverat antea ut tentaret, in mensa introivit ut urgeret, & ad perficiendum atq; exequendum scelus adduceret. S. Aug: tract: *63*. in Ioan: Priùs (inquit) intraverat in Iudam Satanas, mittendo in cor ejus cogitationem, quæ traderet CHRISTVM, nunc autem (id est in cæna) post panem introivit in eum, non ad hoc ut alienum tentaret, sed ut proprium possideret. Toties in Iudam intravit dæmon quoties novum peccatum fecit, ait Laberhitel. Nonne intrabat in Iudam diabolus, quando suggerebat furta? certum est, etiam & tunc in eum intrâsse satanam, ut ad furta impelleret. Sed satis fuit dici *fur eat & loculos habens*. Nunc verò quia de atrocissimo flagitio sermo est, id est de Magistri venditione, intrâsse in eum dicitur satanas ut motor, incitator atq; ductor Iudæ, cæterorumq; impiorum. Quomodo in eum satanas intrarit? docet Didymus lib: 3. de Spiritu Sancto his verbis: Obser-

servans diabolus quibusdam motibus, & operationum signis, adquæ potissimum vitia Iudæ cor esset proclivius: deprehendit eum patere insidijs avaritiæ, & repertâ cupiditatis ianuâ, misit in mentem ejus, quomodo desideratam pecuniam acciperet, & per occasionem lucri proditor Magistri, existeret. Hæc cogitationis occasio locum tribuit satanæ ut in cor Iudæ introiens impleret eum pessima voluntate. Addit idem Didymus. Introivit satanas in Iudam non secundùm substantiam, sed secundùm operationem. Item, non participatione naturæ sive substantiæ, implet quempiam diabolus aut ejus habitator efficitur, sed per fraudulentiam & deceptionem ac malitiam inhabitare in eo creditur, quem replevit.

Dubium ergo est an substantia diaboli Iudam introierit? respondetur diaboli substantiam, id est ipsum diabolum intrâsse Iudæ cor & phantasiam: non tamen intrâsse voluntatem vel intellectum Iudæ sed per appetitum inferiorem commovisse. D. Thomas 3. q. 3. art: 8. Quãtùm ad animam (inquit) non potest diabolus inhabitare hominem substantialiter, quia solus DEVS illabitur menti: sed quantùm ad corpus diabolus potest hominem substantialiter inhabitare, sicut patet in arrepticijs &c. Serpentem intravit diabolus ut primum Adam occideret, Iudam intravit ut occideret secundum. Rupert: lib: 13. in Ioan: sicut (inquit) diabolus serpente usus est ad occidendum in anima terrenum hominem, sic Iudâ utebatur ad occidendum in corpore CHRISTVM. 2.

Cum perditissimus Iudas omnibus maledictionibus plenus sit, invenit tamen perfidiæ suæ cultores, prout Sixtus Senensis bibliothecæ Sanctæ lib: 2. ad literam I innuit Hæreticos quosdam Cajanos dictos fuisse, qui Evangelium Iudæ Iscariotis excogitatum venerati sunt, in quo 3.

quo laudabatur magnificè hic proditor, quòd CHRISTVM Magiſtrum ſuum tradiderit Iudæis, juxta eam, quam quaſi habebat divinæ determinationis notitiam, & ob id feſtinavit tradere CHRISTVM ut nobis per crucē ejus ſalutem pararet. Citat idem Author Epiphanium lib: 1. Panarij adverſus Cajanos & Theodoret: lib: 1. Hæreticarum fabularum. Sed & Barrad: tom: 4. lib: 1. c. 11. idē affirmans adducit S. Auguſt: lib: de Hæreſibus. Cajani (inquit) propterea ſic appellati, quoniam Cain honorant dicentes eum fortiſſimæ eſſe virtutis: ſimul & Iudam traditorem Divinum aliquid putant eſſe &c. &c. Ita perverſiſſima cauſa non tantùm ſuos invenit patronos ſed etiam & cultores. Inſuper Hæreſis è mentis ſtatu homines deturbat, qui ab Eccleſia Romana deficiunt, ita; ut abſurdiſſima atq; ſtultiſſima dogmata vera eſſe obſtinato animo atq; ore affirment. Inſanum hoc dogma Cajanis perſvaſit hæreſis, ſic noſtris temporibus alia abſurdiſſima novatoribus perſvadet, quale illud eſt inter alia: non minus DEI opus Iudæ proditio, quàm Petri confeſſio. Opꝰ, quod Evangeliſtæ diabolo tribuunt, homines abſurdiſſimi tribuunt DEO. Hæc Baraddius. Pſalmum 108. multi patres contra Iudam applicant, ubi triginta maledictiones numerant triginta argenteis, quibus CHRISTVM vendidit, annumerando. Inter quos luculenter deducit Antonius Monchiacenus de Mocharis Doctor Sorbonicus in oratione ſua, quam habuit ad Patres Sacri Concilij Tridentini fer: 6. die paraſceves, Anno 1563. 9. Aprilis, ubi ait, Pſalmus centeſimus octavus de proditione Iudæ, & Iudæorum conſilio contra CHRISTVM ac eorundem pœna continet 30. verſus & 30. maledictiones in pœnam 30. argenteorum quos ex CHRISTI venditione acceperat à Iudæis &c. &c. Vide etiam inter alios. Baraddium tom:

tom: 4. lib: 1. c. 11. Vbi ex August: in eundem psalmum explicationes apponuntur. Ibidemq; asserit Iudam uxorem & filios habuisse. Sibi ergo, uxori & natis (ut censet August) furabatur & pecuniam ex venditione CHRISTI quærebat.

XXVII.

Verba illa: quod facis, fac citiùs, ad Iudam, an ad satanam dicta sunt?

CVm post sumptam buccellam introivit in Iudam satanas & IESVS dixit *quod facis fac citiùs* Origenes vel diabolo putat dicta hæc verba vel Iudæ. D. Cyrillus diabolo dicta arbitratur lib: 9. c. 17. diabolo (inquit) non intelligenti patibulum crucis suarum virium fore detrimentum dicebat Dominus *quod facis, fac citiùs* Ita minantis magis quàm hortantis hæc oratio est. Sed rectiùs asseritur præfata verba non satanæ sed Iudæ dicta. Probatur ex verbis consequentibus: *quidam putabant quia loculos habebat, quod dixisset ei IESVS: eme ea, quæ opus sunt nobis ad diem festum &c.* Chrysost: ait, dixit Dominus *quod facis fac citiùs*, ut vera esse ostenderet quæ ad Iudæos de morte dixerat, *potestatem habeo ponendi animã meam & potestatem sumendi eam &c.* Sunt autem verba hæc non imperantis, sed permittentis, & scelus maximũ objicientis, atq; ante oculos ponentis. Theophilact: hoc (inquit) non est adhortantis ad perditionem, sed properantis & permittentis ea ad proditionem venire: quasi diceret, ecce reliqui te facere quodvis, non impedio tuam mentem &c. D. Chrysost: Illud (inquit) verbum *fac citiùs*, non imperantis est, neq; consulentis, sed exprobrantis & revocantis ad emendationem &c. Similia I.

verba in Scriptura reperiuntur. Iud: 10. *Ite, & invocate DEOS, quos elegistis, ipsi vos liberent. &c.* Matth: 22. *Et vos implete mensuram Patrum vestrorum.* Ioan: 2. *Solvite templum hoc &c.* Ex sententia Augustini significatur desiderium crucis. O verbum (inquit) libentiùs parati, quam irati. Dixit CHRISTVS: *quod facis fac citiùs*, non tàm in perniciem perfidi sæviendo, quàm ad salutem fidelium festinando. Simon Cassianus: festinabat CHRISTVS ad redemptionem, fervebat desiderium Salvationis &c. D. Ambros: lib: 2. de Abel & Caim c. 4. Vult hoc dicto expulsum Iudam à CHRISTI Societate, quoniam satanas in eum introierat: *quod facis, fac citiùs.* Ejicitur itaq; & excluditur eò quòd jam cum Domino esse non possit, quia cæperat esse cum diabolo. Nulla enim communicatio CHRISTI ad Belial. D. Chrysost: ait, cùm Iudas esset inemendabilis, dimisit eum CHRISTVS secundùm desideria cordis ejus videlicet secundùm desideria pecuniæ.

XXVIII.

Quare Iudas auditis CHRISTI verbis: quod facis, fac citiùs, statim exierit?

I. FOrtè cùm jam intellexerit notam Magistro suam machinationem nè apud Coapostolos talis haberetur, exit statim post illa verba quasi jussa CHRISTI executurus, cùm ex discumbentibus nemo hæc verba intellexerit, sed putârint quòd vel emenda quæ ad diem festum necessaria erant, vel egenis dandam eleemosynam CHRISTVS ei mandâsse. Item. Exivit, quia tempus advenerat ad hostes properandi, & quæ opus erant ad patrandum

ſcelus parandi, ſtimulante magis & urgentiùs eum ſatanâ. Rupertus ait, majus odium adverſus Magiſtrum, concepiſſe, quòd fuiſſet per buccellam indicatus. Nam etſi ſolo amore lucri ſcelus proditionis incæperat, nunc tamen introeunte in eum ſatanâ, mixtoq; odio cupiditati totam crudelitatem anhelans citiùs faciebat, inſtantiùs properabat. Hæc Rupertus: tamen putant alij non odio, ſed cupiditate argenti ductum eſſe Iudam. Nam cùm videret poſtea CHRISTVM adjudicatum morti, valde doluit, nimirum quia illum nec odio habebat, nec morti adjudicari cupiebat. Pulchrè deſcribit avaritiam Celada.

Radix omnium malorum avaritia eſt, fidei naufragi- 2.
um, ſpei nutatio, charitatis torpor, impatientiæ ſtimulus, concordie divortium, diſſenſionis matrix, rixarum fomes; & ut paucis multa dicam, jactura cæleſtium. Porrò cæleſtis gratia, quæ peccatoribus officioſa eſt; neſcio quo arcanè cognato inſtinctu, divites ſæpè declinat, lucroſos averſatur, fugit avaros.

XXIX.

Cur CHRISTVS Dominus poſt abſceſſum Iudæ ex cænaculo, dixit: nunc clarificatus eſt filius hominis?

IOan: 13. v. 31. *Cum ergo exiſſet* (Iudas) *dixit IESVS:* I.
Nunc clarificatus eſt filius hominis: & DEVS clarificatus eſt in eo. Quid eſt quòd Iudæ abſceſſu clarificatur CHRISTVS DEVS; an non etiam præſente Iuda, & inter diſcipulos commorante, ſatis præclarus erat, qui erat ſplendor patris, & ſplendidus ejuſdem nitor: an Iudæ contubernium CHRISTI & Apoſtolorum offuſcabat claritatem;

tem; an non ſatis illuſtris erat DEI filius ante abſentiam Iudæ? fortaſſis abſcendente Iuda, præluſtri aliquo honore, è cælo nobilitatur CHRISTVS? quodnam fuit hoc tantùm, tamq́; præcelſum decus? Peregregiè Origenes inibi ſic fatur, expendens præfata Ioannis verba. *Cùm ergo exîſſet Iudas dixit IESVS nunc clarificatus eſt filius hominis. Poſt evenientia* (inquit) *ex prodigijs, nec non ex transfiguratione præconia, initium glorificandi filij hominis fuit exitus Iudæ à loco ubi morabatur IESVS:* Profundè quidem Origenes! nempe CHRISTVS Dominus tot ubiq́; patratis prodigijs, & novâ è cælis allatâ politiâ, magnam ſui admirationem fecerat, celebri Hebrææ gentis plauſu: in Thaboris vertice Empyreis cæli veſtibus ſplenduit, & clara voce Patris DEI dilectus Filius palàm renunciatur: quid CHRISTO deeſt ad famæ auctarium, & gloriæ cumulum? *Imò poſt evenientia ex prodigijs, nec non ex transfiguratione præconia, initium glorificandi filij hominis, fuit ab exitu Iudæ à loco ubi morabatur IESVS.* Glorioſa miracula patrat CHRISTVS, ſed non ſatis glorificatus eſt IESVS; quià adhuc eſt Iudas in ejus contubernio. Cæleſtem CHRISTI doctrinam admiratione celebrat mundus, ſed necdum ſatis clarificatus eſt IESVS; quia in ejus contubernio adhuc Iudas cenſetur. In Thabore & Iordane coram Prophetis & Apoſtolis, inſolenti cælorum rupturâ Pater DEVS divinam CHRISTI filiationem è nube intonat; ſed adhuc non ſatis clarificatus eſt CHRISTVS, quia in ejus collegio adhuc Iudas numeratur Cùm autem abſcedit, & Ieſuanæ Societatis exgrex fit, ſic IESVS cum ſuis exinde glorioſus effulſit, ut initium clarificandi filij hominis fuerit ab exitu Iudæ à loco ubi morabatur IESVS.

2. Poſt brevem ſuæ creationis morulam Angeli, cum cælo

& in

& in cælo: & eadem prima die ſimul cum terra in ejus viſceribus infernus effoſſus eſt, factum eſt prælium magnum in cælo: Michaël & Angeli ejus præliabantur cum dracone, & draco pugnabat & Angeli ejus: *Et non valuerunt, neq; locus inventus eſt eorum amplius in cælo.* Apocal: 12. v. 8. *Et projectus eſt draco ille magnus, qui vocatur Diabolus, & projectus eſt interram, & Angeli ejus cū illo miſſi ſunt.* Quid? timet DEVS, ne in reliquos Angelos, ejuſdem naturæ participes, etſi jam beatos, malitia ſerpat? an præcavet ne ſaltem Empyreum cæli gloriam malorum præſentiâ devenuſtet? Notanda ſunt pulchra S. Auguſtini verba, quibus illam CHRISTI ſententiam expendit: *Cùm ergo exiſſet Iudas dixit IESVS: nunc clarificatus eſt filius hominis.* Auguſtinum audis: *Ecce in illa mea glotificatione quid erit, ubi malorum nullus erit?* Hæc excerpta ſunt ex Celada de Benedictionibus. § 13.

XXX.

Qualis hymnus fuit quem CHRISTVS poſt cænam dixit?

MAtthæus c. 26. v. 30. ait *Et hymno dicto exierunt in montem Oliveti.* Idem & Marcus c. 14. Quæ verba Vatablus ex Græco vertit & cùm hymnum ceciniſſent exierunt. Quis nam ille fuerit hymnus Aug: in Pſal: 39. & 72. dicit: non eſt hymnus etſi laus, ſi non cantetur. Hieron: in cap: 5. Amos. Hymnus (inquit) eſt canticum in honorem DEI. Sed quis iſte hymnus? quis cantus? non cantum. Sed fletum tempus illud mæſtiſſimum poſcebat. Paulus Burgenſis ex Iudæo Chriſtianus, aſſerit Hæbræos more recepto rituq; gentis poſt agnum paſchatis conſumptum pſalmos ſeptenos decantaſſe, qui pſalmi omnes I.

pro

pro titulo habent alleluia, id eſt Laudate DEVM. Enumerantur verò hi: *Laudate pueri Dominum &c. In exitu Iſràël &c. Dilexi quoniam &c. Credidi, propter quod &c. Confitemini Domino quoniam bonus &c.* hos enim appellari ſcribunt magnum alleluia. CHRISTVM verò ex ſacra Hiſtoria diſcimus ſeſe illius gentis ritibus pene in omnib9 prudenter attemperaſſe. Maldonat: & alij probant Moſaicum illud canticum quod univerſi Iſràëlis agmen decantaverat poſt rubri Oceani tranſitum; CHRISTVM etiam poſt ſuam cænam decantaſſe. Nec mira hæc in Chriſto modulatio. Cygnum opinor æmulatum eſſe, qui

Dulcia defectâ modulatur carmina lingvâ
Cantator Cygnus fueris ipſe ſui.

CHRISTVS totâ vitâ nunquam riſiſſe, fleviſſe aliquoties notatur. Cum morte luctaturus, cum ſuis hymnum modulatur. Hunc tamen pſallendi modum illum cogita quem ab Athanaſio probatum & ſervatum ſervari optavit Auguſtinus, nempe qui ſimilior lectioni quàm cantui, hodieq; in certis religioſorum hominum familijs retinetur.

2. Aliam inſuper (progreditur ulteriùs Drexel: de Chriſto moriente p. 2. c. 1. § 6.) hujus Muſicæ cauſam adſtruunt, qui CHRISTVM in hac funeris ſui viciniâ cantâſſe opinantur. Neceſſe erat, ut CHRISTVS dux belli fortiſſimus tot ſecuturorum Martyrum purpuratos exercit9, ad fortia cùm facienda tùm perferenda hac patiendi promptitudine inflammaret, & quaſi bellicum caneret, quò illi audentiores irent in hoſtem, & omnem ſuppliciorum ſeriem ridendo & cantando exciperent. Olim certè, uti me Plutarchus, Thucydides, & complures alij docent, cantu inibantur prælia; nec apud unam dumtaxat gentem Martijs congreſſibus muſica præludebat. Ita in bellis ſuis tubâ Hetruſci, Arcades fiſtulâ, Lacedæmonij

tibiâ,

tibiâ, Cretenſes lyrâ, cornu Thraces, Ægyptij tympano, Arabes cymbalo utebantur. Siculi ea, quæ ipſi Pyctidas dixerunt, inſtrumenta muſica adhibebant. Prælium auſpicaturus erat noſter è cælo Imperator, prælium cruentum, atrox, internecinum; quod ne nimium terreret aut efferaret ſuos belli inaſſvetos tyrones, hymnum præmiſit, cujus moduli aut ferociores animos lenirent & demulcerent, aut timidiores exigerent, & incitarent. Illuſtri hoc ducis noſtri exemplo didicimus mortem jam non formidare, rogos inſilire, rotas amplexari, numellas & taureas oſculari, cruces & patibula ſalutare, ardentes craticulas non horrere, omnem deniq; tormentorum ſupellectilem generoſo Spiritu ridere: didicimus jam ridendo mori. Et in hunc ſanè modum Divorum non pauci feliciſſimè pugnam finiêrunt.

XXXI.

An CHRISTVS fuerit naturâ ſuâ timoris, mæroris, triſtitiæ & aliarum humanarum paſſionum capax?

QVæſtionem hanc ventilat Bibliothecæ Sanctæ Author Sixtus Senenſis citatq; in aliquibus locis S. Hilarium Pictavorum Epiſcopum ſuper hæc verba: *cæpit contriſtari* &c. lib: 6. annotat: CXIV. & lib: 5. annot: 182. Sed fuſiùs lib: 5. annot: 186. Super Pſalmi 68. illa verba: *Salvũ me fac DEVS quoniam intraverunt aquæ uſq; ad animã meam.* Hilarius (inquit) Pictavorum Epiſcopus explanationi hujus pſalmi ſententias aliquot inſeruit, quibus innuere videtur humanitatem CHRISTI ſuaptè naturâ fuiſſe doloris ac miſeriæ expertem: famem verò, ſitim, mærorem, timorem, cæteraſq; animi & corporis infirmitates I.

non

non fuisse illi naturales, sed ultrò assumptas nostri gratiâ; siquidem in Præfatione Psalmi sic loquitur: *Vniversarum itaq; passionum sorte perfunctus secundùm susceptas infirmitates nostras loquitur & dolet, ipse quidem extra necessitatem timoris positus & doloris, sed his tamen, quæ suscepit accommodans: ut qui carnis nostræ homo natus est, ex dolorum nostrorum querelis & infirmitatis precatione loqueretur.* Et post hæc enarrans illud, *in siti mea potaverunt me aceto.* Addit. *Verùm Propheticè sitiijsse se dixit, quia cunctæ nostræ, quæ in eo fuerunt infirmitates non naturales sunt sed assumptæ.* Prosequitur fusiùs idem Sixtus citando ejusdem Hilarij textũ ex lib: 10. de Trinitate, quæ omnia brevitatis ergò omitto.

2. Addit Idem quòd Petrus Parisiensis Episcopus lib: 3. Sententiarum distinct: 15. Hilarij sermonem amicè ac benevolè interpretans ait illum nec verum timoris, doloris, ac passionis sensum, nec naturalem necessitatem timendi, dolendi, patiendi CHRISTO ademisse, sed causam & meritum patiendi, dolendi, ac timendi, quæ in nobis est. In nobis enim est naturalis patiendi necessitas propter Adæ peccatum inducta, in CHRISTO verò naturalis verè patiendi necessitas est non vitio humanæ conceptionis illata, sed ultrò ex ejus libera voluntate suscepta &c.

3. Producit idem Author ex Evagrio. lib: 4. Ecclesiasticæ Historiæ. c. 39. Iustiniani Augusti in cæteris viri Catholici huic dogmati tamen adhærentis edictum, quod prætermittimus. Ioannes. Damasc: in lib: de centum hæresibus c. 84. hunc errorem peculiarem fuisse Escharodocitis hæreticis refert his verbis. Hescharodocitæ qui & Gaianitæ dicti sunt corpus Domini, ex ipsa plasmatione incorruptibile venerantur & passionem quidem sustinuisse Dominum confitentur, esuriem dico, & famem & sitim,

tim, & laborem: ſed non ſecundùm eum, qui nobis eſt, modum, ſuſtinuiſſe; neq; naturæ legibus ſervientem dicunt. Suſpicor Damaſcenum (ait Senenſis) id circo Hæreticis iſtis, Heſcharodocitæ, nomen indidiſſe, quia inſenſibilem atq; impatibilem quandam carnis duritiem CHRISTO adſcriberent: quæ ictibus ac vulneribus quantumlibet contuſa, nil doloris pateretur. &c. Sed omnibus iſtis prætermiſſis & S. Romanæ Eccleſiæ omnibuſq; ei adhærentibus ſenſum adjungendo, puto veram fuiſſe triſtitiam. Nam CHRISTVS Dominus humanos quidem habuit affectus, ut ait Aug: lib. 14. de civit: DEI c. 9. in quo verum erat hominis corpus & animus verus. falſus humanus affectus non potuit ſubſiſtere. Aliter tamen affectibus CHRISTVS ſuis quàm nos, uſus eſt. Nam affectꝰ noſtri rationis judicium frequenter antevertunt: affectus autem Domini judicium rationis & voluntatem ſequebãtur non præcedebant. Vnde idem Aug: loco indicato ait CHRISTVM affectus & motus animi ita cùm voluiſſet, ſuſcepiſſe, ſicut cùm voluit factus eſt homo. Vnde patet in CHRISTO Domino affectus & paſſiones ſatiùs vocari propaſſiones. De quo vide apud Barrad: tom: 4. lib: 6. c. 9.

Veram itaq; ut jam dictum eſt, fuiſſe in CHRISTO triſtitiam. Licèt enim ab initio conceptionis ſuæ frueretur viſione DEI hypoſtaticè ſibi uniti eſſetq; beatus in ſummo gaudio, tamen ſumme quoq; contriſtatus eſt: ſed reſpectu diverſorum objectorum &c. Ita communiter docent Theologi, qui refellunt M. Canum dicentem lib: 2. de locis c. 14. in CHRISTO ſuſpenſum fuiſſe gaudium quod naturaliter ex viſione DEI ſequitur eo tempore, quo fuit viator ut dolere & triſtari poſſet. Vide. D. Thomam 3. p. q. 46. art: 8. & Soarez &c. CHRISTVS ergo 4.

 ſimul

ſimul fuit viator & comprehenſor, ut viator triſtatus & paſſus eſt. Beatus exſtitit & gaudio plenus ut comprehenſor. Porrò CHRISTVS non tantùm quà comprehenſor, ſed etiam quà viator ſimul ſummè gaudebat & dolebat de ſua paſſione. Dolebat enim de ea ſecundùm partem animæ inferiorem, quatenus paſſio hæc erat noxia naturæ, gaudebat de ea ſecundùm partem ſuperiorem, quatenus illa erat à DEO volita & ordinata ad hominum ſalutem.

5\. Cauſas triſtitiæ CHRISTI in horto in multis Authoribus, ſed præcipuè apud Cornel: de lap: in Matth: c. 26. v. 37. reperies. CHRISTVS in horto triſtitiam ex duplici fonte habuit. A privatione voluntaria omnis ſenſibilis lætitiæ, quam aliàs habuerat, nunc autem ei omnẽ aditum interclusit. Deinde ab Aſſumptione voluntaria affectuum contrariorum dando licentiam appetitui producendi ad majorem amaritudinem paſſionis. *Timorem* de imminente morte, qui timor quà tremorem & ſtuporẽ cauſat, dicitur *pavor*, quà anguſtiam internam producit, appellatur *Agonia*; & *tædium*, quod eſt nauſea rerum omnium quæ ſunt in mundo & *triſtitiam*, quæ eſt afflictio interna de malo præſenti, qui omnes affectus CHRISTVM circumdederunt & obſederunt uſq; ad mortem, ſive tàm intenſi, ut vi ſuâ CHRISTO mortem inferre potuerint, niſi ſe majoribus ſervâſſet malis. Laberrhitel cõſiderat: 78.

XXXII.

Cur CHRISTVS mortem ſuam ſæpè vocat calicem? & cur in horto oravit ut calix ab eo tranſiret?

Cau-

CAusam S. Chrysost: & Euthymius dant quòd CHRISTVS tàm libenter & avidè passionem subierit, ac si sitiens calicem epotaret, Theophilact: etiam super Matt: c. 20. dicit: Calicem appellat Dominus martyrium, & suam mortem simul ostendens quòd leve sit, & quòd oporteat nos tàm facilè illud aggredi, quàm si bibendum esset poculum. 1.

Calix CHRISTI hic alludi potest ad calicem primò qui propinabatur in convivio, secundò ad libamina sacrificiorum, tertiò ad calicem qui dabatur morituris. 2.

1. De calice conviviali ait Folengius, sacra olim (inquit) instituta erant convivia in quibus solemnes DEO pro maximis illius beneficijs gratiæ agebantur, illic læta omnia & festiva apparebant. Vnde illa verba psalmi CXV. *Calicem salutaris accipiam &c.* Kimhi Hæbreorum doctissimus ita exponit: Quando convivium lætus extruxero, levabo calicem vino plenum, & gratias agam Domino propter hanc salutem mihi concessam in conspectu multorum assidentium. Solebant porrò Iudæi in convivijs sibi propinare & ex eodem calice bibere. Ad quod alludens CHRISTVS in cæna Eucharistica. Luc: 22. 17. *accepto calice gratias egit & dixit accipite & dividite inter vos. &c.* Innuitur hoc q. XVII. n. 3.

2. Ad libamina & sacrificia calix adhibebatur, in omni porrò sacrificio erat libamen, exceptis sacrificijs pro peccato. Itaq; in omni holocausto, & in omni victima pacifica libabatur aliquid DEO. Citat Blanc Cornel: à lap: in c. 15. Numer: ubi fusiùs vide ritum libaminis. 4.

3. Alluditur ad calicem vini, qui dabatur morituris, & hic magis arridet, quàm cæteri, Bellarmino, qui ait. Non desunt, qui hunc calicem exponant de sacrificio legis veteris, quod liquoribus & libaminibus continebatur: 5.

vel de calice conviviali, quo in memoriam acceptæ salutis utebantur: sed ista levia sunt, & Sancti Patres, Basilius, Chrysost: in 2. expositione. Hier: Aug: & cum ijs Theodoretus & Euthymius, magno consensu de calice patientiæ & passionis hunc locum intelligunt, de quo calice. Dominus dixit Matth: 20. *potestis bibere calicem, quē ego bibiturus sum?* & Matth: 27. 39. *Transeat à me calix iste.* Et Ioan: 18. 11. *Calicem quem dedit mihi Pater, non vis ut bibam illum.* Hæc Bellarminus.

6. Nota calix vini dabatur morituris secundùm illud Proverb: 31. v. 6. *Date siceram* Septuag: vertunt inebriantiū *merentibus, & vinum his, qui amaro sunt animo; bibant & obliviscantur egestatis suæ, & doloris sui non recordentur ampliùs.* Pro merentibus Hebræi & Arboreus exponunt *pereunti*, hoc est damnato ad mortem. Ob eam consvetudinem CHRISTO oblatum est vinum myrrhatum Matth: 27. 34. Sed malitiosè, crudeliter contra morem solitum felli permixtum.

7. Nota etiam mortem & Martyrium CHRISTVM vocare calicem ob quinq; rationes, ut Martyres suos ad subeundam mortem & passionem svaviter alliceret.

8. Primò. Quia dolores secundùm gratiæ & fortitudinis concessæ mensuram dantur. Ita Cassiodorus, *pulcherrimè* (inquit) *ac breviter definita est Martyrum mors: Calix salutaris. Calix, quia sub mensura bibitur. Salutaris, quia in æternam salutem Domino præstante propinatur.*

9. Secundò. Dicitur ob celeritatem in exhauriendis illis doloribus. Licet enim S. Clementis Ancyrani crudelissimum & multiplex Martyrium per 28. annos duraverit: tamen breve est æternitati, cui collati mille, anni sunt tanquam dies hesterna quæ præterijt.

10. CHRISTVS orans in horto Gethsemani dicebat Matth: 26.

26. 39. *Pater, si possibile est, transeat à me calix iste.* Id est citò moriar & patiar, acceleretur mors mea, ardor enim meus patiendi pro salute hominum non patitur moras, ne horæ quidem vel instantis unius! eam explicationem sibi ab ipso CHRISTO revelatam esse dicebat S. Catharina Senensis, ut refert Ambros: Catharinus in ejus vita lib: 2. c. 28. & 29.

Tertiò Martyrium vocatur calix ob amaritudinem. Ita S. Bruno & Bellarminus, qui notat apud Prophetas passim accipi calicem pro amara potione tribulationis. Ita Psal: 74. *Quia calix in manu Domini vini &c.* Isaiæ c. 51 v.17. Ierem: c. 25. v. 15. Ezech: c. 23. v. 32. Abacuc: c. 2. v. 16. *Repletus es ignominia, pro gloria: bibe tu quoq; & consopire: circumdabit te calix dexteræ Domini. &c.* 11.

Alludi vult S. Bruno ad potiones medicas amaras. Verba ejus sunt. Mors calix dicitur: quoniam amara est carni, sicut quidam calices potionum medicarum, quæ licèt saluberrimæ tamen amarissimæ sunt. 12.

Quartò mors & martyrium, vocatur calix ob svavitatem ejus, & ubertatem gratiarum tunc animam recreantium & confortantium. Mentem enim illæ gratiæ & ardens charitas inebriant, & omnium mundanorum proprijq; corporis oblivisci faciunt, &c. S. Bruno eam quoq; explicationem affert. Mors (inquit) calix dicitur: quia sicut calix optimi vini hominem quem inebriat, ab illo statu in quo est, in alium statum mutat: ita & ipsa mors illum quem invadit, ab hujus vitæ statu in statum alium mutat. &c. 13.

Vim illius ebrietatis & svavitatem atq; alacritatem signatius exprimit S. August: serm: 185. Hoc (inquit) spirituali mero Spiritûs Sancti calebant Martyres, quando abjicientes & post se jactantes omnia sæculi blandimē- 14.

ta,

ta, ibant ad passiones, obliviscentes facultates & affectiones, patrimonia & matrimonia sua, & vincentes armatam contra se parvulorum pignorum fletibus pietatem, vociferantes, puluerem mittentes super capita sua, & matres facies suas avulsis crinibus dilacerantes. Sed illi hæc omnia tanquam ebrij non videbant, nec cognoscebant suos: quia infuso præcordijs suis Spiritu Sancto, ad dolores, ad supplicia, tanquàm ad consolationes & ad præmia festinabant.

15. Quintò Mors, & Martyrium vocatur calix ad declarandam sitim patiendi tum CHRISTI Domini pro nobis, quam Sanctorum Martyrum pro CHRISTO, quorum plurima exempla passim in vitis Sanctorum Martyrum reperies. Ad inextingvibilem verò CHRISTI DEI nostri sitim hoc solum semper meminisse sufficiat: quòd non tàm sitibundus potum aliquem, quàm IESVS mortem pro salute nostra sitiebat. Acuebat hanc in se sitim etiam epoto jam in cruce calice usq; ad exinanitionem clamando *Sitio.*

16. Quod verò orans in horto CHRISTVS dicat *transeat à me calix iste*, præter explanationem superius expressam n. 10. D. Hieron: super Matth: c. 26. qvem & Beda sequitur arbitratur CHRISTVM postulâsse non timore patiendi sed misericordiâ populi Iudaici ne ab illis biberat calicem propinatum: Id est Cupio ô Pater pati & mori, sed opto & oro ut non patiar, nec occidar à Iudæis. Ne illi, qui sunt gens mea & filij Abrahæ, tam immane scelus committant, & ob illud gravissimè damnentur & crucientur. sic ait Hieron: *signanter non dixit transeat à me calix, sed calix iste; hoc est populi Iudæorum: qui excusationem ignorantiæ habere non potest, habens legem & Prophetas, qui me quotidie vaticinantur.* Haymo sic exponit. Si fieri
potest

poteſt ut gentilitas liberetur ſine Iudæorum perditione, tranſeat à me calix paſſionis. &c. S. Baſil: 4. contra Eunomium, hoc (ideſt) tranſeat à me calix iſte, non de ſe ipſo, ſed de ijs, qui in eo peccaturi erant, id eſt Iudæis, nec peccent, accipiendum, pro quibus etiam crucifixus dicebat. *Pater dimitte illis &c.* D. Hilar: opinatur Chriſtum orâſſe pro Martyribus. Pro his (inquit) rogat, qui paſſuri poſt ſe erant, dicens: *tranſeat à me calix* &c. id eſt, quomodo à me bibitur, ita ab eis bibatur ſine ſpei diffidētia &c.

XXXIII.

Quomodo intelligenda ſunt verba illa CHRISTI: non mea, ſed tua voluntas fiat.

DE hac materia vide Barradium tom: 4. lib: 6. c. 11. Vbi fusè duplicem in CHRISTO ſecundùm humanam naturam voluntatem, ſecundùm doctrinam D. Thomæ 3. p. q. 18. art: 5. deducit: Ad quem locum, brevitatis ergò. Lectorem remittimus. Cornelius verò à Lap: ex his verbis: *Non mea, ſed tua voluntas fiat* aſſerit contra Monothelitas non unam, ſed duas in CHRISTO fuiſſe voluntates; ſcilicet unam humanam, alteram divinam. Et hîc humanam ſubjicit divinæ: & ut homo per hanc meritus eſt noſtram redemptionem. Hanc eſſe aſſerit expoſitionem SS. Athanaſij, Auguſt, Ambroſ: Leonis, Imò humana CHRISTI voluntas licèt in ſe una, virtute tamen & operatione fuit quaſi duplex, ſcilicet una naturalis, quia fugiebat mortem: altera rationalis & libera, quâ ſubdens ſe voluntati DEI mortem appetebat: ac juxta hanc dicebat, *verumtamen non ſicut ego volo.* Voluntate natu- 1.

rali: *sed sicut tu vis.* qd: voluntate rationali subjicio voluntatem meam naturalem tuæ voluntati ô Pater, nec aliud volo quam quod tu vis. Quare voluntas CHRISTI naturalis erat conditionata & inefficax, qui sub conditione tantùm si scilicet placeret DEO, cupiebat mortem evadere. Rationalis verò ejus voluntas erat absoluta & efficax, quia per eam absolutè & efficaciter subjiciebat se voluntati Divinæ &c. Hæc Cornel: in Matth: c. 26. v. 40.

2. Nec intermittendum videtur quod Cornel: in c. 6. v. 10. Matth: exponit, nempe duplicem voluntatem esse DEI, scilicet *beneplaciti* & *signi* sive *absolutam* & *optativã*. Voluntas beneplaciti in DEO est illa quâ DEVS absolutè vult aliquid fieri, quæ semper impletur & quam nulla vis impedire aut sistere vel retardare potest juxta illud Psal: 113. Omnia quæcunq; voluit Dominus fecit in cælo & in terra, & Isaiæ 46. Omne consilium meum stabit & omnis voluntas mea fiet, & illud Esther: 13. Non est, qui tuæ possit resistere voluntati. In hac ergo acquiescendum est vel congaudendo vel tolerando quæ nobis immittit.

3. Voluntas signi est, quâ DEVS significat quid, velit à nobis fieri per suas leges & præcepta quæ nobis imponit, hæc optativa & imperativa dicitur, ut in oratione Dominica exprimitur: *fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra.* Id est. Da Domine nobis tuam copiosam & efficacem gratiam quâ ita alacriter integrè & concorditer per omnia tam in agendo quàm in patiendo tuis jussis & desiderijs obediant homines sicut Angeli ijsdem in cælo obediunt. Ita S. Hieron: Chrysost: Theophylact: Euthym: & Augustinus lib: 2. de serm: Domini in monte. Angelorum ergo promptitudinem, celeritatem, efficaciam, perfectionem in implenda DEI voluntate imitari debemus ut il-

lam

lam veneremur & honoremus ac consequenter nobis ipsis benefaciamus. Nam ut ait Apostolus. 1. Thessal: 4. *Hæc est voluntas DEI Sanctificatio vestra.* Et CHRISTVS Matth: 12. *quicunq́ fecerit voluntatem Patris mei &c.*

Audi Cyprianum tract: de oratione Dominica. *Voluntas DEI est*, quam CHRISTVS & fecit & docuit: Humilitas in conversatione, stabilitas in fide, verecundia in verbis, in factis justitia, in operibus misericordia, in moribus disciplina, injuriam facere non nosse, & factam posse tolerare, cum fratribus pacem tenere DEVM toto corde diligere, amare in illo quod pater est, timere quod Deus est, CHRISTO nihil omninò præponere, quia nec nobis quicquam ille præposuit: charitati ejus inseparabiliter adhærere, cruci ejus fortiter ac fidenter assistere: quãdo de ejus nomine & honore certamen est, exhibere in sermone constantiam, quâ confitemur: in quæstione fiduciam, quâ congredimur: in morte patientiam, quâ coronamur, hoc est, cohæredem CHRISTI esse velle: hoc est præceptum DEI facere, hoc est voluntatem patris *adimplere.* Plura vide apud eundem Cornelium. 4.

Voluntatem itaq́; nostram Divinæ voluntati semper omnibusq́; in rebus ex CHRISTO subjicere discamus. 5.

Errantiũ astrorum (ait Barrad: tom: 4.l.6.c.11.) orbes veluti furtim proprio motu moventur, verumtamen primi mobilis rapiuntur impetu, motu alio. Eundem in modum si errantia astra nostra, id est errantes appetitiones, furtim adversus divina præcepta motu suo ferantur: primi mobilis, id est divinæ voluntatis impetu revocentur, & in orientem rapiantur. Semper hæc corde verba sint infixa *non sicut ego volo, sed sicut tu vis.* D. Chrysost: hom: 84. in Matth: sublimem (inquit) admirabilis Philo- 6.

losophiæ virtutem tradidit Dominus, cùm exemplo nos doceat etiam naturâ horrore perculsâ ac renitente: esse DEVM sequendum &c. Item Euthymius: Dicens Dominus. *Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu vis*, docuit nos, quòd naturâ licet retrahente sequi oporteat DEI voluntatem illamq; propriæ voluntati proponere tanquàm maximè utilem &c. &c.

7. Ad quod assequendum pensanda sunt verba peracutè scripta (ut ait) Celada) D. Chrisologi serm: 67. *Hoc est regnum DEI, quando in cælo & in terra DEI est voluntas sola, quando in omnibus hominibus DEVS Mens est DEVS vivit, DEVS agit, DEVS regnat, DEVS est totum, ut juxta illud Apostoli. Sit DEVS omnia in omnibus vobis.* Scilicet, quò exactiùs fiat DEI voluntas in nobis, DEVS sit velut Mens nostra, quæ nostræ voluntati res appetendas denunciet: non sensu fallax, & falsatus sæpè intellectus rerum falaciâ. Præeat Mens divina voluntates & actiones humanas, ut ad divinam voluntatem homo exactiùs conformetur. Sic vice nostri intellectûs & judicij DEI Mens & judicium nos dirigens: tunc enim DEI voluntas perfectè fiet in nobis, quando *hominibus DEVS mens est. &c. &c.*

XXXIV.

Quanto tempore CHRISTVS in horto oraverit?

1. S. Lucas Evangelista ait *prolixiùs orabat* &c. Prolixitas ista ex eo conjicitur quòd Dominus noster ter oraverit primam orationem produxisse ex illis verbis ejusdem circiter ad horam unam, *sic non potuistis unâ horâ vigilare mecum?* similiter secundam & tertiam orationē fe-

fecisse existimandum est. Itaq; trium horarum spatio oravit. S. Remigius ter (inquit) orat CHRISTVS pro Apostolis, & maximè pro Petro, qui ter erat eum negaturus. Rabanus verò. Ideo (inquit) tribus vicibus oravit, ut nos à peccatis præteritis veniam, à præsentibus malis tutelam, & futuris periculis cautelam oremus, & ut omnem orationem ad Patrem & ad Filium & ad Spiritũ Sanctum dirigamus: & ut integer Spiritus noster, & anima, & corpus servetur.

XXXV.

Quare CHRISTVS præcipit Apostolis vigilare & orare ne intrent in tentationem?

SÆpè CHRISTVS Dominus Discipulos suos non tantùm verbis sed & exemplo ad vigilantiam & orationẽ inducebat siquidem persæpe erat pernoctans in oratione ut SS. Evangelistæ testantur. Neq; aliquid absq; orationis exordio peragebat, uti passim apud eosdem SS. Evãgelistas Vnde Ecclesiastic: c. 18. v. 22. admonet, *non impediaris orare semper* & Doctor gentium ad Ephes: 6. 18. *Orantes omni tempore* Idem 1. ad Thessal: 5. v. 17. *Sine intermissione orate*, quod non interruptam continuationem, sed perseverantiam significat. Nam tota hominis vita cùm sit tentatio & militia, homo infirmus & impotens debet auxilium ac robur à DEO postulare: itaq; tota vita Christiani debet esse oratio. *Semper orat, qui semper secundùm DEVM operatur.* Beda. *Semper orat, qui semper bene agit.* Glossa. Quod CHRISTVS Dominus, ut superiùs expressimus, nobis ex se ipso præbuit exemplum. Sed præcipuè imminente jam passione sua in horto Gethsemani præcipit 1.

cipit Discipulis suis vigilare & orare. Nam ut quidam ex Asceticis ait. Non vigilare & non orare, est in tentationem intrare, Et ut Beatus Petrus Chrysolog: serm: 44. asserit, *ad tentationem, qui ad orationem non vadit.* Ideoq; CHRISTVS præcipit Discipulis vigilare & orare ne intrent in tentationem.

2. Intrare enim in tentationem est à tentatione superari. Iuxta quem sensum non hortatur Dominus ut petamus nè tentatio intret in nos, sed ne nos intremus in tentationē. Nam tentationes nobis invitis intrant; possumus tamen non intrare in eas, id est DEO juvante, tentatione non irretiri. Quemadmodum volucris laqueos intrans illaqueatur; sic homo intrans in tentationem capitur. Si igitur intret in nos tentatio, nos non intremus in illam.

3. Notandum quòd in nullo prævalere potest diabolꝰ cuiquam nisi fuerit voluntatis vitiatæ, quando enim videt dæmon inclinatam malignis infusionibus suis mentem, tunc permittente justitiâ divinâ propter abusum gratiæ & dictamina conscientiæ spreta, incipit tentator animam inordinatam & ingratam possidere. Laberihitel: consid: 55.

4. Multoties DEVS amicos suos facit ob majus meritum eorum tentari. Nonullos etiam Sanctos, ut in vitis Patrum legimus, optâsse tentationes constat, quasi materiam augendæ virtutis suæ & meriti ex magna animi fortitudine & fiducia in DEVM. Talemq; tentationem habebant pro tessera ac signo divini erga se exhibiti beneficij. Quo intuitu S. Iacob: c. 1. ait *omne gaudium existimate fratres cùm in varias tentationes incideritis.* Nihilominus tamen tutiùs & securiùs est tentationes fugere ac DEVM deprecari secundùm CHRISTI nobis porrectam orandi normam. Matth: c. 6. v. 13. Luc: 11. v. 2. *Et ne nos inducas*

cas in tentationem. Non ut Calvinus perversè opinatur, *inducas*, impellendo, DEVS enim intentator malorum est, & ipse neminem tentat: Iacob: 1. v. 13. Sed permittendo induci in tentationem ut ea capiamur & superemur, sicut pisces & aves inducuntur in rete cùm illo concluduntur & capiuntur. Ita SS. Patres Catholici omnes sentiunt, inter quos S. August: Epist: 121. *Ne deserti tuo adjutorio alicui tentationi vel consentiamus decepti, vel cedamus afflicti. &c.*

XXXVI.

An Angelus ter vel semel apparuerit confortans Dominum?

IAnsenius censet non semel, sed ter in tribus orationibus I.
Angelum apparuisse. Verumtamen credibilius alij existimant semel tantùm & hoc post tertiam orationem, cùm CHRISTVS sangvineo sudore manabat, adfuisse Angelum sive Principem Angelorum Michaëlem, sive Gabrielem in comperto non est.

XXXVII.

Quomodo Angelus CHRISTVM confortaverit?

S. Epiphanius hæresi 69. & in Ancorato confortationem I.
Angeli interpretatur fuisse CHRISTI laudationem. Admiratione (inquit) ductus Angelus dicebat ad ipsum, glorificans & benedicens proprium Dominum in stadio consistentem: Tua est adoratio, tuum est dominiũ, tua est potentia, tua est fortitudo: ut impleret id, quòd à Moyse scriptum est Deut: 32. *Confortent ipsum omnes Angeli DEI.* Hæc ille. Quæ verba Moysis juxta interpre-

pretationem septuag: interpretum *confortent ipsum* id est laudent & fortem prædicent DEVM omnes Angeli ejus. Item S. Titus non id (inquit) factum est quòd CHRISTVS Angeli confortatione indigeret, verùm ut illud impleretur canticum Moysis, *confortent ipsum omnes Angeli DEI*, etenim propter summum rei miraculum Angelus non citra illustrem laudem pronamq́; adorationem ejus modi oratione eum affatus credi potest: Tua Domine est virtus, tua est potentia: tu enim adversus mortem, infernum, & diabolum victoriam & regnum obtinuisti. Confortâsse ergo dicitur Angelus CHRISTVM, quia cum cōsolatus est verbis, laudibus, externo aspectu, id est splendidissimo, & sudoris sangvinei abstersione alijsq́; modis nobis ignotis. Fuit autem opus hæc Angeli confortatio, quia CHRISTVS se ipsum confortare nolebat, omnemq́; consolationem propter nos sibi denegabat. Præterea opus fuit ut ostenderet eos, qui propter DEVM labores perpetiuntur & orant ab Angelis corroborari. Tertiò opus fuit ad ostendendam naturæ humanæ veritatem. Vt Beda ait, in horto Angelus CHRISTVM confortavit ut DEVM, esse factum hominem ostenderet. S. Bonavent: lib: 3. Sent: d. 16. q. 3. Multum (ait) CHRISTVS in se doluit, & multum pro nobis condoluit. Apellat autem dolorem compassionis eum, quo angebatur animo ob scelera nostra. Idem quærit fuerit ne major dolor animæ CHRISTI, passionis in appetitu sensitivo, an compassionis in parte rationali? respondet intensiorem fuisse dolorem compassionis, quia (inquit) quàmvis magna causa esset dolendi in sensualitate, propter separationem ipsius in carne, & magna erat dispositio ad dolendum propter optimam complexionem: in dolore tamen compassionis amplior erat ratio dolendi propter inhonorationem DEI, & sepa-

ſeparationem noſtram à DEO; major etiam erat diſpoſitio ad dolendum propter dilectionis nimietatem. Secundum enim, quòd dilectio major eſt, ſecundùm hoc plagæ compaſſionis ſunt majores. Hæc S. Bonaventura.

2. Memini in Authore quodam pio, me legiſſe Angelum in horto CHRISTVM præ angore mæſtum conſolãtem, omnes cruciatus & paſſionis pænas, quas maximo deſiderio optabat Salvator noſter, enumerâſſe. Scilicet illum comprehendendum, ligandum, illudendum, conſpuendum, flagellandum, ſpinis coronandum &c. demum crucifigendum &c. quod ardentiſſimo deſiderio pro æterni Patris gloria ac humani generis ſalute deſiderabat CHRISTVS. Hæc igitur licèt acerbæ paſſionis enumeratio, quia correſpondebat intentioni CHRISTI pro redemptione mundi pati flagrantiſſimè deſideranti, fuit in agonia illa confortatio.

XXXVIII.

Cur Iudas oſculo CHRISTVM tradiderit?

I. Oſculum tum apud multas gentes tum apud Hebræos fuit mos ſalutandi. Vnde probabile eſt quòd & Diſcipuli Domini cùm aliunde ad eum redirent, oſculo ſalutabant. Iudas itaq; proditor ducendo cohortes ad capiendum CHRISTVM in horto aliquot paſſibus turbam illam anteceſſit ut ipſe videretur non eſſe ex eis ſed quaſi aliunde redire & fortuitò cum adventante turba concurriſſe, itaq; quaſi peregrè rediens oſculatus eſt CHRISTVM. Sciebat enim in cæna ex verbis CHRISTI ſe ſuamq; proditionem notam eſſe CHRISTO, ut tamen illam coram Apoſtolis cæteris tegat, exterius fingit ſe CHRISTO

STO Domino ſolitum amicitiæ & reverentiæ dare oſculum. Perſvaſus etiam hic proditor ex lenitate CHRISTI (ut ait Chryſoſtom:) ſe ab ejus oſculo non repellēdum. Quod ſi repelleretur, hoc ſigno tamen oſculi oblati & à CHRISTO repulſi eum Iudæis indicaret & capiendum traderet. Sed CHRISTVS Dominus licèt vehementiſſimum ex proditione Iudæ ſentiret dolorem nec tamen reſpuit illum, ſed fraudulento hoſtileq́; offerenti ſincerum & amicum ſe reddidit. Et juxta S. Hilarium. Licet proditorem non habuit odio ſed dilexit, magiſq́; doluit de ejus ſcelere & perditione, quam de ſua proditione: ideoq́; volens illum ad pœnitentiam inflectere dicit: *Amice ad quid veniſti?*

2. Origenes tradit CHRISTVM Dominum faciem ſuam pro libito immutare ſolitum, qualis fuit illa, quam in trāſfiguratione ſua exhibuit. Et quia verebatur ne tunc Chriſtus etiam faciem ſuam transformaret, ut à Iudæis agnoſci non poſſet; ideoq́; hoc ſigno oſculi Magiſtrum ſuum deſignat eis tradendum. Sed ſi vellet CHRISTVS evadere, poſſet non tantùm per mutationem ſuæ faciei, ſed & alio occultare modo ac inviſibilem ſe uti aliàs, facere: quod notum fuit Iudæ. Sed magis veriſimile eſt ob vultûs Chriſti ſimilitudinem cum vultu Iacobi minoris, qui & frater Domini dictus fuit, ne milites Romani, quorum alij nunquam Dominum viderant, alij non bene noverant, maximè noctis tempore, alium loco CHRISTI comprehenderent, hoc ſigno proditor voluit indicare. Ita cum Theophylacto multi recentiores cenſent.

XXXIX.

An ſtatim dato oſculo Iudæ CHRISTꝰ *comprehenſus?*

IVdam osculo dato putant aliqui retro cessisse ad tur- 1.
bas, quarum ductor erat; admirantem quòd ad comprehendendum Christum iam indicatum signo commoti non essent. Christum verò animosè ac intrepidè obviam prodeuntem ac interrogantem quemnam quærerent solâ voce: *ego sum*, acsi fulmine prostrâsse Iudam & omnem turbam illam hostilem. *Vt ergo dixit eis, ego sum: abierunt retrorsum, & ceciderunt in terram.* Ioan: 18. v. 6. Permisit deinde Christus illos recipere vires & surgere: denuoq; interrogavit quem quærerent? illisq; iterantibus se IESVM Nazarenum quærere, subijecit ipse: *dixi vobis quia ego sum: si ergo me quæretis sinite hos abire.* quo dicto dum milites ad IESVM accesserunt manus & vincula inijciendo in eum; Petrus stringit gladium, Malcho auriculam amputat, quem Christus sanat increpans Petrum. Post exprobrationem illam, quam ponit Lucas c. 22. v. 52. *tanquam ad latronem exiistis cum gladijs & fustibus &c.* Et post illa dicta Luc: 22. v. 53. *Sed hæc est hora vestra & potestas tenebrarum; tunc accesseruut & manus iniecerunt in IESVM, & tenuerunt eum.* Matth: 26. 50. Quocirca S. Leo serm: 8. de pass: ait: Irruerunt in lumen verum filij tenebrarum & utentes faculis atq; laternis non evaserunt infidelitatis suæ noctem, quia non intellexerunt lucis authorem; occupant paratum teneri, & trahunt volentem trahi, qui si vellet obniti, nihil quidem in iniuriam ejus impiæ manus possent; sed mundi redemptio differreretur, & nullum salvaret læsus, qui pro omnium salute erat moriturus.

D. Chrysostomus & cum eo Cyrill: Theophil: & Eu- 2.
thym: censent Traditorem non agnovisse Christum in horto, militesq; prostratos antequam Iudas propius accederet & oscularetur Dominum, postea verò cùm se

ſponte obtulerit, tunc acceſſit proditor, oſculoq; dato, indicavit eum militibus.

3. Vides vim inſuperabilem, quomodo in medio eorum exiſtens eos excæcavit. S. Chryſoſt: & S. Cyrill: poteſtas ergo Divina Chriſti enituit, qui quamvis ſe quærentibus offerreret, minimè tamen cognoſcebatur.

XL.

Voce Chriſti: ego ſum *quid ſignificat proſtratio illa Iſcariotis & Iudæorum?*

SAnctus Cyrillus in c. 18. Ioan: ait, *imago caſus ille fuit omnium qui Chriſto adverſantur, quibus omnino terribilis caſus imminet.* Nam ille caſus & proſtratio tam Iudæ, quàm cum eo aſſiſtentium ad capiendum Chriſtum irreparabilem Iudæorum caſum ſignificabat, quòd in perfidia ſua & odio Chriſti forent obſtinati & ſalutis pene incapaces. Retrorſum ceciderunt non verò in facies: ſic enim cadentes, quòd in peccatum ceciderunt, non agnoſcunt. S. Gregor: lib: 13. moral: c. 10. ait: In faciem cadere, eſt in hac vita unumquemq; culpas agnoſcere, easq; pænitendo deflere: retro verò, quòd non videtur cadere, eſt ex hac vita repente decedere, & ad quæ ſupplicia ducatur ignorare. *Abierunt retrorſum & ceciderunt in terram* Iudæi relicto Meſſia verò: in ea, quæ retrò ſunt, id eſt, in caduca & temporalia bona abierunt. Nam omne, quod tranſit retrò, eſt, ut S. Gregor: l. 33. moral: c. 23. aſſerit: retrò eſt omne quod tranſit, ante verò eſt omne quod veniens permanet. S. verò Auguſt: in Pſal: 89. indicat. Abierunt Iudæi in ea, quæ retro ſunt; quia legem veterem, quæ retro eſt, & iam à Deo abrogata, ſequuntur.

XLI.

XLI.

Qualis gladius Petri fuit, & an peccaverit Malchum percutiendo?

SAnctus Chrysost: Theophilac: Toletus in c. Ioan: 18. I.
Iansen: in Matth: c. 26. putant gladium Petri fuisse cultrum, quo in mactatione Agni & aliorum animalium usi fuerunt Apostoli. Fuisse tamen ensem censent multi Patres, uti Cyrillus, Aug: Tertul: Ambros: & alij. Verba Tertul: lib: de Idololatria c. 19. Quomodo bellabit, imò quomodo etiam in pace militabit sine gladio &c. Omnem militem Dominus in Petro exarmando distinxit. Infertur ergo, quòd Petrus militarem gladium habuerit, non cultrum lanionum. S. Aug: contra Faustum lib: 22. dicit: Ius erat, ut Discipuli ejus ferrum ferrent, sed non iussit, ut ferirent. Ensem dicit S. Doctor *ferrum*, nam hic ferit hostem in conflictu, culter verò scindit vel pungit. Gladius etiam à clade dicitur.

Si quæres an Petrus peccaverit amputando auriculam? D. August: lib: 22. contra Faustum c. 70. existimat peccâsse. Cornel: à Lap: in Matth: c. 26. v. 55. ait geminum Petri esse peccatum. Primum, quòd percuteret contra voluntatem Christi. Secundùm, quòd percussio hæc non tam erat defensio, quàm vindicta, quâ Christum tantæ turbæ militum eripere non poterat, sed potius in Christum concitabat, seq; evidenti mortis periculo temerè exponebat. Sed veri similiùs alij plurimi putant Petrum in hoc non peccâsse, siquidem zelo commotum & Christi charitate id fecisse D. Leo serm: 1. de pass: Beatus (inquit) Petrus, qui animosiore constantiâ Domino cohærebat, & contra violentorum impetus fervore

sanctæ charitatis exarserat, in servum Principis Sacerdotum usus est gladio. S. Ambros: in Luc: & Beda Petrum Phinee zelum in hoc imitatum fuisse aiunt. Sciebat enim quomodo Phinees puniendo sacrilegos mercedem iustitiæ & Sacerdotis perennis acceperit. Chrisost: verò in Matth: c. 26. Considera (inquit) Petri & amorem pium, & humilitatem. Alterum enim ex diligendi fervore fecit, hoc est servum percussit; alterum ex obedientia, nimirum gladium in vaginam misit. Ad illa verba Christi: *Converte gladium tuum in locum suum: omnes enim, qui acceperint gladium, gladio peribunt.* Matth: 26. v. 52. Luc: verò c. 22. v. 51. Christus ait: *sinite usq; huc*, hoc est, non vos moveat, quòd futurum est: permittendi sunt hucusq; progredi, ut me apprehendant, & impleantur, quæ de me scripta sunt. Caietanus putat *usq; huc* tempus significare, hoc pacto: *sinite*, id est permittite usq; in hanc horam eos sævire quousq; durat hora, *hæc est hora vestra & potestas tenebrarum.* Barrad: addit interpretationes alias *sinite usq; huc*, hoc est, satis est usq; huc percussisse gladio, ne ultra progrediamini. Vel *sinite* satellites usq; ad me venire ne illos percutiatis &c. Sed alia fortè probabilior est, particulam *usq; huc* ad locum referens hoc pacto: *sinite usq; huc*, hoc est, sinite Malchum percussum usq; ad hunc locum in quo sum, ut illum tangam & sanem, quod & factum est. *Cùm tetigisset auriculam ejus, sanavit eum.* Luc: 22. v. 51. Et cum in plurali hæc Christus diceret *sinite* oportunè Maldonat: cum alijs colligit cæteros etiam Apostolos videntes Petrum tam animosè depugnantem pro Christo, ipsos etiam pro eodem certare voluisse, sed à Christo prohibitos iuxta S. Ambros: in Luc: c. 22. Noluit enim persecutorum vulnere defendi, qui voluit suo vulnere omnes sanare.

XLII.

XLII.

An sanando Malchum Christus eum etiam convertit?

UTi aliàs, sic dum & Malchum non tantùm in corpore, restituendo ei auriculam, sed & in anima eum convertendo, integrè sanat. Christus Dominus: tam potentiæ quàm clementiæ suæ exhibuit exemplum. Prout Paulus à Palatio asserit: Theologicum dogma est; quem Dominus sanat, perfectè sanat; Christus Malchum & aure & mente sanavit. quod potuit maioris esse charitatis indicium? quod magis imperturbati animi argumentum? 1.

Nota. Malchi nomen regem significat. Quidni illum populum & gentem regalem. Abscinditur auris dextera per Petrum, sed per Christum sanatur. *Nam populus Iudæorum dexteram perdidit aurem, sed Dominus ijs, qui ex Iudæis credere voluerunt, reddidit &c.* ait S. Hieron: in Matth: c. 26. Sinistram aurem perdat Christianus, quâ auditur mundus, diabolus, caro. Caveat verò, ne amittat dexteram, quâ Deus auditur; hac enim audiendum est, iuxta illud: Qui habet aures audiendi audiat. 2.

XLIII.

Quæ sunt illæ scripturæ, quas Christus de se implendas dixit?

CHristus Dominus sæpe de impletione Scripturarum locutus est, uti Matth: c. 26. v. 52. alloquendo Petrum, ut converteret gladium in locum suum, addidit v. 54. *Quomodo ergo implebuntur Scripturæ, quia sic oportet fieri.* Ibidem v. 56. *Hoc autem totum factum*

est, ut adimplerentur Scripturæ Prophetarum. Luc: 22. 37. *Dico enim vobis, quoniam adhuc hoc, quod scriptum est, oportet impleri in me: & cum iniquis deputatus est*(Isai: 53. 12.) Ioan: c. 17. v. 12. *Vt Scriptura impleatur.* Tum & in alijs locis Christus Dominus meminit impletionem Scripturarum. Quæ licèt in omnibus ferme paginis veteris testamenti de Christo Domino exarantur, aliqua tamen hìc ex R. P. Gasparis Drużbicki S. I. de varijs Passionem IESV Christi meditandi modis tractatu, ex modo 29. excerpta ponimus.

2. 1. Genes: 37. 28. Ioseph Filius Iacob Patriarchæ, odio fratrum suorum, operâ & consilio potissimùm Iudæ venditus, in Ægyptumq́; ductus: evidenter Christum ab Iuda discipulo hostibus suis venditum figuravit.

3. 2. 2. Reg: 15. 23. David Rex fugiens ex Ierusalem à facie Absalonis filij, eiq́; adhærentium coniuratorum, torrentemq́; Cedron transiens: Christi Domini ex eadem urbe trans eundem torrentem cum Discipulis egredientis, tumultum & turbam ciente Iudâ, atq́; cohortes & ministros ad comprehensionem Domini Patrisq́; sui congregante, manifesta figura fuit.

4. 3. Genes: 32. 24. Iacob totâ nocte colluctans cum Angelo, roburq́; contra metum Esau fratris sui ab oratione accipiens, figuravit Christum orantem in horto, ubi & apparuit ei Angelus confortans eum.

5. 4. 2. Reg: 20. 9. Ioab Amasæ obvians, eumq́, osculans, & salve mi frater compellans, interim tamen gladio confodiens: Iudam proditorem Christi per osculum, & per vocem, Ave Rabbi, luculenter expressit.

6. 5. Iud: 16. 25. Samson à Philistæis captus, vinctus, excæcatus, ludens coram Principibus, graphicè Christum captum, ab Iudæis vinctum, ad Principes Sacerdotum

dotum adductum, ibi oculis velatum, variéq; indigniſſimis modis illuſum, & blaſphematum depinxit.

6. Iob 2. 7. Iob à vertice capitis ad plantampedis ulcere peſſimo percuſſus, vulnere ſuper vulnus conciſus: viva fuit imago Chriſti flagellati adeo immaniter, ut multis vulnerum millibus conſcinderetur, ut non tam flagellatus, quàm aratro aratus, inſtarq; terræ, ſulcis prolongatis, diſſectus eſſet. 7.

7. Gen: 22. 13. Aries hærens cornibus inter vepres: à Patriarcha Abraham, pro Iſaac immolatus, Chriſtum ſpinis coronatum expreſſit. 8.

8. 1. Reg; 21. 13. David apud Regem Achis, pro inſano & ſtulto habitus. Chriſti ab Herode Rege, ejusq; exercitu illuſi, inq; ſtultitiæ ejus ſignum albâ veſte induti figura fuit. 9.

9. Cant: 3. 11. Salomon in die deſponſationis ſuæ à matre coronatus, & ſpectandus filiabus Ieruſalem propoſitus. IESVM purpurâ indutum, ſpineo ſerto redimitum, ſceptrum arundineum in manu geſtantem, genu flexo, conſputatione, alapis, Regiâq; ſalutatione illuſum, à Pilato ad populum cum illa voce. Ecce homo, productum efformavit. 10.

10. Gen: 22. 6. Iſ: 53. 8. Iſaac ligna in montem portans, ſuper eadem à Patre immolandus, Chriſtum baiulantem ſibi Crucem, usq; in eum, qui dicitur Calvariæ locum, ubi à Patre æterno propter ſcelus populi ſui erat percutiendus, atq; mactandus, imò re ipſâ eſt mactatus: adeo vivis figuræ coloribus depinxit: ut etiam locus loco plane reſpondeat: in quo enim monte, & montis colle Iſaac immolandus fuerat, in eo ipſo Chriſtus re ipſâ oblatus eſt. 11.

11. Exod: 12. 8. Agnus Paſchalis anniculus imma- 12.

culatus

culatus, igni toſtus, cum lactucis agreſtibus, feſtinanter ad veſperam ſacrificatus, & ſine ullius oſſis confractione devoratus: univerſum Chriſti in Cruce cruentum ſacrificium, atq; fructum etiam, planiſſimè delineavit.

13. 12. Num: 35. 28. Mors ſummi Sacerdotis: poſtquam revertebantur exules in Patriam impunè: Chriſti mortem omni humano generi à paradiſo exulanti ſalutarem, Patriamq; cæleſtem aperientem & reſtituentem demonſtravit.

14. 13. Gen: 2. 10. Quatuor fluvij de paradiſo egredientes univerſamq; terram circumeuntes, ac irrigantes. Quatuor præcipua Chriſti in manibus pedibusq; vulnera, quæ vivens ſubijt, præſignarûnt. Quinque autem civitates refugij Num: 35. 11. Quinque lapilli Davidici ad debellandum Goliam electi, 1. Reg: 17. 40. quinque vulnera Chriſti oſtenderunt.

15. 14. Gen: 6. 16. Oſtium in latere Arcæ à Noëmo factum: vulnus lateris Chriſti figuravit.

16. 15. Exod: 14. 22. Mare rubrum per quod ſicco veſtigio filij Iſraël ex Ægypto verſùs terram promiſſionis egreſſi ſunt, Ægyptijs omnibus interim in mari demerſis ac ſepultis. Redemptionem noſtram & ſalutem per Chriſti ſangvinem nobis procuratam, omnem autem diaboli poteſtatem, omnem peccatorum noſtrorum labem, in eodem ſangvine ſepultam & abolitam oſtendit.

17. 16. Omnes deniq; veteris teſtamenti victimæ; omnis tabernaculi Moſaici & templi Salomonici ſtructura, figura, ſupellex, ipſiſſimæ Chriſti Domini Paſſionis & mortis imagines fuerunt. &c. &c. Hæc P. Družbicki.

18. Item, quòd debuit à Diſcipulo tradi, exprimitur Pſalmo 40. v. 10. *Etenim homo pacis meæ, in quo ſperavi: qui edebat panes meos, magnificavit ſuper me ſupplantationem &c.*

&c. Triginta argenteis vendi, Zach: 11. 12. *Et appenderunt mercedem meam triginta argenteos &c. &c.* Vt latro capi Thren: 4. 20. *Spiritus oris nostri Christus Dominus captus est in peccatis nostris &c.* Conspui, colaphizari, Isai: 50. 6. *Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus: faciem meam non averti ab increpantibus, & consequentibus in me &c. &c.* Psalmus 21. quem ipse Christus Cruci affixus incepit recitare: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* totus planè passionem ejus, vexationem, vestium divisionem, &c. clarè exprimit. Inter latrones deputati, & mira pati totum Isaiæ c. 53. verificatur. Mortem ejus exprimit Ieremias c. 11. 19. *Et ego quasi agnus mansvetus, qui portatur ad victimam: & non cognovi, quia cogitaverunt super me consilia, dicentes: mittamus lignum in panem ejus, & eradamus eum de terra viventium, & nomen ejus non memoretur amplius.* Num: 21. 9. Serpens æneus, uti ipse Christus Ioan: 3. 24. explicat: *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis.* Lanceâ transfigi, Zach: 12. 10. *Et effundam super domum David, & super habitatores Ierusalem, spiritum gratiæ & precum: & aspicient ad me, quem confixerunt: & plangent eum planctu quasi super unigenitum, & dolebunt super eum, ut doleri solet in morte primogeniti.* Deut: 21. v. 23. *Maledictus à Deo est, qui pendet in ligno.* Item Deut: 28. 66. *Et erit vita tua quasi pendens ante te. Timebis nocte & die, & non credes vitæ tuæ.* Plura in varijs Sacræ Scripturæ locis reperies.

XLIV.

Quomodo omnis, qui gladium acceperit gladio debet perire?

1. NOn omnes qui accipiunt gladium gladio pereunt. Nam accipere gladium duntaxat ſine ulla aliorum iniuria, non eſt malum. Neq; etiam publicâ authoritate ad puniendum ſontes, uti faciunt Magiſtratus in Tribunalibus & Principes in iuſtis bellis: licitum eſt ac honeſtum. Sed accipere gladium ad feriendum, vulnerandum, & occidendum alios injuſtè, & nullo ſibi ſuffragante iure, malum eſt, iniquum ac pernicioſum. S. Aug: lib: 2. de ſerm: Dom: c. 29. cui etiam aſſentitur Beda, ſic exponit. *Omnis* (inquit) *qui gladio percuſſerit, gladio morietur; quia ipſo peccato anima morietur quodcunq; commiſerit.* Omnis igitur qui alterum iniuſtè occidit, ſeipſum occidit. Card: Caietanus verba Domini intelligenda ait non de facto, ſed de merito: quaſi dixerit, omnes, qui gladio iniquè interfecerint hominem, morte digni ſunt. Theophilactus arbitratur Dominum his verbis legem Petro propoſuiſſe, quæ de homicidijs ferri ſolet. Dictum (inquit) legis ponit, quòd homicida & ipſe occiditur Expreſſè enim Divina extat lex Gen: 9. 6. *Quicunq; effuderit humanum ſangvinem, fundetur ſangvis illius, ad imaginem quippe Dei factus eſt homo.* Exodi 21. 24. Levit: 24. 20. Deut: 19. 21. *Non miſereberis ejus, ſed animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede exiges.* Sic Chriſtus præcipiens Petro, ut gladium ſuum reconderet in vaginam, inſinuat ei lege ſtatutum eſſe, ut omnes homicidæ vitâ priventur. Ait etiam Euthym: quòd Chriſtus illis verbis: *omnes qui acceperint gladium &c.* prophetiſaverit de perditione Iudæorum. Nam ſicut Iudæi contra Chriſtum gladium acceperant, gladio Romanorum perierunt. Nam ab eis victi devaſtatiq; ſunt. Quod & Theophilac: aſſerit, Inſinuat Chriſtus quòd Iudæi contra ſe gladium ac-

cipientes, Romanorum gladio essent perituri &c.

XLV.

An liceat Christianis bellum gerere?

Sixtus Senensis in Bibliotheca S. lib: 6. annot: 156. Erasmum in Annotationibus tertij capitis & 22. capitis in Lucam asserit damnantem, multisq; querelis pene tragicis prolixâ oratione deplorantem Scholarium Theologorum iudicium, qui insulsis (ut ille criminatur) commentis & frigidis distinctiunculis suis subvertant Evangelicam doctrinam docentes non esse Christianis interdictum bellandi ius, sed licitum esse bellum gerere, quorum quidem sententiam ipse, ut impiam, oppugnat magno testimoniorum numero, ut quos testium pondere superare non potest, saltem multitudine obruat. (Verba sunt præfati Senensis) in his potiora sunt. 1.

Christus in Evangelio Matth: 5. 39. præcepit suis, nè resistant malo, sed inimicos diligant. orent pro calumniantibus, pacem persequentium expetant, bene faciant hostibus, percutientibus unam maxillam, alteram præbeant; auferentibus tunicam, pallium quoq; ultro relinquant &c. 2.

His addit multorum veterum Patrum authoritatem: in primis verò Origenis, qui tractatu 7. in Matth: sermonem Christi de gladio emendo, pestiferum esse pronunciat, si ad literam accipiatur. Deinde Origeni confert Ambrosium, cujus super his Christi verbis explanatio legitur decimo in Lucam commentario ad hunc modum: O *Domine, cur emere me iubes gladium, qui ferire me prohibes? cur habere præcipis, quem vetas promi? nisi fortè ut parata sit defensio, non ultio necessaria, & videar potuisse vindicari, sed noluisse. Lex tamen referire me non vetat:* 3.

 & ideo

& ideo fortaſſe Petro duos gladios offerenti, ſat eſt, dicit, quaſi licuerit usq́; ad Evangelium, ut ſit in lege æquitatis eruditio, in Evangelio bonitatis perfectio. Multis hoc iniquum videtur, ſed non iniquus Domine, qui cùm ſe poſſet ulciſci, maluit immolari.

4. Iis quoq́; adiungit Chryſoſtomum ex catena aurea D. Thomæ citatum (Matth: 5. 39. 40. &c.) Sed propter prolixitatem hic omittimus. Adducit etiam ex Severo Sulpitio in vita S. Martini recuſantem Cæſaris donativum, quod militibus erogari ſolebat; his verbis: *Hactenus, ô Cæſar militavi tibi: nunc patere, ut militem Deo, donativum tum pugnaturus accipiat: Chriſti ego miles ſum; mihi pugnare non licet.* Demum poſt multa infert, Chriſtiano viro dimicandum eſſe non corporeis & ferreis armis, ſed ſpirituali & Evangelicâ panopliâ, quâ Paulus Chriſti militem inſtruit, hoc eſt, galeâ ſalutis, ſcuto fidei, & gladio ſpiritûs: quod & Ambroſium dicit in libro de viduis palam declarâſſe, cùm inquit. *Arma Eccleſiæ, fides eſt, arma Eccleſiæ oratio eſt, quæ adverſarium vincit.* Hæc præfati Eraſmi argumenta querulantis contra Theologos licitum eſſe ex iuſta cauſa Chriſtianis arma contra hoſtes ſumere aſſerentis. Quæ (ut ait idem Senens:) querela iniuſta eſt, ne dicam Manichæa & impia, ut accuſator ipſe manifeſtè ſe prodat Evangelicæ diſciplinæ adverſarium, & Chriſtianæ politices everſorem, dum Chriſtianis adimit iura iuſtæ defenſionis, naturæ legibus inſtituta, & communi gentium omnium aſſenſu, authoritateq́; firmata. Nam ſi bellum Evangelicâ lege interdictum eſſet: Ioannes militibus percontantibus quid eis ad ſalutem expediret, dixiſſet, arma abijcite, militiam iſtam deſerite, &c. non autem hoc dixit, ſed tantum admonuit, ut ſtipendijs ſuis contenti à calumnia abſtine-

rent, nimirum etiam prohibiturus bellandi exercitium, si id putásset illicitum. Rursus cùm Centurio imperium Christi ostendere conaretur ex imperio, quod ipse in milites suos habebat, Matth: 8. 9. Christus collaudatâ militis fide, non imperavit ei militiæ desertionem, haud dubio prohibiturus, si bellum nullo pacto liceret.

Rectè igitur D. August: in epistola ad Bonifacium Comitem, quæ est numero quinquagesima adhortans eum, ut bello coërceat Donatistas. *Noli* (inquit) *existimare neminem Deo placere posse, qui armis bellicis ministrat, in his erat S. David, cui Dominus tam magnum præbuit testimonium. in his erat S. ille Centurio, qui Domino dixit, non sum dignus, ut intres sub tectum meum. Hoc ergo primum cogita, quando armaris ad pugnam, quia virtus tua etiam ipsa corporalis donum Dei est. si enim cogitabis de dono Dei, non facies contra Dominum &c. Pacem habere voluntatis est:* (subdit idem S.) *bellum autem debet esse necessitatis, ut liberet Deus à necessitate, & conservet in pace. Non enim pax quæritur, ut bellum exerceatur: sed bellum geritur, ut pax acquiratur. Esto ergo bellando pacificus, ut eos, quos expugnas, ad pacem unitatis vincendo perducas.* 5.

Prætermissis ejusdem S. Augustini & aliorum Patrum pro Christiana militia asserentium testimonijs, ad oppositiones Erasmi breviter respondetur. Primùm ex Evangelicis & Apostolicis scriptis, quibus vetatur obsistere malo, iubetur iniurias remittere, inimicos diligere, maledicentibus bene precari, persecutoribus bene facere, sinistram ferienti dexteram quoq́, præbere feriendam, & alia his similia, quæ bellandi iura videntur explodere. Huic obiectioni respondens: ex his, quæ numerata sunt, quædam esse præcepta, quædam verò consilia. at quidem 6.

præ-

præcepta ſunt aliquo pacto, & in commune diligere inimicos, amare hoſtes, perſecutores orationis auxilio non deſtituere, &c. quæ ſanè præcepta ius, facultatem, & exercitium pugnandi, nec adimunt, nec ſemper impediunt. Siquidem iuſta & verè Chriſtiana bella ſunt, quæ à pacificis bellatoribus, hoc eſt pacem quærentibus cum dilectione hoſtium pro defenſione iuſtitiæ & pacis adeptione geritur, iuxta illam Auguſtini regulam. *Bellum geritur, ut pax acquiratur; eſto ergo bellando pacificus, ut quos expugnas, ad pacis utilitatem vincendo perducas.* Porro in his conſilia ſunt, non reſiſtere malo, non ſe defendere, malum pro bono reddere, dexteram ferienti etiam exhibere ſiniſtram, tunicam rapienti & pallium ultrò dimittere, &c. & id genus alia plurima, quæ extra neceſſitatis diſcrimen, ut Auguſtinus inquit, non ſunt operis præcepta, ſed affectus in præparatione animi ſervanda, ut ſcilicet ſemper parati ſimus non reſiſtere malo, ſed vincere in bono malum, & pro maleficio beneficium rependere, ſi opus id fuerit. Verùm ſi aliter expediat, vel propter commune bonum, vel utilitatem eorum, qui nos oppugnant: tunc, ut Auguſtin: epiſtola ad Marcellinum ſcribit. *Agenda ſunt multa etiam cum invitis benignâ quâdam aſperitate plectendis. Nam cui licentia iniquitatis eripitur, is utiliter vincitur. Quoniam nihil eſt infelicius, felicitate peccantium, quâ pænalis nutritur impunitas, & mala voluntas velut hoſtis interior roboratur.*

7. Paulus Apoſtolus ad Timoth: ſcribens, *labora* (inquit) *ut bonus miles.* Non dicit labora ut agricola, ut piſcator, ut molitor, ut nauta: ſed *ut bonus miles.* Non enim minore opus eſt fortitudine ad reſiſtendum vitijs, quàm manus conſerendum cum hoſte &c. Gvevara epiſtolâ ad Albæ Ducem.

Poſtre-

Poſtremò ad ea, quæ ab Eraſmo ex Patribus allata ſunt, primum ad Ambroſij locum reſpondeo, verba ipſius non ita accipienda eſſe, acſi ſentiat bellum omnibus his, qui Evangelium profitentur eſſe illicitum, ſed viris illis, ſecundùm communem tamen legem, qui Divino ſeſe cultui totos dederunt, & eminentiorem bonitatis perfectionem tenent in conſiliorum obſervatione poſitam: quod & ipſe Ambroſius non obſcurè indicat. Vnde & Origenes ſermonem Chriſti ad gladium adhortantis, peſtiferum eſſe ijs, qui eum iuxta literam intelligunt, hoc eſt his, qui arbitrantur Chriſtum eo dicto præcepiſſe Apoſtolis ſuis, ut gladio accincti in prælium deſcenderent, & ſeipſos in prælium armarent, cùm id viros arcem totius imperfectionis tenentes non deceret. Sed intelligi voluit Chriſtum conceſſiſſe Apoſtolis iuſtum gladij uſum non in propria quidem ipſorum perſona, nec pro eo tempore; ſed in perſona totius Eccleſiæ, & pro futuro tempore. quia exordio naſcentis Eccleſiæ armorum uſus minimè conveniret. 8.

Neq; ab hoc ſcopo recedit Martini reſponſio, qui non ſolùm ex præfatis cauſis, ſed etiam ob aliam longè graviorem detrectavit militiam, nempe quòd nefas exiſtimaret Chriſtianum militem ſub imperatore impio & apoſtata militare. Iulianus enim palam deſerta Chriſti religione, ad paganiſmum deſciverat. 9.

XLVI.

Quare ſolus Chriſtus eſt comprehenſus, ligatus, & mortuus?

PRoteſtatus eſt quidem Petrus ſe nunquam deſerturum Chriſtum dicendo. Marci 14. 31. *Etiamſi oportuerit* 1.

me

me simul commori tibi, non te negabo. Similiter & S. Thomas alios animabat condiscipulos Ioan: 11. 16. *Eamus & nos, ut moriamur cum eo.* Sed dum venit iam hora, quâ Christus comprehendebatur ab impijs nemine excepto, Mar: 14. 50. *relinquentes eum omnes fugerunt.* Vana enim fuit præsumptio humana sine protectione Divina. Solus Christus comprehensus est, solus crucifixus, torcular solus calcavit; quia solus Christi sangvis peccatorum nostrorum erat medicina. Vnde Origenes in Matth: c. 27. *Cum IESV* (inquit) *pro omnibus nobis moriente mori, ut nos vivamus, hominum non erat: quoniam omnes fuerant in peccatis, & omnes habebant opus, ut pro eis alius moreretur, non ipsi pro alijs.* Inter alias causas, etiam & hæc est, ut ait Hugo Victorin: lib: senten: *voluit idem esse Redemptor, qui & Creator, ut familiariùs ab homine diligeretur Deus. Neq; decuit à creatura tale bonum fieri homini, quo maius non posset præstare Deus.* S. Cyrillus ait. *Semovit à periculo discipulos suos, non ignorans ad se solum certamen illud, & opus salutis nostræ pertinere: regnantis enim, & non servientis naturæ opus est.*

XLVII.

Quisnam fuerit ille Adolescens, reiectâ sindone fugiens?

I. SAnctus Marcus c. 14. v. 50. exprimit. *Tunc Discipuli ejus relinquentes eum, omnes fugerunt.* v. 51. *Adolescens autem quidam sequebatur eum amictus sindone super nudo, & tenuerunt eum. At ille reiectâ sindone, nudus profugit ab eis.* Ex quibus verbis patet adolescentem illum non fuisse Ioannem, uti opinatur S. Gregor: l. 14. moral: c. 24. Chrysost: in Psal: 13. Ambros: in Psal: 36. & alij,

neq;

neq; etiam Iacobum, uti putat S. Epiphan: hæresi 78. Theophilac: &c. nec aliquem alium ex Discipulis. Nam cùm dicit Evangelista, *Discipuli ejus relinquentes eum, omnes fugerunt*; ergo nullus eorum Christum sequebatur. Deinde, cùm rectè ex cænaculo Apostoli secuti sunt IESVM ad hortum Gethsemani quomodo aliquis eorum incederet nudus, solâ amictus sindone?

Si dices quòd illa fuerit vestis cænatoria, quâ induti in lectis cænare solebant antiqui: dixisset certè Evangelista amictum veste & non sindone. aliud est vestis, aliud sindon. Sindon enim facilè reijci potest, at vestis induta difficilius. Theophilac: Euthym: ac Victor Antiochenus censent fuisse adolescentem ex domo, in qua cænaverat Christus. Sed verisimilius adolescentem illum fuisse horti, in quo Christus orabat, servum vel filium patrisfamilias. (ita putat Caietan: & recentiores,) qui strepitu transeuntium satellitum Christum capientium excitatus è lecto, surgens accurrit, ut videret quid ageretur. Fuisse tamen hunc adolescentem, Christi fautorem, vel discipulum, vel ad minimum bene notum, ex frequentatione Christi ad orandum in montem illum Oliveti liquet ex eo, quod adijcit Marcus *sequebatur eum*. Vnde satellites *tenuerunt eum*, qui *reiectâ sindone profugit ab eis*. Quidni multò magis comprehenderent Apostolos, nisi sibi fugam consuluissent & abscondissent se. Vnde dicitur extare adhuc speluncam *latibula Apostolorum* nominatam in descensu vallis Iosaphat. 2.

XLVIII.

Quare Christus ductus fuit primò ad Annam?

Cornelius à Lap: in Ioan: c. 18. v. 13. ponit has rationes.

1. 1mo. Vt honorarent Annam quasi seniorem & socerum Caiphæ, quem proinde ipse Caiphas quasi patrem honorabat, & ex ejus consilio populum regebat.

2. 2do. Quia domus Annæ erat in via euntibus ad Caipham, ait S. Augustinus.

3. 3tio. Quia Annas præ cæteris videtur optâsse & procurâsse, ut Christus caperetur. Vnde satellites Christum ei quasi in triumphum ducunt, ait S. Chrysostomus.

4. 4to. Vt Annam, qui præcedente vespere à cæteris senioribus ob frigus noctis domum dormiturus abierat, inde evocarent ad concilium universale contra Christum iam captum, postero mane in domo Caiphæ celebrandum.

5. 5to. Et potissimè, quia ab Anna Iudæ promissum fuit pretium venditionis Christi, scilicet triginta argentei. Adducit ergo Iudas IESVM ad Annam, ut pro eo triginta denarios ab eo promissos accipiat. Vti & defacto illum tunc accepisse censet S. Cyrillus, idq; colligitur ex eo, quòd in primo principum cum Iuda pacto de Christo prodendo non numerarint triginta denarios, sed tantùm promiserint ei, ut patet Matth: c. 26. v. 15. Hâc nocte ergò accepit illos Iudas in domo Annæ; nam in domo Caiphæ eos accipere non potuit; tum quia Caiphas circa Christum, ut inveniret falsos testes, ut eum examinaret, ut concilium convocaret, &c. ita occupabatur; ut tempus non haberet agendi cum Iuda. Vnde Iudas non videtur cum satellitibus progressus ultra domum Annæ; nec ingressus in domum Caiphæ. Nam si in ea fuisset Iudas, sanè eam ingredi ausus non fuisset Petrus metu, ne à Iuda proderetur. quia si Iudas adfuisset, cùm Petrus ter

Christum in domo Caiphæ negavit, utiq; vel publicè eum falsi arguisset, vel secretò ministros monuisset Petrum fuisse secum discipulum Christi, ut eum comprehenderent. Ita Cornel: in loco præfato.

Andrichomius in descriptione Ierusalem num: 207. testatur domum Annæ à loco, in quo captus est Dominus, bis mille trecentis sexaginta gressibus distâsse: à domo verò Annæ per trecentos triginta gressus ad domum Caiphæ adductum. 6.

XLX.

In cujus domo Christus, & à quo percussus alapâ.

SAnctus August: lib: 3. de consensu Evang: c. 6. existimat rogatum ab Anna de Discipulis, & de doctrina, ejusq; in domo, alapâ percussum Christum. quæ sententia vulgaris fuit, ut ait Barrad: eò, quòd minùs perspicaciter considerantib: Ioannis narratio illam indicare videatur. Verùm refutatur hoc argumento. Constat enim ex alijs tribus Evangelistis Matthæo, Marco, & Luca, Petrum ter negâsse Christum in domo Caiphæ: Ex hac verò Augustini sententia. & eorum, qui illum sequuntur, efficitur negâsse in domo Annæ &c. quod repugnat reliquis Evangelistis. Christum de doctrina & Discipulis ille interrogavit, apud quem alapâ percussus est? item, apud quem Petrus ter negavit? ille autem non fuit Annas, sed Caiphas. quod sic probatur Ioan: 18. *Adduxerunt eum ad Annam primùm, erat enim socer Caiphæ, qui erat Pontifex anni illius &c.* Caiphas ergo erat Pontifex anni illius, non Annas. Et miles Christo Domino impingens colaphum hunc ponit percussionis prætextum: *sic respondes Pontifici?* 1.

Subijcit Ioannes Petrum introisse in domum Pontificis, Pontificem interrogâsse Christum de doctrina & Discipulis, percussumq́; alapâ; & Petrum negâsse. Hæc omnia cùm in domo Pontificis facta dicantur: in domo Caiphæ, non in domo Annæ. Ita sentit D. Ephrem in sermone de pass: qui ait Christum alapâ cæsum coram Caipha. Item & D. Cyrillus; licèt non satis explicat quid senserit. Sequuntur etiam eundem sensum recentiores: Iansenius, Buisonius, Ariasmontanus, & alij.

2. Obijcitur. Ioannes postquam dixit Christum interrogatum de doctrina & Discipulis, ac alapâ percussum, Petrumq́; negâsse semel, addidit hæc verba: *& misit eum Annas ligatum ad Caipham.* Ergo quæ ante hæc verba narraverat; in domo Annæ facta sunt, non in domo Caiphæ. Respondetur hæc verba addita esse per recapitulationem, quasi diceret: hæc, quæ narrata sunt, in domo Caiphæ contigerunt; nam Annas ligatum misit Dominum ad Caipham Pontificem nihil de Christo statuendo; quia non erat Pontifex; sed ad Pontificem Caipham protinus misisse iudicandum. Quare prudentissimè advertit Cornel: à Lap: versum hunc Ioannis 24. *& misit eum Annas ligatum ad Caipham* recto ordine ponendum esse post versum 13. *& adduxerunt eum ad Annam primùm, erat enim socer Caiphæ, qui erat Pontifex anni illius.* quod & fecimus ita in contextu Evangelij. Nam trina negatio Petri examen IESV, & omnia, quæ post versum 13. narrat Ioannes, contigerunt in domo Caiphæ Pontificis non Annæ, ut patet ex SS. Matthæo, Marco, & Luca. Sed quis negabit Christo Domino à furibundis militibus pretio Iudæorum conductis frequentissimas impressas alapas? uti ex varijs revelationibus patet? Itaq́; non solùm in domo Caiphæ illam notabilem, contumeliosam susti-

sustinuit percussionem; sed etiam & anticipativè apud Annam.

L.

Quis alapam Christo impegerit?

DIvus Chrysostomus & Euthymius conijciunt Malchum illum fuisse, cui Christus abscissam auriculam reddidit. Verisimilius tamen alium fuisse quempiam ex ministris sive famulis Caiphæ Pontifici assistentibus. Nam Malchum Ioannes nominâsset hic sicut supra, cùm à Petro fuit percussus, nominavit. S. Cyrillus putat illis verbis Christi: *quid me interrogas? interroga eos, qui audierũnt, quid locutus sum ipsis. ecce hi sciunt quid dixerim ego;* illum militem sensisse se tangi eo, quòd missus à Scribis ad IESVM audiendum & capiendum, ejus doctrinam admiratus, rogatusque, cur eum non cœpisset; respondit cum ministris secum ad capiendum Christum missis, Ioan: 7. 45. *Nunquam sic locutus est homo, sicut hic homo.* quod dum illis eo tempore exprobrabant Pharisæi v. 47. *nunquid & vos seducti estis?* &c. nunc voluit hic minister notam hanc delere, dando alapam IESV. Ipsos enim adstantes monstravit. (Ait Cyrill: lib: 11. in Ioan:) qui & pulchritudinem doctrinæ suæ fuerant admirati, & Iudæorum impietatis erant ministri. 1.

Nota. Alapa est, quòd manu explicitâ in maxillam impingitur: Colaphus verò verber, quòd pugno seu manu contractâ in collum caput vel dorsum infligitur. Vnde alapa plus affert ignominiæ, ruboris, & verecundiæ. Colaphus afflictionis, tumoris, ac doloris. Sed alapa illa à ministro Pontificis quasi honoris ejus vindice, Christo infixa, fuit non tantùm ignominiosa, sed & summè dolorosa, quia armatâ manu impacta fuit. Vnde iustè exclamat S. Cyrillus. *Vniversam creaturam perhorruisse puto, si sen-* 2.

si sensum huius rei habuerit. Dominus enim gloriæ impiâ manu hominis cæditur. Et S. Chrysost: *Exhorrescat cælum, contremiscat terra de Christi patientia, & servorum impudentia.* Sed ad hæc videtur respondere S. Aug: in tract: 114. ubi connumeratis multis supplicijs, quibus ille servus pro temerario ausu dignus fuerat; ait: *quid enim horum per potentiam iubere non potuisset, per quem factus est mundus? nisi patientiam nos docere maluisset, per quam vincitur mundus.*

3. Christus verò etsi totâ Passione suâ quasi innocentissimus agnus non aperuit os suum coram tundente; non tam fortè ob alapam acceptam, quàm ad impijssimi militis verba. *sic respondes Pontifici?* Non zelo iustitiæ uti Paul: Act: 23. respondit iniustè se percutienti, *percutiat te Deus paries dealbate.* Neq; arroganter (ait Chrysost:) respondet, sed fretus veritate, id enim veritatis maximum est argumentum, cùm quis inimicos in eorum, quæ dicit, testimonium adducit. Vnde ait, *quid me interrogas? interroga eos, qui audierũnt, quid locutus sim ipsis* &c. Porro Christus non porrexit alteram maxillam, uti aliâs docebat Matth: 5. 39. *si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi alteram*, tum ne videretur culpam agnoscere, quæ nulla in eo fuit, tum quia loco alterius maxillæ totum suum sacratissimum ad excruciandum exhibuit corpus. uti ait S. Aug: in Matth: 5. 39. *IESVM non* solùm alteram maxillam iterum percussori, sed totum corpus figendum præparâsse in ligno.

LI.

Quis ille fuit discipulus notus Pontifici, qui Petrum in domum Caiphæ introduxerit?

Mul-

MVlti SS. Patrum existimant Ioannem fuisse: Ex quibus sunt D. Cyrillus, Chrysost: Euthym: Theophilac: tum alij, & D. Hieron: qui in epitaphio Marcellæ ad Principiam ait: *Ioannes propter generis nobilitatem erat notus Pontifici, & Iudæorum insidias non timebat in tantum, ut Petrum introduceret in atrium, & staret solus Apostolorum ante Crucem.* Nicephorus lib: 1. c. 28. & lib: 3. c. 2. ait notum fuisse Pontifici, quòd ei, id est Caiphæ partem, quæ sibi ex hæreditate obvenerat vendiderit. Lyranus vult notum fuisse, quòd pisces Caiphæ domum ferre soleret, vel quia alius ex ejus consangvineis Pontificis famulus erat, vel quia ex Davide originem ducebat. Alijs verisimile videtur fuisse Discipulum aliquem nobilem, ideoq; Pontifici notum, & non Ioannem; hæc probabilior est opinio. Notus enim Pontifici cùm dicitur discipulus, significatur à magno Pontifice fuisse in honore habitum & à famulis, ita, ut propter eum Petrus in domum introduceretur. Forsitan Iosephus ab Arimathæa vel Nicodemus, vel similis alius discipulus occultus. Nam Discipulum Ioannem pauperem, qui sequebatur semper Christum, eiq; dilectissimus erat, fuisse notum, & in pretio habitum à Caipha hoste Christi, non magnam habet probabilitatem. Ad verba verò S. Hieronymi superiùs citata, quòd S. Ioannes intrepidè staret iuxta Christi Crucem, Principes Sacerdotum, Iudæos, atq; milites minimè formidando, respondetur: non quia notus fuerit Pontifici; sed Ioannis animi fortitudinem & amorem in Christum causam fuisse. quòd autem à nemine fuerit læsus, neq; aliàs passus sit infestationes, singulari Domini potentiâ, ac providentiâ id factum est. 1.

2. Quisquis ille discipulus fuerit (ait P. Družbicki in strom: § 43.) qui pro introducendo Petro diligentiam & chari-

charitatem in illum volens demonstrare certæ ruinæ Petri occasio fuit. Beneficium credebant & ille fecisse, & iste accepisse, sed revera ad ruinam & damnum occasio fuit & aditus. Ita humani favores suspecti sunt, & gratiæ fallaces. Nocent, dum bene faciunt, prosunt, dum negantur. Profuisset Petro discipulus si repulisset Petrum etiam ab ostio. Et tamen nos plus amamus oscula, favoresq́, periculosos, quàm vel monita asperrima quidem, sed salutaria.

LII.

Quoties Petrus Christum negavit?

I. EX relatione SS. Evangelistarum clarè patet Christum Dominum sæpius prædixisse Petro ejus lapsum, & promissam ipsius Christo non servandam fidem. Matth: 26. 31. *Tunc dicit illis IESVS: Omnes vos scandalum patiemini in me in ista nocte. Scriptum est enim: Percutiam pastorem, & dispergentur oves gregis.* v. 33. *Respondens autem Petrus, ait illi: Etsi omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor.* v. 34. *Ait illi IESVS: Amen dico tibi, quia in hac nocte, antequàm gallus cantet, ter me negabis* &c. Idem & Marcus 14. 27. &c. & v. 31. exprimit. *At ille ampliùs loquebatur: Etsi oportuerit me simul commori tibi, non te negabo.* Item Luc: 22. 31. *Ait autem Dominus: Simon, Simon, ecce satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum.* v. 32. *Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua:* &c. v. 33. *Qui dixit ei: Domine, tecum paratus sum & in carcerem, & in mortem ire.* v. 34. *At ille dixit: Dico tibi Petre, non cantabit hodie gallus, donec ter abneges nosse me.* Deniq́, & Ioan: 13. 36. cum Christus dixisset Petro: *Quo ego vado, non potes me modò sequi: sequeris autem postea.* v. 37. *Dicit ei Pe-*

trus: Quare non possum te sequi modò? animam meam pro te ponam. v. 38. *Respondit ei IESVS: Animam tuam pro me pones? Amen, Amen dico tibi: Non cantabit gallus, donec ter me neges.* Hìc etiam Petrus nescit quid dicat, præire vult, & sequi non potest, qui postea timore mortis vitam ter negavit, & animam suam mactavit. Origenes.

Ex quibus prædictis probabile est ter fuisse à Chri- 2.
sto prænunciatam Petri negationem. quod & S. Aug: lib: 3. de consen: Evangel: c. 2. & cum eo Beda & S. Thomas in Matth: c. 26. tum & S. Maximus: *Nisi modum tertiò negandi Dominus statuisset, forsan sæpiùs interrogatus, sæpiùs abnegâsset.*

Huic ternæ à Christo Domino præmonitioni datæ 3.
Petro, opponitur trina ejus negatio, quæ ex eodem SS. Evangelistarum contextu clarè exhibetur. Nec obstat aliorum in hoc sensu, nempe Dyonisij Carthus: sexigies. scilicet ter in domo Annæ, & iterum ter in domo Caiphæ. Et Caietani in c. 18. Ioan: septies. hoc est ter interpellatum à fæminis & quater à viris Petrum denegâsse Christum. Nam licèt ob variationem narrantium Evangelistarum aliquam quis existimet difficultatem diversimodè & à diversis, id est fæminis, & viris Petrum exagitantibus plures quàm ter Petrum negâsse: sed si pernicitiùs quis investigaverit, facilè hos Sanctos Scriptores conciliabit. Nam primò in atrio cùm rogaretur à prima ancilla Petrus simpliciter negavit, ut ait Matthæus c. 26. Secundò, dum altera ancilla eundem rogaret, cum iuramento dixit se non novisse hominem, uti narrat Matth: Tertiò, cùm magis de eodem urgeretur cum execratione & anathematisatione eundem abnegavit. Sed his omnibus æternæ veritatis Christi Domini addit pondus assertio ab omnibus Sanctis Evangelistis toties expressa acsi

sub iuramento: *Amen dico tibi, quia tu hodie in nocte hac priùsquam gallus vocem bis dederit, ter me es negaturus.*

LIII.

An Petrus Christum ut Deum, an ut hominem negaverit?

I. HÆc quæstio oritur occasione aliquorum SS. Patrum, qui excusant negationem Petri. Inter quos Hilarius Canone in Matth: 31. ut in Sixt: Senen: Biblioth: S. lib: 6. annot: 118. reperio, qui loquens de Petri negatione, videtur significare eum non negâsse Deum, sed hominem. Sic enim fatur. *Sciebat Christus Discipulos exterrendos, fugandos, negaturos se; sed quia spiritus blasphemiæ nec hic, nec in æternum remittetur, metuit ne se Deum abnegent, quem cæsum, consputum, & crucifixum, essent contemplaturi.* Quæ ratio in Petro servata est: qui cum negaturus esset, ita negavit: *non novi hominem.* quia dictum aliquid in filium hominis remittetur. Idem clariùs repetit hoc modo infra Canon: 32. Diligenter autem contuendum est, quâ conditione Petrus negaverit, quanquam de hoc superiùs tractatum est. Nam primò ait non se intelligere quid diceret: secundò non se ei adhæsisse: tertiò verò se hominem non nôsse. Et verè prope iam sine piaculo hominem negabat, quem Dei Filium primus agnoverat. Tamen quia ex infirmitate carnis vel ambiguus exstitisset, amarissimè flevit, recolens istius trepidationis culpam se nec admonitum potuisse vitare. Idem S Hilarius in alio loco in Psal: 52. versum: *non est qui faciat bonum, non est usque ad unum* scribens, dicit Petrum fidei firmitatem non amisisse: quia quàmvis ex carnis trepidatione, quàm cohibere non potuit, in negationem Christi ejus lingua pro-

ruperit

ruperit; firma tamen fides confitendi Christum usq; ad martyrium ex animo ejus non recessit. Hilario subscribit Prudentius in hymno ad galli cantum his versibus: *flevit negator deniq; ex ore prolapsum nefas cùm mens maneret innocens, animusq; servaret fidem.* Eidem sententiæ adhæret S. Ambros: lib: 10. Commentar: in Lucam, sicq; excusans Petri negationem, loquitur. Prima vox negantis est Petri, quâ tamen non negare Dominum, sed à proditione se separâsse mulieris videtur. qui tamen negavit, considera ex illis utiq; se esse, qui cum IESV Galilæo erant; vel ut Marcus posuit, cum IESV Nazareno. Nunquid negavit se cum Dei Filio fuisse. hoc est dicere, nescio Galilæum, nescio Nazarenum, quem Dei Filium novi. Habeant homines locorum vocabula, Dei Filium Patria non potest nuncupare: cujus Majestatem locus nullus includit &c.

Sed S. Hieron: lib: 4. in Matth: hanc sententiam improbans ait: *Scio quosdam pij affectûs* &c. &c. (Vide in Biblioth: S. Sixt: Senen: l. 6. ann: 160. pag: 621.) Petrus ergo negando se esse Christi Discipulum mortaliter quidem contra professionem fidei peccavit, ideoq; charitatem amisit, sed non fidem. Quam sententiam ab omnibus receptam asserit Tolet: in c. 18. Ioan: annotat: 11. & fundatur in æternæ veritatis assertione Luc: 22. 31. 2.
& 37. *Simon, Simon, ecce satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum. Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua: & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Suarez verò tract: de Fide, disput: 9. sect: 3. dicit non tantùm Petrum, sed nec Iacobum, nec Ioannem fidem perdidisse. Iacobus primus Apostolorum post Christi in cælum Ascensionem mortem pro Christo sustinuit. Ioannes verò etiam tempore Christi Passionis constanter juxta Cru-

ta Crucem adstitit. Vnde in Filium Virgini Matri commendatus est. Idem author probabiliter ait de cæteris Apostolis. nam Christum non negaverunt, sed tantùm metuentes comprehendi difugerunt. Id verò Deus permisit, ut Christo plùs patiendi materiam suggereret, eumq; per omnia pænarum genera exerceret, & ab omnibus affligi sineret. Secundò, ut Apostolis suam infirmitatem ostenderet, itaq; eos humiliaret, & ab infirmis, lapsisq, compatiendum instrueret. Tertiò, ut declararet quanta esset vis persecutionis æquè ac pavoris. Fusiùs has rationes invenies apud Cornel: à Lap: in Matth: c. 26.

LIV.

An licitum sit quandoq; negare Fidem?

1. LVdovicus Abelly Episcopus Ruthenensis in Medulla Theologica cap: 1. de Fidei necessitate, asserit externam Fidei confessionem esse necessariam ad salutem necessitate præcepti affirmativi. Probatur ex verbis Christi Matth: 10. *Qui me negaverit coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo, qui in cælis est.* & Luc: 9. *Qui me erubuerit, & sermones meos, hunc Filius hominis erubescet cùm venerit in Maiestate sua.* Citat & alia loca idem auth r Sacræ Scripturæ. Et cùm dicit præceptum obligans ad externam Fidei confessionem esse affirmativum, quæ est S. Thomæ doctrina 2. 2. q. 3. a. 20. infert. Proinde sequitur illud non obligare omni tempore, sed tantùm certo ac determinato: veluti quando necessitas est, vel ad honorem Dei, vel ad utilitatem proximi; tunc nos obligari ad externam Fidei confessionem. ita S. Thomas loco citato, quod probat ex eo, quòd finis nostræ Fidei sicut & aliarum virtutum, referri debet ad finem charitatis, qui est amor Dei ac proximi. Et ideo, quando

Dei

Dei honor, vel proximi utilitas id requirit, non debet contentus homo ut per Fidem suam ipsi veritati Divinæ coniungatur; sed Fidem illam debet exteriùs profiteri. Progreditur ulteriùs idem author. Etsi nunquam liceat ullo modo negare Fidem Christi, tamen quando spectatis circumstantijs, nulla honori Divino irrogatur iniuria, nec ullum proximi saluti damnum infertur, non solùm licitum esse, sed etiam aliquando necessarium Fidem occultare, non verò negare. Ita S. Doctor loco citato in responsione ad tertium, ubi dicit, quòd quando ex confessione Fidei, manifesta turbatio aliqua infidelium oriretur, in tali casu laudabile non esset Fidem publicè confiteri. Et ad hoc probandum affert verba Christi, Matth: 7. *Nolite sanctum dare canibus, neq; mittatis margaritas vestras ante porcos, ne fortè conculcent eas pedibus suis, & conversi dirumpant vos.* Cùm autem occultatio illa Fidei varijs modis fieri possit vel fugiendo, vel aliquo signo exteriori Fidem dissimulando; dicendum, licitum esse homini Christiano tempore persecutionis fugere. hoc permisit Christus, dicens Matth: 20. *Cùm persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam.* Hoc tamen limitandum est, nisi ex hac fuga damnum aliquod redundet in honorem Dei, vel proximi salutem. Vt si Episcopus, aut Pastor tempore persecutionis fugiat, cùm tunc maximè illius ope subditi indigeant, *&c.* Idem dicit licitum quidem esse occultare Fidem signis, quæ ex se sint indifferentia, non verò illis, quæ ad profitendam falsam fidem instituta sunt. &c.

Prior pars assertionis probatur: Quia hæc signa cùm sint ex se indifferentia, nihil in se mali habent. qualia sunt illa, quibus natio una ab alia secernitur, vel status unus ab altero. Militis v. g. à mercatoris distingvitur. nec læ- 2.

dunt

dunt honorem Divinum, nec proximi conſcientiam feriunt. Sic S. Sebaſtianus in aula Diocleciani Imperatoris ethnici(ut obſervat S. Thomas 2. 2. q. 10. a. 10. ad 2.) Fidem ſuam ſub militari ſago & chlamyde occultabat, ut Chriſtianis commodiùs opitulari poſſet, eosq; tormentis confortaret.

3. Poſterior verò pars aſſertionis occultare Fidem ſignis, quæ ad profitendam falſam religionem inſtituta ſunt non licere probatur ex eo, quòd qui talibus ſignis uteretur, cenſetur non ſolùm veram Religionem occultare, ſed falſam profiteri: quod omnino illicitum eſt. Vnde lib: 2. Machab: c. 6. Eleazarus non tantùm porcinas carnes in lege prohibitas, ſed & alias idolis immolatas manducare noluit; quia illa manducatio licèt ex ſe indifferens, (ut dicit S. Auguſt:) tamen inſtituta cenſebatur ad falſam religionem profitendam &c. Et eo ſenſu veſtes paganorum illicitas eſſe dixit Tertull: lib: de idolis c. 18. Nempe eas quibus homo adſtringitur officijs vel Sacerdotijs idolorum; quas ideo aſſerit profanationis ſuæ maculam habere, & neminem poſſe eſſe mundum, qui tunicam inquinatam habuerit. Hæc digreſſio ex occaſione Petri Chriſtum negantis facta eſt.

LV.

Quomodo Chriſtus reſpexit Petrum poſt tertiam ipſius negationem?

1. BArradius tom: 4. l. 6. c. 21. citat: S. Auguſt: lib: 1. de gratia Chriſti c. 25. affirmantem hunc Chriſti reſpectum fuiſſe ſpiritualem: reſpexit enim Dominus Petrum ſpiritualibus miſericordiæ oculis & in pænitentiam reduxit non corporalibus. *Non poteſt*(ait Aug:)*quòd*

corpo-

corporalibus oculis Petrum Dominus respexerit: intus actum est, in mente actum est & voluntate. Dominus cor tetigit, memoriam revocavit, interiore gratiâ visitavit Petrum &c. vide plura apud Barrad: ibid:

Vel forsitan postquam Petrus tertiò negavit, ductus est Dominus ex aula superiori in atrium inferius, in quo Petrus erat: conversusq; ad Petrum, respexit illum; eoq; respectu docuit, quanta sit hominis fragilitas, & ad pænitentiam excitavit; quam ille non distulit, sed protinus egit; egressus statim ex atrio, *flevit amarè.* Ita etiam censet Cornel: à Lap: in Matth: cap: 26. citans SS. Ambrosium, Leonem, & Bedam. *Respexit ergo, & respiciendo erexit Christus Petrum*; ait S. Leo. Porro respexit Christus Petrum tum oculis mentis, obijciendo menti Petri fæditatem negationis ac stimulando eum ad pænitentiam. Ita S. Aug: Beda, S. Ambros: 2.

Qua in re (ait Corn: à Lap:) *mirare celsitudinem æquè ac charitatem Christi, qui iam reus mortis proclamatus, inter tot illusiones & verbera, sui quasi oblitus, curam egit Petri; ut eum quasi ovem perditam in viam salutis revocaret, docens nos, ut idem faciamus.* S. Leo serm: 3. de pass: inquit. *Respexit Dominus Petrum, & inter calumnias Sacerdotum, inter falsitates testium, inter cædentium & conspicientium iniurias constitutus, illis turbatum discipulum convenit oculis, quibus eum præviderat esse turbandum, & in illum conversa est veritatis inspectio, ubi erat cordis facienda correctio, quasi quædam illi vox Domini insonaret, ac diceret: Quid habes Petre? quid in tuam conscientiam recedis? ad me convertere, in me confide, me sequere, meæ Passionis hoc tempus est, non dum tui venit hora supplicij. Quid metuis, quod etiam ipse superabis? Non te confundat infirmitas, quam recepi. Ego de tuo fui trepidus,* 3.

tu de

tu de meo esto securus. Quocirca, ut ait S. Hieronymus, *fieri non poterat, ut in negationis tenebris permaneret, quem lux respexerat mundi. Magnum dogma* (inquit S. Chrysost:) *à Petro discimus: quia videlicet nullo modo hominis voluntas sufficit, nisi auxilio superiori roboretur,* &c. S. Aug: serm: 124. de temp: *Quid homo sine gratia Dei possit, timor Beati Petri ostendit, quid est homo sine gratia Dei, nisi quod fuit Petrus cùm negaret Christum,* &c.

LVI.

Quare Petrus non oravit potiùs, sed flevit?

1. RESpondet D. Ambros: in Luc: 22. *Lachrymæ lavant delictum, quod voce pudor est confiteri. Lachrymæ veniam non postulant, sed merentur.* Idem ait, *quia culpa obrepsit ei, Petrus doluit, & flevit, quia erravit ut homo: commune quod labitur, Fidei quod pænitet.*

2. Gvevara epistolâ ad Cognatam. *Pedum est ambulare: lingvæ loqui: manuum laborare: flere cordis. Sunt enim oculi nihil aliud, quàm porta visûs & cordis velut spongia, quâ ipsius affectûs eliquantur. Quodsi tam cor, quàm oculos flentis inspicere liceret, videremus profectò tot sangvinis guttas de corde cadentes, quot lachrymarum guttæ ex oculis promanant. Si enim cor non mæreret, oculi certè non plorarent.* Idem. *Lingva cogitationum, at lachrymæ amoris sunt interpretes.* Abbas Cellensis ait. *Lachryma Filium Dei ad nos inclinat, & ad veram Trinitatem interveniente spiritu nos elevat. Aqua hæc aut facit, aut invenit paradisum.* Idem S. Ambros: serm: 9. de pass: *Felices S. Apostole lachrymæ tuæ, quæ ad diluendam culpam negationis, virtutem Sacri habuêre Baptismatis.* S. August: serm: 11.

ad frat:

ad frat: in eremo. *O lachryma! tu contra ruinas humanum suave solatium, quæ Passionis Christi es vicaria, contra peccatum ponens remedium, ut per te toties cogatur Christus mori, quoties labitur homo in abyssum peccatorum.* Paoletti serm: 32. ait: *Adamus castigatus fuit, quia non flevit. Petrus autem qui flevit amarè, à culpa & pæna absolutus est.* Et citat D. Ambrosium serm: 46. *Adam reus, factus nudus, erubuit. Peetrus conscius delicti, correptus ingemuit. Ille tanquam deprehensus, festinat ad latebras: hic tanquam emendatus, prorumpit ad lachrymas.*

Quidam ex Ascetis affirmat post trinam negationem Christi Petrum cucurrisse ad Beatissimam Virginem MARIAM, lapsumq́; suum cum lachrymis enarrâsse. à qua dulce recepit solamen, ut criminis sui etsi atrocis à Christi bonitate speraret remissionem, qui pro totius mundi peccatis æterno Patri satis facturus ad omnes pænas acerbissimas, & mortem ignominiosissimam se resolvit. 3.

In Revelationibus S. Brigittæ l. 4. c. 5. exprimitur, quomodo S. Petrus quodam tempore apparens S. Brigittæ narravit sui lapsus causam, nempe sui propositi & promissionis Christo factæ oblivionem. Vnde eidem dedit remedium in tentationibus. *Surge,* (ait) *per humilitatem ad Magistrum memoriæ, & pete ab eo memoriam.* 4.

S. Ambros: superius citatus facit Apostrophe ad S. Petrum, dicens: *Doce nos Petre, quid tibi profuerint lachrymæ tuæ: sed docuisti illico. Nam qui lapsus es antequam fleres, postquam flevisti erectus es, ut alios regeres, qui te ipsum ante non rexeras.* 5.

LVII.

Quæ causæ lapsûs Petri?

Ee Corne-

1. CORnel: à Lap: in Matth: c. 26 has ponit cauſas lapſus Petri. Prima eſt originalis, quòd nimis ſibi arrogavit, ſuæq; conſtantiæ perfiſus ſit. Ita etiam D. Drogo exiſtimat: Ignorantia ſui; propterea negabat, quia intus eſſe nolebat, nolebat nôſſe ſe, præſidebatq; præmonitus de imbecillitate à Domino. Item Cornel: ait: Secunda eſt comitans, quòd temerè, ſciens ſe fragilem & pavidum, ſocietati impiorum miniſtrorum, qui IESVM cœperant, ſe miſcuerit. Tertia finalis, ut futurus ipſe Paſtor Eccleſiæ ſuo lapſu diſceret lapſis compati, & omnium peccatorum miſereri, atq; ſuo exemplo omnibus peccatoribus verum pænitentiæ daret exemplum. Vti S. Paulus ait ad Hebr: 5. *Qui condolere poſſit ijs, qui ignorant & errant: quoniam & ipſe circumdatus eſt infirmitate: Et propterea debet quemadmodum pro populo, ita etiam & pro ſemetipſo offerre pro peccatis.*

2. P. Laberhittel cons: 102. has etiam exhibet lapſûs Petri cauſas. 1. Oblivio Dei: quia poſtquam *converſus Dominus, reſpexit Petrum*; tunc primò *recordatus eſt Petrus verbi Domini.* 2. Tepor, ſequendo à longè. Quisquis à longè ſequitur, tepet: Quia ab igne abeſt, qui Deus eſt; hinc luctæ: Quia dæmon petulantiùs infirmiora vaſa pertentat, ſicut non Adam, ſed Evam coluber agreſſus eſt. D. Paulin: Epiſt: 4.

3. Timor ſine ratione, & pavor ad verbum ancillæ, cùm genus mulierum potiùs miſericors ſit, quàm ſævum.

4. Remanſiſſe in atrio inter occurſantes turbas, in varia diſtractas. *Nemo diu tutus eſt periculo proximus.* D. Cypr: l. 1. Ep: 11.

5. Fuiſſe mores imitatum turbæ. Nihil periculoſiùs Philoſophiæ Chriſtianæ, quàm turba ignara & contemptrix, cui inſertus vel non it, quò virtus vocat, vel eundo urimos obteritur.

Fuiſſe

fuisse otiosum. Discipulus sedebat, dum Magister 6.
staret, & quidem sedebat non fessus sequendo, sed fugiendo.

Cœpisse consilium ab exitu & fine, & ex eo delibe- 7.
râsse de confitendo Deo: cùm eventus rerum non sit consilij nostri, sed alienæ potestatis.

Idem Pater tres causas proponit, propter quas Petri lapsus describitur. 1. Ad coërcendos spiritus præsidentes. 2. Ad suggerendam lapsis spem indulgentiæ. 3. Ad imitandum amaritudinis exemplum.

LVIII.

Cur Christus Pilato traditus fuerit?

POst strictissimum ac iniquissimum examen Christi in domo Caiphæ, multasq; ac enormes per tres horas exactas vexationes, blasphemias, illusiones, concilium illud impiorum summo mane feriâ sextâ à Caipha convocatum, quod septuaginta viris, sive Senatoribus constabat & *Sanedrin* vocabatur, Christum Dominum reum mortis decernit, damnat, sicq; iniquissimè adiudicatum Præsidi Pilato, ne eum utpote à toto concilio condemnatum absolvere possit, vinctum tradit. Nam (ut D. Hieron: observat) *Iudæi habebant hunc morem, ut quem adiudicâssent morti, ligatum Iudici traderent. Hic est Samson vinctus à Dalila, Christus à Synagoga.*

Causas verò, ob quas Iudæi non ipsi Christum inter- 2.
fecerunt secundùm legem Moysi, sed Præsidi tradiderunt, varij Authores varias ponunt. Ex quibus Barrad: tom: 4. l. 7. ex D. Cyrillo & Aug: ponit 1. *Quia dies festus Paschatis erat quo id facere ipsis non licebat* 2. D. Thom: *quia crimen propter quod occidendus erat ad Rempub: pertinebat.* 3. *Vt videretur Christus non ab eis, sed à Pilato Crucifixus*

xus; ipsi verò viderentur alieni ab ejus cæde. quod &S. Aug: tract: 114. *Iudæi* (inquit) *isto modo ab interfectione Christi se velut alienos facere voluerunt*, &c. Glossa ordin: *Tradiderunt Iudæi Christum Romanæ potestati, ut eo modo ab ejus interfectione alienos se esse ostenderent.* 4. & 5. inferiùs mox ex Lyræo citando intelligetur.

3. Easdem rationes P. Lyræus de imitatione IESV patientis lib: 3. c. 1. collectis explanat, scilicet: ad iniquissimam innocentissimi IESV accusationem Ioan: 18. 30. *Si non esset hic* (inquiunt) *malefactor, non tibi tradidissemus eum*, Pilatus dixit eis: *Accipite eum vos, & secundùm legem vestram iudicate eum*, id est supplicio vel mortis, vel minori afficite, iam ante enim condemnâstis eum. Non dubium, quìn Pilatus, si hâc ipsius concessione usi Iudæi IESVM interfecissent, diligentissimè examinaturus fuerit, iure ne, an iniuriâ id illi fecissent, quod veriti illico reposuêre, Ioan: 18. 31. *Nobis non licet occidere quemquam.* Causam hujus responsi accuratè inquirit S. Ioan: Chrysostom: hom: 82. in Ioan: dicitq; id circo hoc reposuisse, quia multùm de eorum imperio ademptum erat à Romanis. Et prima quidem ac primaria recursûs hujus causa hæc erat: Romani siquidem Syria Palæstinaque potiti, vitæ sibi ac necis potestatem in populum istum reservârant, caventes, ne ipsi suorum quempiam capitali supplicio multarent: vel enim crimina adversum ius gentium admissa erant, atq; ita Romani & iudicium, & supplicium sibi deposcebant: vel legi Iudæorum peculiariter contraibant, itaq; iudicium ijs quidem permiserant, sed interficiendi facultatem Prætori suo receperant, teste Iosepho lib: 20. antiq: c. 8.

4. Altera causa erat, ut, quia tanti facinoris gravitatem Iudæorum natio sustinere non poterat, cum orbis terræ prin-

principe populo communicatam leviùs ferret: cùm enim IESVS maximi à plerisq; fieret, si res iam peracta incrimen vocaretur, majorem culpæ partem in ethnicum Iudicem derivare optabant, & invidiam innoxij sangvinis abs se in Pilatum transferre.

Tertia, quia dedignati videbantur eum per se interficere, qui se multis applaudentibus diceret Regem Iudæorum, ne fortè exprobraretur ipsis, quòd Messiam suum, Regemq; proprium interemissent, quare cùm suæ illos puderet nequitiæ, præclarè suo consultum honori putabant, si dum scelus ipsi committerent, sceleris nota in Præside cerneretur: aut certè cùm speciosum quidpiam ac magnum videretur, suam à Romano Præside ratam haberi sententiam, impunè liceret insanire. 5.

Quarta. Considerabant Præsidem cui præsto erant militares copiæ certiùs, tutiùsq; eum posse interficere, ut qui populorum tumultum si quis oriretur, non difficulter posset compescere. 6.

Quinta. Quia cùm sanctissimus ac celeberrimus ille dies Paschæ foret quo vel non licebat, aut certè minùs decere videbatur Iudæum morti addicere, imò de more exsolvi vinculis rei consveverant, invidiæ declinandæ causâ malebant à Romano Præside, quem nulla Paschæ tangeret religio, reum plecti ac necari. 7.

Deniq; Pilato interimendum tradiderunt, vel ea maximè de causa, quòd Christum acerbissimâ & ignominiosissimâ omnium Crucis morte affectum vellent, quâ non nisi vilissimi iuxta ac facinorosissimi plectebantur, ut ignominiâ mortis, claritatem nominis, gloriamque, quam IESVS hactenus sibi comparârat, strenuè abolerent; verùm cùm id genus supplicij, eaq; speciatim potestas illis à Cæsare adempta foret, ad Pilatum recurrere necessũ erat. 8.

Atq;

9. Atq; hos præsertim ob fines scelerum principes, Christum iam abs se damnatum iniquissimo Prætori interficiendum obiecerunt, qui mente eorum iam satis perspecta intra se recepit, ut absq; tumultu ac strepitu, ut Chrysostomo placuit, eum audire & examinare posset. *IESVS itaq; stetit, ut reus ante Præsidem.* Matth: 27. 11. Acerbissimum, & longè miserrimum spectaculi genus Dei Filium ad profani hominis tribunal evocatum causam capitis, tanquam maleficum ex vinculis dicere. Sed pati hoc ille voluit, qui securum nobis ad Dei Patris sui thronum parabat accessum. Hæc Lyræus.

10. Fundamentalis mihi inter alias videtur ratio, ideo Christum Romano Iudici damnandum & occidendum traditum fuisse à Iudæis, ut toties de morte sua prædictio facta Christi verificaretur. Matth: 20. 19. *Et tradent eum gentibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum.* Ioan: c. 3. v. 14. *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto: ita exaltari oportet Filium hominis.* Apud eundem c. 12. v. 32. *Et ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum. Hoc autem dicebat significans quâ morte esset moriturus.* Item Ioan: c. 18. v. 31. post illa verba Pilati superiùs expressa: *Accipite eum vos, & secundùm legem vestram iudicate eum. Dixerunt ergo Iudæi: Nobis non licet interficere quemquam.* addit S. Evangelista sequenti v. 32. *Vt sermo IESV impleretur, quem dixit significans quâ morte esset moriturus.* Ex quibus clarissimè patet, quòd Christus Dominus ex suo infinito & incomprehensibili erga nos amore ignominiosissimam (qualis fuit per Crucem) mortem elegerit. Et quoniam Iudæi in more habebant lapidatione, combustione, gladio, strangulatione sontes punire, non verò Cruci quemquam suffigere; ut omnium infamissimâ & acerbissimâ mor-

mâ morte Dominum afficerent, Pilato eum tradiderunt, qui habuit more Romanorum ius crucifigendi.

LIX.

Cur Iudæ non profuit pænitentia ſicut Petro?

TRemendum eſt (ait R. P. Drużbicki in ſtromatib: § 67. n. 3.) quod duobus latronibus Chriſto concrucifixis, unus de Cruce ad paradiſum aſcendit, alter item de Cruce in infernum deſcendit. Sed in rei veritate magìs longè tremendum eſt: quòd Iudas pænitens, peccatum confitens, publicè enuncians, Chriſto innocentiæ nomen & famam reſtituens, pecuniam abijciens malè partam coram Sacerdotibus in templo. Tamen in ſua tanta pænitentia (quia deſperavit) periit, atq; damnatus eſt. Interim verò Petrus, qui fortè non minùs in Chriſtum negationibus, mendacijs, periurijs ſuis deliquerat, neq; tamen tanta publicæ pænitentiæ ſigna dederat, veniam conſecutus & gratiam, confidentiamque, ac locum apud Chriſtum adeptus eſt. Quis non exhorreſceret ad Dei iudicia? quis pravitatem cordis ſui non formidabit? poſſum peccare & ſicut Iudas, & ſicut Petrus; fortè tamen non agam pænitentiam niſi ſicut Iudas, & non ſicut Petrus. Non eſt ergo peccandum in ſpem pænitentiæ. Hæc præfatus religioſiſſimus Pater. 1.

Cauſas differentis pænitentiæ ſparſim collectas has exhibeo. 2.

1. Quia Petrus exiens foras poſt ſuam negationem *flevit amarè*; Iudas abiens *laqueo ſe ſuſpendit*. Hic deſperabundus, ille in miſericordia Chriſti ſpem collocans.

2. Petrus ſolus peccavit, Iudas alijs fuit occaſio & inſtrumentum peccati. 3.

3. Pe-

4. 3. Petrus ex fragilitate, Iudas verò ex malitia.

5. 4. Petrus etsi monitus à Christo (Marc: 14. 30. *Amen dico tibi, quia tu hodie in nocte hac priusquam gallus vocem bis dederit, ter me es negaturus*) peccavit nimiâ sui fiduciâ, quæ tamen processit ex amore magno Magistri. Luc: 22. 33. *Domine, tecum paratus sum & in carcerem & in mortem ire.* Iudas verò toties à Christo admonitus cùm ipsius machinationes in vitam suam notas sibi esse propalaverit, quinimo additis etiam minis (Matth: 26. 24. *Væ autem homini illi, per quem Filius hominis tradetur: bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille.*) non resipuit à proditione Magistri.

6. 5. Petrus vel ex amore Salvatoris, vel ex curiositate aulam Pontificis intravit, *ut videret finem*, Iudas autem præmeditatâ mente, ex malitia abijt ad Principes Sacerdotum, constitutoq; proditionis suæ præmio Dominum ac Magistrum suum tradendum spopondit.

7. 6. Petrus in cæna stabilem habuit animum adhærendi Christo, etsi nimis sibi confidendo peccavit, Iudas & ante cænam, & in cæna, & post cænam, malum animum non deposuit tradendo Magistrum.

8. 7. Sicq? obstinatum in Iudam Satanas introivit non verò in Petrum.

9. Quæ est ista pænitentia deducens ad laqueum? (interrogat præfatus R. P. Drużbicki quis iste dolor trahens ad interitum? quæ compunctio inducens desperationem? Illos pænitentia sua ad laqueum ducit ut plurimum quos peccasse. Sed id quod peccato assequi volebant, assecutos non esse, sed id quod peccato consequi non sperabant, consecutos esse: talium pænitentia ducit pænitentes ad laqueum & talis pænitentia Iudæ fuit: non scelus à se commissum doluit, sed scelus aliter cadere quàm speraverat

verat volueratq́? videns pænituit. Vnde ſi CHRISTVS à ſe venditus, ex manibus hoſtium vel caſu elapſus, vel vi ereptus, vel ſponte dimiſſus incolumis fuiſſet. Iudas pænitentiam non egiſſet, nec argenteos retuliſſet; at quoniam aliter negotium proceſſiſſe, CHRISTVM damnatū ad mortem eſſe vidit, hoc doluit, quia vidit factum quod minimè voluit; & inde ad laqueum cum ſua pænitentia abijt: quia quomodo CHRISTI mortem impediret aliter, non ſcivit; ita primùm avaritiâ, deinde ſtultitiâ cæcatꝰ periit.

LX.

Quid ſit Corban ſive Corbana?

COrban ſignificat donum vel oblationem. Hinc gazophylacium in quod oblationes inferebantur Metonymicè vocabatur *Corban* ſeu *Corbana*. Vnde CHRISTVS Dominus impietatem Iudæorum erga Parentes ſuos exprobrando dicit Marc: 7. 11. *Vos autem dicitis: ſi dixerit homo patri aut matri, Corban (quod eſt donum) quodcumque ex me, tibi profuerit*; Nam quod DEVS mandavit Exodi 20. 12. *Honora patrem & matrem &c.* (qui honor uti hîc, ſic & alibi in Scripturis non tantùm reverentiam, obedientiam, ſed magis opem eleemoſynam & ſuſtentationem complectitur,) Sacerdotes & ſcribæ Iudæorum conſulentes avaritiæ ſuæ traditionem Divinæ legi adverſam induxerunt, populum docentes, ut dum egeſtate & neceſſitate adacti parentes à filijs ſuis & prole opem ſubſidiumq́; peterent, his verbis illos expedirent ſuperius à S. Evangeliſta expreſſis: munus *quodcumque eſt ex me tibi profuerit*, quod eſt, Legem DEI de honorandis parentibus adimplebitis: Si munus parentibus offerendum ſatius ipſi DEO offeratis ac voto exhibitum decer- I.

natis, id est expetentibus parentibus à vobis aliquod subsidium his rependendo verbis: munus hoc quod à me ô Pater vel ô Mater exposcis, jam DEO voto obtuli, quod non tam mihi pater vel mater in animo & corpore proderit. DEVS enim munere hoc illectus vicissim sua munera mihi & tibi liberaliter elargietur, ac de alimentis & necessarijs vitæ sustentandæ providebit. Hac igitur voti specie ac fuco docebant scribæ parentibus alimoniam etiam necessariam esse denegandam, si illa vel ejus pretia DEO offerantur: idq; faciebant ob suum quæstum & lucrum; sicq; avari ac impij populum docebant, ut sua DEO offerrent & templo, parentibus verò laborantibus egestate dicerent *Corban*, id est DEVS te adjuvet, quod petis jam DEO vovi & obtuli, qui te potest juvare. Erat igitur avaritiæ & crudelis impietatis in parentes egenos excusatio illud verbum *Corban* petitionem hypocritica excusatione refutando, ad necessarium denegandum subsidium.

2\. ET sicut inexplebilis Iudæorum avaritia prædicto jam modo ærarium suum & Corbonam augebat, ita in effundendum innocentem CHRISTI sangvinem prodigi ex eodem gazophylacio suo proditori traditos nummos jam ab eo redditos recipere, & in locum suum ponere recusant dicentes: *Non licet eos mittere in corbonam: quia pretium sangvinis est*. Matth: 27. 6. Licuit innocentem CHRISTI emere sangvinem acceptis ex Corbona nummis, eosdem pœnitentiâ mali venditoris refusos mittere in eandem Corbonam perversa non sinit hypocrisis. Excolunt pulicem, deglutiunt camellum.

3\. Placet hic addere religiosissimi Patris Druzbicki verba ex § 70. n. 2. Pretium empti CHRISTI à Iudæis, venditi à Iuda Iudæis, non licet mittere in corbonam: at hodie

die abrogatum est istud (*non licet,*) peccant Iudæi gravia & multa, fæda & absurda, sangvinaria & crudelia, in Sacramentum vg. Eucharistiæ; in infantem Christianū: evadunt tamen innoxij datis, hic, illic, donarijs pretijs, pecunijs; accipiuntur, reconduntur, in corbonam mittūtur. Vbi est istud: *non licet* eam *mittere in corbonam: quia pretium sangvinis est?* Dico vobis Eucharisticidium, Christicidiumq́; non aliud, quam ipsum Christicidium est!

Sed hoc afflictissimo ævi nostri tempore continuâ experientiâ edocti fateri possumus exclusum apud multos jam esse Iudaicum scrupulum. *Non licet mittere in corbonam &c.* O quot Iudæi per DEVM immortalem à varijs Iudicijs & subsellijs, ab exactoribus, à diversis honesto intitulatos nomine prædonibus, munera,oblationes, extorsiones, verbo dicam, pretium pauperum sangvinis illud *non licèt* damnarunt; & nulla juris, justitiæ discretione in corbonam suam mittunt tanquam in saccum pertusum. 4.

LXI.

Quis fuerit Pilatus?

EX Iosephi lib: 17. antiq: c. 15. intelligimus Iudæam à Romanis in Provinciam redactam Syriæq́, contributam atq́; à Romanis Moderatoribus procuratam. Idem Iosephus lib: 18. antiq; c. 3. Numerum Iudææ præsidum nectit. Primus Coponius, secundus Marcus Ambivius, tertius Annius Rufus, quartus Valerius Gratus, quintus Pilatus. Etsi Iosephus quintum vocat Gratum, quoniam inter præsides nominat Cyrinum sive Quirinum, qui Iudæos descripsit; sed is fuit Præses Syriæ ut Luc: ait c. 2. Pilatus præfuit Iudææ annos decem teste eodem Iosepho. l. ut sup: c. 5. Vnde patet quod Pilatus fuerit Præses seu 1.

 Iu-

Iudex tàm criminalis quàm civilis Iudeæ, qui etiam dicebatur Prætor cui parebat exercitus. Nam victorinus nomen Prætor deducit à præeundo & Varro ait Prætor quasi præitor quod præiret jure & exercitu. Inde domus & locus ejus in quo jus dicebat vocabatur Prætorium, ibi erat tribunal in quo reorum causæ agebantur; ideoq; Pontifices eo duxerunt IESVM.

2. Communis est hominum opinio Pilatum in Delphinatû, ad Rhodanum non longè à S. Valerio natum fuisse.

3. Eusebius in secundo historiæ Ecclesiasticæ tradit Pilatum post resurrectionem Domini scripsisse ad Tiberium Imperatorem, quæ de resurrectione CHRISTI, deq; ej9 miraculis, atq; ejus divinitatis opinione felix fama per omnem Syriam divulgabat, cujus Epistolæ Exemplum, ab Eusebio ptætermissum, & à nobis (ait Sixt: Senen: Bibliot: S. lib: 2.) in Vetustis Bibliothecæ Vaticanæ monumentis repertum, hoc est.

4. Pontius Pilatus Cl. Tiberio Neroni Imp: S. Nuper contigit, cujus rei ipse testis esse possum Iudæos sese ipsos, posterioresq; suos universos per invidiam crudeli damnatione perdidisse. Cùm enim ex oraculorum promissis, majorum ipsorum authoritate receptis, hoc exspectarent, ut DEVS eorum per Virginem juvenculam mitteret, qui jure rex eorum diceretur, hunc me præsente misit in Iudæam. Is, quod omnibus notum est, cæcis visum restituebat, leprosos mundabat, resolutos nervis curabat. Viderunt quoq; ipsum dæmonia abegisse, atq; obsessos spiritibus immundis liberasse, mortuos item ex sepulchris ipsis resuscitavit, obediebant ipsi ventorum turbines, siccis pedibus mare inambulabat, fecit alia quoq; permulta miracula, ut vulgò etiam inter Iudæos, & plebem, DEI filius diceretur. Principes verò Sacerdotum, æmula-

æmulatione & livore inſtincti, adverſabantur illi, captũq́; illum mihi tradiderunt, ementitis ſceleribus eum reum facientes, magum appellabant, atq́; legis eorum deſertorẽ, & contradictorem. Quibus perſvaſionibus ſeductus ipſe, fidem querelis eorum adhibui, flagellatumq́; ipſis tradidi, ut pro arbitrio in eum animadverterent. Crucifixerunt igitur illum, & ſepulchro, quo conditus erat, cuſtodias adhibuerunt, inter quos etiam ex meis militibus nonnulli erant, qui tertio die ipſum à mortuis reſurgentem viderunt. Nequitia autem Iudæorum magis hoc facto exarſit: numeraruntq́; magnam pecuniarum vim ipſis militibus, quatenus diſcipulos ipſius noctu corpus rapuiſſe prædicarent: acceperuntq́, hi quidem pecunias: nihilominus tamen publicè ubique profeſſi ſunt, atq́; teſtantur ſe viſiones Angelorum vidiſſe: ac IESVM illum à mortuis verè reſurrexiſſe. Hæc autem ideò ſcripſi, ne quis nugis, ac mendacijs Iudæorum, ſi de re geſta aliter loquantur, fidẽ adhibeat. Vale.

Pilatus in favorem Iudæorum, innocentiſſimum Chri- 5.
ſtum (quem & ipſe proprio confeſſus non ſemel ore fuerat) condemnavit. Sed per quæ quis peccat per eadem & punitur. Siquidem poſtea ab ijſdem ad Cæſarem fuit accuſatus, ut Petrus Comeſtor in hiſtoria Scholaſtica refert, Pilatum de injuſta Iudæorum cæde & ſacri Ieroſolymitani theſauri, qui *Corban* dicitur, accuſatum apud Cæſarem, & ab eo relegatum Lugdunum, quæ urbs ei natalis erat: ut ibi in odium & ignominiam generis ſui inglorius moreretur.

Tertullianus in Apologetico ſcribit Tiberium Impera- 6.
torem, cùm hæc de CHRISTI miraculis ex Syria audiviſſet, detuliſſe ad Senatum cum prærogativa ſuffragij ſui, ut CHRISTVS inter deos Romanorum reciperetur, quod

cum

cùm Senatus non probaret: Cæsar in sententia mansit, comminatus periculum accusatoribus Christianorum.

LXII.

Quæ crimina à Iudæis CHRISTO objecta sunt apud Pilatum?

1. POstquàm innocentissimum IESVM in suo Concilio mortis reum Iudæi damnatum Romanorum Præsidi Pilato ut graviori eum pœnâ condemnaret sisterent, Præses interrogat illos: *Quam accusationem affertis adversus hominem hunc?* Ioan: 18. 29. Principes & Seniores Iudæorum summo odio erga Salvatorem accensi superbè respõdent: v. 30. *Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum.* Pauculis verbis omnium criminum esse reum asserunt CHRISTVM, dum cunctorum bonorum authorem, malefactorem nominant. Sed cùm Pilatum adverterint causam & crimina, de quibus IESVM accusant, poscere, ut ex jis videat & judicet an reus sit mortis necne? hac de causa ipsi crimina hæc depromunt, de ijsq; IESVM mortis reum apud eundem Præsidem accusant. Luc: 23. 2. imò. *Hunc invenimus subvertentem gentem nostrâm,* 2dò. *Et prohibentem tributa dare Cæsari.* 3tiò. *Et dicentem se CHRISTVM regem esse.* Hegesipp9 lib: 5. asserit Iudæos CHRISTO Domino etiam magiam objecisse Matth: 12. 24. *Hic non ejicit dæmones nisi in Beelzebub principe dæmoniorum.* Sed quam falsissima hæc omnia sint, ex SS. Evangelistis facilè quisque intelliget. Nam ad primum. Quomodo is evertebat gentem sive leges & instituta, quæ ipse Moysi dictavit & venit *non solvere sed adimplere legem.* Matth: c. 5. v. 17. ad secundum. Tributa Cæsari reddenda esse evidentissimè asseruit dicens: *Red-*

dite

dite ergo quæ ſunt Cæſaris, Cæſari; & quæ ſunt DEI DEO. Matth: 22. 21. Quinimò ipſe pro ſe & pro Petro ſoluit tributum. Matth: c. 17. De ejectione dæmoniorum in poteſtate ipſe Dominus eis reſpondet. Matth: 12. 25. *Omne regnum diviſum contra ſe, deſolabitur, & omnis civitas; vel domus diviſa contra ſe, non ſtabit.* v. 26. *Et ſi ſatanas ſatanam ejicit, adverſus ſe diviſus eſt: quomodo ergo ſtabit regnum ejus?* v. 27. *Et ſi ego in Beelzebub: ejicio dæmones, filij veſtri in quo ejiciunt? Ideo ipſi judices veſtri erunt.* Ad hanc ſolam objectionem Iudæorum. Nempe quòd regem ſe dicat, CHRISTVS Dominus interroganti Pilato. Ioan: 18. v. 37. *Ergo rex es tu?* libere fatetur ac reſpondet: *Tu dicis quia rex ſum ego. Ego in hoc natus ſum, & ad hoc veni in mundum, ut teſtimonium perhibeam veritati: omnis qui eſt ex veritate, audit vocem meam.* Has objectiones CHRISTO à Iudæis apud Pilatum delatas ex varijs Authoribus intelleximus, alias verò extra formam judicij Præſidis contra eundem innocentiſſimum Dominum formatas apud D. Thomam de Villa nova in concione feriâ 6tâ poſt Dominicam paſſionis ut in quæſtione II. inſinuavimus, reperio.

Etſi juſtus, tamen nobis valde adverſatur, perdit ac deſtruit nos, acceptionem populi quam habebamus abſtulit. Iam populus non honorat, non ſequitur nos, pro nihilo deſpicit nos, & eleemoſynæ perierunt. Ex quo hic homo prædicare cæpit, honor reditusq; ceſſavit, nobis valde pernicioſus eſt, & *contrarius eſt operibus noſtris:* in omnibus adverſatur & reprehendit opera noſtra: *improperat nobis peccata legis,* quòd non intelligimus legem, ſed prævaricamur & diſſipamus eam: quod dimittamus legẽ DEI propter traditiones noſtras, *& diffamat in nos peccata diſciplinæ noſtræ,* infamat doctrinam noſtram, dicens, 2.

quòd doceamus solas ceremonias, vanè omittentes potiora: mundantes quod foris est paropsidis, & non quod intus est cordis: *quòd excolamus pulicem, & deglutiamus camelum.* Personas nostras & doctrinam infamat, neq; sola exteriora reprehendit opera, *sed factus est nobis in tua lucem cogitationum nostrarum.* Etiam cogitationes nostras novit, & publicat, nescimus quomodo, ut neq; cogitare quæ volumus liceat, & desiderare non sit liberum coram eo. Nam illico dicit *ut quid cogitatis mala in cordibus vestris?* Matth: 9. Nihil potest esse occultum huic homini: *tanquam nugaces æstimati sumus ab illo, & abstinet se à vijs nostris, tanquam ab immunditijs.* Vocat nos semper hypocritas, fictos, mendaces, cæcos & duces cæcorũ Matt: 5. & detestatur vitam nostram ut prophanam & pessimã, monendo populum ut non sequatur nos: quod imponam9 onera gravia, & importabilia, & digito non tangamus, non agentes quod docemus: propter quod gravis est nobis etiam ad videndum, & odio est nobis maximo. Non possumus eum oculis aspicere præ rancore, *quoniam dissimilis est alijs vita illius.* Habet vitam extraneam: & plusquàm humanam: non ridet, non lætatur, non otiatur, non quærit quæ mundi sunt, longè est ab omni humana consvetudine vita illius: nullus mortalium sic vivere possit: *& filium DEI se nominat, & gloriatur patrem se habere DEUM.* Et certè negare non possumus, quòd opera faciat stupenda, & prodigia terribilia. *Sed videamus si sermones illius veri sunt, tentemus quæ ventura sunt illi,* tentemus vadum, perscrutemur hanc veritatem. *Contumelia & tormento interrogemus eum, & morte turpissima condemnemus eum.*

LXIII.

Quid est Veritas?

NEceſſariam quidem magnique ponderis quæſtionem movit Pilatus, minimè tamen veritatis ſtudioſum ac amatorem eſſe agnoſco. Nam cùm Ethnicus eſſet facilè à ſuis Philoſophis veritatis diſceret qualitatem. Siquidem Epictetus ait. *Nihil veritate pretioſius haberi debet, ne amicitia quidem ut pote obnoxia affectibus qui quod juſtum eſt turbant & obumbrant.* Quam doctrinam ſi obſervâſſet Pilatus, magis agnitam in CHRISTO innocentiam, id eſt veritatem, quàm Cæſaris amicitiam tenuiſſet malitioſis non obediendo Iudæorum acclamationibus: *Si hũc dimittis, non es amicus Cæſaris.* I.

Æſchines aſſerit *adeò validam eſſe veritatem, ut omnes humanas cogitationes ſuperet.* Plato l. 5. de legib: *Veritas* (*inquit*) *tàm dijs quàm hominibus ad omnia bona dux eſt.* Epictetus præfatus ait: *Immortalis & æterna eſt veritas. Non donat autem nobis pulchritudinem paulatim tabeſcentem, neq; dicendi fiduciam è juſtitia prodeuntem: ſed quæ juſta & legitima ſunt exhibet diſcernens ab ea injuſta & redarguens.* Pytagoras dicebat: *hæc duo divinitus data hominibus eſſe longè pulcherrima, Veritati complecti & beneficijs operam dare: Vtrumq; enim immortalium deorum operibus comparari poſſe.* Verùm inter alios exquiſitiſſimè Triſmegiſtus reliquit. *Veritas* (inquit) *in ſolis æternis corporibus eſt quorum & ipſamet corpora vera ſunt. Vniverſa igitur ſuper terram non veritas ſunt, ſed veritatis imitationes & umbræ. Veritas abſolutiſſima Virtus eſt, ipſumq; ſummum bonum quod nec à materia turbatur, neq; corpore circumdatur, nudum, conſpicuum, auguſtum, mutationis & alterationis expers bonum.* Sed omnibus prætermiſſis te alloquor Pilate ex interrogationis tuæ elementis, quod

quæris intus habes. Petis *quid eſt veritas? eſt vir qui adeſt*, hoc enim cùm Romanus ſis per anagramma præfatæ tuæ interrogationis litteræ tranſpoſitæ important: *Eſt vir qui adeſt*, qui de ſe ipſo ait: *Ego ſum via veritas & vita.* Ioan: 14. 6. *Eſt vir qui adeſt* & ante te nunc ſtat qui, *adhoc venit in mundum, ut teſtimoninm* perhibeat *veritati. Eſt vir qui adeſt, & omnis qui eſt ex veritate audit vocem ejus.* Aſt quemadmodum olim veritas in mundo peregrina omnibus odioſa, mundo excluſa fuit (ut mox ex verſibus adſcriptis dignoſcetur) ita & hæc veriſſima veritas quæ *de terra* uirginali ac immaculata *orta eſt* Pſal: 83. 12. nunc jam non tantùm peſſimè ab omnibus tractatur, extorris fit: ſed etiam infami morte damnatur atq; cruci affigitur. Verſus exulantis Veritatis in Bibliotheca veterum Patrũ tomo 15. à Cornelio Grapheo Aloſtano deſcriptos reperio.

Toto fugata olim orbe nuda VERITAS
 Vt fors nigra ſub veſpera
Divertit ad cujuſdam anus pauperculæ
 Bene-fumidam domunculam.
Anus rogat, quænam eſſet, unde venerit?
 Quò nocte opaca tenderet?
Quæro, inquit hoſpitiolum. Ego ſum VERITAS,
 Filia Chroni, Momi Soror.
Inviſa toto divagor mundo, undique
 Me ceu canem pellunt procul.
Nullus latendi uſquam locus; dicam mihi
 Minantur omnes, heu necem;
Niſi fugitem impias manus, niſi ſileam
 Lingvamq; & os compreſſerim.
Quod ſcilicet lingva eſt mihi ſat libera
 Denteſq; multum acutuli.

Non

Non parco cuiquam, occulta detego omnia
    Mores noto, carpo vitia,
Mordeo, reprendo, insector acerbissimè
    Si quid sinistri offendero,
Nil taceo nil simulo, hostis atrox hypocrisi,
    Et pessimis palponibus.
Vt usq; sunt omnes tenellis auribus,
    Et delicata cuticula,
Vt non ferant se attingier, ne scilicet
    Lædantur offensi uspiam.
Hæc audiens anus: Profecto talia
    De te, inquit, audivi. Simul
Pietate mota inducit in parvos lares,
    Et quos habet promit cibos:
Dein bene refectam molliter locat suo
    In lectulo, ac simul cubant.
Mane autem ubi lux orta, caræ VERITAS
    Dictura jam vale hospitæ.
Vt vidit altero orbam oclo: Heus mulier, ait,
    Vt indecore es luscula?
Profecto id haud notaveram dudùm nigrâ
    Sub nocte, dum vitia latent.
Tum graviter indignata fæmina, virgini
    Haud mollem in os pugnum ingerit.
Et fuste rapto ex angulo, dire minax
    Propellit ejectam domo,
Et dixit: Ergo te mihi, mihine miseræ
    Hanccine referre gratiam?
Quæ te vagam, profugam, & egenam acceperim,
    Tam humaniter tractaverim?
Quin & meum (ô ingrata bellua!) jam mihi
    Vitium exprobras? quis hoc ferat?

Pol video nunc haud esse mirum, te undiq;
Temni, fugari, expellier.
Apage hinc malam in rem, idq; ocyus cum isthac tua
Loquacitate perfida.
Sic, grata nusquam est gentium, gravis undiq;
Sic VERITAS odium parit.

2. Nec mirum est Veritatem in mundo exilium pati, in quo plures Placentini, quam Veronenses semper reperiuntur.

3. Possunt etiam, bonâ veniâ, addi jambi demetri non quidem accurati, in eodem tomo, & in B. Calixti Papæ II. sermone in S Iacobum Apostolum adscripti.

Recessit omnis æquitas,
Nusquam comparet bonitas,
Totum replet iniquitas,
Et vanitatum vanitas.
Nummorum desiderio,
Missarum celebratio,
Et omnis consecratio,
Dirigitur sub pretio.
Sed omnis hæc destructio,
Et hæc coinquinatio,
Processit ab initio,
De Sacerdotum vitio.
Multi jam pene clerici,
Sunt amatores sæculi;
Non CHRISTI jam discipuli;
Mammonæ facti famuli.

4. Hæc si nostris hisce temporibus simili deflenda sunt planctu, pius lector facilè dijudicabit. Ergo ad Patris Druzbicki stromata, qui § 89. ait: *IESV vocem audit, quisquis*

quis ex veritate eſt, redeo. Dico diſertè: (ait ille) ſervus Veritatis, Amator Veritatis, eſt Candidatus beatæ æternitatis. Immò jam inchoavit beatitudinem, quiſquis dilexit veritatem. Si enim rectè cogitamus. Beatitudo, eſt veritatis poſſeſſio: ſcilicet poſſidere & poſſideri à veritate. Inde D. Thomas Beatitudinem formalem conſtituit in Contemplatione primi & ſummi veri. Doctor autem Seraphicus ſuperaddit Dilectionem. Qui idem Doctor aſſignat novem gradus, qui ſunt in elevato aſpectu veritatis, eoſq; gradus vel ijs gradibus ait reſpondere novem Ordines Angelorum. Primus eſt advocare veritatem per gemitum & Orationem quod eſt Angelorum. Secundus eſt audire Veritatem per ſtudium & devotionem, & hoc eſt Archangelorum. Tertius eſt annuntiare veritatem per Exẽplum & Prædicationem & hoc eſt Principatuum. Quartus eſt adire Veritatem per refugium & commiſſionem;& hoc eſt Poteſtatum. Quintus eſt apprehendere veritatem per zelum & Æmulationem; & hoc eſt virtutum. Sextus eſt aſſociare veritatem per ſui contemptum & mortificationem; & hoc eſt Dominationum. Septimus eſt adorare veritatem per ſacrificium & laudem; & hoc eſt Thronorũ. Octavus eſt admirari Veritatem per exceſſum & contẽplationem; & hoc eſt Cherubinorum. Novus eſt amplecti Veritatem per oſculum & dilectionem; & hoc eſt Serephinorum. Hæc diligenter notanda & exercenda ſunt, quia in ipſis eſt fons vitæ.

Plura de veritate tum apud eundem P. Druzbicki, 4.
quàm alios authores, diligens lector reperiet. Nos ejuſdem religioſiſſimi Patris piam pro Veritate apponimus oratiunculam. IESV veritas & Prædicator Veritatis, fac me noſſe veritatem tuam, amare veritatem tuam, deſiderare veritatem tuam, inquirere veritatem tuam, facere verita-

ritatem tuam, pati veritatem & propter veritatem tuam, docere & profiteri veritatem tuam, ſequi veritatem tuã, defendere veritatem tuam, ſervire veritati tuæ, liberari per veritatem, perfrui & gaudere veritate tua in æternum. Ex his colligi poteſt quam neceſſaria, & fructuoſa ſit homini adhæſio & dilectio veritatis.

LXIV.

Cur CHRISTVS tam apud Caipham ad falſa teſtimonia, quâm ad calumnias apud Pilatum, tum & apud Herodem ſiluit?

I. CHRISTVS Dominus Salvator noſter, ineffabile Verbum Patris æterni, per quod facta ſunt omnia, & ſine quo factum eſt nihil, tempore paſſionis ſuæ tàm in Concilio apud Caipham, quàm etiam apud Præſidem Pontiũ ad varia quæſita quandoq; tacebat, aliàs verò reſpondebat. Ad falſa verò teſtimonia, calumnias, opprobria & vexationes, tum & ad curioſas Herodis interrogationes altiſſimum ſervavit ſilentium. Ioan: 18. 19. *Pontifex ergo interrogavit IESVM de diſcipulis ſuis & doctrina ejus.* v. 20. *Reſpondit ei IESVS: Ego palam locutus ſum mundo: ego ſemper docui in Synagoga, & in templo, quo omnes Iudæi conveniunt: & in occulto locutus ſum nihil &c.* Item Matth: 26. 63. quando Caiphas princeps Sacerdotum requirebat à IESV illis verbis: *Adjuro te per DEVM vivum, ut dicas nobis ſi tu es CHRISTVS Filius DEI?* v. 64. *Dicit illi IESVS: Tu dixiſti. Verumtamen dico vobis, à modò videbitis filium hominis ſedentem à dextris virtutis DEI, & venientem in nubibus cæli.* Item ſecundum

Lu-

Lucam. c. 22. v. 66. & 67. similiter ad interrogationem Principum Sacerdotum & scribarum: *Si tu es CHRISTVS, dic nobis, ait illis: Si vobis dixero non credetis mihi. v. 68. Si autem & interrogavero, non respondebitis mihi, neq; dimittetis &c.* Item interrogantibus illis: *Tu ergo es Filius DEI?* respondit. *Vos dicitis, quia ego sum:* v. 70. Præsidi etiam interroganti Ioan: 18. 33. *Tu es rex Iudæorum?* v. 34. *Respondit IESVS: A te metipso hoc dicis, an alij dixerunt tibi de me?* tum in eodem capite Ioannis, prolixius CHRISTVS colloquitur cum Pilato. Ad testimonia verò falsa & calumnias contra se objectas, tàm apud Caipham, quàm apud Præsidem, quia nihil CHRISTVS respondit, Cassianus dat rationem: *Nec ad objecta respondet insinuans cum negantibus veritatem non esse in judicio differendum, nisi superioris judicio arceantur. Semper enim responsio falsitatem per amplius exhauriret de illorum cordibus & adderentur peccata peccatis, & cumulus falsitatis excresceret.* D. Paschas: l. 12. in Matth: *IESVS* (ait) *tacebat indignum eum sua responsione decernens, juxta illud Propheticum Ps. 38. Dum consisteret adversũ me peccator, obmutui & humiliatus sum nimis & silui à bonis, quia quibus loqueretur, nullus erat dignus.*

D. Ambros: in c. 27. Matth: ait: *Bene tacet, qui defensione non indiget. Ambiant defendi, qui timent vinci. Quid timeret, qui non ambiret salutem? solus omnium suam prodit, ut acquirat omnium.* S. August: serm: 118. de temp: *Accusationem* (inquit) *suam Dominus tacendo non firmat, sed despicit non repellendo: melior est causa quæ non defenditur, & probatur plenior justitia, quæ non verbis astruitur, sed veritate fulcitur: scivit Salvator, qui est Sapientia, quomodo tacendo vinceret, quomodo non respondendo superaret.* S. Hieron: ait, *Tacebat Dominus, sciebat enim ut*

DE-

DEVS, quidquid respondisset, torquendum ad calumniam. Origenes hom: 35. in Matth: *Majus est ei* (ait) *liberè & fortiter silere, quam defendere se sine ullo profectu, ut non humiliemur à testibus falsis & calumniatoribus improbis.* S. Leo serm: 6. de pass: *Falsa* (inquit) *adversus Dominum testimonia quærebant, sed inter inconditas voces & dissonas, hoc IESVS mirabiliter elegit, ut taceret.* Cornel: à lap: in Matth: c. 27. asserit ideo tacuisse CHRISTVM, *ut silentio suo lueret & expiaret omnia mendacia, perjuria, blasphemias, maledicta, calumnias, &c. quæ homines loquendo committunt, eosq; doceret lingvam frænare, ac in malis, otiosis & vanis silentium ori indicere.* Cassian: superius citatus l. 13. ait. *Non respondebat tunc CHRISTVS exprobrantibus sibi verbum &c. Responsum est per creaturas, quæ de ipso moriente testatæ sunt per insolitas & horribiles actiones.* Id est, ut disserit Sylveira tom: 5. in Evangelia. l. 8. quæst: 12. Cùm subiturus esset crucis mortem, ibiq; creaturarum mærorem ostensurus terræ tremore, solis obscuratione, ac petrarum scissione, merito à verbis abstinuit: cùm tot, & tanta opera essent testimonia exhibita, ad quid verba audienda, cùm tanta opera divinam virtutem testificarentur?

3. Herodi verò, qui *erat cupiens ex multo tempore videre eum, & viso IESV gavisus est valde (multa enim audierat de eo) & sperabat signum aliquod* (id est miraculum) *videre ab eo fieri, dum interrogabat eum multis sermonibus, nihil respondebat.* Luc: c. 23. SS. Patres & Doctores has exhibent rationes. S. Gregor: in c. 31. Iobi scribens ait, *quia vidit CHRISTVS Herodem non quærere profectum, sed signa, vel scientiam velle mirari, requisitus ab eo, tacuit.* Idem Sanctus in catena D. Thomæ. *Inquisitus ergo Redemptor tacuit, expectatus miraculum exhibere, contempsit: magis*

gis eligens apertè à superbientibus despici, quam à non credentibus vacua voce laudari. S. Ephrem orat: de malo linguæ sic loquitur: *Os proditori osculandum exhibuit, & deceptori responsum dare noluit.* Carthus: etiam ait: *noluit coram Herode concionari & miracula patrare, quia si id fecisset, omnino eum liberasset à Iudæorum potestate.* Quod & Caietan: sentire videtur dum dicit: *Ex parte Herodis in promptu est meritum, quia curiosè movetur ad interrogandum; ex parte autem CHRISTI ratio fuit, ne impediret passionem.* Titus Bostrensis ait. *Neq; decebat ut cælestia signa coram eo ederet, qui præstigijs spectandis, quàm divinæ virtutis miraculis cognoscendis addictior erat.* Herodes maximè deditus erat comædijs, tragædijs, convivijs & saltationibus; & qui talibus studijs maximè erat applicatus omnino indignus erat, ut divina CHRISTI opera inspiceret: ait Sylveira, qui etiam addit: CHRISTVS Dominus interrogatus à Caipha an esset Filius DEI respondit: *Tu dixisti*, interrogatus à Pilato ait: *tu dicis:* ab Herode verò interrogatus, nihil respondit. Theophyl: sic loquitur: *Herodi autem prorsus nihil respondit, quandoquidem illusor erat. Caiphas & Pilatus inimici: Herodes illusor. Inimicis licet respondere, illusori magna est prudentia nihil dicere, ac respondere, ne ei causa detur ad majores irrisiones & subsannationes.* Inter alios Carthus: etiam, CHRISTI apud Herodem silentij dat rationem: *noluit* (inquit) *respondere & miraculum facere coram Rege, ut exemplum nobis præberet fugiendi ostentationem coram Magnatibus.*

Sed cùm Herodes esset *cupiens ex multo tempore videre* IESVM, qui sæpissime in Galilæa prædicabat, quare 4.
nunquam ad eum audiendum exierit? an Regius fastus eum revocabat? erat enim Tetrarcha Galilææ, potestati re-

giæ ſimilis: (hic enim Herodes cognominabatur Antipas, qui S. Ioannem Bapt: interfecit, filius Herodis magni ſeu Idumæi Innocentium interfectoris.) Sed forſan ad videndum & audiendum IESVM in Galilæa prædicantem ideo non venit, quia mala conſcientia exire eum nō permittebat; erat enim adulter & inceſtuoſus. Nunc autem à Pontio ad ſe miſſo viſo IESV, jam non timet, imò gaudet quia vocem clamantis in deſerto & ſua crimina exprobrantis Matth: 14. *Non licet tibi habere uxorem fratris tui* ſuſtulerat, & occiderat. Sed quare CHRISTVS Dominus eundem Herodem non reprehendit, neq́, correxit de adulterio, ſicut Ioannes ſatagebat. Salmeron tom: 10. tract: 27. reſpondet: *quia videbat regem immedicabilem, correctioniſq́, minimè capacem; & ſicut non audivit Ioannem, nec CHRISTVM audîſſet,* juxta illud: *Curavimus Babylonem, & non eſt ſanata:* ergo *derelinquamus eam.* Ierem: c. 51. v. 9.

5. Poteſt etiam & hæc ratio addi. Sicut ſi CHRISTVS Dominus juxta affectionem regis aliquod ſignum vel miraculum feciſſet, deviciſſet eum ad eliberationem ſui, ut ſuperius inſinuatum eſt; ita, ſi illum tunc de crimine arguiſſet, ad inferendam ſibi mortem eum facilè potuiſſet commovere. Dominus verò, nec abſolui, nec mortem ſuſtinere ab Herode voluit; qui maluit ſatius ab eo illudi & contemni, ut ait S. Petrus Damianus opuſculo de contemptu ſæculi c. 26. *Ecce quem vulpes illa malitioſa deſideraverat, ſpernit; quem videre cupiebat illuſit. Et quia vitam non pro vivendi amore quæſivit, impietatis ſuæ morte remanſit.*

De ſilentio CHRISTI ad falſā crimina per quæſitos teſtes falſos vide in Stromatibus R. P. Družbicki § 44. & 45. Sed vel maximè § 79. & 120. item 121. Vbi multa

eximia & devota reperies.

LXV.

Quare CHRISTVS tàm in flagellatione, quàm in crucifixione se permisit denudari?

CHRISTVS Dominus certaturus cum maligno hoste nudus in mundum venit, à Sanctissima Matre fascijs panniculisq; vestitus, in præsepio fuit reclinatus. Adultus verò jam, cum eodem luctaturus, tàm ad columnam, quàm ad crucem veniens, nudum hosti se objecit, permittens sacratissimum corpus suum vestimentis spoliari. Verùm ignoscas mi Domine ac Salvator IESV, dum Te nō nudum, sed supervestitum cum maligno hoste certantem assero. Superindui voluisti mortalitatis nostræ passibilis corporis indumento, ut & gloriosiorem ex hoste caperes triumphum, & nobis asseclis tuis dares documentum juxta Doctoris Gentium ad Ephes: c. 6. v. 12. *Quoniam non est nobis colluctatio adversus carnem & sangvinem; sed adversus principes, & potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ, in cælestibus.* Ad hoc contra diabolum certamen properantes ut vestimenta, id est terrena omnia quæ sunt quasi corporis indumenta abjiciamus, ne succumbamus prout D. Gregor: hom: 32. in Evang: ait; & divinâ tuâ panopliâ, quam idem tuus Apostolus Paulus fusè citato loco describit, armemur; *Induite vos armaturam DEI, ut possitis stare adversus insidias diaboli.* ad Ephes: c. 6. v. 11. quinimo ut te ipsum etiam induamur, ad Rom: c. 13. v. 14. *Induimini Dominum IESVM CHRISTVM, & carnis curam ne* 1.

 fe-

feceritis in desiderijs, admonemur.

2. Nudatur IESVS: quia enim ad balneum ſangvinis proprij atq; terſorium flagellationis ibat, ideo veſtes detrahit. Drużbicki in ſtrom: § 107. n. 14.

3. Nudatur IESVS, abjicit vile veſtimentum, purpureo ſangvinis ſui proprij paludamento, mox mox induendus. Idem.

4. Nudatur ideo IESVS veſtibus, quia paſſionem ſuam ſæpe vocat baptiſmum ut Luc: 12. 50. *Baptiſmo autem habeo baptiſari: & quomodo coarctor uſq; dum perficiatur?* Ecce ad hunc baptiſmum veſtibus nudatur.

5. Nudatur quoniam qui ignem venit *mittere in terram* (ut ipſe ait Luc: 12. 49. *& quid volo niſi ut accendatur?*) jam æſtuat amore, ita, ut veſtes deponere neceſſe fuerit.

6. Nudari voluit IESVS, quia tu homo in morte tua omnibus nudaberis, honore, divitijs &c. in ſuper non tantùm veſtimentis, ſed & carne ipſa. Geſta tua, actiones, quin & cogitationes etiamſi neſcio quibus involucris tegumentis paliata obductaq; modò ſunt, omnia denudabũtur, juxta illud Eccleſiaſtici *in fine hominis denudatio operum illius*. c. 11. v. 29. Fuſius Dominus DEVS per Prophetam minatur. Ezech: 16. 37. *Ecce ego congregabo omnes amatores tuos, quibus commiſta es; & omnes quos dilexiſti, cum univerſis quos oderas: & congregabo eos ſuper te undique, & nudabo ignominiam tuam coram eis, & videbunt omnem turpitudinem tuam.* O quam deſiderabile illud Pſal: 31. *Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates & quorum tecta ſunt peccata.* Super nuditatem Salvatoris noſtri deplorat R. P. Drnżbicki § 107. n. 22.

7. Bene eſt Chriſtiani quòd IESVM nudum & verecundiâ coopertum propter nos intueri præ compaſſione, præ indignitate, etiam præ verecundia non ſuſtinemus. At

enim

enim audite & intelligite: non placet nudati IESV ignominia in oculis carnis? & cur placet ejusdem nuditas in oculis mentis? non placet nudari IESVM à carnificib9? cur placet nudari ab effrenibus passionibus, & voluntatibus? Nemo nostrum nudavit IESVM in corde suo? Christiane quoties peccâsti, quoties gratiâ CHRISTI te privâsti, toties IESVM spoliâsti, toties in oculis cæli IESVM nudum constituisti? non placet tibi vestes IESV ab atrocitate militũ ita vilipendi, & per terram abjici atq; calcari? placet tibi gratiam IESV meritaq; sangvinis ejus à te, à tua rebelli voluntate despici, abjici, calcari, & nefandis pudendisq; sceleribus tuis commaculari? vis nuditatem IESV tegere? labora animam tuam gratià IESV induere indutamq; semper servare. Vestitus est IESVS, quando in gratia IESV vivit Christianus. Maior est pudor IESV, si nudus sit in anima unius Christiani, quasi nudus stet in oculis totius mundi. Et amarior est CHRISTO insultatio diaboli, quando nudatur peccante Christiano, quàm quando denudatur à furioso Iudaico, Pilative ministro. Videat ergo quisq; in suamet conscientia, an probrosè denudatum, an decorè vestitum habeat IESVM in anima?

LXVI.

Quot vicibus CHRISTVS flagellatus?

ARias Montanus in scholijs, & Gerson in monte tessaro cum aliquibus censent bis CHRISTVM fuisse flagellatum. Semel ante latam sententiam: quam flagellationem commemorat Ioan: c. 19. quando Pilatus volens efferos Iudæorum animos ad commiserationem flectere ut I.

effu-

effuso innocentis IESV sangvine conquiescerent. Secundo, post latam jam mortis sententiam, juxta legem Romanorum, de qua flagellatione meminit D. Hieronym: in Matth: c. 27. dum ait. *Sciendum est Pilatum Romanorum legibus ministrasse, quibus sancitum est, ut qui crucifigeretur, prius flagellis verberetur.* Vnde notum est, ante, Cõsules Romanorum securim fascibus alligatam deportasse. Nam lictores virgarum fascibus solutis damnatum primò virgis cædebant, deinde securi caput amputabant.

2. Mallonius censet bis CHRISTVM flagellatum. In carcere Ceiphæ, primò. Vbi inter alias injurias nefanda illa nocte ab insolentissimis ministris CHRISTVM custodientibus etiam flagellis cæsum asserit. Deinde ante traditionem in mortem, ut ait S. Matth: c. 27. v. 26. *Tunc dimisit illis Barabbam, IESVM autem flagellatum tradidit eis ut crucifigeretur.* Et Ioan: 19. 1. *Tunc ergo apprehendit Pilatus IESVM & flagellavit.* Si ergo his flagellationibus binis illam primam in carcere, juxta Mallonium, addemus; trinam CHRISTI flagellationem asserere aliquis existimabit. Sed communior sensus est Dominum IESVM semel tantùm Pilati jussu fuisse flagellatum. Inter alios, Sylveira l. 8. q. 3 de IESV flagellis cæso scribens: *Dicam* (inquit) quod sentio. Pilatus attendendo tam ad placandum populum, quàm ad legem Romanorũ, Dominum flagellari imperat; hac mente; verberationis pænâ mandat Dominum IESVM affici, ut si fieri posset tali supplicio populus placaretur, & tunc ipse liberum dimitteret IESVM; etsi populus non esset sedatus, sed pro eo crucifigendo adhuc instaret, ipsum jam flagellatũ morti traderet. Et ita flagellavit tam ad restringendũ furorem populi; quam ad Dominum disponendum, ac præparandum ad crucem, si necessarium esset.

Verumtamen conſideranda ſunt verba CHRISTI Domini à S. Luca c. 18. v. 32' deſcripta, quibus ſuam paſſionem prædixit: Tradetur filius hominis gentibus, & illudetur, & flagellabitur & conſpuetur: & poſtquam flagellaverint, occident eum. Vbi Dominus alia ſua improperia uno verbo exprimit: tradetur, illudetur, conſpuetur: De flagellatione verò binis verbis loquitur, id eſt flagellabitur, fortè in carcere noctu ab infamibus miniſtris, deinde ante latam à Pilato ſententiam, & poſtremò juxta Romanorum legem iam ad crucifigendum tradendus: quod verba illa CHRISTI Domini ſonare videntur *& poſtquam flagellaverint occident eum.* 3.

CHRISTVS Dominus per regium vatem Pſal: 72. ait *fui flagellatꝰ tota die, & caſtigatio mea in matutinis.* Quod dicitur tota die flagellatus non ratione temporis, ſed cõſiderato verborum numero; qui ita magnus & dilatatus fuit, ut integrum diem implere poſſet. Sylveira. 4.

Tradunt atiam CHRISTVM Dominum flagellatum triplicibus inſtrumentis, id eſt, viridibus ſpinoſis virgis, deinde chordis ſeu loris in funiculos & flagellum tortis quibus extremè puncta fuerunt ferrea intexta deniq; catenulis ferreis extremis ſimilis ita aſperatis, ut vellere partes carnis ac oſſa nudare ad eaq; penetrare inflicta poſſent. 5.

D. Auguſtinus, Bernardus & Ambroſius tractatu de paſſione exiſtimant quod milites ſolventes funes, quibus D. IESVS ad columnam ligatus ſtabat, videntes partes pectoris, & ventris illi adhærentes plagarum expertes, iterum tergo inhærentem columnæ illũ ligaverunt, ac innumeris flagellis dilacerârunt. 6.

Robertus Aquin: art: 2. de paſſion: ait; quòd meus IESVS ſolutus à columna cùm ob nimiam Debilitatem, 7.

non

non posset pedibus stare, quod ceciderit in terram, & in sangvine suo, seu ut potius dicam, in mari sui sangvinis, qui à sacro ejus corpore defluebat sese volutaverit. *Veni in altitudinem maris & tempestas demersit me*. Ps. 68. Veni in altitudinem maris mei sangvinis, & tempestas verborum, & dolorum, demersit me, seu cooperuit me, & cum meꝰ IESVS caderet scapulis versis in terram, tunc milites, ut meditatur D. August: novo furore concepto, eum verberant, tum in pectore, tum etiam in facie, vultu, ac toto corpore. Et ubi nostra vulgata habet. *Veni in altitudinem maris*. Paraphrastes legit. Perveni ad profundum fortitudinis cohortis impiorum, ac si in eo flagellando tota impia cohors suam fortitudinem, ac robur exerceret, ita ut *à planta pedisusq; ad verticem non esset in eo sanitas*.

Plura apud eundem Sylveiram & R. P. Drużbicki de acerbissima flagellatione reperies.

8. Exclamat D. Chrysost: serm: 6. de pass: Domini. Flagellatur remissio, condemnatur venia, illuditur majestas, irridetur Virtus, perfunditur largitor imbrium, sputis: clavis ferri cæli strator affligitur, mellis dator cibatur felle, propinator fontium potatur aceto.

9. Ex occasione CHRISTI Domini flagellati occurrit illud verbum à multis authoribus martyria Sanctorum describentibus, & hoc est Catomus. Vnde Catomis cæsus Martyr: &c. id est flagellis ad humeros. Vnde proverbium dare ad scapulas aut potius catomari idem est quod in humeros alterius levari ut more puerorum vapulet. Sic de S. Vito puero & de S. Eulalia puella tredecim annorum legimus eos fuisse catomatos, id est more puerorum flagellatos. Apud Romanos vile fuit supplicium flagellatio id est servorum & mancipiorum, Liberorum enim erat fustigatio. Hinc Martyres ad ignominiam flagellabantur.

Modum

Modum porrò & atrocitatem flagellationis CHRISTI 10.
ita ex revelatione B. Virginis S. Brigitta l. 1. revel. c. 10. *Deinde ductus ad columnam personaliter se vestibus exuit. Personaliter ad columnam manus applicuit, quas inimici sine misericordia ligaverunt. Alligatus autem nihil omnino operimenti habebat, sed sicut natus est, sic stabat, & patiebatur erubescentiam nuditatis suæ. Consurrexerunt autem inimici ejus, qui fugientibus amicis suis undiq; astabant, & flagellabant corpus ejus, ab omni macula & peccato mundum. Ad primum igitur ictum, ego quæ astabam propinquiùs cecidi quasi mortua, & resumpto spiritu vidi corpus ejus verberatum & flagellatum usq; ad costas, ita, ut costæ ejus viderentur. Et quod amariùs erat, cùm retraherentur flagella, carnes ipsis flagellis sulcabantur. Cùmq; Filius meus totus sangvinolentus, totus sic laceratus stabat, ut in eo non inveniretur sanitas, nec quid flagellaretur. Deinde iubente lictore, seipsum vestibus exuit, columnam sponte amplectens, reste ligatur, & flagellis aculeatis, infixis aculeis & retractis non evellendo, sed sulcando totum corpus ejus laceratur. Ad primum igitur ictum ego quasi corde percussa, sensibus abducor & post tempus evigilans, corpus ejus laceratum video; toto enim corpore nudus erat cùm flagellaretur.*

LXVII.

Quoties Christus in passione vestibus exuebatur & induebatur?

CHristum Dominum post acerbissimam & ignominiosissimam flagellationem suam vestimenta propria reassumpsisse atq; iterum ijsdem spoliatum fuisse ut chlamys coccinea ei injiceretur, multi existimant. Alij verò post flagellationem statim nudo chlamydem illam im- I.

positam putant. Sed textus facer Matth. 27. 28. luculenter exprimit, dum ait: *Et exuentes eum, chlamydem coccineam circumdederunt ei.* Ex quo patet Christum Dominum post flagellationem vestes suas reassumpsisse, deinde postea detractas ei fuisse dum coccineâ induebatur & spinis coronabatur. Vnde à SS. Evangelistis evidenter testatum habemus quatuor vicibus vestimenta Domino nostro tempore passionis ejus detracta fuisse. 1. ad flagellationem. 2. ad coronationem. 3. post exactam dolorosissimam coronationem illâ coccineâ vel purpureâ veste ablatâ proprijs vestimentis ut ab omnibus nosceretur ad baiulationem Crucis indutus fuit, quibus 4to ante crucifixionem exutus. Huc etiam considerandum venit, quòd Christus Dominus bis alienam vestem induit. Scilicet, apud Herodem albam, apud Pilatum purpuream. Et quamvis utramq; per contemptum & ludibrium assumpsit, tamen verus, candidus & rubicundus Rex demonstrabatur. Vt S. Cyril: l. 12. in Ioan. c. 15. ait: *Per purpuream vestem regnum totius mundi quod per Fidem Christus accepturus erat, significatum fuisse volunt.* Profectò impleta est illa de Domino nostro prophetia. *Quis est iste qui venit de Edom tinctis vestibus de Bosra? iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suæ. Ego qui loquor iustitiam & propugnator sum ad salvandum. Quare ergo est rubrum vestimentum tuum & vestimenta tua sicut calcantium in torculari?*

2. Alexan: ab Alex: l. 1. c. 10. testatur multos bellatores rubeis vestibus usos fuisse ne vulnera & sangvis effusus innotescerent, confidentiùsq; & sine pavore dimicarent, ut Xerxes ducturus contra Cyrum, milites ornavit rubro sagulo. Et Propheta Nahum c. 2. v. 3.

de Chaldeis dicit. *Viri exercitûs in coccineis.* Sic & Chriſtus Dominus pugnando & ſangvinem fundendo Regnum ſibi comparavit.

Veſtem, quâ Chriſtus Dominus ad ludibrium veſtitus fuit à militibus Pilati, S. Matthæus chlamydem coccineam, Marcus verò & Ioannes purpuram vocant. S. Ambroſius has veſtes diverſas atq; utrisq; ornatum fuiſſe Chriſtum exiſtimat. Sanctus verò Athanaſius & Auguſt. cum multis cenſent fuiſſe eandem, quia color coccineus ſimillimus eſt purpureo. Vnde ſubinde purpuratus vocatur, aut etiam veſtis illa bis tincta, ſcilicet ſemel murice & ideo purpurea, deinde iterum cocco, ideoq; coccinea appellari poterat, dicebaturq; talis *dibapha*, id eſt bis tincta. Erat hæc veſtis Regum: Sed Chriſto Domino per ſubſannationem & illuſionem oblata, ideoq; videtur fuiſſe alicujus militis valde detrita, & multùm vilis, ut ironicè & per ludibrium Chriſtum Iudæorum Regem demonſtrarent. 3.

Narrant hiſtoriæ Herculem quendam Philoſophum Tyri purpuram hoc modo inveniſſe. In littore Tyrio inambulans paſtoritium vidit canem, qui Oſtream (conchyle dicitur, parvumq; genus eſt teſtudinis marinæ) mandebat, & paſtorem, qui canem putabat ſangvinare, lanæ vellere ab ove rapto exterſit, quod ab ore canis profluebat, velusq; tinxit. Hercules cùm obſervâſſet id non eſſe ſangvinem, ſed peregrini alicujus vim liqvoris obſtupuit, & acceptâ à paſtore lanâ tinctâ, illam Phœnici Regi Tyriorum magni locò muneris detulit, qui & ipſe attonitus novi coloris aſpectu juſſit velus liquore purpuræ, ſeu conchylis imbui, ſibiq; Regiam veſtem fieri, moxq; edicto cavit, ne quisquam ex ſubiectis ſibi cultum illum affectaret præter ipſum Regem, & Regis ſuc- 4.

cessores. Rex Regum Christus Dominus non de conchylis liquore, sed immaculatissimi corporis sui sangvine tingit paludamentum. Milites ac servos suos illo absq; ulla invidia ornandos.

LXVIII.

Quare spineâ coronâ Christus fuit coronatus?

I. Lictores, seu satellites illi, qui multis modis innocentissimo ac patientissimo IESV varia passionis infligebant genera, non tantùm Præsidis, sed etiam & satanæ erant ministri. Excogitabant nova, & nova cruciamenta, quæ & virgineum ac divinissimum corpus ejus inenarrabilibus lancinarent doloribus, & sacratissimam ejus animam maximis extorquerent & affligerent contumelijs, irrisionibus, ac contemptibus. Patet hoc in spinea ejus coronatione, quâ & Regiam ejus irrident Majestatem, & delicatissimo corpori acerbissima infigunt tormenta.

2. D. Bernard. lib. de pass. Dom. c. 3. *In corona spinea* (ait:) *non leviter impressa; non solùm opprobrium, sed etiam supplicium quærunt.* Rectè S. Chrysost. hom. 88. in Matth. *Quasi omnes* (inquit) *ex composito convenissent, ita signo dato ad choream omnes diabolus concitabat. Voluptatem etenim ex contumelijs propter immanitatem suam capiebant.* Siccine dum ad immensos dolores & extremum ærumnarum opprobrium spectandum convenitur, ad ludos & choreas peragendas à dæmone grex impiorum militum convocari dicitur? Albert. M. ait: *Ecce spectaculum universale fecerunt de Filio Dei, ut ab omnibus derideretur.* Et D. Bruno in persona SS. Martyrum inquit. (*quia spectaculum facti sumus huic mundo.* 1. ad

Cor: 4.) *Conveniunt enim omnes ad oppressionem nostri, & mala nostra ludus est eorum.*

D. August. tract. 116. in Ioan. existimat acerbam 3.
Christi coronationem ex Pilati mandato per milites factam, dum ait: *Apparet non ignorante Pilato hæc à militibus facta, sive jusserit ea, sive permiserit: Illâ scilicet causâ ut hæc ejus ludibria inimici libentissimè biberent, & ulterius sangvinem non sitirent.* S. Chrysost. hom. 83. in Ioan: hanc in sacratissimum Christi corpus crudelitatem ait à militibus exercitam fuisse propter oblatam sibi à Iudæis pecuniam; dum inter alia sic loquitur: *Quomodo milites hæc faciebant, siquidem non præceperat Pilatus? ad Iudæorum gratiam. Neq; enim noctu à Pilato jussi, cum Iuda profecti sunt, sed pecuniâ à Iudæis allecti, omnia audebant.* S. verò Leo serm. 3. de pass. inquit: *Multas illusiones Domino Sacerdotum serviens oculis licentia popularis ingessit: & in mansvetudinem ejus, qui hæc sponte tolerabat, furens turba sævivit.* Agnoverant (ait Sylveira) bene omnem pœnam IESV inflictam, valde perjucundam ac gratam futuram Principibus Sacerdotum, & inde audenter omnem contumeliam ac injuriam irrogant IESV. Qui majorum voluntati blandiri intendit, nullam pœnam, nullamq; injuriam immerenti detractat inferre.

Tàm ergo dæmonum malitiam, quàm petulantis ac 4.
pecuniâ corrupti militis sævitiam, Pilati perniciosam coniventiam sive jussionem, insatiabilem innocentissimi sangvinis Christi Sacerdotum, totiusq; populi Iudaici sitim, spineæ coronationis Christi causam extitisse quis negabit?

Sed neq; ex parte Christi desunt rationes, ob quas 5.
caput suum spinarum aculeis voluerit circumcingi. S.

Theophil.

Theophil. Antioch. inquit: *Spineam in capite coronam accepit, ut sententiam capitalem, quæ ex spinis peccatorum nobis debebatur, eriperet.* In pœnam peccati promulgata est sententia contra hominem Genes. 3. 18. *Maledicta terra in opere tuo, spinas & tribulos germinabit tibi:* Christus Dominus ut pro peccatis nostris satisfaceret, aculeos spinarum in se ipsum suscepit, ut spinis coronatus nos ab illis liberaret; ut pro more suo Tertullianus lib. de corona militis c. 14. disserit. *Christus IESVS quale,* (ait) *oro te, sertum pro utroq; sexu subijt? Ex spinis opinor, & tribulis in figuram delictorum, quæ nobis protulit terra carnis, abstulit autem virtus Crucis, omnes aculeos mortis in Dominici capitis tolerantia obtundens.* Sic etiam Origenes, S. Hilarius, Hieronym. apud Sylveiram *In corona spinea* (ait) *maledictum solvit antiquum.*

6. Rex noster IESVS spinis coronatur, quæ peccata nostra designant: sic inferiorum crimina Regi irrogantur, capitisq; vertuntur in pondus. Spinis & tribulis, quibus fæcunda peccatorum abundavit terra, Christi caput pungitur; nam delicta subditorum Regis verticem gravant, ac vulnerant.

7. Diabolus per spinas nostrorum peccatorum, quas introduxit in orbem, de homine triumphavit. Coronatur aculeatis spinis Christus Dominus nostrorum peccatorum, ut dum illas in corpore suo suffert, ipsismet diabolum transfigat, & victoriale trophæum erigat: ac unde contumeliosè victus videri poterat, inde hostes superet. Pulchrè S. Ambros. in Luc. c. 22. *Corona* (ait) *de spinis, quæ capiti Christi imponitur, ostendit, quod de peccatoribus mundi, tanquam de sæculi spinis triumphalis Deo gloria quæreretur.*

8. Clemens Alexandr. pedag. c. 8. ingeniosè asserit co-

ronam

ronam esse typum Fidei; vitæ quidem propter ligni substantiam, lætitiæ autem propter coronæ appellationem, periculi verò propter spinam: neq; enim citra sangvinem licet ad verbum accedere. Christus Dominus Via est, iuxta illud Ioan: 14. 6. *Ego sum Via, Veritas,* &c. hanc autem Viam æternus Pater spinis instar coronæ circumcinxit, prout per Oseam Prophetam declaravit c. 2. v. 6. *Ecce ego sepiam viam tuam spinis:* Qui ergo per illam incedere volunt, multos dolores sustineant, vepribusq; cruententur. Bene canit Pöeta

Non quisquam fruitur veris odoribus,
Hyblæis latebras nec spoliat favis,
Si fronti metuat, si timeat rubos;
Armat spina rosas, mella tegunt apes.

Interrogatus quondam Christus à Pontio: *Ergo* 9.
Rex es tu? respondit: *Regnum meum non est de hoc mundo.* Velint ad libitum auro ac gemmis hujus mundi Reges coronari; in Regno Christi, id est patientiæ, non aliud coronat, quàm quod cruciat.

Apud Romanos antiquos celebrabantur festa coro- 10.
naria, quibus fontes coronabant; unde dictum: Si aquam hauris, puteum corona. Christus IESVS Fons aquarum viventium coronatur spinis à Iudæis.

Rupert. de Victor. lib. 12. c. 20. ait: *Nolite hoc so-* 11.
lùm videre in corona ejus quòd spinea sit. possunt verba S. Bernardi de pass. Dom. serm. 19. subiungi: *Licèt irrisione coronent, tamen ignorantes & irridentes coronatum Regem fatentur. Ergo Rex eorum vel ab ipsis nescientibus demonstratur.*

Sæpe creat molles aspera spina rosas.

Spinea enim corona non semper dolorum & injuria- 12.
rum, sed etiam pietatis, justitiæ, victoriæ, ac lætitiæ sym-

bolum

bolum eſt. Propterea quòd certis vinculis complicatur, quibus vita noſtra veluti religata coërcetur, atq; inſuper bonorum morum, virtutis, ſalutisq; conſervandæ, ac deniq; obtentæ de vitijs victoriæ luculentum præbet inſigne. Vnde rectè corona dicitur, quòd cor ornet.

13. Ex Apoſtolica traditione hucusq; obſervatum eſt, ut Clerici, ac per ſpiritualem vitam Dei ſervitio mancipati, crines in modum coronæ præcidant; hoc nempe tonſuræ ſignaculo ac extremâ in capite figurâ (ubi mens ipſa permanere exiſtimatur) demonſtrando, quòd in anima vitia reſecare, ac criminibus carnis quaſi crinibus abſciſſis, ſæculiq; negotijs abiectis, cæleſtibus ſatius ac æternis deſiderijs ſpiritum occupare debeamus. Sed vel maximè detonſus vertex, circulariq; redimitus coronâ; Spirituales admonet: ut perpetuam ſpineæ Coronæ Chriſti Domini capiti olim impoſitæ, memoriam nunquam ex mente dimittamus.

14. Hunc præclariſſimum in Eccleſia Chriſti morem Venerabilis Beda lib. 5. c. 22. de geſtis Anglorum clarè aſſerit, dum inter cætera in hac materia ſcribens adijcit: *Neq; ob id tantùm in coronam attondemur, quia attonſus ita eſt Petrus, ſed quia Petrus in memoriam Dominicæ paſſionis ita attonſus eſt; idcirco & nos, qui per eandem paſſionem ſalvari deſideramus, ipſius paſſionis ſignum cum illo in vertice, ſumma videlicet corporis noſtri parte, geſtamus. Sicut enim omnis Eccleſia, quæ per mortem ſui vivificatoris Eccleſia facta eſt, ſignum Sanctæ Crucis in fronte geſtare conſvevit, ut crebro vexilli hujus munimine, à malignorum ſpirituum defendatur incurſibus, & crebrâ hujus admonitione doceatur ſe quoq; carnem cum vitijs & concupiſcentijs crucifigere debere, ita etiam oportet eos, qui vel Monachi votum, vel gradum Clericatûs habentes*

bentes

bentes, arctioribus necesse habent pro Domino se continentiæ funibus adstringere, formam quoq; coronæ, quam ipse in passione sua spineam portavit in capite, ut spinas ac tribulos peccatorum nostrorum portaret, id est exportaret, atq; auferret à nobis, suo quemq; in capite per tonsuram perferre, ut se irrisiones & opprobria pro illo libenter ac prompto animo sufferre, ipso etiam frontispicio doceant; ut coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se semper exspectare proq; hujus perceptione & adversa mundi & prospera contemnere designarent.

LXIX.

Quam ob causam Pilatus Christum flagellis deformatum, & coronatum spinis populo præsentat, dicens: Ecce homo. *& quot instantijs liberare eum à morte satagebat?*

PRætermissis multis pijs ac ingeniosis hac in materia resolutionibus, quas inter alios apud P. Drexelium lib. de moriente Christo c. 4. § 6. & in Stromatibus P. Drużbicki § 114. & 115. tum apud multos alios pie Lector reperies, brevitatis causâ sensum S. Augustini adduco. *Hoc Pilatus* (ait) *non ob aliud fecisse credendus, nisi ut ejus injurijs Iudæi satiati sufficere sibi existimarent, & usq; ad ejus mortem sævire desisterent.* Ob quam rationem multas alias instantias fecisse Pilatum ex textu SS. Evangelistarum intelligimus. 1.

Primò. Cùm iam apud Caipham in Concilio magno mortis reum condemnarent, & ad solam tantum exe- 2.

 cutionem

cutionem Præsidi Pilato vinctum offerrent ob rationes in quæstione 58. expressas, non statim intentioni eorum acquievit, sed priùs obiecta crimina audire & dijudicare voluit. Ioan. 18. 29. *Quam accusationem affertis adversus hominem hunc?*

3. Secundò. Quasi cedens iuri suo, dat illis potestatem puniendi Christum Ioan. 18. 31. *Accipite eum vos, & secundùm legem vestram iudicate eum.*

4. Tertiò. Cùm inter obiecta crimina Christo, affectationem Regni Iudaici audivisset, non credidit; sed post diligens examen cùm ab eo responsum accepisset. *Regnum meum non est de hoc mundo.* &c. Ioan. 18. 36. & seq: immunem coram Principibus Sacerdotum & populo Iudaico professus est. *Nihil invenio causæ in hoc homine.* Luc. 23. 4.

5. Quartò. Nolens quidem Herodis iurisdictioni præiudicare, sed in re ipsa veriùs ut ab importunitate Iudæorum in necem Christi conspirantium se liberaret, ad Herodem remisit. Luc. 23. 7. *Et ut cognovit quòd de Herodis potestate esset, remisit eum ad Herodem.*

6. Quintò. Item iteratâ vice innocentem Christum Dominum profitetur. Luc. 23. 14. *Obtulistis mihi hunc hominem, quasi avertentem populum, & ecce ego coram vobis interrogans, nullam causam invenio in homine isto, ex his, in quibus eum accusâstis. v. 15. Sed neq; Herodes: nam remisi vos ad illum, & ecce nihil dignum morte actum est ei.*

7. Sextò. Innocentissimum ac Sanctissimum IESVM cum nefario Barabba nebulone, seditioso ac homicida comparat, supponens Iudæos potius IESVM, quàm Barabbam liberaturos. *Quem vultis vobis de duobus dimitti?* Matth. 27. 21.

Septimò. *Adiudicavit fieri petitioni eorum. Dimisit autem illis eum, qui propter homicidium & seditionem missus fuerat in carcerem, quem petebant: IESVM verò tradidit voluntati eorum.* Luc. c. 23. v. 24. & 25. 8.

Octavò. Vt posset rabiem insanientis populi Iudaici sangvine Christi extingvere, acerbissimè flagellat, & spineâ coronâ coronare, veste purpureâ, coccineâ circumdare, multisq; injurijs affici petulanti militi permittit. Ioan. 19. 1. *Tunc ergo apprehendit Pilatus IESVM, & flagellavit.* Matth. 27. 27. *Tunc milites Præsidis suscipientes IESVM in prætorium, congregaverunt ad eum universam cohortem: Et exuentes eum, chlamydem coccineam circumdederunt ei.* v. 29. *Et plectentes coronam de spinis, posuerunt super caput ejus, & arundinem in dextera ejus. Et genuflexo ante eum illudebant ei, dicentes: Ave Rex Iudæorum.* v. 30. *Et expuentes in eum, acceperunt arundinem, & percutiebant caput ejus.* 9.

Nonò. Post tot iteratas instantias hoc schemmate deformem præsentat eum, ut saltem ad commiserationem aliquam rabidos flectere possit: Et quem de affectato regno reum accusarent, iam vix speciem hominis in se retinentem agnoscerent. Ioan. 19. 4. *Exivit ergo iterum Pilatus foras, & dicit eis: Ecce adduco vobis eum foras, ut cognoscatis, quia nullam invenio in eo causam.* v. 5. *Et dicit eis: Ecce homo.* 10.

Luculentissimè pro more suo S. Leo serm. 8. de pass. expressit. *Quòd Pilatus implacabilis populi victus insaniâ, multis IESVM dehonestari ludibrijs & immodicis vexari permisit injurijs, quodq; eum flagellis cæsum, spinis coronatum, & amictu irrisoriæ vestis indutum persequentium ostentavit aspectui, mitigandos procuLdubio inimicorum animos existimavit, ut exsaturatis invidiæ oculis,* 11.

non ultra iam crederent esse persequendum, quem tot injurijs cernebant afflictum, ideo namq́; lamentabilem hominis Dei adeo immaniter excarnificati aspectum, velut in speculo repræsentans dixit eis: Ecce homo? quasi diceret vos ô Iudæi affectati regni reum hunc mihi detulistis: (Hunc invenimus subvertentem gentem nostram, & prohibentem tributa dare Cæsari, & dicentem se Christum Regem esse. Luc. 23. 2.)cernite nunc personam, & discernite causam, ut egregiè S. Aug: tract. 116. in Ioan. alloquitur: *Crimen obijcitis, sed Regnum ejus ludicrum est, ut cernitis. Si ut Regi invidetis; iam parcite, quia infra vilissima mancipia deiectus est, miserandam dilacerati potius cadaveris, quàm vivi hominis speciem videtis. Si læsæ Majestatis Divinæ crimen intenditis, ignoscite, quia temeritatem in tolerandis cruciatibus, iam expiâsse animadvertitis; ferveat ejus ignominia, ut invidia vestra frigescat. Esto Regem se dixerit, nunquid castigatus est, ut verus homo cùm sit, vix tamen hominem esse iudicetis.*

12. *Ecce homo. Ecce Rex vester, non clarus imperio, sed plenus opprobrio, factus spectaculum mundo, Angelis, & hominibus. Spectaculum certè hoc lamentabile, spectaculorum omnium maximum fuit, Deum videre tam enormi modo sauciatum. & qui speciosus formâ præ filijs hominum,* (Psal: 44.)*iam vermis, & non homo. Opprobrium hominum, & abiectio plebis.* Psalm: 21.

Congruè hîc illa Virgilij carmina possint adaptari.

Hei mihi qualis erat, quantùm mutatus ab illo!
Squallentem barbam, & concretos sangvine crines
Vulneraq́; illa gerens, quæ circum plurima tulit.

13. Spectaculum hoc Angelis mæstissimum, Iudæis desideratissimum, hostibus Christi universis iucundissimum fuit. Nobis autem quale? profectò pretiosissimum, iuxta

sensum S. Bernardi serm. 1. Epiph. *Quantò pro me vilior est, tantò mihi charior.*

Ecce homo: non homo (ait idem Sanctus) *supra hominem, infra hominem, intra hominem, extra hominem, pro homine, contra hominem.* Explanat hæc Lyræus de Imitatione IESV patientis. lib. 3. c. 8. 14.

Homo. Propter naturam assumptam. *Et homo factus est.* Symb. 15.

Non homo. Ob deformatum hominis vultum. *Ego* 16.
sum vermis & non homo. Psal: 21.

Supra hominem. Propter Divinitatem. *Primus ho-* 17.
mo de terra terrenus; secundus de cælo cælestis. Cor: 15. 47.

Infra hominem. Per humilitatem. *Exinanivit se-* 18.
metipsum factus obediens usq; ad mortem. Philip: 2. 8.

Infra hominem. Per amorem. *Deliciæ meæ esse cum* 19.
filijs hominum.

Extra hominem. Per innocentiam. *Omnes declina-* 20.
verunt, simul inutiles facti sunt: non est qui faciat bonum, non est usq; ad unum. Hunc scilicet hominem, qui Christus est. Proverb. 2. 8. 31. Psal. 13. 3.

Pro homine, quia ab universis eum malis redemptu- 21.
rus advenit. *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem, descendit de cælis.* Symb.

Contra hominem, expugnando vitia, ac veteris ho- 22.
minis habitus pravos. *Vetus homo noster simul crucifixus est.* Rom. 66.

Ad instantias præfatas pro Christo liberando à Pila- 23.
to adhibitas nova & inexpectata uxoris Præsidis intervenit. Matth. 27. 19. *Sedente autem illo pro tribunali, misit ad eum uxor ejus, dicens: Nihil tibi, & iusto illi, multa enim passa sum hodie per visum propter eum.* Ex qua occasione oritur sequens quæstio, in qua aliæ quæstiunculæ includuntur.

LXX.

LXX.

Quænam esset uxor Pilati, & quod nomen illi erat? an credidit in Christum & maritus etiam eius? Vtrùm à bonis vel malis Angelis passa fuerit somnium? Quare illa, & non maritus eius Pilatus passus fuerit hoc somnium? Cur non alio modo, sed terroribus fuerit exagitata?

I. CLaudiam Proculam uxorem Pilati Scriptores esse asserunt. Et profectò magnæ devotionis & Fidei (ut Venerabilis Bedæ lib. 4. c. 49. in Luc. c. 11. de alia muliere verbis utar.) *Magnæ*(inquam)*devotionis & Fidei hæc mulier ostenditur, quæ Scribis & Pharisæis Dominum non iam tentantibus, simul & blasphemantibus, sed & pessimè tractantibus, necem ac mortem ejus ignominiosissimam urgentibus, ipsa palàm coram omnibus Iudaicæ gentis proceribus IESVM innocentem ac iustum profitetur, ejusq́ꝫ eliberationem apud maritum suum promovet.* Matth. 27. 19. *Sedente autem illo pro tribunali, misit ad eum uxor ejus, dicens: Nihil tibi, & iusto illi.* Vnde Chrysost. Theophilact. & alij Doctores asserunt eam Christum credidisse Messiam ac Salvatorem mundi. S. verò Hieron. & D. August. serm. 121. præsagium ac speciem gentilis populi iam fidelis ac credentis in Christum in ea fuisse repræsentat, dum ait: *In nativitate*

mundi

mundi uxor ducit virum ad mortem, id est Eva Adamum, in passione Christi uxor provocat ad salutem, hoc est, Claudia Pilatum. Item S. Hilarius can. 33. *Species in ea gentium plebis est, quæ iam fidelis eum, cum quo conversabatur, incredulum populum ad Christi Fidem advocat, quia ipsa multum sit passa pro Christo, in eandem gloriam futuræ spei illum invitat.* Ex eo fundamento S. August. & ante eum Tertull. putabant non tantùm uxorem, sed etiam operâ illius ipsum maritum ad Fidem Christi fuisse conversum; dum unus eorum ait. *Magi ab oriente, Pilatus ab occidente venerat. Vnde illi, orienti, hoc est nascenti, ille autem occidenti, hoc est morienti, attestabantur Regi Iudæorum* &c. S. Aug. serm 3. de Epiph: Tertull. verò Apolog. c. 21. *Ea*(inquit)*omnia super Christo Pilatus & ipse iam pro sua conscientia Christianus Cæsari tunc Tiberio nuntiavit.* Sed huic adversari videtur D. Ambros. l. 10. in Luc. c. 23. *Monebat*(ait) *uxor, lucebat in nocte gratia, Divinitas eminebat: nec sic à sacrilega sententia temperavit.*

Constat etiam ex Iosepho lib. 18. antiq. c. 5. Pilatum à Vitellio Syriæ Præside missum ad Cæsarem, ut 2.
coram eo ad crimina sibi à Iudæis obiecta responderet. Vbi omni privatus honore, Viennam in Gallias relegatus, suâ se transverberans manu, multorum malorum compendium mortis celeritate quæsivit. Quod verò Tertull: & S. August: Pilatum quandoq; Christianum appellant, intellige fautorem & defensorem aliqua ex parte Christi fuisse, perspectam habendo illius innocentiam; *sciebat enim, quòd per invidiam tradidissent eum.* Sed non permansit sincerè in eliberatione Christi, *adiudicavit petitioni* Iudæorum. Quem innocentem toties afferebat: (*Nihil invenio causæ in hoc homine.* Luc. 23. 4.)

sacri-

sacrilego condemnavit decreto.

3. Si quæras somnium illud, quod Claudia Pilati uxor habuit, an à bono Angelo vel malo fuerit immissum? in hoc duplex est Doctorum assertio, quam apud multos Authores, tum apud Sylveiram reperies. Alij existimant somnium hoc immissum fuisse à diabolo iam agnoscente IESVM verum esse Messiam ac Salvatorem, ejusq; mortem impedire volente, nè homines salutem consequerentur. Ita S. Bernard. Lyran. Raban. Beda, Albert. M. Carthus. Caietan. &. alij, citatuq; communiter D. Ignat. epist. ad Policarp. *Cùm paranda esset Crux, diabolus tumultuabatur, & pænitentiam immittit proditori, & mulierculam turbans in somnijs, ut à crucifixione cessarent inducere moliebatur, suam ipsius perniciem sentiebat. &c.*

4. Sed si diabolus intenderet Christi passionem impedire, satius corda Iudæorum & carnificum ad commiserationem flecteret. Verùm communior & verior sententia illa videtur eorum, qui somnium uxori Pilati à Deo per Angelum bonum immissum fuisse existimant. Ita Origen. D. Hieron. Hilar. Chrysost. Eutich. Theophilact. Iansen. Barrad. Franciscus Lucas. Cornel. à Lap. & S. Ambros. lib. 10. in Luc. tum S. Aug. serm. 121. de temp. uti videre est apud Sylveiram. *Decebat enim, ut Christi innocentia haberet testimonium ab utroq; sexu in sua passione &c.* Altâ enim Dei providentiâ factum est, ut somnium illud non Pilato inditum esset, ne id silentio absconderet, sed uxori, ut ipsi in tribunali sedenti coram Iudæis mitteret Nuntium cum testimonio de innocentia IESV, ut sic Divina bonitas multis modis intenderet Iudæos à tanto crimine ac sacrilegio revocare &c.

Quare verò cum uxore Pontij non benignitate, ſed cum terroribus & tormentis agitur? ut adnotavit Euthim: Nec videt ſolùm, ſed & patitur, hoc eſt tormento afficitur. Reſpondetur. Erat illa in palatio, & hæc Palatinorum conditio eſt, ut ab illis patrocinium non extorqueatur, niſi terroribus ac tormentis. Vnde ait P. Bàéca tom. 2. de Chriſto figurato lib. 5. c. 8. Qui ergo miſer ab aulicis aliquid ſperat, oret Deum, ut illis aliquem inferat terrorem, tunc enim ſolùm ſapiunt miſeris patrocinari. 5.

Poteſt etiam hîc apponi ratio in quæſtione 3. ab eodem Sylveira primo loco poſita, ubi citat D. Chryſoſtomum hom. 87. in Matth. Multa patitur uxor, ut maritus uxori condolendo, tardior ad eadem redderetur. Hoc unum tantùm proponit uxor: *Multa paſſa ſum*, ut virum inclinet, extrahat in ſuam ſententiam, quaſi non poſſet vir non misereri uxoris patientis dura, & acerba; precibusq́; illius acquieſcere, validiſſima eſt enim uxoris ærumna, ut perſvadeat quodvis difficile viro. Vide plura apud eundem Sylveiram. 6.

LXXI.

Pilatus lavans manus, an excuſatur à cæde Chriſti?

PIlatus antequam in Chriſtum proferret ſententiam, manus ſuas lavit; dicens: Matth. 27. *Innocens ego ſum à ſangvine iuſti hujus.* in cujus ceremonia tametſi multa ſit inter authores controverſia Iudaicanè eſſet vel gentilis, & an imitatus fuerit in ea Pilatus Romanos vel Iudæos? dubium tamen facilè ceſſat, dum apud utrosq́; hanc viguiſſe ceremoniam reperimus. 1.

2. Lotionem manuum apud Iudæos fuisse in argumentum innocentiæ colligo ex verbis Deutoronomij 21. 6. *Et venient maiores natu civitatis illius ad interfectum, lavabuntq; manus suas super vitulam, quæ in valle percussa est, 7. Et dicent: Manus nostræ non effuderunt sangvinem hunc, nec oculi viderunt. &c.*

3. Eundem viguisse morem & apud gentiles ex Plutarcho intelligimus Embl. 113. qui refert Romanos post quamcunq; etiam iustam sententiam mortis, iudices inquinatos censere, & purgationum piaculis indiguisse. Triclinius Sophoclis interpres inquit: *Veteribus mos erat in hominum cæde, alijsq; mactationibus aquâ abluere manus expiationis causâ.*

4. Pilatus ergo tam Iudaico quàm gentili more manus suas lavit. Vnde Euthim: *Manus* (inquit) *aquâ purgavit, ostendens, quòd purus esset, & non particeps cædis.* Et Origen: in Matth: ait: *Pilatus videns, quòd nihil proficeret, Iudaico usus est more, volens illos de Christi innocentia non solùm verbo, sed etiam ipso facto placare. &c.*

5. Quidquid sit de more, quem in lotione Pilatus imitari satagebat,(ait Cartagena)id certum est lavisse manus in signum publicum innocentiæ IESV, & exonerationis propriæ conscientiæ, & reiectionis culpæ in Iudæos. Existimo autem hujus protestationis figuram fuisse illam, quam ediderunt nautæ, cùm Ionam, figuram Christi proiecturi essent in mare, tempestatis sedandæ gratiâ. Hanc historiam ita eleganter interpretatur D. Hieronymus, ut nihil ab explicatione ejus demendum, vel subiungendum videatur, verba ejus sunt hæc. *Clamaverunt enim,* (inquit Scriptura) *ad Dominum, & dixerunt, ne des super nos sangvinem innocentem, sive ut Septuaginta Interpretes habent, sangvinem iustum, quia tu Domi-*

Domine ſicut voluiſti, feciſti. & tulerunt Ionam, & miſerũt in mare. Conteſtantur *Dominum, ut quodcunq; facturi ſunt, non ſibi reputetur, & quodammodò dicunt; nolumus interficere Prophetam tuum, ſed iram tuam; & ipſe confeſſus eſt, & tempeſtas loquitur, quia tu Domine ſicut voluiſti, feciſti. Nonne vobis videtur nautarum vox Pilati eſſe confeſſio, qui lavat manus ſuas, & dicit, mundus ſum ego à ſangvine viri hujus. Noſtrum perire Chriſtum gentes innocentem ſangvinem, proteſtantur, & Iudæi dicunt, ſangvis ejus ſuper nos, & ſuper filios noſtros: & ideo ſi levaverint manus, non exaudientur, quia plenæ ſunt ſangvine.*

Conatus itaq; Pilati & variæ pro liberatione Chriſti ejus inſtantiæ ſuperius recenſitæ, tum deniq; & uxoris illius Claudiæ ſana de innocentia Chriſti cælitus cognita perſvaſio: *Nihil tibi, & iuſto illi*, minimè quidquam efficere potuêre; quinimo furibundi populi importunæ voces, & obiectus gratiæ ac favoris Cæſaris reſpectus. *Si hunc dimittis, non es amicus Cæſaris: omnis enim qui ſe Regem facit, contradicit Cæſari.* Ioan: 19. 12. plus prævaluit. Nam velut lampas (ut ait P. Družbicki in Strom: § 123.) quando iam iam extingvenda eſt, plurimùm lucere conatur, inq; conatu extingvitur: Sic æquitas ratioq; Pilati dum maximè conata eſt ſtare pro Chriſto & innocenti ſuffragari, concidit, & extincta in miniſterium furioſæ cæcitatis, cæciq; furoris Iudaici tranſijt, IESVMq; quem toties ipſe innocentem profeſſus eſt, nocenti condemnavit decreto. Ne tamen impietati Iudæorum ob necem Chriſti involvi videretur. *Acceptâ aquâ lavit manus coram populo, dicens: innocens ego ſum à ſangvine iuſti hujus: vos videritis.* Matth: 27. 24. 6.

Manuum ablutio innocentiam adumbrat, (ait Barrad:) Vnde illud Pſal: 72. *Iuſtificavi cor meum, & lavi* 7.

inter innocentes manus meas. Hoc est, lavi cor, & purum reddidi: neq; solùm cor, sed etiam lavi manus & opera cum innocentibus. Pilatus manus lavit, innocentiam suam tum ipsâ ablutione, tum etiam verbis demonstrans: *Innocens ego sum à sangvine* &c. Non tamen satis fuit ostendere innocentem se: sed oportuit se facere innocentem, solvendo Christum. Vnde S. Leo serm: 8. de pass: *Non purgant* (inquit) *contaminatum animum manus lotæ, nec aspersis aquâ digitis expiatur, quòd famulante impiâ mente committitur.*

8. IESVM publicè innocentem pronuntiabat, & simul tamen reum mortis, Cruceq; dignum declarabat. Publicè innocentem inventum, publicè damnat ad Crucem, & lavat manus, & cruentat pectus. Abluit aquâ digitos, maculat sangvine conscientiam: propinat populo innocentis vitam, quam eripit.

9. Si illud adhibuisset lavacrum Pilatus, Isaiæ 16. & 17. expressum: *Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum, quiescite agere perversè. Discite bene facere: quærite iudicium, subvenite oppresso, iudicate pupillo, defendite viduam.* felicius profectò manus lavisset, & à nece innocentis Salvatoris abstinuisset.

10. Christus Dominus in extrema Cæna Discipulorum suorum pedes lavans, Petro non tantùm pedes, sed & manus, & caput ad lavandum obijcienti dixit. Ioan: 13. *Qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus.* Pilatus verò condemnaturus Christum, manus tantum suas coram toto populo ad ostentationem affectatæ suæ innocentiæ lavat; & quia non fuit mundus, ad homicidium vel satius deicidium hypocrisim superaddidit. Lavat manus coram populo non coram Deo, qui non manuum sed mentium amat mundi-

tiem

tiem. Ergo manus quidem lavit, sententiam tamen non revocavit. Non profuit itaq; sed obfuit hæc ipsius lotio; siquidem Dominus per Ieremiam ait c. 2. v. 22. *Si laveris te nitro, & multiplicaveris tibi herbam borith, maculatus es in iniquitate tua.*

Nequaquam igitur Pilatus à christicidio excusari 11.
potest. Ad rem ponit P. Samuel Laberhittel consideratione 110. hoc proponens Pilato dilemma totâ æternitate indissolubile: Si falsum crimen obiectum fuit, (*sciebat enim, quòd per invidiam tradidissent eum.*) Cur Christum non absolvit? Si verum: cum nonies innocentem pronuntians, damnavit? Si voluit satisfacere populo, cur non potius conscientiæ? Si timuit perdere amicitiam Cæsaris, cur non potius incurrere in offensam Dei, agens contra conscientiam suam?

Concludam verbis S. Leonis P. *Innocens esse non po-* 12.
test, qui ijsdem labijs mittit IESVM in Crucem, quibus eum pronuntiavit innocentem.

LXXII.

Qualis fuit tenor decreti à Pilato contra Christum lati?

FOrmam iniquissimi decreti à Pilato contra Christum 1.
lati, Drexel: de Christo moriente c. 5. § 2. hanc esse existimat. *IESVM Nazarenum, Regem Iudæorum crucifigi iubeo.* Describit idem Author ex Christiani Andrichomij antiquis annalibus in descript: Ierusal: n. 115. hanc etiam formam. *IESVM Nazarenum, subversorem gentis, contemptorem Cæsaris, & falsum Messiam, ut maiorum suæ gentis testimonio probatum est, ducite in communis supplicij locum, & cum ludibrio Regiæ Majestatis in*

medio

medio duorum latronum Cruci affigite. I, lictor, expedi Cruces.

2. Præter has prædictas formulas, alias à Daniele Mallonio P. Družbicki repræsentat, nimirum IESVM Nazarenum, qui contra decretum Imperatoris, Filium Dei & Regem se nominavit Iudæorum, iussimus extra civitatem duci & Cruci affigi.

3. IESVM seducentem populum, blasphemantem Deum, dicentem se Christum Regem Iudæorum esse, Cruci affigendum condemno & adiudico.

4. IESV Nazarene, gens tua te accusavit, quòd volueris superusurpare Regnum Iudæorum in injuriam Imperatoris Romani: propter quod præcipio te flagellari primùm, secundùm principum nostrorum statuta, deinde in Cruce levari, & ibi mori.

5. IESV Christe, gens tua & pontifices tui tradiderunt te mihi, dicentes quòd volueris usurpare Regnum Iudæorum, cùm non habeant Regem, nisi Cæsarem. Et quia contra decretum Imperatorum Romanorum egisti; ideo iudico te ad subeundam mortem in patibulo Crucis hodie in monte Calvariæ. Similiter adiudico morti tecum duos latrones, Dismam & Gismam. Dismam ad dexteram, Gismam ad sinistram, te autem in medio.

6. Nos Pontius Pilatus Sacri Romani Imperij Præses, adiudicamus Christum reum mortis, eò, quòd voluerit Regnum Iudæorum usurpare, ut multipliciter comprobatum est, testimonio pontificum maiorum civitatis Hierusalem. Et quia contra decretum Principum fecisti, volens te facere Regem, propterea iudico te & sentio, primò elevari in Cruce extra civitatem Hierusalem, in loco qui dicitur Golgotha, id est Calvariæ, donec completè moriaris, per quam mortem Respublica Iudæorum

orum salva fiet. Similiter tecum pariter duos latrones crucifigi, coniunctos in sceleribus suis, qui sunt Dismas & Gismas, à dextris, & à sinistris, tu verò tanquam Rex in medio ipsorum in Cruce residens. Lata est sententia Hierosolymis in loco, qui dicitur Lithostrotos, Parasceve Paschæ, horâ quasi sextâ.

De his Mallonij recensitis formulis cum P. Drużbicki meum non interpono iudicium, pio & prudenti committendo Lectori. Nihilominùs tamen minimè adhærendo Lactantij lib. 4. de Sapientia, c. 18. sensui dicentis Pilatum contra Christum noluisse ferre sententiam, sed tantùm tradidisse eum Iudæorum voluntati, ut ipsi secundùm legem suam iudicarent eum & punirent; satius verisimilem ac communem tenens sententiam, assero Præsidem Romanum consveto Iudicum more, & si iniustam contra Christum tulisse sententiam, ratione vel maximè à citato P. Drexelio recensita suffultus, quòd titulus Crucis præferri solitus, cùm rei ducerentur, è sententia damnationis describebatur. Et cùm non alius ille titulus, vel ut Evangelista agit, *causa* mortis Christi descripta esset, nisi quòd Regem se Iudæorum nominaverit; ex eo colligi potest, quòd sententia damnationis illa, quam primo loco iuxta sensum ejusdem Drexelij posuimus, fuerit; nempe *IESVM Nazarenum, Regem Iudæorum, crucifigi iubeo.* 7.

Similes decreti Pilati contra Christum lati formulas apud Carthagenam reperies, de acerbæ pass. Christi arcano, lib. 10. Homilia 18.



LXXIII.

Quæ figuræ in veteri testamento Christum baiulantem Crucē exprimebant?

1. INvidus Cainus innocentem Abelem fratrem suum foras educit, ut ipsi violentam necem inferat Gen: 4.
2. Verus Nöé ab universali diluvio mundum servaturus, arcam portat. Genes: 7.
3. Thaumaturgus Moyses ut Pharaonem & Ægyptios, id est tartareos hostes, disperdat, homines per rubrum mare salvos servet, ac in promissam terram deducat, virgam gestat; quæ & serpentes, id est, omnia vitia omnibus venenatis aspidibus peiora devoravit, & in altum elevata, cælestem mannam abundanter pluere fecit; & alia plura miracula patravit. Exodi 7.
4. Non iam æneus serpens, sed ille, qui de se dicit. *Ego sum vermis & non homo.* &c. exaltandus, ut omnes ab ignitis serpentibus percussi, qui aspexerint, vivant, (Num: 21.) lignum vel trabem, in qua positurus est, ipse gerit.
5. Obediens Isaac Patri, lignis onustus in montem ascendit ibi à Patre immolandus. Non tamen immolatus. Nam pro illo providit *Deus sibi victimam holocausti*, id est *arietem inter vepres hærentem cornibus, quem assumens* Abraham *obtulit holocaustum pro filio.* Genes: 22. Iste verò Agnus vepribus coronatus in holocaustum pro peccatis totius mundi, non iam figuratè, sed ipsâ veritate in Cruce immolandus eam portat.
6. Esau ut benedictionem à Patre obtineat, ad venandum arcum tollit in manu, Patri suo obediens. Gen: 27. Iacob in baculo suo transit Iordanem. Gen: 32. v. 10.

Corda-

Cordatissimus Iosue contra Hai civitatem rebellem 7.
scutum in altum elevat. Iosue 8.

Non iam in somno & visione Iacob, sed in vigilia & 8.
re ipsâ scalam à terra cælum contingentem, per quam
homines illuc ascenderent, baiulat. Gen: 28.

Beniamin in Ægyptum deducitur ad eliberandos 9.
fratres ex eo. Gen: 43.

Filius Iesse fundam arripit ut Goliath id est diabo- 10.
lum interficiat. 1. Reg: 17.

Innocens Naboth extra urbem mittitur, ut occidatur, 11.
& vineâ suâ, imò totâ hæreditate spolietur. 2. Reg: 25.

David à proprio filio multis plangentibus ex Regia 12.
urbe pellitur. 2. Reg: 17.

Mitissimus David non fugiens sed pulsus ex Ierusa- 13.
lem, non ab uno *Semei*, sed à Principibus Sacerdotum,
& tota perfida Iudæorum plebe maledicitur, & crebris
blasphemijs plùs quàm lapidibus petitur, acclamanti-
bus: *Egredere, egredere vir sangvinum, & vir Belial.
Reddidit tibi Dominus* &c. *quoniam invasisti Regnum*
&c. *& ecce premunt te mala tua, quoniam vir sangvinum
es.* 2. Reg: 16.

Ecce Eliacim, de quo per Isaiam Dominus ait. c. 22. 14.
v. 22. *Et dabo clavem domûs David super humerum e-
jus: & aperiet, & non erit qui claudat: & claudet, & non
erit qui aperiat.* Clavem hanc, quæ Crux est, fert hume-
ris suis, ut paradysum ante clausum nobis aperiat.

Ecce Abimelech hostes expugnaturus non in mon- 15.
tem Selmon, sed Calvariam, non præcisum ramum, sed
gravissimam humeris impositam fert trabem, suos adhor-
tans asseclas: *Quod me videtis facere, citò facite.* Iudic:
9. 48. inclamans sæpe militibus suis: *Exemplum enim dedi
vobis, ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.* 13. 15.

16. S. Leo ſerm: 8. de paſſ. *Ad irriſionem* (inquit) *Regiæ dignitatis, iuſſus eſt ſupplicij ſui eſſe geſtator.* Et quamvis tàm apud Græcos, teſte Platone l. 23. de legibus, quàm etiam apud Romanos & Iudæos moris erat, ut ad Crucis mortem damnati, nudi ducerentur, quia ſæpe in via verberabantur; tamen qui priùs flagellis cæſi fuerant, induti pergebant ad ſupplicij locum. Vti cum Chriſto Domino accidit, ut ait S. Marcus. 15. 20. *Et poſtquam illuſerunt ei, exuerunt illum purpurâ, & induerunt eum veſtimentis ſuis: & educunt illum ut crucifigerent eum.*

LXXIV.

Ex qua arbore Crux Chriſti fuit?

I. DE hac re inter alios Carthagenam hom: 19. lib: 10. varias variorum ſententias afferentem reperio. Et inprimis adducit Nicolaum de Lyra ex hiſt: Scholaſt: & antiquiſſimis Hebræis traditionem quandam, cui iure merito non aſſentitur, exprimit tamen eam his verbis: *Dicitur in hiſtoria quòd Regina Saba vidit in domo ſaltûs Libani Salomonis quoddam lignum, de quo vidit in ſpiritu, quòd in illo pateretur ille, propter quem deficeret Regnum Iſraël. Quòd cùm ſignificâſſet Salomoni, ipſe volens ſervare durabilitatem Regni, fecit poni illud lignum in profundo terræ iuxta templum, ubi poſtea in ſuperficie terræ facta eſt illa piſcina, & ideo poſtea ibi illud lignum apparuit modo prædicto. In quadam verò hiſtoria S. Crucis dicitur, quòd Seth filius Adæ ex præcepto Patris ivit ad paradyſum voluptatis, unde eiectus fuerat, & petijt ab Angelo cuſtodiente locum illum de oleo miſericordiæ, qui acceptis tribus granis arboris ligni vetiti, dedit ea Seth: & ipſe plantavit ſuper ſepulchrum Patris ſui Adæ, & inde ortæ ſunt tres virgulæ, quæ poſtea in unam arborem*

ſunt

sunt coniunctæ. Postea tempore Salomonis illa arbor fuit secta, quia videbatur ædificationi templi necessaria, verùmtamen quando applicabatur ad opus semper erat nimis curta, vel nimis longa, & ideo tanquam inutilis ad hoc, dimissa fuit iuxta templum in atrio quodam. Homines autem venientes ad templum, illi ligno cæperunt facere quandam reverentiam instinctu Divino, de quo dolentes Sacerdotes, fecerunt illud proijci intra piscinam, quæ erat prope templum, quod descendens ad fundum, ibi diu latuit: postea verò imminente passione apparuit modo prædicto.

Prætereo Godefridum Viterbiensem dicentem in 2.
Chron: p. 14. à filio quodam Nòé, cui nomen Hionto surculos palmæ, abietis & cupressi decerptos, varijsq; in locis plantatos, ex quibus arbor una trium illarum naturam referens excrevit, ex qua postea Crux Domini fuerit compacta. Tum etiam prætermitto Iacobi Gretseri in codice Bibliothecæ Augustinianæ de Cruce tom: 1. lib: 1. c. 6. assertionem de Abrahamo tres surculos pini, cupressi & cedri pangente, qui simili modo in unam arborem coaluerunt. Hæc enim & similia alia diversè ab aliquibus tradita, magis fabularum figmenta redolent, quàm solidum aliquod præbeant veritatis argumentum. Profectò ea maiorem probabilitatis speciem præseferre videntur, quæ ab alijs afferuntur. Nempe Crux Christi victoriæ illius trophæum, ex ijsdem lignis confecta, quæ Ierosolymam ingredienti â tripudiante populo, tanquam triumphatori fuerunt exhibita. Hæc autem ligna palmæ & olivæ fuisse communis comprobat opinio.

Quod comprobare videtur Tertull: Ambros: & Au- 3.
gust: ex duplici arborum genere Crucem Domini conditam fuisse; geminam enim virgæ Moysis percussionem Crucem Christi significare August: existimat, dum ait:

gemina percussio duo ligna Crucis significat palmam, scilicet & olivam.

4. Nec desunt aliqui Patres, quorum alij tria, alij verò quatuor genera arboris in Cruce fuisse existimant. Ita Anastasius Sinaita Patriarcha Antiochenus cum pluribus alijs ex cupresso, pino, & cedro confectam Crucem Christi putat. D. Chrysost: super Isaiæ c. 60. dum verba Prophetæ explanat. *Gloria Libani ad te veniet, abies & buxus, & pinus simul, ad ornandum locum sanctificationis meæ; & locum pedum meorum glorificabo.* Crucem Sanctam ex tribus hisce lignis constructam arbitratur. Sanctus Bernardus ex quatuor lignis diversis fuisse existimat, cui & Glossa Clementina prima de Trinitate adstipulatur, quòd illo exprimitur versu.

Ligna Crucis sunt palma, cedrus, cupressus, oliva.

5. Ita, ut stirps erectus esset ex palma, lignum trasversum ex cedro, truncus suppositus ex cupresso, titulus impositus ex oliva.

6. Verum istas magnæ authoritatis opiniones cum Roberto Cardinali Bellarmino lib: 2. de imaginibus c. 27. & Iusto Lypsio de Cruce lib: 3. c. 13. allegoricas potius atq; emblematicas, quàm verè & genuinas esse sentio. Cujus expositionem luculentam, tum apud prædictum Carthagenam lib: 10. hom: 11. & Lyræum de Imitatione IESV patientis lib: 4. c. 5. tum apud alios authores invenies Lector.

Aliqui etiam putabant materiam Dominicæ Crucis fuisse fraxinum, cujus sententiæ veritas quamvis nullâ fulcitur ratione, præclaram tamen mysticam præbet intelligentiam. Inter alias enim qualitates suas ut & Virgil: Eclog: 7. adnotavit *fraxinus in sylvis pulcherrima*, ex qua Achilles hastam ut ait Isidorus habuit, serpentibus

bus etiam ingrata est. Nam faciliùs in ignem se immittunt, quàm inter folia ejus involvant; ut author est Plinius l. 19. c. 14. quin etiam & umbram ejus execrantur. Est etiam hæc arbor varijs infirmitatibus utilis valde. Et priusquàm serpentes prodeant flores emittit, folia verò ejus non decidunt, antequàm serpentes abscondant se terris. Quæ pulchrè allegoricè possunt applicari Cruci Domini.

Nonnulli opinantur Crucem Domini ex taxo fabricatam fuisse, qui etiam illa verba Ieremiæ 11. *Mittamus lignum in panem ejus*, per lignum taxum, per panem corpus Christi intelligunt. Vti Lyra. Glossa, & aliqui Patres. Taxus enim venenosa est arbor, unde & toxicum derivari alij autumant. Vnde dicendo, *mittamus lignum in panem ejus*, ac si dixissent, affligamus corpus ejus, quod ipse dicit panem. (Ioan: 6. 51. *Ego sum panis vivus, qui de cælo descendi.* 52. *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum: & panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.*) venenoso & execrando taxi ligno. 8.

Sed ista omnia uti iam supra innuimus metaphoricè assumenda sunt. In re ipsa verò quæ arbor fuerit assumpta, in qua vita nostra pependit, & si nemo affirmare genuinè potest, existimant nihilominùs multi quercum fuisse, uti S. Cyprian: S. Eucherius in Gen: l. 3. c. 11. Goropius, Becanus Gallicorum l. 5. Alphonsus, Ciaconus, Iacobus Bossius, & alij. Nam facilè persvadetur inimicos Christi, ut advertit Carthagena, minimè in exquirendis lignis, maximè pretiosis, ut cupressus, oliva &c. ad compingendam Christi Crucem tanquam infamem & maledictam diligentes fuisse. Vti S. Gregorius Nissenus oratione de Baptismo ait: *Lignum Crucis omnibus* 9.

mnibus hominibus salutare est: licèt pars sit, ut audio, arboris vilis, contemptioris ꝗ̃ quàm aliæ multæ sint.

10. Accedit & hæc consideratio, quam supra me moratus posuit Carthagena, nempe: Helena Imperatrix Constantini magni Mater in Crucis Christi Inventione, tres simul Cruces reperit: Nec facilè quisquam discernere, quænam illarum Christi esset, potuit, nisi Divinâ virtute innotuisset, ut tradit Ruffinus & Sozomenus, atq; communis Patrum sententia. Dicere autem cruces latronum eâdem arborum diversitate & decore distinctas esse, uti supra annotatum nemo sanè audebit. Vnde tàm Christi, quàm latronum cruces fuisse ex obvia arbore, quæ facilè reperiri potuit factas, censendum.

11. Neq; desunt de quercina arbore Crucem Christi designari figuræ in S. Scriptura l. 2. Reg: c. 18 v. 9. *Adhæsit* (ait S. Scriptura de Absalon) *caput ejus quercui: & illo suspenso inter cælum & terram, mulus, cui insederat, pertransijt.* Quercus hæc Crucis imaginem gessit, (ait Carthagena:) sicut & Absalon in illa pendens, Christum figuravit. In hoc dissimilis, quòd ille pependit Patri honorem erepturus, hic Patri redditurus, personam nostram sustinens, qui instar Absalonis contra Regem Regum, Patrem nostrum rebelles insurrexeramus, ut rectè observavit D Gregor: Nissen. Perspicuum verò tibi est illud per historiam ostensum ænigma quale sit lignum illud, cujus affixa est malitiæ coma, quam Apostolus *chirographum* peccatorum vocat, prout ait, *& ipsum tulit de medio, affigens illud Cruci*, hoc est ligno. Quercus igitur illa, in qua malitia Absalonis pependit, figura fuit nostræ Crucis, in qua pependit ille, qui cùm insons esset, nostri tamen causâ peccatum & *maledictum factus* est, ut ait Apostolus ad Galat: 3.

Ad hæc

Ad hæc accedit, quòd nulla planè sit arbor religiosa 12.
magis quàm quercus. Subter illam, quæ erat in Mambre Gen: 17. pepigit Deus fædus cum Abraham. Dominus peregrini habitu visus: Angeli hospitio excepti, ac tandem ibi circumcisionis præceptum percepit. Iacob Patriarcha Gen: 35. 4. *omnes Deos alienos quos habebant, & inaures quæ erant in auribus eorum: infodit subter terebinthum, quæ est post urbem Sichem.* Licèt Latinus interpres vertat *subter terebinthum*, Originale Hebræum legit *subter quercum*. Idola cum inauribus defodit Iacob, ut idololatriæ cultum aboleret. Iosue etiam inter Deum & populum Hebræum fædus innovavit sub quercu. Iosue 24. 26. *Tulit lapidem pergrandem, posuitq; eum subter quercum, quæ erat in Sanctuario Domini.* Tum & Iudicum 6. 11. *Venit Angelus Domini, & sedit sub quercu.* Crediderim (inquit Carthagena) non aliâ ratione Deum quondam adeo quercum honorâsse, nisi quia ex quercina arbore Crucem Dominicam conficiendam fore præviderat. Cujus rationes probabiles has ponit.

Primò. Quia hæc arbor nulla magis obvia ac fre- 13.
quens in Iudæa.

Secundò. Quia particulæ Crucis, quæ multis in lo- 14.
cis asservantur, & religiosè coluntur cum ligno quercino mirum in modum conveniunt formâ, colore, fortitudine, & soliditate.

Tertiò. Quia quercus annosa & perennis valde est, 15.
unde cùm Crucis fragmenta sine carie & teredine perseverent, probabile est ex quercu Crucem fabricatam fuisse.

Quartò. Addit idem author mysticam rationem. 16.
Nam olim quercus Iovi dicata erat. imò, ut quidam tradunt, antiqui ipsum Iovem quercinum vocabant. Isido-

rus

rus ait quercum dici à quærendo, quia in eis responsa dæmonum quærebantur. Oseas de idolorum cultoribus aiens c. 4. v. 13. *Super capita montium* (inquit) *sacrificabant, & super colles accendebant thymiama; subtus quercum, & populum, & terebinthum &c.* & Isaias c. 44. v. 14. *Succidit cedros, tulit ilicem & quercum, quæ steterat inter ligna saltûs:* v. 15. *fecit sculptile, & curvatus est ante illud. &c.*

17. Ex Annalibus etiam Magni Ducatûs Litvaniæ, uti Stryikovius & Koiałowicz testantur, patet ante Fidem Christianam susceptam, Litvanos Deum *Perkunas* dictum, id est, fulminis ac tempestatum præsidem magnâ veneratione coluisse in loco *Swintoroha* (id est sancta area) dicto, ubi Germundus Dux Litvaniæ Swintorohi Patris sui iussu exequens cadaver ejus cremavit, utq; is campus cæteris Principibus cremandis, humandisq; eorum cineribus sacer perpetuò in posterum esset, constituit; copiosis reditibus sacrificulis attributis, quorum officium erat, ad præscriptos ritus ignem perpetuum quercu & pinu alere. qui si aliquo casu fortè extingveretur, neglectæ aut non ritè procuratæ religiones ipsius sacrificuli exustione expiabantur. Locus ille & nomen & ritus profanos ad Iagellonis principatum retinuit, qui Sacro Baptismo suscepto, Christiano zelo Ethnicorum superstitionibus extirpatis, Ecclesiam Cathedralem Vilnensem erexit, & Episcopatum fundavit, ac locupletavit. Sicq; ubi diaboli fraude & malitiâ abundavit iniustitia, ibi nunc Dei veri cultus viget ac conservatur. Vnde Divinâ fit providentiâ, ut Dei hominumq; communis hostis suismet armis convincatur ac confundatur. Ita sanè & passionis Domini tempore congruum fuit Crucem Christi ex quercu fabricari, ut hâc etiam ratione

ne in maiorem diaboli ignominiam & Christi gloriam Crucis lignum cederet, & in eodem ligni genere, in quo profanum honorem recipiebat, vincebatq; vinceretur.

Verùm ex supradictis facilè quisquam fatebitur incertum esse ligni genus, sed ex aliqua obvia arbore ac vili nobisq; hactenus incognita, salutiferam Domini Crucem fabricatam fuisse, non absq; singulari nobis à Deo dato virtutis assequendæ documento, prout S. Franciscus de Sales requisitus quondam, cur Deus hominibus incognitum esse voluerit ligni genus, de quo Crux salutifera compacta fuit? respondisse fertur: ut promiscuè omnes, quascunq; Deus immittere voluerit, indifferenter acceptemus, ne quisquam Christianus dicere ausus fuerit: Crux hæc vel illa non placet, nec amari à me potest, cùm neq; ex hoc, neq; ex illo ligno fabricata sit. Quod etiam idem Sanctus exprimere voluit lib: 5. vitæ & lib: 4. epist: 64. de eadem scribens materia. *Osculare* (inquit) *sæpius cordis svavio Cruces, quas tuis Deus humeribus imposuit, & noli respicere si sint de ligno pretioso aut odore: tunc namq; magis Cruces dicendæ sunt, cùm fuerint de ligno vili, fætido & abiecto.* 18.

LXXV.

Quare ante Crucis baiulationem Christo chlamys fuit deposita, non verò spinea corona?

MAtth: 27. 31. *Exuerunt eum chlamyde, & induerunt eum vestimentis ejus*, S. Evangelista de coccinea seu purpurea veste, quâ Christus fuit exutus, clarè insinuat de spinea corona nullam faciens mentionem. Vnde Euthim: ad hunc locum existimat cum chlamyde simul co- 1.

 ronam

ronam fuisse ablatam. Tamen contraria sententia est vera, stabiliturq́; antiquissimâ traditione universalis Ecclesiæ. Nam antiquissimæ picturæ Christum Crucem baiulantem, ac in ea crucifixum, spinis coronatum indicant. Patet etenim ex sudario Veronicæ, in quo ejus effigies cum corona spinea cernitur. In hac sententia sunt S. Cypr: serm: de pass: Tertul: lib: contra Iudæos c. 13. Origen: hom: 35. in Matth: ubi ait: *De chlamyde scriptum est, quòd denuo spoliaverunt eum chlamyde coccineâ, de corona spinea nil tale scripserunt Evangelistæ, propterea & nos quærere voluerunt exitum rei de corona spinea semel imposita, & nunquam detracta.*

2. Suar: t. 2. ad 3. p. disp: 36. sect: 4. ait. Ex parte militum potest reddi ratio probabilis, quia illa vestis purpurea fortasse aliena erat, & fieri potuit, ut proprius Dominus eam recuperare voluerit, quæ ratio in spinea corona locum non habet. Secundò, auferre coronam spineam, erat alleviare dolorem Christi, in mutatione verò vestium nulla erat diminutio doloris, imò poterat esse aliqua accretio, tum ex erubescentia ex nudo corpore, tum etiam ex renovatione vulnerum, quibus vestis adglutinata erat. &c. ac proinde corona spinea non est ablata in eo, nè dolores minuerentur, quos ipsi intendebant augere.

3. Multi contemplantur necessarium fuisse coronam auferri, ut vestis inconsutilis indui & exui posset, ac proinde tempore crucifixionis ablatam & repositam fuisse: ut indicat in lib: 1. revel: S. Brigittæ c. 10. quòd etiam multi meditantur factum fuisse cum vulnerum renovatione.

4. Origen: ait: *Ego arbitror, quòd spinea illa corona consumpta est à capite IESV, ut iam non sint spinæ nostræ*

anti-

antiquæ, postquam semel eas à nobis abstulit IESVS per venerabile caput suum. Spinæ illæ nostros errores defectus ac peccata denotabant. Hinc absumuntur à IESV capite, ut fiat evidens, quàm proprium sit illorum, qui Principes ac capita populi sunt, ut errores ac defectus subditorum consumant, ac aboleant, nec permittant, quòd eorum vel vestigia, vel signa appareant.

Spinea illa corona consumpta est à capite IESV, ut 5.
iam non sint spinæ antiquæ, ait præfatus Origen: Spinæ illæ delicta nostra adumbrabant, quæ visæ in IESV capite universæ mitigari ac aboleri, ut iam spinæ quasi non sint, sed tota illarum acerbitas extingvitur: malum enim, quòd pro nobis IESVS in corpore suo patitur, iam in nobis malum non est, sed totum in bonum transmutatur.

Potest etiam & hæc esse causa, quare Christus Do- 6.
minus in sacratissimo capite suo coronam retinuit, nempe, quia corona Deitatem significat. Nam & Ægyptij hieroglyphicè Deum per coronam exprimebant. Et ipse Salvator S. Brigittæ l. 6. c. 4. & 9. in revel: id demonstravit, dicens: *Ego sum Rex coronatus in Deitate mea sine principio & sine fine, nec initium habet corona, nec finem significans potestatem meam, quæ non habuit principium, neq; habet finem. &c.*

Vel etiam iuxta tritum proverbium, *finis coronat o-* 7.
pus. Christus Dominus volens redemptionis nostræ opus ingenti suo amore coronare, in vertice suo coronam retinuit. Nam & S. Dyonis: de Divin: nom: c. 4. personas in Deo exprimens, amore sibi invicem respondentes, docet amorem Divinum ire in orbem, & esse circulum perpetuum. (quòd idem est quòd corona, nam corona circulus est,) quia scilicet à Patre in Filium tendit, inde in Spiritum Sanctum, ab eoq; in Patrem & Filium

 redit

redit. Rursum amor Dei ex Deo in creaturas præsertim in homines & Angelos se exerit, eosq; ad Deum redamandum convertit. Deus enim sicut est causa efficiens amoris, sic ejusdem finis. Itaq; Christus coronam in capite retinendo, nos docet redamandum se, ut felici nos coronet fine, qui Deus est.

LXXVI.

Cur Christus induitur proprijs vestimentis, dum Cruce onustus ad mortem ducitur?

1. REspondet S. Ambros: lib: 10. in Luc: c. 23. *Induerunt eum* (ait) *vestimentis suis, quò meliùs ab omnibus agnosceretur, quia cùm facies esset cruentata, nec ei antiquus inesset affectus & decor, non poterat inter duos latrones cruces etiam ferentes facilè ab omnibus dignosci.* Induunt eum proprijs vestimentis suis (ait Carthus:) ut ex illis agnosceretur à populo & subsannaretur, ad maiorem ejus ignominiam.

2. Secundò. Vt crucifixores illius vestimenta sibi vendicarent: nam post supplicium iure ad illos spectabant vestimenta eorum qui puniebantur.

3. Tertiò. Idem S. Ambros: ait: *Ascensurus Crucem Regalia ponit vestimenta, scias quasi hominem passum esse non ut Deum: ut enim Deus erat, Regiæ Maiestatis splendorem deponere non poterat.* Non ut Deus ac Rex Regum, & Dominus dominantium, (ait Sylveira) Crucem ascendebat, sed quà homo erat; vel certè cùm ad Crucem duceretur, quæ usq; tunc sceleratorum erat, purpurâ exuitur, ut Regiæ Maiestatis decus maneat illæsum. Ne qui Regis ornabatur insigni, sic derectus, & tanto supplicio, tantâq; ignominiâ affectus appareret. Quar-

Quartò. Drog: l. de pass. Quid est (inquit) quòd post illusionem chlamyde exuitur, & suis vestibus reinduitur: quòd sæpe superbus Adam cùm per dolorem carnis confinia mortis ingreditur, depositâ elatione ad putredinis suæ considerationem revertitur, id est, ut intelligamus, quòd cùm Adamus, seu filij Adami ad mortem properant, omnia ornamenta honoris, dignitatis, ac superbiæ exuunt, & ad antiquam humilitatem ac abiectionem suæ putredinis revertuntur. Sylveira. 4.

Quintò. Quòd purpuram deponens proprijs induitur vestibus Christus, innuitur nobis in exitu vitæ nihil nos posse ferre nobiscum, nisi quæ verè sunt propria; hoc est bona nostra opera (adde vel mala) *opera enim illorum sequuntur illos.* Apoc: 14. 13. 5.

Sextò. D. Hieron: ait: Notandum autem, quòd quando flagellatur IESVS, & conspuitur, non habet propria vestimenta, sed ea, quæ propter peccata nostra sumpserat, cùm autem crucifigitur, & illusionis pompam præterierit; tunc pristinas vestes recipit, & proprium assumit ornatum. Explicat mentem S. Hieronymi Sylveira: Cùm IESVS illuditur in prætorio, exuitur proprijs vestimentis, & vestis coccinea, quæ nostrorum peccatorum præferebat insigne, circumponitur ei; cùm autem ad crucifigendum ducitur, pristinas vestes, id est proprias & innocentiæ suæ induit: quia in prætorio Sacerdotis munus non agebat, & inde ex alto Divino consilio permittetur ei chlamys insigne peccatorum; at verò cùm ad Crucem tendit, ut Sacerdos ad offerendum sacrificium depositâ peccatorum veste suæ propriæ innocentiæ assumit, ne vel minimâ peccatorum umbrâ in chlamyde designata Sacerdotij dignitas deturparetur. 6.

Septimò. Vt Christus Dominus deferat Crucem, 7.

exuit

exuit vestimenta, quæ Herodes dedit, quæ Pilatus: & proprijs vestibus induitur, quæ totius puritatis ac sanctitatis præferebant typum;ut ergo quis Crucem Christi deferat, exuat mores mundanos, & virtutes omnes assumat, patientiam, humilitatem, & puritatem, quæ sunt Domini vestimenta.

8. Reliquas rationes apud eundem Sylveiram reperies. Matth: *Induerunt eum vestimentis ejus.* &c. Resumpsit simul cum trophæo Crucis vestimenta sua, ab illis abiturus ad mortem, ut ea simul cum morte exueret. S. Athanas: de pass: & Cruce Domini.

LXXVII.

Quàm magna & gravis fuerit Christi Crux, quàm longum & molestum Christo præ cruciatibus iter?

1. QVæstionem hanc paucis at pro more suo ponderosis S. August: explanat verbis: *Crucem gestabat pondere gravem, itinere longo; grave quidem pondus corpori, sed leve charitati.* Profectò Crux, quam baiulabat Christus gravis fuit, nam iuxta communem Authorum sensum 15. palmos altitudinis, latitudinis,(id est lignum transversum) 8. palmos habuisse censetur, crassitudinis verò tantæ, ut magno viro sustentando apta fuerit. Accedit etiam arboris firmæ ac robustæ uti quercus (sicut superius insinuavimus)naturale pondus. Ob quam causam Thaulerus de pass: & Blosius asserunt Christum Dominum in sinistro humero ex hac Crucis asportatæ gravedine magnum, profundum, ac doloriferum vulnus contraxisse, ut inter omnia ejus vulnera gravissimum ac molestissimum extiterit, magnamq; sangvinis copiam effuderit.

Gravis

Gravis, nam ut disertè Lyræus describit vix supererat cadaveri anima ægrè retenta, cùm statim semivivo, qui iam ipse pondus erat (iniecto ad collum fune, quo non iam duceretur, ast traheretur) imposuêre immanem patibuli machinam, ut suam ipse mortem priùs ferret, quàm inferretur: & à qua Cruce mox erat tollendus, eâdem priùs opprimeretur. Pergit idem. Cogitur itaq; labantibus ac pene intermortuis artubus ferre lignū non minùs ignominiâ exitiale, quàm pondere; ut quantùm ponderis magnitudine premeretur in corpore, tantùm dedecoris acerbitate in animo cruciaretur; & cujus humeris totus mundus incumbit, suis ipse viribus destitutus succumberet Cruci. Incedebat submisso vultu, incessu humili, fatigatus & anxius, quippe qui totâ nocte consputus, illusus, flagellatus fuerat & oppressus. Vadit nunc tandem ad ferale iugum, proditq; extra urbem suis obsessam criminibus Patris Sapientia, & quidem omnia bona secum portat, hoc est Crucem. Locò Præsidis, sequebatur Centurio cum militibus suis; nec Sacerdotum principes & seniores populi abesse voluerunt, donec eum iam suffixum Cruci ac deniq; mortuum vidissent. Adest ingens Iudæorum caterva manibus plaudens, & victoriam suam concrepans: *Euge, euge, devoravimus eum*. Psal: 34. 25. 2.

Præco ante illum valenter inclamabat, mortis ejus causam evulgans; ut cunctis innotesceret: ad quod eos excitabat & convocabat buccinâ, quæ præibat. Buccinatores enim adfuisse probabile est. Teste namq; Vegetio l. 2. c. 22. & Tacito 2. annal: constat Romæ, si quando in caput civis Romani animadvertebatur, reum duci solitum per portam Exqvilinam, ac buccinas à cornicibus fuisse inflatas. 3.

4. Addit Petrus Faber l. 2. semestr: c. 8. tintinabulâ pulsari solita cùm damnati ad supplicium educerentur, ut eorum tinnitu admoniti populares à fortuito, sed tamen ominoso vel carnificis potiùs, vel etiam damnati hominis contactu abstinerent, ne incauti polluerentur. &c. Hæc apud Lyræum, interiectis aliquibus ex Sylveira. Ex his circumstantijs in Crucis baiulatione grave Christo pondus fuisse quis neget?

5. Quòd verò ad itineris longitudinem spectat, dimensus eam Christianus Andrichomius in Theatro suo terræ sanctæ, in descript: Ierusal: n. 118. Certè constat à Palatio Pilati usq; ad eum locum, ubi Crux rupi infixa fuit, esse gressus mille, trecentos, viginti & unum, sive aliâ supputatione pedes tria millia trecentos tres.

6. Incipiens Dominus à palatio Pilati per viginti sex gressus ei composita est Crux, baiulansq; Dominus Crucem per 80. gressus, ibi primùm cum Cruce cecidisse traditur. Idem statim pro 60. gressus ad locum venit, ubi Sacratissima Virgo MARIA cum Ioanne Filio suo IESV occurrit. Hinc autem per 71. gressus ad quoddam trivium, ubi Simon Cyrenæus Crucem post portare coactus est. Isthinc per gressus 191. & semipedem ad locum accessit, ubi ipsi Veronica occurrit. Atq; illinc per 336. gressus, & duos pedes; ad portam iudiciariam venit, ubi rursus cum Cruce lapsus est. Deinde verò arduâ, saxosâ, atq; paulatim ascendente viâ versus Septentrionem processit per 348 gressus, & duos ad bivium quoddam, ubi mulieres plorantes allocutus est. Ac isthinc continuò per 161. gressus, & sesquipedem ad radices montis Calvariæ, ubi ultimò cecidit. Deinde ulterius per 18. gressus ad locum venit, ubi carnifices ipsi vestes extraxerunt: ubi & vino myrrhato felle mixto potatus est.

De hinc

De hinc per 12. gressus, ubi clavis Cruci affixus est. Deinde postremò per 14. gressus ad locum venit, ubi de Cruce pendens in foramine rupis Calvariæ fixus est.

Ex hac Andrichomij relatione constat Christum Dominum pondere Crucis gravatum in ardua ad montem Calvariæ via, ter cecidisse. Ascetici dant rationem, quia homo tripliciter ceciderat: scilicet peccato originali, mortali, & veniali. Vel, corde, ore, & opere. Tripli- 7.
ci igitur lapsu Christus à triplici nos elevat casu.

Potest igitur quisq; affirmare, quòd D. August: superiùs citatus asseruit. videlicet, quòd *Crucem gestabat* (Christus) *pondere gravem, itinere longo.* Sed restant reliqua ejusdem S. Doctoris explananda verba: *Grave quidem pondus corpori, sed leve charitati.* 8.

Profectò onus illud per se gravissimum leve fuit charitati. Tardius incederet (inquit Lyræus,) nisi patibulum quasi pennâ pænarum & alâ charitatis aptatâ, sanctissimis humeris molem excruciati corporis veheret potius, quàm veheretur. 9.

Exodi 28. v. 12. *Portabit Aaron nomina eorum coram Domino super utrumq; humerum.* D. Hieron: ait. *Subditi portantur in pectore cùm amantur, in humeris verò cùm illorum onera feruntur.* Christus Dominus portabat nos pectore & humeris eximio amore: Pectus lanceâ vulneratum, in quo quisquis homo suum nomen legere potest. Humeri Cruce, id est peccatorum nostrorum onere gravati. *Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum:* 1. Petri 2. 24. 10.

Pulchrè hunc sensum exprimit Sylveira quæst: 5. n. 35. Humeris suis baiulat Crucem ad ostentationem sui amoris erga genus humanum, nam omnes nos in illa Cruce ferebat. 11.

12. Cùm Moyses maximè gravaretur regimine populi Israël, ait ad Dominum: *Cur afflixisti servum tuum? & cur imposuisti pondus universi populi hujus super me?* & addit. *Nunquid ego concepi omnem hanc multitudinem, vel genui eam, ut dicas mihi: Porta eos in sinu tuo.* Num: 11. 11. & 12. At Christus IESVS non queritur de hac sui afflictione: Nam ipse nos genuit, ac regeneravit sangvine suo in spem vivam æternæ vitæ, & ideo ipse nos portat in sinu suo, ac humeris suis in amplexu suo. Sic ait ipse per Isaiam 46. 4. *Ego feci, & ego feram: ego portabo, & salvabo.* Deut: 32. 6. *Ipse est pater tuus, qui possedit te, & fecit, & creavit te.* S. Ambros: l. de bened: Patriarch: c. 4. *Subiecit* (ait) *humerum suum ad portandum subijciens se Cruci, ut nostra peccata portaret.*

13. D. Cyrillus l. 12. in Ioan: c. 28. *Crucem portat Christus* (inquit) *non sibi, sed nobis transgressoribus per legem debitam.* Et tamen Ioannes Evang: scribit, *baiulans sibi Crucem.* Illud *sibi* maximè expendendum est præ eximio amore erga homines. Sic pro omnium salute Crucem portabat veluti si propriæ suæ utilitati, non nobis, sed sibi laboraret. Vnde Hug: de S. Vict: *Sibi vadit,* (ait) *quia singularis amor est, quo homines prosequitur.*

14. Hic etiam subiungi potest, quod Sylveira observat. Supponendum (ait) quòd Crux dupliciter potest considerari. Primò, ut exprimit beneficium nostræ redemptionis, in qua deletum est chirographum delicti quod erat contrarium nobis. Secundò, modò prout ipsa Crux exaltata, vibrat ac fulminat damnationis sententiam in impios. Vnde S. Matth: c. 24. 30. ait. *Tunc apparebit signum Filij hominis in cælo:* &c. Crucem ergo eo latere, quo nostra salus ac redemptio est hominibus singulare præstitum beneficium, ab infantia tanquam dulce o-

nus Christus portavit, potioremq; ejus partem moriturus libens humeris baiulavit. In negotio enim nostræ salutis nullius ope indiget, ipse omnia per se ipsum præstat & solvit. At verò Crux ex ea parte, quâ damnationis sententiam in impios profert ac evulgat, sic gravis & ponderosa extitit Christo, ut ad ipsam posteriorem Crucis partem, (quæ vindictam in sceleratos præfigurat) erigendam multùm fatigatus est Christus, ita, ut ipsimet scelerati quærant & solicitent, ut suæ miseræ damnationis pondus extollant, Divinæq; iustitiæ sententiam in se ipsos negotientur. *Tunc apparebit signum &c. & tunc plangent omnes tribus terræ:* Matth: 24. 30.

LXXVIII.

Quare Christus dum erat robustior non portavit Crucem, sed cùm lassus fuerit viribus ob cruciatus?

EXistimarem id factum esse à Christo Domino, ut nos edoceret tùm vel maximè arripiendam suscipiendamq; ejus Crucem, cùm nos variæ pulsant & debilitant adversitates, quæ etsi pondere suo aggravant corpus, ad sufferendas tamen eas alacrem debent reddere animum. Prout Apostolus 2. ad Corinth: 12. 10. ait. *Propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumelijs, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustijs pro Christo: Cùm enim infirmor, tunc potens sum.* Quod dum fusiori exhibere cogito sensu, aliam hac in quæstione reperio Patris Drużbicki resolutionem. 1.

Venit in mentem mirari (ait ille Strom: § 132. n. 17.) ac simul quærere, cur Dominus Crucem baiulandam assumat & non eam ab initio statim dum robustior & in- 2.

tegris viribus membrisq; esset, assumpserit. Hujus ordinis illa congruentia occurrit, quia in Cruce sciebat positas esse totius mundi iniquitates: his autem immensum & incomparabile sciebat pondus inesse: propterea antequam vel tam ponderosam gravatamq; Crucem super humeros tolleret, vel cum eadem ita onusta in contentionem de ponderis magnitudine veniret: placuit illi (Isaiæ 53. 3. priùs opprobrijs saturari, patientiâ saginari, pœnis satiari, virum ac Regem dolorum fieri, ut ita his omnibus partim validior robustiorq; partim onustior ponderosiorq; factus par esset Cruci tum portandæ, tum præponderandæ. Quantum pondus insit, non dico omnibus totius mundi peccatis, sed vel unico actui peccati, satis hoc Dominus ostendit in illa descriptione casus diaboli Luc: 10. 18. *Videbam* (inquit) *satanam sicut fulgur de cælo cadentem.* Vtiq; nulla vis fuit præter immane peccati pondus quod Angelos de cælo in infernum in puncto descendere, delabi, decidere fecit. Quod etiam expressum voluit Apostolus. 2. Petri 2. 4. *Deus angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos, in iudicium reservari.* Nec dispar pondus in Adæ peccato, cui unico sustinendo tota natura humana impar fuit *&c.* Si ergo duorum peccatorum tantum est pondus, quantu omnium peccatorum, quæ à tot hominibus patrata sunt usq; ad finem mundi ab initio. Vnde Isaias 53 6. inquit: *posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrûm.*

3. Quod clariùs ex eodem Propheta elucidatur, dum peccata per Antonomasiam vocat onus. Sic c. 13. ait:

4. *Onus Babylonis*, hoc est (inquit Carthagena) superborum, qui altiora dignitatum cacumina, quàm fuerit turris Babel, conscendere anhelant.

Onus

Onus Moab c. 15. parentum ſcilicet qui ob locu- 5.
pletandos filios graviter conſcientiam ſauciant.

Onus Damaſci c. 17. eorum, qui pauperum ſangvi- 6.
nem ſugunt.

Onus in Arabia 21. 13. inſidiantium nimirum, quia 7.
Arabia inſidians interpretatur, qui ferarum more inimicorum vindictam mille modis tentant.

Onus vallis c. 22. hoc eſt libidinoſè luxuriantium, 8.
qui per valles ea propter ſignificantur, quia ſicut in valles decidunt ſordes & longius à cælo diſtant, ita ad libidinis morbo laborantes iniquitatum fæces confluunt, & à Regno cæleſti longè abſunt. (Vt ait Apoſtolus 1. Corinth: *6. 9. iniqui Regnum Dei non poſſidebunt.*) Flura reperies apud eundem Carthagenam lib: 10. hom: 19.

David antequam cum Goliath in pugnam deſcen- 9.
deret, multis ſe exercitabat duellis, ut ipſe coram Saule Rege Iudæorum exponit. 1. Reg: 17. 34. *Paſcebat ſervus tuus Patris ſui gregem, & veniebat Leo, vel urſus, & tollebat arietem de medio gregis:* 35. *Et perſequebar eos, & percutiebam, eruebamq; de ore eorum: & illi conſurgebant adverſum me, & apprehendebam mentum eorum, & ſuffocabam, interficiebamq; eos.* 36. *Nam & leonem & urſum interfeci ego ſervus tuus: erit igitur & Philiſthæus hic incircumciſus quaſi unus ex eis.*

Sic IESVS Athleta invictiſſimus capitaliſſimum hu- 10.
mani generis hoſtem debellaturus velitationis quaſi gratiâ præmittit inſignia roboris ſui in ſufferendis tam atrocibus cruciatibus experimenta, ut fortem ſe eſſe invincendo hoſte demonſtraret.

Concludam cum Patre Drużbicki: Tanto ergo pon- 11.
deri & ſupportando & præponderando in redemptionis noſtræ valore meritorumq; ſuorum pretio Chriſtus Do-

minus par ut esset, tot illas passiones ante subijt, antequam Cruci humeros subiecit.

LXXIX.

Quisnam fuerit Simon, quem angariaverunt ad portandam Crucem Christi?

1. HOminem gentilem fuisse tradunt communiter veteres authores. D. Hilar: Hieron: in Matth: Ambros: in Luc: Leo serm: 8. de pass: idq; factum dicunt ex magno mysterio ut significaretur non Iudæos incredulos, sed gentes in Christum credentes, & Fidem & Crucem Christi amplexuras. E contra verè Maldonat: Iansen: Tyrin: Menoch: Estius existimant fuisse natione Iudæum: Nam Simon nomen est Iudaicum. Nec obstat quòd natus esset in Cyrene urbe, nam Iudæi valde dispersi erant per orbem. Sed fortè fieri potuit ut in Iudæam veniens factus sit Proselytus & in Iudæorum religionem unà cum nomine transiërit.

2. Certum tamen est quòd Simon à Deo illuminatus est, & ad Fidem Christi conversus, virq; magnus fuit virtute ac sanctitate. De eo hæc habet Braulius sive Helecas in additionibus ad chronic: Maximi. *Venit cum filijs Simon in Hispaniam comitatus S. Paulum, ubi prædicavit, quæ priùs audiërat comitatus S. Iacobum, & ibi prædicavit tunc: quem dicitur consecrâsse cum alijs S. Petrus in Episcopum, obijsseq; Ierosolymis. Colitur* 1. *Decembris.* Similiter Luc: Dexter in chron: ad annum Christi 112. n 12. *Simon*(ait)*nè fraudaretur debitâ mercede portatæ post Christum Crucis, post multa bona opera Ierosolymis placidè quiescit.* Biuarius tenet hunc Simonem esse illum, qui niger dicitur, sociusq; fuit Pauli ac Barnabæ. Act: 13. 1.

Meruit

Meruit Simon quòd Crucem Domini portâsset ut ipse, 3.
& filij ejus per Crucem Domini servarentur vocati ad Fidem ac gratiam Dei. Filij ejus illustrissimi in Ecclesia Dei. Nam Rufus Episcopus fuit primò Thebarum, deinde Dertosæ sive Tortosæ in Hispania, proindeq; Ecclesia eum celebrat 12. Novembris, de eoq; facit mentionem S. Policarp: in epist: ad Poliponem, eumq; beatissimum appellat. Alexander alter filius Simonis & frater Rufi ponitur in Martyrologio ab Adone & Beda die 11. Martij. De utroq; mentionem facit Luc: Dexter ad annum Christi 112. n. 10. & Braulius sive Helecas citatus.

Theophilact: inquit. *Ille autem potest fieri subditus* 4.
Christi ut tolleret Crucem suam, qui virtutis operarius est, qui venit à villa relinquens mundum & ea, quæ sunt in mundo, & ad Ierusalem supernam & liberam tendit.

D. Paschas: l. 12. in Matth: *Ipse Simon vocatur,* 5.
(aït) *quod interpretatur obediens. Hic post IESVM Crucem portare festinat, obediendo promeruit ut tanto dignus munere esset.*

Simonem gentilem fuisse ex mente SS. Hilarij, Hie- 6.
ronymi, & Ambrosij, paulò ante insinuavimus, quo significabatur fidei gentium relictum esse passionis lignum portare & crucifixo compati *Crucem IESV suscipiunt nationes, & peregrinus obediens portat ignominiam Salvatoris.* Simon enim idem est quod obediens. *Durâ cervice & incircumcisis cordibus* Iudæi indignos se tanto honore exhibuêre. Gentibus igitur in Simone repræsentatis hoc perficiendum erat, uti Paulus & Barnabas Iudæis exprobrabant Actor: 13. 46. *Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei: sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad Gentes. &c. v. 48. Audientes autem Gentes gavisæ sunt,* &c.

Nec

7. Nec prætereundum est, quòd idem Simon de villa venisse fertur. Villa enim Græcè *Pagos* dicitur. Vnde Paganos appellamus eos, quos à civitate Dei alienos (ait Carthagena) & quasi urbanæ conversationis videmus esse expertes. Sed è pago Simon egrediens Crucem portat post IESVM, cùm populus nationum paganis ritibus derelictis vestigia Dominicæ passionis obedienter amplectitur.

8. Considerandum etiam quòd nec in civitate, nec indigena illius, ad ferendam Christi Crucem fuerit adhibitus; sed ex urbe exeunti Domino de Villa Simon occurrit ad tollendum onus. Civiles enim & exculti minùs ad ferenda onera, quàm simplices & villani, sunt apti.

LXXX.

Quare Christus in Crucis baiulatione non verò in alijs cruciatibus adiutorem admisit?

1. RAtio superiùs insinuata est, quòd cùm milites ac Iudæi maximè festinabant ut IESVM Cruci affigerent, ille verò ex tot itineribus, vigilijs & plagis extremè fatigatus properare non poterat, imò aliquando ceciderat, quem crepidis, fustibus assurgere cogebant & trahebant. Experti iam viribus Dominum deficientem timendo, nè vitam priùs exspiraret, antequam in Calvariam devenisset; non ex commiseratione & pietate, sed ex summa malitia & crudelitate Simonem angariaverunt, & coegerũt iuvare in ferenda Cruce gravioribus cruciatibus, doloribus ac ignominiosissimæ morti Christum conservando. Sapientiæ 2. 22. *Morte turpissimâ condemnemus eum.*

D. Athanas:

D. Athanas: ferm: de Cruce fic ait. Rurfus autem geftabat eam Simon homo; ut in hominibus notum fieret quòd non fuam ipfius fed hominum mereretur Dominus. 2.

Latrones fuorum criminum & fcelerum cruces ipfi afportabant & cùm propriæ effent, inde tam gravi pondere non premebantur: At Chriftus non propriam, fed alienam nempe noftrorum omnium peccatorum afportabat, ideo valde onerofa & multi ponderis erat, inde de alio comportitore fuit providendum. *Sylveira.* 3.

Sed quare in confortium baiulationis Crucis fuæ Simonem admifit? Refpondet Lyræus, ut nobis relinqueret crucifixionis exemplum. *Remanfit,* (inquit Gregor:) *quia non omnia noftra Chriftus explevit. Per Crucem quidem fuam omnes redemit, fed remanfit, ut qui redimi & regnare cum eo nititur, crucifigatur.* Hoc profectò refiduum viderat, qui dicebat: *Si fuftinebimus, & conregnabimus*: 2. Timoth: 2. 12. *Et adimpleo ea quæ defunt paffionum Chrifti, in carne mea,* &c. Coloff: 1. 24. 4.

Origenes hom: 35. in Matth: inquit. *Non folùm eum conveniebat accipere Crucem fuam, fed & nos conveniebat portare eam falutarem nobis angariam adimplentes.* 5.

D. Pafchas: ait l. 12. in Matth: *Congruè quidem fatis, quoniam IESVS pro nobis eam portavit, tum demum in via eam ferre nobis neceffe eft.* 6.

Sebaftianus Barradius Crucis à Chrifto tranflationem in humeros Simonis factam effe ait, ut nimirum intelligamus, non effe fatis ad falutem confequendam Chriftum nobis Crucem portâffe, fed infuper oportere nos eam poft Chriftum ferre, iuxta illud Matth: 16. 24. *Si quis vult poft me venire, tollat Crucem fuam, & fequatur me.* 7.

8. Portat Simon Crucem post IESVM. Sciebat IESVS post neminem alium portari debuisse, aut potuisse Crucem, nisi post se. Ideo ipse & portavit prior, & præivit portanti post se: ut nemo subire recusaret, quòd Dominum suum sui causâ subijsse conspiceret. P. Družbicki § 134. n. 4.

LXXXI.

An solus Simon Crucem Domini portavit, an verò adiuvit tantùm Christum in ea asportanda?

1. INtegram Crucem ex humeris Christi in Simonem translatam fuisse multi sentiunt Patres. S. Leo serm: 8. de pass: ait. *Simon verò quidam Cyrenæus inventus est, in quem lignum Crucis transfertur à Domino.* Similiter D. Athanas: serm: de pass: D. Hieron: Euthim: Theophil: quos sequuntur Soarius, Barrad: Cornel: à Lap: & fundantur, quia hoc simpliciter S. Matthæus & Marcus indicant: *angariaverunt, ut tolleret Crucem ejus.* Ratio hujus sententiæ est, quia Christus maximè erat defatigatus & exangvis tot cruciatibus: Vnde & lentiùs incedebat interdum cadendo. Iudæi verò cupiebant quàm citissimè eum in Cruce affixum mori, nè aliqua interim in populo seditio fieret, cùm dies festus magni Sabbathi imminebat.

2. Alij verò Simonem adhibitum fuisse asserunt, ut simul cum Christo Crucem portaret. Ita Baron: tom: 1. ad annum Christi 34. n. 94. ait. *Cogitur Simon Cyrenæus altera ex parte eandem Crucem post IESVM portare.* Eum sensum & Caiet: in 23. Luc: tenet: *Imposuerunt* (inquit) *Crucem Simoni ut portaret illam post IESVM.*

Christus enim ferebat illam in anteriori parte, Simon verò in posteriori, & ita ibat post IESVM. Quod etiam in antiquissimis picturis universalis Ecclesiæ videndum est, in quibus Simon à parte posteriori Christum adiuvans in ferenda Cruce depingitur. Aliàs si Simon solus portaret Crucem, videretur ipse crucifigendus, & non IESVS. Patres verò illi, quando dicunt quòd lignum Crucis transfertur à Domino in Simonem, intelligitur non totaliter, sed ex parte aliqua.

Matth: 27. 32. & Marci 15. 21. *Angariaverunt prætereuntem quendam Simonem Cyrenæum, venientem de villa, Patrem Alexandri & Rufi, ut tolleret Crucem ejus.* 3.
Ita, ut Simon Cyrenæus non portaret totam Crucem, sed solùm adiuvaret Christum in ea ferenda, ut vult Caietanus. Sed cur Simon totam Crucem non fert manibus, sed tantùm in ea ferenda Christum adiuvat? Nam si Christus tot verberibus plagis ac spinis fatigatus multùm erat, cur Crucis pondus totum ad Simonem non transfertur? Alto consilio res hæc est disposita. Solebant victores in illustri ac magno triumpho victoriæ trophæum proprijs manibus gestare: hinc ordinatum est D. Christum gloriosissimum Triumphatorem, ut S. Athanas: oratione de passione Domini expressè ait, *Victorem iam triumphantem de diabolo non alteri concedere, sed sibi suum trophæum gestare.*

S. Leo serm: 8 de pass: *Manifestabatur* (ait) *fidelibus grande mysterium: quia gloriosus diaboli Victor pulchrâ specie triumphi sui portabat trophæum.* 4.

Ad punctum hoc n. 3. quare Christus nec ipse solus, nec Simoni totam Crucem baiulare permittit? congruè videtur addi, quòd Salvator noster sæpissimè ad imitationem sui, & præcipuè in portanda Cruce, nos invitet: 5.

Et ut alia nunc intermittam loca, sufficit insinuare illud: Luc: 9. 23. *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me.* Et quoniam benignissimus Dominus non Pharisæorum & Seniorum populi Iudaici more, qui alijs onera imponendo ipsi à supportatione eorum declinabant, Matth: 23. 4. *Alligant enim onera gravia, & importabilia, & imponunt in humeros hominum: digito autem suo nolunt ea movere.* Ideo priùs in se exhibuit exemplum suis asseclis imitandum, prout testatur. Act: 1. 1. *cæpit IESVS facere, & docere.* Ex hac occasione formatur quæstio.

LXXXII.

Quomodò Christus invitat nos ad portandam Crucem suam? & quomodò ea nobis baiulanda est?

1. Cùm Pater æternus Vnigenitum suum in Ducem & Præceptorem nobis dederit, (ut Isai: c. 55. v. 4. testatur. *Ecce testem populis dedi eum, Ducem ac Præceptorem gentibus.*) Debemus certè illius sequi vestigia ac exempla ad quod nos ipse invitat Salvator Matth: 16. 24. *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Et Matth: 10. 38. *Qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus.* Et iterum Luc: 9. 23. *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me.* Vbi grandem clementiam, grandem benignitatem Conditoris considerat D. Thom: à Villanova, & cum Apostolo inquit. *In veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus.* Hoc est, quod ait: *Si quis vult post me venire,* omnes invito, neminem abjicio, cujuscunq;

juscunq́, sortis, status, vel conditionis existat, sive Judæus, sive Græcus, sive Latinus, &c. sive senex, sive puer, &c. sive nobilis, sive ignobilis, &c. *Si quis* ergo *vult post me venire*, neminem cogo, neminem abijcio, suo hoc arbitrio, & voluntati relinquo, non accepto coacta servitia, neminem patior mihi servire invitum. Et interiectis paucis idem Sanctus prosequitur alloquendo Christum. Non blanditijs ad te allexisti homines, ô bone IESV, non promissionibus vacuis extraxisti, promittens illis solatia, & gaudia, voluptates & opes hujus sæculi, ad labores, ad persecutiones, ad asperitates, & mortes advocâsti eos: non bello cogens, sed verbo monens. Non sic alij, non sic. Quid mirum, si brevi tempore dimidium post se orbem pessimus Mahometus convertit, laxando fræna vitijs, & voluptatibus perfruendi licentiam dando; non verbo, sed gladio invitos cogendo. Tu autem Domine non sic, sed quid ais? *Si quis vult post me venire*, invitas, non trahis: vocas, non cogis: allicis, non impellis: &c.

Non satis est tibi ô Christiane, abnegare te ipsum, 2.
nisi etiam crucem tuam tollas, non sufficit abijcere quod delectat, nisi etiam amplexus fueris quòd cruciat. Abijce gaudia sæculi, & omnia corporis blandimenta contemne, & abnegâsti te. Sed hoc ampliùs à te Christus requirit, ut scilicet pro ejus amore labores sustineas, injurias toleres, famem, sitim, nuditatem, anxietatem, dolores, & si opus est etiam mortem atrocissimam patiaris. Hæc est crux, sine qua nemo militat Christo, hæc enim ejus militiæ signum est, sine hac Christi militiæ nullus ascribitur, hoc signo dux ipse signatus est, hoc etiam signatur & miles.

Hoc etiam idem Sanctus exponit quòd Crux Chri- 3.
sti

sti puro homini sit intolerabilis, ideoq; Dominus suamcuiq; portandam præcipit dicendo: *tollat crucem suam*, nam meam non poterit, gravissima est enim & ponderosa, & quam nullius puri hominis humerus portare sustineat: Non meam iniungo, sed tollat suam levem, facilem, portatilem, & quæ non virili humero sed manu solâ portari queat, &c. Inducit idem Sanctus Christum alloquentem: Non peto sangvinem â te ô Christiane miles, non vulnera, non tormenta, non spinas & verbera, quæ pro te ipse passus sum: Age pœnitentiam pro peccatis tuis, & sufficit mihi, &c. Si meam imponerem, sustinere utiq; debuisses, debes enim mihi vitam tuam, quoniam pro te exposui meam, sed meliùs tecum ago: Tolle crucem tuam, & satis est mihi.

4. Sed neq; abhorrenda est etiam Crux Christi, (uti ait religiosissimus Pater Drużbicki,) nam est in manibus IESV. Nemo illam formidet, quòd in ea severum fuit, à Christo exhaustum est, & in Crucis inimicos totum effusum vel conversum, quod autem remansit in Cruce, totum est dulcedo, totum honor, totum utilitas, totum robur, totum pietas, totum salus, totum vita, totum beatitudo. Crux fuit Crux, mors, probrum, stultitia, maledictum, sed ab olla mortem expulit Elisæus noster farinulâ suâ; dulcoravit Crucem contactu corporis sui, baiulatione suâ. Eam ob rem commodè dicit Evangelista baiulâsse Crucem sibi, nam nobis non Crucem baiulavit, sed salutem. Bonus Dominus ita partitus est, ut Crucem, dolorem, ignominiam baiularet sibi; salutem, pretium, redemptionem nobis.

5. Nihilominùs tamen & si Christus Salvator omnem Crucis duritiem emollivit, acerbitatem dulcoravit, inhonestatem & opprobrium honestavit, ideoq; ad portan-

dam

dam eam ſvaviſſimè incitat invitatq; *tollat crucem ſuam, & ſequatur me.* Non omnes obediunt voci ejus. Nam ut D. Bernardus à præfato S. Thom: à Villan: citatus ait: *Quidam Chriſtum fugiunt, quidam præcedunt, quidam ſeqvuntur, ſed non aſſeqvuntur; quidam ſeqvuntur, & aſſeqvuntur.* Quod luculenter idem Sanctus à Villan: exponit concione 3. de uno Martyre.

Fugiunt à Chriſto illi, de quibus Pſal: ait Ps: 118. 6.
Maledicti qui declinant à mandatis tuis. Et iterum Ps: 72. *Ecce qui elongant ſe à te, peribunt.*

Præcedunt hi, qui magiſtrorum ſententijs ſuas præ- 7.
ferunt, quorum imaginem tenuit Petrus Matth: 16. Chriſto inconſultè conſulens: *Abſit à te Domine.* Cui Dominus: *Vade poſt me ſatana,* quid præcedis? Quo nomine ſic acriter increpatus eſt, ut noverint cujus membra ſint, qui philoſophico ſupercilio non ſequi Spiritum Domini, ſed anteire ſuis ſenſibus in Eccleſia conantur.

Præmiſit idem S. Thom: à Villan: paulò ante ſupe- 8.
riùs quòd aliqui propriæ ſcientiæ confidendo, non iam ſequi, ſed præcedere Chriſtum præſumant, nec monitum Apoſtoli ad Hebræos 13. *Doctrinis varijs & peregrinis nolite abduci.* Obſervant, ideoq; cum duce ſuo Lucipero miſerabiliter cadunt. Lucifer enim ideo cecidit, non quia veritatem non agnovit, ſed quia *in veritate non ſtetit.* Ioan: 8. 44. Sed unde non ſtetit, niſi quia præcedere voluit, non ſequi, ducem ſe exhibere maluit, quàm ſequacem. Si Creatorem ſuum ſequeretur, non utiq; deciperetur.

Seqvuntur autem Chriſtum, ſed non aſſeqvuntur, 9.
qui poſt ipſum euntes in via claudicant, de quibus Apoſtolus Hebr: 12. 12. & 13. *Remiſſas manus,* (inquit) *& ſoluta genua erigite, & greſſus rectos facite pedibus veſtris:*

ut non

ut non claudicans quis erret. Et Elias Propheta clariùs. 3. Reg: 18. 21. *Vsquequo,*(inquit)*claudicatis in duas partes?* Verè post Christum claudicat fidelis, qui duplici affectu & corde modò sequitur Christum, modò sequitur mundum, quibus Apostolus clamat: Iacob 14. 8. *Purificate corda vestrá, duplices animo.* Hi non assequvuntur, quia eodem Apostolo teste, *vir duplex animo, inconstans est in omnibus vijs suis.* Iacob: 1. 8.

10. Seqvuntur autem & conseqvuntur, qui viam humilitatis ejus devoto mentis affectu perseveranter imitantur. Vnde Dominus Ioan: 12. *Si quis mihi ministrat, me sequatur:* id est, me imitetur. Quo fructu? *Vbi sum ego* (inquit) *illic & minister meus erit.* Veniat quà veni, & perveniet quò perveni: Hucusq; D. Thom:

11. Præter iam dicta considerandum etiam ac videndum est quatuor ordines Crucem ferentium. Ferebat IESVS sine culpa cum patientia & mansvetudine. Ferebat unus nequam seu latro cum culpa & impatientia, atq; sine ullo suo commodo apudq; Deum merito. Ferebat alter nequam cum culpa & cum patientia, & per hoc cum fructu suo. Ferebat Simon Cyrenæus sine culpa & cum angaria. Hi quatuor ordines hominum in hac vita sunt, quæ sine tribulatione non est; & nemo sine cruce esse potest, frustraq; illam quis aut fugit, aut effugere se sperat. Sicut umbram suam, ita crucem suam nemo fugere prævalet: Sed volens nolens illam baiulare cogitur. Sed interest quomodo tribulatio supportetur. Non bene Simon, peiùs latro primus, meliùs latro secundus, optimè Christus.

12. Vt optimè itaq; quisquis crucem suam & fructuosè portet, debet ita, sicut & Christus portavit, portare, ut iam sat insinuatum est. Sed neq; prætermittendus modus

dus à Lyræo de Imitat: Christi patientis expositus. Addo (ait ille) crucis portandæ nomine venire assiduam, vivamq; ejusdem meditationem, quâ veluti post Dominum, aut cum Domino, eorum quæ ipse passus est, memoriâ destinemur. Quod etiam alio loco idem Author proponit, dum inquit: Disputatum hîc à plurimis in quo potissimùm hæc conformitas sita sit? Et fuêre nonnulli, qui in certa quâdam animi constitutione eam positam esse voluerunt, quâ novus homo patienti Domino compatitur, memoria videlicet ac viva laborum ejus, causarumq; eorundem, quæ peccata nostra fuerunt, æstimatione, cujus vi & efficientiâ interno sensu gustetur, quod ipse externo voluit experiri, &c. Affectibus scilicet compassionis, doloris ac mæroris transformando nos in ipsum Christum mærentem, & afflictum pro nobis, quo fiat, ut spiritualiter cum eodem crucifigamur, sicut ipsa Virgo Sanctissima Filij sui tormenta expendens, Cruci ejusdem dicitur fuisse confixa, iuxta Simeonis vaticinium: *Tuam ipsius animam pertransibit gladius doloris:* Luc: 2. 35. non ille quo corpus intereat, sed animus saucietur, cruciatu tantò acerbiore, quantò animus corpori magis antistat: unde factum, ut rectè apud Eusebium Nirembergium lib: 2. de Adorat: cap: 5. annotatum invenio, nec eam, nec ullum ex illis, qui Christo in monte Calvario adstiterunt, & spirituali modo compassi sunt, postmodum in exitu suo martyrium subijsse, cùm reliqui Apostoli & Discipuli omnes à tyrannis cæsi fuerint, & interempti, Crux omni morte acerbior, vel ipso animo sic degustata illis pro martyrio censebatur.





LXXXIII.

Quare Christus plangere & lachrymari super se mulieribus non permittit, sed super se ipsas & super filios suos illas flere iubet?

I. RES digna consideratione quare Christus Dominus Verbum æternum quòd antea per Prophetam loquebatur ac querulabatur. Psal: 68. 21. *In conspectu tuo sunt omnes qui tribulant me: improperium expectavit cor meum, & miseriam. Et sustinui qui simul contristaretur, & non fuit: & qui consolaretur, & non inveni.* Nunc contristantibus & levamen aliquod consolationis ex commiseratione offerre satagentibus dicit: *Filiæ Ierusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, & super filios vestros. Quoniam ecce venient dies, in quibus dicent: Beatæ steriles, & ventres qui non genuerunt, & ubera quæ non lactaverunt. Tunc incipient dicere montibus: Cadite super nos; & collibus: Operite nos. Quia si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?* Luc: 23. Quare dolorosissimus IESVS hoc & si modicum solatij angoribus suis non permittit levamen, ut sint aliquæ saltem animæ, quæ contristentur cum eo? cur in tanta dolorum copia fletus & lamenta coërceat? & cujusnam gratiâ congruentiùs plorandum, quàm illius, qui omnibus charior pignoribus, humani generis delicium, Angelorum solatium, totius universi spes ac recreamen? & nihilominùs tamen lacrymantes alloquitur: *nolite flere super me.* O quanta Christi bonitas! dum non suos dolores & tanta improperia, quàm hominum miseriam, ruinam &

cæcita-

cæcitatem ac si oblitus sui deflendam esse existimat.

Prohibitarum lamentatione harum mulierum varias apud SS. Patres & gravissimos authores reperio rationes, ante quarum elucidationem visum est insinuare occasione verborum Salvatoris: *Filiæ Ierusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, & super filios vestros.* Hæreticos aliquos cavillari, pessimèq; inferri Christi mortem nullatenus lachrymandam esse, sed potiùs exultandum, cùm humanæ redemptionis causa extiterit. Minimè discernentes passionem ac mortem dulcissimi Salvatoris nostri dupliciter considerandam. Vt exprimit beneficium nostræ redemptionis, in qua deletum est chirographum delicti, quod erat contrarium nobis, ut S. Paul: ad Coloss: 2. 14. exprimit: *Delens quod adversus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio, affigens illud Cruci.* Restitutio gloriæ æternæ, & alia innumera Christi Domini passione emanantia bona, profectò exultandum & lætandum est. Ex alia verò parte quòd nos fuimus causa tam acerbæ necis Christi Domini, qui omnia peccata nostra assumpsit, iustitiæq; Patris pro eis tam rigidè satis fecit, quis profectò sanæ mentis iusto doloris stimulo non perstringetur? quis diligens patrem filius pro se mortuum ac acerbissima passum non dolebit, & quòd causa illius exstiterit, non illachrymabitur? Sed consvetâ sibi methodo Hæretici hæc etiam Christi verba adducentes: *nolite flere super me,* reliqua, quæ sequuntur, *sed super vos ipsas flete, & super filios vestros,* reticent, tantùm simpliciter exultandum & non lachrymandum nobis esse de passione Christi. Certè si non tantùm materiam exultationis ac lætitiæ, verùm etiam tristitiæ & fletûs causam perspicerent, æternarumq; pœnarum pro 2.

ingratitudine ac cavillatione sua fulminationem considerarent, non tantùm gaudij, sed & luctus ex doloribus, passione ac morte Salvatoris haberent incitamentum. Diversa longè sana & Catholica veræ Romanæ Ecclesiæ horum verborum intelligentia.

3. Non alium Christus fletum prohibet, nisi evanidum & inordinatum, nam necessarium etiam imperans, ait. *Super vos ipsas flete, & super filios vestros.* Cruciatus suos plangi non vetat, sed plangi non vult solâ miseratione humanâ. Non igitur quòd ista patiar ploretis, sed causam propter quam tanta patior deplorate. Ego non repugnanter, nec gravatè, sed libenter ac voluntariè ad mortem abeo. Hæc enim omnia patior amore in vos, & obedientiâ in Patrem. Ad nutum & arbitrium Patris omne meum vivere ordinatum est & mori. Sed uti vitam mors, ita mortem excipiet reditus in vitam. Et ideo hæc deflenda non sunt. Deflete potiùs peccata vestra, quæ & ego ad ingressum urbis ante dies paucos largis lachrymis deflevi. Peccata vestra meæ mortis sunt causa; hæc me gravant, hæc cruciant, hæc enecant. Et quod dolores meos auget, illud est: Multos nihilominus sua improbitas meorum cruciatuum expertes faciet, & æterni supplicij damnabit. Hoc seriò deplorandum est. Ita Christi documento magis deplorandi sunt qui malè agunt, quàm qui malorum odia ferunt. Hæc Drexel: de Christo moriente p. 2. c. 5. § 6.

4. Paucis interiectis prosequitur idem Drexel: Reverà Christus cum flentibus atq; sequentibus se, loquitur, totâ viâ neminem alium affatus, & qui ad iniustissimi in vitam suam lati decreti promulgationem, ad ingens Crucis quo premebatur pondus, ad violentas protrusiones & ad inenarrabiles dolores, afflictiones, & tormenta silu-

it, nec os innocentissimus Agnus aperuit; (quemadmodum Isaias Propheta prædixit c. 53. v. 7. *Sicut ovis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum.*) In via ad mortem tacitis lacrymantium affatibus amicissimè, non interrogatus, respondit. Quo quidem dilucidè demonstravit, quàm sibi commiseratio ac consensus sit gratus, & quàm velint alterum alterius commiserescere, alienumq; etiam dolorem dolere. Suspiria profectò & lacrymæ, quæ noxarum odio & amore Christi patientis funduntur, gemmæ sunt. Nos sensus mutuos non nisi per verba intelligimus, per lacrymas tamen cum Deo efficacissimè sermocinamur, hoc idioma Deus probè intelligit, hanc lingvam Christus placere sibi publicè ostendit, dum suum lacrymis solatium statim adhibuit, dum sui doloris oblitus, svaviter alienum mollijt. Vera Christi patientis consideratio cor lacrymabundum sibi deposcit. Lacrymæ moverunt Christum, ut inter tot probra & cruciatus crucifigentium matres solatio afficeret, & succinctam, sed utilissimam nobis omnibus cohortationem hanc relinqueret: *Quoniam ecce venient dies, in quibus dicent: Beatæ steriles, & ventres qui non genuerunt, & ubera quæ non lactaverunt. Tunc incipient dicere montibus: Cadite super nos; & collibus: Operite nos.* Itaq; qui alios super se flere (ait Lyræus) iubet, ex illorum ærumnis præ suis cruciatibus longè acerbiùs dolet. Placet & ex Carthagena horum verborum Christi aliquas adducere explanationes.

Primò. Plorabant Christum illæ fæminæ quasi invito & reluctanti animo pateretur, & quasi ad mala illa avertenda infirmus & impotens esset. Tales lachrymæ ingratæ fuerunt Christo. 5.

Secundò. Ideo etenim Salvator nunc super se prohibet 6.

hibet flere, quia illæ mulieres non ex motu Spiritûs Sancti, sed ex affectu quodam merè naturali compassionis deflebant illum non secùs ac si quempiam alium afflictum purum hominem & non hominem Deum intuerentur. Innuit hoc S. Leo P. de pass: Dom dum ait: *Solet sexus infirmior qui morte sunt indigni in lachrymas commoveri, & damnatorum exitijs pro naturæ communis consideratione misereri.* Planctum istum D. IESVS dedignatur, qui ex affectu carnis & non spiritûs procedebat.

7. Tertiò. Existimabant necem Christi in morte sistendam esse non in gloria & resurrectione. Vnde ait: *Filiæ Ierusalem, nolite flere super me*, hâc falsâ imaginatione apprehensâ, quia *infirmitas hæc non est ad mortem diuturnam, sed pro gloria Dei, ut glorificetur Filius Dei per illam:* Ioan: 11. 4. *Sed super vos ipsas flete, & super filios vestros*, quorum mors nisi peccata deploraveritis, in æternum supplicium sistat.

8. Quartò. Multæ ex illis fæminis non concepto dolore pro peccatis suis lachrymabantur dolores Christi cui ingratus est dolor compassionis ortus ex corde quòd peccata sua priùs non dolet; fortiùs enim peccata nos ad contritionem compellere debent, quàm ad compassionem Christi. Affectum enim illum contritionis præ isto compassionis nobis utiliorem & Deo multò gratiorem esse, & ideo non hunc exercendum illum prætermittendo, prout fæminæ illæ omittebant.

9. Quintò. Sic etiam hæc verba Christi *nolite flere* exponi possunt· fletus vester ut mihi gratus sit non sistat in me prout vos reverà sistitis, sed pergat ulterius ad vestras plangendas iniquitates, ob quas tot vobis imminent mala, quæ si ob id omnino non auferenda sint, saltem ex Dei benignitate minuentur.

Eadem verba Salvatoris alij etiam ita exponunt, quòd ſicut Chriſtus Dominus apud Lucam matris viduæ filium ad vitam revocaturus dixit: *Noli flere.* Luc: 7. 13. Non quòd fletum illum reprobaret, ſed quia ſtatim filius erat ſuſcitandus. Ita nunc ait: *Filiæ Ieruſalem, nolite flere ſuper me* innocente, & mox ad vitam immortalem revocando, ego enim ad Patrem vado, *ſed ſuper vos ipſas flete*: *Nam niſi pænitentiam habueritis, omnes ſimiliter peribitis.* Luc: 13. 3. ita Venerabilis Beda ſuper Luc: S. verò Bonaventura ſentit quòd mulieres illæ non reprehenduntur à Chriſto Domino ob compaſſionem & planctus, ſed quia contriſtabantur ex mentis deiectione, contra quas dixit Apoſtolus ad Theſſalon: 1. 4. 12. *non contriſtemini, ſicut & cæteri, qui ſpem non habent.* Hæc ex Carthagena de acerbæ paſſionis Chriſti Domini arcano, lib: 10. hom: 20. in aliquibus parùm mutata. 10.

S. Bernard: ſerm: in obitu Vmberti ait: *nolite flere ſuper me,* etenim ea, quæ de me ſunt, finem habent. *Quæ videtis mihi præparari, temporalia ſunt, quæ non videtis, æterna.* Ac ſi diceret: *Filiæ Ieruſalem,* quæ incolitis Ieruſalem, ne fleatis mortem meam tanquam mihi ac ſoli nocituram, ſed ſatius ſuper vos ipſas flete ac filios & concives veſtros; nam hoc malum meæ mortis mihi breve eſt ac momentaneum, bonum verò inde emanans verum æternum corporis mei nunc lacerati, nominisq; deſpecti ſumma glorificatio, ſublimitas & exultatio: & qui in me credituri ſunt, ſalus, vita æterna, & immutabilis gloria. Illis verò, qui nunc exultant in rebus peſſimis, ac bonum paſſionis meæ contemnunt, magnum erit ſupplicium, grandis in hac vita civitatis veſtræ deſolatio, in altera verò multis ex vobis in perfidia ac malitia, permanentibus æterna damnatio. 11.

Vener:

12. Vener: Beda eadem Christi verba sic exponit: *Non me (ait) lamentemini moriturum. Vos potiùs ipsas, vestramq; progeniem, ne in meæ Crucis ultionem, cum perfidis æterna morte damnemini, dignis lachrymarum fontibus abluite.* Decebat sanè cunctos in fletus resolvi, dum innocentissimus IESVS ad crudelem raperetur mortem; tamen Salvator monet, ut potiùs super se ipsas ac filios suos lachrymas diffundant; habebant enim tam ipsæ, quàm filij earum gravissima peccata, ob quæ daturæ erant pænas; hinc admonet, ut sua suorumq; filiorum ac concivium dignis lachrymarum fontibus deplorarent ac abluant peccata. *Ex Sylveira.*

13. Theophil: hæc verba nolite flere ad mulieres illas retorquet, maiorem quasi deplorandi proponendo materiam; sibi, filijsq; suis obventuram. Sic enim ait: Admonet eas, ut ad futura mala respiciant, & propter illa plorent, quando cocturæ sunt filios suos. Nam ex Iosepho de bello Iudaico & excidio Ierosolymitano, & alijs historicis constat in obsidione Ierosolymitana à Tito & Vespasiano parentes proprios filios comedisse, expletaque est Dei illa comminatio Deuteron: 28. 52. *Obsideberis intra portas suas, 53. Et comedes fructum uteri tui, & carnes filiorum tuorum, & filiarum tuarum, quas dederit tibi Dominus Deus tuus in angustia, & vastitate, quâ opprimet te hostis tuus.*

LXXXIV.

Quale fuit vinum myrrhatum Christo ante crucifixionem oblatum?

I. FRanciscus Quaresmius in elucidatione terræ sanctæ testatur locum Ierosolymis ad radicem montis Calvariæ etiam nunc celebrem, dictum carcer Christi, ubi Eccle-

Ecclesia peregrinorum devotione insignis; caverna antea fuit, in qua morte afficiendos sistere solebant, donec Crux, cæteraq; necis instrumenta in vicino parata essent. Hîc itaq; D. IESV tantisper hærenti, aditu militibus diligenter cincto ac custodito, interea dum loca in rupe Crucibus infigendis, cæteraq; requisita ad hunc crudelissimum actum adaptarentur, propinatum, ut alijs fieri solebat, myrrhatum vinum fuit.

Moris siquidem erat, uti apud multos etiam nunc in 2.
usu est, ut damnatis ad locum supplicij productis vinum propinaretur, iuxta Proverb: 31. 6. *Date siceram mærentibus, & vinum his qui amaro sunt animo:* ut mortem vel minùs considerarent, vel certè ferrent alacriùs, prout idem exprimit: *Bibant, & obliviscantur egestatis suæ, & doloris sui non recordentur ampliùs.* At illud solebat esse odore præstans, gustuq; suave, forte, ad finemq; dictum consequendum: & ut alij censent, aromatibus conditum; ad quod allusit Amos c. 2. v. 8. delicias Moabitarum perstringens: *Vinum* (inquit) *damnatorum bibebant in domo Dei sui,* hoc illi bibebant inter plausus & tripudia: tale vinum optimum, generosum, svavissimum dabatur ex more damnatis. Sed Christo Domino non tale propinabatur: nam quod reis in solatium, hoc Christo in ludibrium & tormentum. In totum Christi sacratissimum corpus crudelissimè sævitum fuit: *A planta pedis usq; ad verticem, non est in eo sanitas: vulnus & livor, & plaga tumens.* Isaiæ c. 1. v. 6. lingva tantùm ejus svavissima ac palatus hactenus inimicis illæsus videbatur, ast ne quæ pars corporis ipsius à cruciatu immunis ac libera existeret, acerbissimâ potione affligere procurant, dum os ejus, lingvam, palatum ac stomachum, quò flagella, spinæ & tormenta non penetrârant, amaris-

simi potûs amaritudine, fellis, myrrhæ cum vappa luridi vini mixta, inficere student. Vnde ipse Christus queritur per Prophetam: *Dederunt in escam meam fel: & in siti mea potaverunt me aceto.* Psal: 68. 22. Atq; hoc est, quod S. Matth: c. 27. v. 34. legimus: *dederunt ei vinum bibere cum felle mistum.* Et Marc: 15. 23. *dabant ei bibere myrrhatum vinum.*

3. Euthim: & Theophilact: quos Card: Baron: tom: 1. annal: ad annum Christi 34. sequitur, arbitrati sunt duo diversa pocula Christo oblata fuisse: alterum vini myrrhati, alterum verò vini felle misti; & prioris quidem meminisse volunt Matthæum, posterioris verò Marcum.

4. Contra verò S. Hieronym: S. August: Beda, Anselmus, alijq; asserunt unicum duntaxat poculum Christo exhibitum ante crucifixionem, nam illa in Cruce sitienti, aceti oblatio diversa fuit, ideo Matthæus *felle mistum*, Marcus *myrrhatum*, propter amaritiem dixisse censendus sit. Vinum enim myrrhatum, quod reis ac latronibus præparatum erat, merum exhibuêre, Christo impij illi satellites inauditâ barbarie cupientes eum vel tantillo solatio privare, intrito felle corrupêre: idq; ut ait S. Ioan: Chrysost: ex nefaria quadam ac summa contumelia afflictionem addere conantes afflicto.

5. Simon de Cassia ex Ord: S. August: gravis Theologus pro felle intelligit centaurion minùs fel terræ dictum, herbam amarissimam, myrrhato vino à militibus immistam credit. Sed probabiliùs est verum animalis cujuspiam arefactum fel accepisse, quòd vino commiscuerint.

6. Cornel: à Lap: in cap: 27. Matth: notat, quòd omnes Codices Latini tam in Matthæi, quàm Marci textu *dederunt ei vinum:* prout etiam Origen: S. Ambr: S. Hieron:

ron: S. Hilar: S. August: l. 3. de cons: Evang: c. 11. constanter legunt, *vinum*; licèt Græci cum S. Chrysostomo, Theophil: Tito, Euthim: tum & Syrus legant *acetum*, id est vinum corruptum, quia erat acerbum & acetosum.

Euthimius inquit: *Arbitror fragmenta aridi fellis in aceto emollita fuisse, ut acetum quidem locò vini esset, illa verò fragmenta pro buccella panis, & præcipuè sanè potum dederunt, consecutivè verò etiam cibum; his enim qui animo destituuntur, vinum præbere solemus, iniecto pane, ut primùm bibentes, postmodum etiam possint edere.* Ergo fel fuit quasi panis & esca, vinum verò, seu potius vappa, potus Christi. 7.

LXXXV.

Quare Christus oblatum vinum bibere recusavit?

MAtth: 27. 34. *Et dederunt ei vinum bibere cum felle mistum. Et cùm gustâsset, noluit bibere.* Rationes dat Drexelius de Christo moriente p. 2. c. 6. § 3. quas hîc prætermissis aliorum annotamus. 1.

Primò. In cibo potuq; sumendo temperantissimus fuit Christus; atqui temperantia bibere non solet, cùm bibendi causam non habet, quemadmodum eo tempore non habuit. 2. Vt futura in Cruce sitis tantò intensior eò magis cruciaret, quò minùs potionis præcessisset. 3. Hieronymus mysterium hîc latêre censens, Christus, inquit, verè mortem subijit, sed id gustus duntaxat fuit, quoniam secundùm humanitatem tantùm est mortuus, brevî ad vitam rediturus. 4. Pars etiam minima tot Christi cruciatuum suffecisset ad redimendum orbem universum, veluti iste myrrhati poculi gustatus unicus. 2.

Sed voluit Christus copiosam esse redemptionem, & excessum admirandum, &c. Verè fuerat excessus. Nam homo qui tanta patiebatur, erat infinitæ dignitatis; dolor, quem patiebatur, summæ acerbitatis. 5. Cùm gustâsset, noluit bibere, nam innumerabilis populus, qui præsens aderat, facillimè credidisset, porrectum Christo apianum aut conditum svave vinum doloribus leniendis. 6. Sunt qui dicant myrrhatam potionem illam ita fuisse confectam, ut acceleraret mortem; vel quia vulneratis noxia, vel quia venenata. In recusando igitur hoc poculo Christus publicè testatus, se placidè ac voluntariè ad mortem ire, nutu & arbitrio Divini Patris, nec cupere sese celeriorem patiendi finem, vel unâ horulæ parte, & mori velle non veneno, sed Cruce. 7. Sunt qui censeant hoc tali potu reorum sensus sopiri solitos, & talem porrigere præceptum esse Iudæis. Christus igitur rectissimè noluit bibere, ne crederetur in Cruce pati aut loqui ebriùs. Atq; etiam, ut dictum illud sibi constaret. *Dico vobis: non bibam amodo de hoc genimine vitis, usq; in diem illum, cùm illud bibam vobiscum novum in Regno Patris mei.* Matth: 26. 29. Ita soporem & oblivionem respuit, ut erudiret nos tanti beneficij nunquam esse immemores.

3. Potest hìc addi quare Christus Dominus amarum illum potum noluit bibere, scilicet quia non solùm in toto corpore sanctissimo, sed etiam in sensibus fuit enormiter cruciatus, nempe, *Visus*, ex proditoris Iudæ armatas cohortes contra se ducentis, & aliorum Discipulorum fuga, ex immanissimorum hostium & minantium carnificum catervis, tum ex virginei ac immaculatissimi corporis proprij nuditate, afflictus. *Auditus* blasphemijs, opprobrijs, calumnijs, & inconditis vocifera-

tionibus

tionibus; *tolle, tolle, crucifige eum.* (Ioan: 19. 15.) affectus. *Odoratus* graveolentiâ & fætoribus maximè in carcere apud Caipham repletus. Delicatissimi corporis *Tactus* restibus, catenis, sputis, virgis, flagellis, ac alijs crudelitatis instrumentis oppressus, & concussus. *Gustum* deniq; torquere volentes crudelissimi carnifices amarissimam potionem, ut iam supra dictum est, offerebant, ut etiam ipsa viscera ejus acrimoniâ inficerent, ac planè intoxicarent. Sed dulcissimi IESV naturalis dulcedo quomodo amarescere potuit? siquidem *favus distillans labia ejus, mel & lac sub lingva ipsius,* (Cant: 4. 11.) atq; Virgineo Matris misericordiæ enutritus lacte, rectiùs de se, quàm Iob dicit. c. 31. v. 18. *Ab infantia mea crevit mecum miseratio: & de utero Matris meæ egressa est mecum.* Ideoq; dulcissima *viscera misericordiæ, in quibus visitavit nos oriens ex alto:* (Luc: 1.) nullo amarore vitiare permisit.

LXXXVI.

Cur Christus non in civitate, sed extra eam mori voluit?

Extra portam Christus mori voluit, ut extra Bethleem nasci, ne pro solis se offerre Iudæis videretur, qui pro salute omnium venerat immolari. Notavit id S. Aug: serm: 130. de temp: ubi sic loquitur: *Ideo non sub tegmine, neq; in templo Iudæorum pati voluit, ut non subtraherent sacrificium salutare Iudæi, neq; existimes pro illa tantùmmodo gente hanc hostiam offerri: propterea enim extra civitatem & extra muros passus est, ut intelligas, quoniam communis est hostia pro genere humano oblata.* Quod etiam S. Chrysost: hom: de Cruce & latrone sentit. *Ne putares* (ait) *pro illa tantùm plebe, id est Iudaica oblatum* I.

Christum; ideo foras civitatem, ideo foras muros, ut scias sacrificium esse commune.

2. Extra civitatem exit in montem crucifigendus, ut demonstraret fructum; efficaciamq; passionis suæ, & trophæum victoriosæ Crucis suæ, nequaquam intra septa & muros unius civitatis, neq; intra unius populi tantùm angustias arctandum esse, verum in omnes omninò populos & nationes, propterea; omnibus gentibus accessum ad sese aptandum & dandum fuisse, propter quod Isaias hortabatur pridem Ierosolymam, ut dilataret tentoria sua, ut longos faceret funiculos tabernaculorum suorum, ut scilicet non solam se putaret habituram Christum, sed dandum esse omnibus gentibus ad Christum per Fidem accedentibus locum. Hoc quàm breviter, tam eleganter expressit S. Leo serm: 9. de pass: *Vt Crux Christi non templi esset ara, sed mundi.*

3. S. Hieron: super Matth: c. 27. dat rationem, quare extra urbem & foris Christus crucifixus: *Propterea autem ibi crucifixus est Dominus, ut ubi priùs erat ara damnatorum, ibi erigerentur vexilla martyrij: & quomodo pro nobis maledictum Crucis factus est, & flagellatus, & crucifixus. Sic pro omnium salute, quasi noxius inter noxios crucifigeretur.*

4. Idem D. Paschas: l. 12. in Matth: sentit: *Calvariæ locus debellatorum erat, & eorum, qui diversis in mortibus afficiebantur cruciatibus; ibi ergo crucifigitur Dominus, ubi priùs area erat damnatorum, ut ibi erigerentur deinceps vexilla Martyrum.*

5. Extra urbem Dominus Crucis trophæum erigit, ut ostenderet, imò re ipsâ faceret propter ingratitudinem populi Iudaici transferre se, & gloriam Crucis suæ foras, & quæsiturum imitatores, amatores, & adoratores, ba-

iulatores Crucis suæ foras, &c. Impletumq; est iam illud Dominicum dictum ad Iudæos Matth. 21. 43. *Ideo auferetur à vobis Regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus ejus.*

In montem Christus cum Cruce evadit, ut ostenderet se non tantùm non erubescere, aut non abominari Crucem suam, sed etiam cum illa se spectandum dare velle omnibus omnium hominum oculis. Et ut doceret etiam quòd consortium Crucis suæ habere volentibus simul etiam ad montem excelsæ generosæq; perfectionis in omni virtute connitendum esse. Vix enim possunt absq; se consistere hæc duo: Crux absq; perfectionis monte, & mons perfectionis absq; Cruce. Imò verò & Crux est baiulanda, & mons ascensu superandus. Plura apud Lyræum, Družbicki, & alios reperies. 6.

LXXXVII.

Mons, in quo Christus crucifixus unde Calvaria dictus? & an ibi Adam fuit sepultus?

QVòd mons ille Golgotha vel Calvaria fuerit denominatus, rationes apud SS. Patres & authores lego. 1. Alij, quia calvus, arboribus sterilis, & totus saxosus, alij, quòd damnatorum supplicio destinatus erat, & sic à multitudine Calvariarum illic promiscuè iacentium denominatum esse volunt, alij à Calvaria primi Parentis Adami ibi sepulti nomen attribuunt. Alij deniq; propter Christum in Adamo præfiguratum omnium hominum caput ibi occidendum atq; in proximo sepeliendum etymologiam deducunt, ut ait Lyræus.

Eundem montem Calvaria, aliqui montem Moria de- 2.
nominatum

nominatum volunt, in quo olim Iſaac ab Abrahamo Patre ſuo Deo offerendus erat, locò cujus aries in holocauſtum oblatus. In hoc loco etiam creditur Adam primus homo ſepultus, in eodem etiam ex Hebræis aliqui aſſerunt Abelem & Caimum Deo ſacrificâſſe. Montem hunc Abraham Genes: 22. 14. *Appellavit nomen loci illius, Dominus videt. Vnde usq; hodie dicitur: In monte Dominus videbit.* Ac ſi diceret: vidit quidem Deus hîc ſacrificium filij mei Iſaac, quod ego facere paratus eram ex ipſius voluntate: ſed veniet olim quoq; tempus, in quo Deus Vnigenitum ſuum videbit reverà immolatum & occiſum, &c. Tunc in monte iſto Dominus videbit gratiùs utiq; quàm hoc meum ſacrificium, videbit pleniorem quàm aut meam aut filij mei obedientiam: &c. Videbit in monte Dominus non Iſaacum, ſed IESVM, non meum, ſed ſuum Filium de Cruce pendentem, &c. Carthagena. Hoc pronum fuiſſe cogitare Abrahamum in tempore illo deduci ſatis poteſt ex verbis Chriſti. Ioan: 8. 56. *Abraham Pater veſter exultavit, ut videret diem meum: vidit, & gaviſus eſt.*

3. Sanctius Avila lib: 1. de venerat: reliq: c. 7. tradit Adamum antiquitus ſepultum fuiſſe in Hebron,(ſed Baronius non Adam primum hominem, ſed Arbeum quemdam, qui maximus fuit inter gigantes, in Hebron ſepultum aſſerit: ut Ioſue 14. 15. *Nomen Hebron ante vocabatur Cariath Arbe: Adam maximus ibi inter Enacim ſitus eſt:*)poſtea verò inde à Nöé exhumatum, ne diluvij aquis oſſa perirent; poſt diluvium autem ea filijs diviſa, & quia cæteris liberis præferebat Sem, caput illi Prototoplaſti dedit. Cui cùm Palæſtina in ſortem obtigiſſet, in monte illo, id eſt Moria, ſepelivit, indeq; locò illi nomenclatura Calvariæ indita eſt. Quod præfatus author anti-

quorum

quorum teſtimonijs eruditè confirmat. Ea de cauſa ad pedem Crucis cranium humanum depingi ac ſculpi paſſim in uſu eſſe firmum ac perpetuum hujus rei emblema Ioannes Molanus de picturis l. 4. c. 78. prudenter annotat.

Origen: tract: 35. in Matth: *Locus*,(inquit,)*Calvariæ dicitur diſpenſationem habere, ut illic moreretur, qui pro hominibus fuerat moriturus. Venit enim ad me traditio quædam talis, quòd corpus Adæ primi hominis ibi ſepultum ſit, ubi Chriſtus crucifixus eſt, ut ſicut in Adam omnes moriuntur, ſic in Chriſto omnes vivificentur, ut in loco illo, qui dicitur Calvariæ locus, id eſt locus capitis, caput humani generis Adam, reſurrectionem inveniat cum populo univerſo per reſurrectionem Salvatoris, qui ibi paſſus eſt, & reſurrexit.* 4.

Cùm Adamo inter cætera Fidei noſtræ arcana, & hoc ad ſolatium ei revelatum fuit, (ait Lyræus) cum Dominum audivit dicentem ſerpenti. *Inimicitias ponam inter te & mulierem, & ſemen tuum, & ſemen illius: ipſa conteret caput tuum,* Gen: 3. 15. Verbum Patris ex eo humanam carnem ſumpturum eſſe, morteq; obitâ Ieroſolymis redemptionis pretium exoluturum; quid mirum, ſi filios ſuos fide datâ obſtrinxerit ad oſſa ſua iſthuc devehendi, ubi tanti beneficij gratiâ cominus perfrui ſe poſſe ſperabat: Quod idem & Iacobum Patriarcham, & filium ejus Ioſeph dum in Ægypto moreretur, commoviſſe ſcimus, ut inde poſt mortem evehi, atq; in terra Patribus promiſſa tumulari à filijs vehementer flagitarent. 5.

Rectè S. Baſilius hanc ſententiam vocat communem, nam tum veterum Patrum authoritate, tum recentiorum Doctorum aſſertione ſtabilitur. Ex antiquis S. Cyprian: de reſurr: S. Ambros: in c. 23. Luc: S. Aug ſt: 6.

de temp: ſerm: 71. Tertull: contra Marcion. l. 2. Cyrill: Athanas: de paſſ: Anaſtaſius Sinaita Patriarcha Antioch: l. 4. tum & alij. Ex recentioribus Baron: & Bellarm: Cardinales, ille an: 34. hic verò tom: 3. de amiſſ: gratiæ, Maſſius in c. 14. Ioſue. Toletus in c. 19. Ioan: Lorinus in c. 10. Sap: Salmer: tom: 10. Pererius in Genes: lib: 7mo. Villalpandus tom: 3. Torniellus tom: 1. tum & cæteri recentiores.

7. Verùm ſufficiat pro veritatis hujus argumento eruditus ſermo Sorbonici Doctoris Antonij Monchiaceni de Mocharis ad Patres Sacri Concilij Tridentini feriâ 6. Paraſceves, anno 1564. 9. Aprilis, in quo plurimos Patres & authores ad probandum in hoc etiam ſenſum ſuum adducit. B. Epiphanius (ait ille) lib: 1. adverſus Tacianos & Hæreſim quadrageſimam ſextam ſcribens impletam eſſe prophetiam dicit, quam B. Paulus ad Epheſios refert c. 5. dictumq; fuiſſe ipſi Adæ ſepulto in loco Calvariæ, ubi crucifixus fuit Dominus: *Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus.* Quia videlicet tactus ſangvinis Chriſti & corporis ejus dependentis ſuper ſepulchrum ipſius Adæ, ipſe Adam ſit illuminatus, & locus ille Calvariæ id circo appellatus, quòd ibi antiqui hominis & primi Parentis conditum eſſet caput. B. Cyprianus illo antiquior hanc ſententiam confirmat ſermone de Reſurrectione Chriſti dicens. Chriſti ſangvine conſperſa creditur Adam Calvaria, qui ſub loco quo Crux Domini fixa eſt, humanatus traditur ab antiquis ejusdem ſangvinis ſanctificati elapſu. B. Hieronymus refert de eadem re: in commentarijs epiſtolæ ad Epheſios cap: 5. ſe audiviſſe quendam in Eccleſia diſputantem de hoc loco B. Pauli, qui in theatrale miraculum nunquam ante viſam formam populo exhibuit prædi-

ctam sententiam. His tribus multò antiquior B. Ireneus ab hac sententia non multùm discessit, qui dicit primum Parentem fuisse omnium, primum per Christum vivificatum, & salvatum: sic enim scribit c. 32. libri tertij. Secundus homo, (nempe Christus) alligavit fortem, & diripuit vasa ejus, & evacuavit mortem, vivificans eum hominem, qui fuerat mortificatus. Hucusq; Doctor Sorbonicus.

Minimè tamen aberrârunt & illi, qui montem eum Calvariæ dictum prophetico instinctu à verò omnium hominum capite Christo IESV in eodem monte occidendo deducunt, prout S. Cyrillus Ierosolymitanus Catechesi 13. ait: *Golgotha interpretatur Calvariæ locus. Aliqui ergo prophetice locum hunc Golgotham appellarûnt, in quo verum caput Christus Crucem sustinuit, sicut Apostolus dicit, qui est imago Dei invisibilis,(& post pauca)& ipse caput corporis Ecclesiæ(& rursus)omnis viri caput est Christus.(Et iterum:)qui est caput omnis principatûs. Caput hoc in loco Calvariæ passum est. O magnam propheticam appellationem! Propemodum enim nomen hoc admonet te docendo, non ut simplici homini attendas crucifixo: caput est omnis potestatis, caput habens Patrem. Caput enim viri Christus, Caput Christi Deus.* 8.

LXXXVIII.

An Christus Dominus totus nudus in Cruce fuit suspensus?

EXpressimus superiùs quæstione 67. Christo Domino quatuor vicibus vestimenta tempore passionis ejus detracta fuisse, scilicet ad flagellationem, ad coronationem, seu ad purpureæ vestis assumptionem, quâ detractâ etiam ante Crucis baiulationem, ultimò iam crucifigen- 1.

dus, exutus fuit vestimentis suis, de quo vide in præfata quæst: 67. & 45. Sed hæc ultima in ferali illo Calvariæ loco vestium detractio innocentissimo IESV dolorem super dolorem addidit, tum ob adhærentis carni ac vulneribus tunicæ violentam avulsionem, atq; omnium plagarum renovationem, tum ex pudicissimi corporis denudatione: & quamvis nihil in eo esset, propter quod pudefieri deberet, puduit tamen eum summopere, nam qui antea vel flagellandus, vel purpurâ induendus, iterumq́, exuendus in Prætorio coram paucis denudatus fuerat, nunc iam in aprico montis vertice multis deridentibus, subsannantibusq́; omni corporis amictu spoliatur, ac denudatur.

2. Verùm utrum totaliter nudus, Cruci affixus, ac suspensus fuerat? variant hac in materia diversi authores. Alij totam nuditatem, alij verò velaminis quandam præcinctionem contendunt. Asserentes communem variarum Gentium, tum præcipuè Romanorum morem adducunt, nudos penitusq́; detectos, damnatos cruci affigi solitum fuisse, quod etiam S. August: l. 16. de civit: Dei c. 2. & l. contra Faustum c. 12. affirmat. Et quandoquidem rapacissimum militum genus damnatorum pannicularia (ut quidam dicit) bona in præmium crudelissimi & execrandi laboris iuri suo pertinere existimabant, profectò non tantùm ea, quæ Christus in se habuit vestimenta, sed insuper, si quis nuditati ejus aliquod velamen ex pia offerret commiseratione, rapaci auferrent manu. Nam cum milites illi, tum Iudæorum pecuniâ corrupti, tum infernali odio contra Christum accensi, quàm ignominiosissimè Salvatorem nostrum mori voluerint, (recolere irrisiones, improperia, & innumeras factas molestias, vilissimæ purpuræ peripsema, aculeati serti coronam, vap-

pæ vini amaritudine confecti potum,) ejusdem odij virus, etiam in Cruce affixo & elevato demonstrârunt ex totius corporis ejus denudatione. Hujus sensûs sunt Gretserus l. 1. de Cruce, c. 22. Francisc: Luc: Cornel: à Lap: Suar: tom: 2. ad 3. p. disput: 36. sect: 4. Drexel: de mor: Christo p. 2. c. 6. § 4. tum & alij, & in subsidium suæ opinionis adducunt S. Ambros: in c. 22. Luc: *Nudus Crucem ascendit, talis ergo ascendit, qui sæculum vincere parat, ut sæculi adiumenta non quærat. Victus est Adamus, qui vestimenta quæsivit, vicit ille, qui vestimenta deposuit.* Et inferius c. 23. inquit. *Refert considerare qualis ascendit? nudum video. Talis ascendit in Crucem, quales nos Authore Deo natura formavit. Qualis in paradyso primus homo habitaverat, talis ad paradysum homo secundus intravit.* Adiungunt etiam Thaulerum exactæ vitæ Christi c. 33. *Adam,* (inquit ille.) *Ob amissam innocentiam tegere se & vestibus operire festinavit, Christus verò nudatus est ab eo, quòd integram & illæsam servaret innocentiæ puritatem, nec ullo ei alio tegmine opus erat.*

Considerandа etiam Euthimij in c. 27. Matth: ad verba illa: *diviserunt vestimenta ejus, sortem mittentes:* assertio. *Considera totum Salvatoris corpus iniurijs affectum: caput quidem per spineam coronam & arundinis percussionem, faciem per sputa, maxillas autem per alapas, os verò per fel & acetum, aures per blasphemias, collum per colaphos; dorsum & pectus flagellis & verberibus, manus autem & pedes clavis, latus verò lanceâ, cæteras quoq; partes chlamyde.* Profundè considera quæ sequuntur. *Et ut semel dicam, totum corpus spectaculo expositum.* Omnia superiora tormenta in hoc uno recapitulantur, quòd corpus ejus nudum esset expositum omnium spectaculo. Vt semel dicam tanquam omnes ejus cruciatus, totum cor- 3.

pus ejus ſpectaculo eſt expoſitum, quòd ſcilicet eſſet denudatum.

Prætermiſſis & aliorum authorum probationibus totalem Chriſti nuditatem aſſerentium, expedit contrariæ ſententiæ Patres ac authores adducere; inter quos cenſetur D. Anſelmus de paſſ: Chriſti, Abulenſis, Dyonis: Carthus: Barrad: Carthag: Lyræus, Sylveira, tum alij non pauci, & poſt contrariæ ſententiæ refutationes, (quas brevitatis ergò omittimus,) aſſertionem ſuam probant ex revel: S. Brigittæ l. 1. c. 10. & l. 4. c. 7. tum etiam ex linteo, quo in Cruce pendens coopertus fuit Chriſtus, quod Aquiſgrani ſummâ veneratione & in Bavaria colitur, tum ex ſindone ſacra, in qua Chriſti corpus de Cruce depoſitum, involutum, & ſepultum fuit; firmum ſenſum ſuum aſſerunt, aliquo tegumento in parte Chriſti nuditatem coopertam fuiſſe. Sed ad conciliationem harum diverſarum opinionum, arridet mihi multùm P. Drexelij ſenſus, dum dicit in Cruce Salvatorem duplex habuiſſe velum: Nigrum, à ſole mutatum, qui tenebras offudit huic ſpectaculo quale ab orbe condito ſol non vidit: & purpureum, quod è Pilati domo à columna ſecum (vel potiùs in ſe) attulit; nam corpus totum ſangvine, & uno velut vulnere obductum verecundiſſimè celavit diſcrimen membrorum. Ita Chriſtus pependit in alto nudiſſimus ſine ulla oculorum offenſa. Et cùm Iſaias dicat: *non eſt ſpecies ei neq; decor: & vidimus eum, & non erat aſpectus, & deſideravimus eum.* (c. 53. v. 2.) inferre poſſumus, ſi non fuit decor, ergo vel ſummum dedecus ex nuditate, ad quam præter illa duo ſuperiùs citata velamina, addi poteſt maximam inde Chriſti confuſionem, quâ ſicut diploide indutus fuit. Unde ingemiſcit Chriſtus per Prophetam Pſal: 43. 16. *Totâ die,* inquit

verecundia

verecundia mea contra me est, & confusio faciei meæ cooperuit me. Vel minima decentium oculorum offensio ex nulla sacratissimorum membrorum ejus discretione: *vidimus eum, & non erat aspectus, & desideravimus eum despectum, & novissimum virorum, virum dolorum, & scientem infirmitatem, & quasi absconditus vultus ejus & despectus, unde nec reputavimus eum.* Isaiæ ibid:

Amoto vero deinceps utroq́, illo velamine, cum sci- 5.
licet & subita nox, quàm sol & luna consulendo verecundiæ sui Creatoris, contractis radijs offuderant; iam recesserit: & immanis laniena, quæ formosissimum super omnes filios hominum penitùs deformaverat, nullo satis penicillo scalprove sit imitabilis: in luce publica ut in aris, templis, domibus, compitis; nequaquam expedit effigiem crucifixi absq́; consveto semicinctio proponi. Dehonestat mysterium quisquis ille Apelles Phydiasve sit, qui secùs facit. Quòdsi vel Christi patientis in totum discoopertâ imagine non benè consulitur oculorum honestati: quantò maiore periculo profanarum imaginum nuditates proniores in deteriora hominum oculos flagellant. Meritò inverecundum pictorem acutus de Bolougne pupugit.

Ars tua naturam haud sequitur: contrarius illi es
Nam manifesta facis quæ iubet illa tegi

Nec sanè opus est ad vivum ut exprimas, eo modo 6.
fidelium oculis subijci quo crucifixus est ab eis, qui Psal: 21. *Canes* non tantùm ob mordacitatem, sed etiam ob impudentiam appellantur: ut notat Lyræus. Plurima quoq́; alia (teste Ioanne Molano in eum commiserunt, quæ satis verecundè nequeunt exhiberi: atq́; adeo *cùm tegitur, meliùs pingitur iste dolor.* Hinc factum quod S. Greg: Turon: lib: 1. de glor: MM. scriptum reliquit, ut

Chri-

Christus ipse Presbytero cuidam secundùm quietem visus, imaginem Crucifixi in templo vestiendam præceperit, ne penitùs nudus viseretur. Eadem videtur esse constans Ecclesiæ circa imaginem Crucifixi consvetudo ob adæquatam honestatis rationem inclita, ut ex antiquissimis picturis patet. Cujus consvetudinis ut historicum quoq; fundamentum adstrueret S. Anselmus vel ex pia meditatione, vel ex maiorum traditione Beatissimam Virginem detracto proprij capitis peplo, filij honestati consuluisse. S. Brigitta à B. V. revelatum sibi testatur, pium quendam virum illud velamen suggessisse quod ipsemet IESVS sibi aptaret. Nec ulla opinionum contradictio est, poterat enim porrigere, quòd mater filio dederat porrigendum. Lyræus obsequium idem vel à Ioanne, vel à Magdalena, vel certè ab assveta ejusmodi officijs Veronica existimatur proficisci potuisse, auro etiam forsitan aditum per militares catervas faciente. Quod, iuxta Poëtam, *per medios ire satellites, & perrumpere amat castra potentium ictu fulmineo.* Novant officiosam ejusmodi pietatem, qui Christum in suis membris egenis nudum, in suis aris, templisq; operiunt certante sumptu cum affectu: Sicut è contra instaurant crucifigentium immanitatem, qui eundem in ijsdem vexant rapinis ac cædibus, à fama, bonoq; nomine facto gradu ad fortunas & vitam. *Nudus* interim *IESVS nudos quærit amicos,* (ut ait S. Hieronymus,) qui scilicet vel irrogatam ab alijs nuditatem libenter sufferant, ut fecit S. Flavia nobilis Virgo, soror S. Placidi Martyris Martyr, de qua vide in vitis SS. ad 5tam Octobris: vel ultro insuper affectant, ut SS. Alexius, Ioan: Calybita &c. præsertim Serapion, Syndonites, qui teste S. Hieronymo, cùm dedisset amictum egeno, nudusq; sederet manibus

Evangel:

Evangelium tenens, de ſpoliatore interrogatus reſpondebat commonſtrans librum. *Hic me ſpoliavit* &c. Imitantur ſanctè cultum, hoc eſt nuditatem Domini ſui, qui *expoliant veterem hominem cum actibus & moribus ſuis*. Vt hortatur Apoſtolus ad Coloſſ: 3. Sed conſolantur ſvaviſſimè eandem nuditatem, qui ejusdem Apoſtoli obediunt dictis, ad Rom: 13. *Induite Dominum IESVM*. Pulchrè calluit hujus oraculi energiam B. Iacobus de Mevania Ord: Præd: Hic à Matre ſua cùm puer adhuc pecuniam pro veſte comparanda impetrâſſet, faberrimæ Crucifixi Imagini ad ſuam devotionem depingendæ impendit: Et Chriſtum crucifixum veſtem ſuam eſſe ingeminans, egregiè Matris increpationem Apoſtolico clypeo retudit. Atq; ob hoc deinceps cùm de ſua prædeſtinatione ſolicitus impenſè Crucifixum exoraret, hoc ex ejus ore meruit reſponſum. Ne dubita fili, en pignus, en ſignum habes ſangvinem, hinc quem vides manare. Interea cæpit ſangvis è pectore Chriſti tam copioſus effundi ut Iacobi vultus & veſtes eo madefactæ ac tinctæ fuerint, pretioſis ſangvinis ſignis aliquamdiu manentibus. *Hæc de illo Barry fœderis ſancti c.* 3. *Tiepolus pag:* 1055. *& ex utroq; Nadaſi prædeſtin: ſigno* 311. *n.* 45.

LXXXIX.

Quis modus Crucifixionis?

SVpervacaneum videretur quærere de modo Crucifixionis, cùm in eo ſupplicio tam inferendo carnificum immanitas, quàm perferendo Chriſti patientia modum prorſus non tenuerint. Hìc ſi uspiam verùm fuit quod Seneca ſubinde dixit: *qui medetur, conſiderat quomodo medeatur: qui autem laniat, minimè conſiderat quomodo laniet ac diſcerpat.* Absq; ulla conſideratione, mi-

ſerationeq́; Virgineo-Divini corpuſculi peracta eſt illa laniena. Omnem moderationem rabies impiorum, ſed & omnem mediocritatem tolerantia Piȷſſimi Domini noſtri exceſſit. Adeoq́; meritò S. Bernardus quandam proportionem amoris noſtri ad dolores Domini exigit, cùm ait. *Modus diligendi Deum eſt diligere ſine modo.* Sed quis amat quod ignorat? ut ergo amorem pro dolore ad menſuram aliquam poſſimus rependere; intereſt hunc ſupplicij modum ſine modo cognoſcere. Porrò ut unam propoſitam quæſtionem reſolvam; propono ac reſolvo quæſtiones quinque.

I. Fueritne Chriſtus in Cruce humi ſtrata an verò erecta affixus? Primùm velle videntur SS. Hieronymus, Cyrillus Alex: Leo, Anſelmus, Antoninus, Laurentius Iuſtinianus, qui poſtremus hæc formalia habet ſerm: de Paſſ: *nudatis veſtibus ſolo ſupinus extenditur configitur ſtipiti, in àëra levatur.* Accedunt Patribus clariſſimi Scriptores Abulenſis, Gretſerus, & Lyræus. Et ratio quæ illos movere potuit, eſt; tum quia facilior & expeditior ſit is modus; tum quia communiùs ita fuerint appenſi ij qui Crucem ad locum ſupplicij deferebant, *ut ait Lobbetius.* Levabantur verò in Crucem ij, qui ad præparatam ac erectam fuiſſent adducti. Præfiguràſſe putatur Chriſtum humi crucifixum *Iudic:* 16. Samſon per capillos capitis ſui cum terra confixus. Ita *Iudocus Andries in perpetua cruce.* Conveniebat etiam ut cruci humi iacenti incumberet tanquam hoſtia ſtrui lignorum ſuperimpoſita, cui priùs non ſecùs ac victimandis pecudibus pellis detrahebatur; ſic unâ cum veſtibus lacera concretaquè ſangvine cutis hinc inde fuerat detracta. Hunc modum Crucifixionis paſſim repræſentant pictores, ipſaq́; Eccleſia firmare videtur, cùm in Paraſceve Crucem humi ponit

nit adorandam osculandamq; fidelibus, non verò statuit erectam: rememorat (ni fallor) stratam super humum eo die crucem extensumq; per illam Redemptorem. Imò P. Matthias Tanner cruenti sacrificij pag: 117. elevatione Sacræ Hostiæ in Missa repræsentari ait mysterium Christi cum cruce in altum levati. Cum scilicet quasi signum ad sagittas proponeretur, ceu signum, cui omnes contradicerent, & in quod blasphemias evomerent. Blasphemorum verò istorum quia Evangelium tria fuisse genera recenset. 1. Principes Sacerdotum, Scribas, & Legisperitos. 2. Latrones socios supplicij. 3. Prætereuntes milites, & promiscuum vulgus, ideo etiam ter signum campanulâ datur admonens, excitansq; populum ad Christum adorandum, & hanc iniuriam suâ pietate abolendam. Ob quam etiam causam populus trinâ percussione pectus verberat detestando & dolendo super trina hac Christo illata iniuria. Quin aliquæ nationes, ut Poloni, sub elevationem faciem suam alapis cædunt, hâc oris mulctatione expiaturi & compensaturi illas oris blasphemi contumelias, subsannationes, atq; opprobria quæ iaciebantur in Dominum. Præit verò fidelibus Sacerdos elevationem Sacræ Hostiæ profundâ statim adoratione, id est Fidei in Christum professione continuans. Fulcit sententiam hanc & Adrichomius quâdam authoritate ex ipsius Terræ Sanctæ descriptione desumpta. Nempe triginta quinque pedibus à loco ubi Crux fuit rupi implantata, perpetuâ traditione coli spatium crucifixionis: ibidem sacellum erectum fuisse pavimento faberrimè marmoribus pretiosis tessellato, quo nihil Terra Sancta habuerit elegantius teste Francisco Quaresmio. Quo Christiani veteres locum illum affixionis Domini honestare, memorabilemq; facere voluerunt. Meditan-

tur insuper quidam hujus sententiæ Contemplatores apud Sylveiram, quòd extenso affixoqué supra Crucem Domino, ipsa Crux versa fuerit in humum, ut clavorum acumina retorquerentur ac recurvarentur: quo facto necesse fuit Corpus Domini expansum terræ allidi, electumqué illum Botrum Cypri è vineis Engaddi tanto ligni pondere ceu torculari comprimi.

Contra in Cruce iam erecta suffixum existimant SS. Cyprianus, Augustinus, Gregorius Nazianzenus, Chrysostomus, Gregorius Magnus, Bonaventura, & vetus Evangeliorum Paraphrastes Nonnus Panopolites. Hos seqvuntur recentiores Consalvus Durantius, Toletus, Ribera, Molanus, Mallonius, Iustus Lipsius. Fundatur sententia in illo Cantic: 7. *Ascendam in palmam & apprehendam fructum ejus.* Vox enim ascendendi non videtur servire extensioni super terram. Perfectiùs ergo & magìs propriè ascensum Christi ad Crucem prædicit. Huc accommodatur & illa Benedictio Iacob, Iudæ filio suo Christum figuranti data, *ad prædam fili mi ascendisti.* Gen: 49. Eodem allusisse videtur Salomon, qui Cantic: 3. ait sibi ferculum fecisse de lignis Libani. S. Ambrosius legit. *Lectum fecit sibi Rex Salomon.* Hebræus vertit. *Lectulum genialem.* Alius. *Thalamum honorificum.* &c. &c. Quorum interpretationem vide apud Cornelium à Lapide in Cantica. Aponius notanter ait. *Ferculum seu lectica & quasi currus triumphalis Crux Christi fuit.* Ad hanc Salomon *ascensum purpureum mediâ charitate* dicitur constrâvisse. Quid ascensus purpureus? Respondet V. Beda, sangvineus sudor, Passio, mors, martyrium. Imò ad literam omnia per quæ Dominus ad Crucem ascendebat irriguo sangvine ceu ostro tinxit. *Mediâ* deniq; *charitate constravit* cum amore inflammatus Media-

tor Dei & hominum corpus ſuum per mediam Crucem voluit diſtendi. Addit non leve pondus huic ſententiæ arcanorum cæleſtium Secretaria S. Brigitta quæ lib: 7. c. 15. ſibi montem Calvarium perſonaliter inviſenti Divinitùs revelatum ſcribit. *Cùm igitur Crux ſolidè firmata eſſet, ibidem ſtatim adaptabantur tabulæ ligneæ in circuitu ſtipitis crucis, per modum graduum usq; ad lignum ubi pedes ejus configi debebant, ut poſſent per illos gradus tabularum tam ipſe quàm crucifixores aſcendere, & aptiori modo ſtare ad crucifigendum. Quo facto ſtatim crucifixores omnes tabulas amoverunt, & tunc remanſit Crux ſola & alta & Dominus meus crucifixus in illa.*

Mediam viam ingrediuntur Barradius & Eſcobar. Cenſent enim manus quidem affixas Cruci in terra iacenti, pedes verò erectæ & ſtatutæ in alto. Quare oportebat forſan in hac ratione crucifigendi aſtringere corpus Cruci, ne inter elevandum huc illuc fluitando iactaretur, aliàs periculum erat, ne degravante ſuo pondere corpus brachiorum compage iam inter diſtendendum luxata abrumperetur. Quanquam non eſt cur ita ſolicitos de non iactando huc illuc penſili corpore nobis imaginemur crudeliſſimos homines: vero ſimiliùs imò eſt crudelitatem acerbâ illuſione cumulâſſe, corpusq; illud fluctuans ceu in petauro ludum ſibi iocumq; feciſſe & patibularem volucrem appellitâſſe. Adhibuerunt ſcilicet aliquam circumſpectionem ut molliùs leniùsve attollerent, quem duriſſimè ac diriſſimè extenderant: Vt iuxta opinionem revelationesq; plurium ſanctarum animarum maximus præ omnibus doloribus fuerit dolor in pectore: experimento id aliquo conſtat ijs, qui expanſis manibus aliquamdiu orant: quia enim extenſio brachiorum dolorem pectoris ſuo pondere gravantis cauſat, diu illam

vim

vim perferre vix possunt. Quid iam existimabimus de affixis immobiliter manibus? quantam inde pectori dependenti violentiam fieri necesse fuerit? Sive autem tam accuratè distentus in Cruce fuerit Dominus, ut corporis reliqui pondere brachia non possent defluere, sed cogeretur trabi per modum asseris affixi incumbere: pronum est cogitare quanta vis pectori fieri debuerit, quantusq; dolor in ea potissimum parte, siquidem ex ea tanquam ex centro membrorum omnium convulsio distractioq; fiebat. Sive (ut alijs placet) laxiùs quantùm ad manus distentus fuerit, ut brachia defluere potuerint, neq; sic à pectore summus dolor divulsioq; compagum & costarum abesse potuit. Meditantur enim aliqui quòd cùm Christus Cruci affixus sursum elevaretur, post aliquam à terra sublevationem incuriâ an consultò prolabi in terram permissus sit, quem casum sequi immanem corporis aliàs pessimè tractati concussionem dismembrationemq; cum inexcogitabili dolore fuit necesse. Similis altera procul dubio in prima sententia evenit, cùm trabs Crucis in scrobem præparatam præcipiti descensu demitteretur. Hæc porrò hisq; similia tam meditandi quàm dicendi idem fundamentum videtur quòd Petrus Cellensis lib: 9. epl: 9. magnificentissima quæq; de B. V. MARIA opinandi præstruxit. *Multa* (inquit ille) *præsumuntur de Virgine, quæ nusquam leguntur: & præsumptionibus standum est donec probetur contrarium.* Videlicet sicut amori Dei erga B. Virginem nihil excellentiarum negandum est, quod iuxta rectam rationem cogitari potest; ita odio Iudæorum aliorumq; crucifixorum à dæmone instigatorum in Christum, nihil crudelitatis omissum, putandum. Cùm essent non pauci; quod uni in mentem sua malignitas non suggessit, suggessit alteri;

quominùs verò quidquid vellent efficerent, quis prohibuit? imò quis non inſtigavit? irritante maximè peſſimos ipsâ Domini manſvetudine. De ſe prædixit quod dixit de Baptiſta ſuo Dominus *fecerunt in eo quæcunq; voluerunt* Matth: 17. In hac ergo nocendi & flagrantiſſima voluntate, & ampliſſima facultate habuerunt ſcilicet aliquam rationem commodiùs Crucifixum elevandi, in eumq́; finem funibus aſtrinxerunt penſile corpus? Niſi fortè ut ipſorum fûnium ſcabritie, laceratum, ampliùs concerperent. Hæc & in patiente Domino dolorum fuit aviditas ut ſicut venit daturus ſalutem & daturus abundantiùs: ita & quidquid pateretur ex hoc motivo, abundantiùs quoq́; pateretur.

In tanta ſententiarum diverſitate Salmeron, Suarez, Cornelius à Lapide, Sylveira, &c. nihil determinant, totamq́; rem in medio relinquunt. Si enim acerbiſſimus modus tam crucifixo quàm crucifixoribus placuit: difficillimum eſt conijcere quisnam talis fuerit? meo quidem judicio vel omnes æquè acerbi, vel unus ad alterum habuerunt ſe ut excedens & exceſſum; hoc eſt ſi quâ ſui parte lenior unus quàm alter videtur, hoc in aliquo alio abundè compenſat. Nec ideo lenior putanda eſt crucifixio in Cruce humi ſtrata: quia dicitur facilior & expeditior, talis enim eſt ſolùm reſpectivè ad crucifixores, non verò ad crucifixum: quibus quô faciliùs erat laniènam exercere, eò magis ardua perpeſſu in Chriſtum exercebant. Aut ſi in facilitate lenitatis quid inerat; elevatio Crucis, alliſio, præcipitatio in ſuum loculum compenſabat. Similiter loquendum in ſecunda ſententia de tabulato, per quod expeditiùs aſcendebant crucifixores; ſed immaniùs raptabatur lacerabaturq́; crucifigendus. Tertium modum ipſa jactatio corporis exhibet ſummè

hor-

horribilem. Quis igitur modus fuerit adhibitus? ille determinatè novit qui pertulit. Nobis sufficit credere quisquis fuerit, acerbum & dolorosum fuisse sine modo.

II. Tresne fuerint clavi an quatuor, ut sicut manibus singulis, ita, ita & pedibus sui sint infixi? *Figit adamantinos summis verticibus dura necessitas clavos*, canit Horatius lib: 3. od: 14. Et quid mirum? si figit ipsi Deo. Dura profectò necessitas moriendi, quâ sine vita melior non poterat mortalibus redire. Ipsa nihilominùs necessitas tam in substantia quàm in modo tam dira sponte, liberrimè, clementissimè amore nostri suscepta. Adamantinos illos clavos quis neget? imò quovis adamante pretiosiores, qui in manus *plenas hyacinthis* ipsosq; speciosos pedes evangelizantis Sion inciderunt: adamantini ijdem clavi ob duritiem magìs quàm ferrei; aut si quò ad materiam ferrei, quò ad sævitiam tortorum adamante duriores. Erant enim singuli sesquipedem longi ut (qui Parisijs unum inspexit) testatur Valladier apud Lobbetium, adeoq; non esse mirum quod iuxta revelationem S. Brigittæ longè ultra Crucis stipitem prominebant. Quò autem longiores erant, eò diutiùs graviorìq; dolore adigebantur. Certè ipsis pedibus Landspergius asseverat 35. ictibus mallei clavos incussos. Admeditantur alij consultò hebetiores adhibitos maioris tormenti causâ, & qui non nisi vi summâ validisq; malleorum ictibus compulsi, viam sibi facerent; in partibus maximè nervosis ac delicatis, opportueritq; adeo cum obtusis clavis, carnem atq; nervos in lignum impelli: quid si ijdem quadrati erant, aut rotundi quidem verùm crebrâ incisione terebræ adinstar inæquales, quæ & imaginari fateor, horror est, verùm à crudelitate barbarieq; ministrorum credibilitatem habent. Quod numerum clavorum attinet. Ternari-

um

um ſvadent veteres Hiſtorici Nicephorus, Zonaras, Eutropius, hiſtoriâ tripartitâ, & poſt hos Sigonius ex SS. Patribus adſtipulantur. S. Gregorius Nazianzenus qui Crucem *lignum triclave* appellat, & ternionem Divinis Perſonis ſacrum etiam clavis Dominicis quâdam proportione aſſignat. SS. item Anſelmus & Bonaventura, qui meditatione de vita Chriſti *tres tantùm clavos totum Corporis Chriſti pondus ait ſuſtinuiſſe.* Nonnus Panop: in Ioan: c. 19. *immenſo ait & ſingulari clavo pedis utriusq; pectusculum uno impetu perforatum affixêre, pedibus ſibi mutuò impoſitis ac complicatis.* Porrò ut faciliùs clavus unus utrumq; pedem tranſiret, conjecturat S. Bonav: priùs ferreâ ſude fuiſſe perforatos, ac tum iam parato foramini clavum inſertum. Affertur pro eadem ſententia S. Ambroſius qui citatis Hiſtoricis conſentire videtur: accedunt Ludolphus & Abulenſis; quorum poſterior dat rationem, quia clavorum hic numerus ſufficiebat; graviorq; dolor tribus quàm quatuor clavis cauſandus erat: quod inſtigantibus Iudæis ſpectabant milites, & Chriſtus optabat. Oportebat enim pedem pedi imponere, & clavo configere; qui clavus uti longior & craſſior eſſe debuit, diutiùsq; infigi: dubium non eſt, quin acerbiorem cruciatum intulerit. Confirmat rationem ſyndon Corporis Dominici quæ Niceæ ſive Nancei Lotharingiæ religioſè aſſervatur; in illa enim Diviniſſima pictura non penicillo ſed miraculosâ impreſſione totius corporis facta, unius pedis vulnus alterius vulnere latiùs eſt, magísq; hians, unde colligitur illum pedem ſuperiùs alteri incubuiſſe, craſſioreq; parte clavi magìs laceratum: ſi verò duo clavi fuiſſent, utrumq; vulnus æquè aut ſaltem ſine magìs notabili laceratione hiaret. Reſpondet in linea paralella modus hic crucifixionis, modo faſciationis, ut

ſcilicet ſicut infans recens natus uno alteri ſuperimpoſito pede faſciabatur, ita moriturus eodem habitu pedum conclavaretur. Prælusit formoſus Abſolon in figura *ſpecioſo præ filijs hominum*; non in cauſa, ſed in telorum numero; tribus enim ille confixus lanceis, hunc tribus clavis præſignabat configendum. Non leve momentum facit cor S. Claræ de monte Falco Virginis Auguſtinianæ, in quo cælator Amor cùm omnia Sponſi patientis arma, tum nominatim tres clavos effigiavit. Teſtatur Iſidorus Moſconus in vita illius: ſpectâſſe ibi non ſemel tres nerviculos, ex quibus tres clavi dependebant, duo quidem minores, & tertius maior. Eundem numerum & proportionem ſervavit S. Ignatius de Loiola in Sigillo Societatis IESV, pro quo cùm Sanctiſſimum nomen aſſumpſiſſet, iam olim à S. Bernardino Senenſi delineatum; quòd adhuc deerat, Crucem in medio ſuperiùs pro apice, inferiùs tres clavos appoſuit pro coronide. Eidem ſententiæ favit S. Hieronymus apud Lyræum, cùm per tres clavos Crucifixi, tres virtutes, quibus etiam ſine ſangvine poſſimus Martyres effici, intellexit. Scilicet obedientiam, patientiam, & humilitatem. Manum dextram configit obedientia ſine murmuratione; ſiniſtram patientia ſine ſimulatione, pedes humilitas ſine diſtinctione. Clavum obedientiæ impellit amor ſupernæ libertatis, clavum patientiæ timor pœnæ gehennalis: pedes verò configit humilitas, ut non ſolùm maioribus ſed & minoribus propter Chriſtum nos ſubijciamus. Deniq; tria ſubſtantialia Religionum vota, quid niſi totidem clavis Chriſti militant? ad eorum memoriam & cultum à ſtudioſis perfectionis Chriſtianæ hæc vota emittuntur, ijsdemque mundum ſibi, & ſe mundo; Chriſto deniq; in Cruce religioſa configunt. Latiùs patet Sacris Religionibus

Religio ipsa Christiana seu Ecclesia. Hæc quanta quanta est, tres solùm clavos in manibus pedibusq; Domini videtur agnoscere, cùm non aliter seu pingat, seu quâvis ex materia fingat Crucifixum, quàm gemino per manus & uno per utrumq; pedem traiectum clavo. Ita pijssimum hoc mysterium proponitur Europæ, ita Asiæ, ita Affricæ & Americæ: atq; adeo consensus per universum mundum diffusæ Ecclesiæ irrefragabile conficit argumentum pro tribus clavis.

Nequaquam tamen surdâ penitùs aure prætereunda sententia contraria. Docent & hanc SS. PP. graves & non pauci. S. Cyprianus M. distinctè asserit *clavis pedes terebratos:* S. Augustinus *vestigia diris confixa clavis.* S. Gregorius Turonicus, *duo* inquit *affixi erant in palmis, & duo in plantis*; breviq; post singulorum subijcit historiam. *Duo aptati fræno Constantini, tertius proiectus in mare Adriaticum, eo enim tempore mare magnis fluctibus movebatur: cùm proiectus esset à Regina Helena clavus, mare quietum reddidit. Quartum asserunt defixum esse in capite statuæ Constantini, ut tota ipsa civitas cui imminet, munitione salutis in illa galea coronata esset.* Nec obstat S. Ambrosius, qui oratione de obitu Theodosij ita loquitur. *Quæsivit Helena clavos quibus crucifixus est Dominus, & invenit; de uno clavo frænos fieri præcepit; de altero Diadema intexuit, unum ad decorem, alterum ad devotionem vertit. Misit itaq; filio suo Constantino Diadema gemmis insignitum, quas pretiosior, ferro innexa, Crucis Redemptionis Divinæ gemma connecteret. Misit & frænum. Vtroq; usus est Constantinus. Bonus itaq; clavus Romani Imperatoris qui totum regit orbem ac vestit Principum frontem, ut sint prædicatores qui persecutores esse consveverunt. Rectè in capite clavus, ut ubi sensus est,*

ibi sit præsidium: in vertice corona, in manibus habena, &c. Variat quidem S. Ambrosius Gregorianæ historiæ modum, sed non tollit substantiam. Potuit idem clavus coronare frontem Principis vivi, & infigi in galea deinceps statuæ Principe defuncto. Quod autem unum tantùm clavum in fræno collocat; utiq; non exprofesso ibi historiam, sed orationem texit: oratoriâq; deinceps libertate alios immemoratos præterit, delibatis duntaxat quæ ad rem suam erant, ad alia progreditur. Ego antequam ulteriùs progrediar, annoto ex Baronio *tom: 3. ad Ann: 326.* Nautas olim sanctificatum clavo Christi mare veneratos, cùmq; illud ingressi essent, iejunijs, orationibus, & Psalterio vacâsse. Frænum quoq; clavis Domini ceu sacro amuleto communitum, ut Iustino Imperatori contra Magi cujusdam insidias præsidio fuerit? vide apud S. *Gregor: Turon: lib: de gloria MM. c. 6.* Hinc neq; indignior usus clavi salutiferi ad equi frænum putandus est; cùm & à Propheta olim, ceu quid ex ordinatione Dei, ac eidem honorificum prædictus sit. *In die illa erit quod super equi frænum est sanctum Domino.* Zachar: 14. Innocentius III. Papa totidem clavos numerat, nec sine mysterio, nam quatuor clavos, quatuor dicit virtutibus cardinalibus respondere, non minùs aptè quàm illi qui tribus totidem virtutes Theologicas adsignificant. Idem intellige de substantialibus Religionum votis, nempe si tria, tres clavos adstruunt: pro quaternario numero quatuor substantialia quarundam Religionum vota militabunt. Certè S. Petrus Nolascus suum Ordinem B. V. M. de Mercede quarto voto obstrinxit ad manendum in pignus sub paganorum potestate, si pro Christianorum liberatione opus fuerit: S. Franciscus de Paula suos Minimos ad perennem vitam quadragesimalem: S. Ignatius suos Profes-

sos

ſos ad Miſſiones Apoſtolicas: S. Ioannes Dei ſuos Bonos Fratres: & Ven: Camillus de Lellis ſuos Clericos miniſtrantes infirmis,ad eorum curam. Alphonſus Paleottus Archiep: Bononienſis in explicatione Sacræ Syndonis c. 9. quatuor clavorum numerum refert ad myſterium quatuor mundi partium Salvatoris Crucifixione redemptarum. Huic etiam ſententiæ ſubſcribunt Cardinales celeberrimi Baronius, Bellarminus, & Toletus, qui *in cap: Ioan:* 19. argumentum ſumit numeri clavorum ex numero crucifigentium ipſis verbis S. Greg: Turon: *Crucifixores quatuor fuiſſe leguntur, quorum ſinguli clavos ſingulos infixerunt.* Tot verò fuiſſe crucifixores evincitur ex conſvetudine Romana, cujus meminit Seneca lib: de vita beata. *Vnusquisq; veſtrûm clavos ſuos ipſe adegit.* Et Plautus in Moſtellaria. *Ego dabo ei talentum primus, qui in crucem excurrerit, ſed eâ lege, ut affigantur bis pedes, bis brachia.* Miſſis alijs plurimis, hanc ſententiam Gvilelmus Damaſi Lindanus Epiſcopus Gandaven: Salmeron, Cornelius à Lapide, Eſcobar, Lobbetius, Gretſerus, Carthagena, Sylveira, Wittfelt, &c. probabiliorem eſſe exiſtimant. Fulcit authoritatem ratio, quia ſcilicet valde incommodè duo pedes uno clavo transfigi poterant, commodiùs longè duobus pedes: ſicut duobus manus erant affixæ. Et faciunt rationi fidem teſtimonia imaginum, inprimis non arte humanâ, ſed ipſius naturæ opificio elaboratarum ex lapide. Recitat Kircherus mundi ſubterranei tom: 2. tab: 4. ex Cardano Ticini in Monaſterio Carthuſienſium exhiberi ſaxeam Crucifixi effigiem non manu factam, & alterum ſimile naturæ ludentis opus venerandum Venetijs in Templo S. Georgij: utrobiq; pedes ſpecialibus clavis fixi conſpiciuntur. Admirabilior his omnibus, quia non iam naturæ, ſed gratiæ opus, vi-

va, Crucifixi imago, S. Franciscus Seraphicus, quam huc verbis Lucæ Wadinghi transfero. *In plantarum & palmarum medio infixi vulneribus prominebant clavi, non ferrei sed ferreis similes, nigri, duri, fortes, solidi, capitati, cuspidati, quorum materia ut dixit Alexander IV. de subjecto propriæ carnis excrevit, vel de materia novæ creationis accrevit: horum clavorum cuspides non directæ sed reflexæ tanto spatio, ut scribunt S. Bernardinus Senen: Pisanus, &c. ut retorto acumini digitus commodè posset immitti: moveri poterant clavi huc illuc in quamlibet partem, &c. &c. Annal: Ord: Min: tom: 1. pag: 316.* Subijcit paulò post idem Author Lucam Tudensem (cujus opus contra Albingenses extat tom: 13. Magnæ Biblioth: veterum PP.) sic loquentem l. 2. c. 9. *Alij nullâ fulti authoritate asserebant tribus tantùm clavis Cruci affixum fuisse Christum. Sed omnipotens Deus qui infirma mundi elegit, ut fortia quæq; confundat, per servum suum literarum elementis ferè rudem Franciscum occultâ fide ita illorum elusit argumenta fallacia, ut etiam inviti cedant manifestissimæ veritati.* Nec manu factarum imaginum spernenda authoritas, quarum ut antiquissimæ quæq; sunt, ita longiùs tam ab hodierna cultioris penicilli absunt licentia, quàm fictionis suspicione, ut pro historico autographo haberi possint. Colitur Lucæ in Thuscia, (cujus meminit Iacobus Bosius lib: de Cruce c. 15.) antiquissima Crucifixi statua cedrina S. Nicodemi in Evangelio laudati (ut creditur) opus, alia Lovanij apud S. Michaëlem, & Burgis in Hispania ejusdem scalpri teste Carthagenâ. Vetustissimæ quoq; aliæ effigies Parisijs; multis per Germaniam locis; Syroli prope Anconam; Modcetiæ ad Mediolanum in S. Ioannis (ubi & ferrea Imperij servatur corona) donum Gregorij Papæ I. argentea imago

à Theo-

à Theodolinda Regina Gotthorum Templi Fundatrice illic deposita; quotquot Romæ ex SS. MM. cæmiterijs eruuntur; quotquot ex Græcia prisci moris retinentiore afferuntur: omnes Dominum quatuor clavis confixum repræsentant. Quid ergo (dicet aliquis) communis iam à multis sæculis Ecclesiæ S. usus triclavem Crucifixi imaginem proponit? Respondet magnum inter Theologos nomen Gabriel Vasquez tom: 1. in 3. part: S. Thom: disp: 102. c. 2. citans allatum superiùs Episcopum Tudensem. *Albingenses in Gallia novi Manichæi imagines SS. deformes effingebant in earum derisum & contemptum, hâc ratione B. V. monoculam depingebant prætendentes Christi humilitatem, qui voluerit deformem fæminam in Matrem eligere. Hoc eodem animo in imagine Crucifixi uno clavo simul utrumq; pedem figebant, cùm antea duobus clavis seorsim figerentur. Hujus deformitatis in vetustis picturis vestigium aliquod Crucifixi apparet. Iam verò cùm omnes uno clavo utroq; pede fixo depingantur; ea mirabili arte & membrorum proportione formantur, ut animum ad religiosum cultum facilè moveant.* Ea scilicet sapientissimæ Christi Sponsæ est industria, ut Ægypti spolijs ditescat, id est ipsis perniciosis hæreticorum inventis ad pietatem devotionemq; proficiat: ex ipso aconito & helleboro mella legat apis argumentosa. Ita & hic quòd impij illi Chami, nudi in Cruce parentis optimi derisores, sumptâ occasione ex modo crucifigendi, traxerant in materiam subsannationis, illud ipsum Ecclesia sancto ingenio vertit in argumentum maioris decentiæ, honestatis, compassionis, subtracta deinceps omni occasione cavillandi. Ex hac ergo communi quidem sed recentiore in Ecclesia pictura S. Ignatius tres duntaxat clavos suo intulit sigillo: ex hac S. Claræ de mon-

te Falco in corde ceu in tabula venis quasi lineamentis artifice Amore ducta instrumentorum Dominicæ mortis simulacra: accommodabat se enim Divinus Apelles ad eam quam S. Virgo ex pijssimo consveti Crucifixi aspectu mente conceperat ideam: neq; peculiaris forsitan intercessit revelatio: qualis pro posteriore sententia inter visiones S. Brigittæ *extrav: c. 51.* affertur. *Pedes deorsum tracti, & duobus clavis perfossi.* Et lib: 1. c. 10. *Deinde dextrum pedem crucifixerunt, & super hunc sinistrum duobus clavis,* quod lib: deinceps 4. c. 70. explicat. *Pedes similiter ad foramina sua distenduntur, cancellatiq; & quasi infra à tibijs disiuncti duobus clavis ad Crucis stipitem confinguntur.* Ratio desumpta pro tribus clavis ex figura Absolonis non evincit; nec enim oportet per omnia figuratum respondere figuræ. Sicut umbra fuit Christi vendendi Ioseph à fratribus venditus; ille tamen vicenis, (vide Gen: 17.) Christus tricenis argenteis. Matth: 26. Alia argumenta superioris sententiæ dissoluta invenies apud Carthagenam: posterioris verò sententiæ licèt multò firmiora videantur, non tamen ita satisfaciunt Suario ut hìc aliquid certi statui posse existimet, *in 3. part: D. Th:* Iustus quoq; Lipsius par sibi virtute & doctrina lib: 2. c. 9. de Cruce ait in hoc *dissensu Patrum non esse suum arbitrari,* sive arbitrum agere. Cardinalis ipse Baronius, qui sententiæ secundæ apertè faverat, tom: 1. Annal: 11. 110. subdubitans dicit. *Clavos Salvatoris non fuisse pauciores quàm tres, non plures quàm quatuor.* Frivolè igitur non minùs quàm malignè Calvinus, ut nullum clavorum Christi, sicut nec cæteras reliquias venerandum doceat; oblatrat, Catholicos non iam tres aut quatuor, sed facilè duodecim clavos Domini venerari. Qui enim Romæ apud S. Crucem in Ierusalem colitur; Coronam seu gale-
am

am Conſtantini olim ornabat & armabat. Qui Mediolani in maiore Baſilica, in ſummo Templi fornice inter quinque perpetuò collucentes lampades hæret affixus; alterius manûs tormentum Salvatori, ut Eutropius, Imperatori præſidium fræni fuerat, ut auctor eſt Philip: Bergomen: Quem Treviri habent, dextrum pedem Salvatoris conſigebat, quâ de re notitiam exorciſmi à dæmone extorſerunt. Hunc Metenſis aliquando Epiſcopus ubi clam in ſinum abſcondiſſet; clavus abundantiùs fudit ſangvinem, qui guttatim è ſinu in terram ſtillando, pium licèt, prodidit raptorem. Quartum mare Adriaticum habet, quanquam & is ut animadvertit Bourgheſius in Hiſt: Evang: c. 143. qu: 7. potuit, ceu bolis, fune alligatus immitti ne periret, redditisq; illi bruto elemento halcedonijs retrahi; atq; adeo unus ex ijs eſſe, qui alibi locorum cultui proponuntur. Vt proponitur clavus Domini alius Pariſijs, alius Coloniæ, Aquisgrani item, Viennæ Auſtriæ, Carpentorati, & ſicubi forſan: tales exiſtimandi ſunt non omnes è Corpore Domini, ſed vel ex ipſa Cruce cujus ligna transverſa committebant, vel quibus titulus Crucis erat affixus: vel certè aliqui ad ſimilitudinem genuinorum clavorum fabricati, ita dicuntur clavi Domini, ſicut imago Chriſti, Chriſtus: multò autem digniores veneratione ſunt, ubi particulam aliquam ex originalibus clavis deciſam, incluſam continent. Hoc autem factum eſſe vel ex uno Romæ aſſervato conjicitur, cùm enim magnam ſui partem quâ vulnus minatur, amiſerit: & in reliquo corpore limam aut ſerram paſſus videatur, opinionem non obſcurè confirmat. Et hæ conjecturæ ſunt Lyræi. Baronius tom: 3. ad An: 326. præter allatas exiſtimat potuiſſe accidere ut clavus aliquis inter ſacras reliquias aſſervatus, quo myſticum membrum Chri-

sti Martyr nempe aliquis confixus est, idem unus ex ipsis Passionis Dominicæ clavis existimetur. Quidquid sit, Fides (ut ait Ambrosius) purgat facinus, cum nemo fidelium ferrum colat, sed Christi potiùs Passionem veneretur. Serventur autem clavi Dominici in Vrbibus clarissimis, in religiosissimis Templis, ut dictum est, non possunt clariore religiosioreq; loco servari quàm in corde nostro: id nos præstare monet Ecclesia, cùm in sacris picturis sub nomine IESV tres clavos in corde ceu sagittas amoris in pharetram competentem insertas proponit. Hoc à Deo exorabat S. David. Confige timore tuo carnes meas, Psal: 118. & iterum 120. Bellarminus & Genebrardus ex Græco legit *Conclava* S. Leo serm: 19. ijs, qui limitem observantiæ sentiunt excedere, svadet orandum Deum ut clavis timoris sui carnes eorum configat. *Est qui clavis Domino configitur Maiestatis quem timor Domini ligat, qui non expavescit ad vultus hominum, sed ad memoriam gehennalium tormentorum.* S. Bernard: serm: de tripl: cohærentia. Et Vincentius Gillibertus in Ps. 2. v. 12. *Servi configuntur clavis ferreis, filij clavis aureis.* Vtrisq; prodest. *Nam quemadmodum qui corporis membra clavis habent transfixa, ad actionem quamlibet immobilia ea retinent, sic ij, quorum animam occupavit Dei timor, omnem prorsus importunam peccati, obstreperam occasionem vitant ait S. Basilius in Ps: 33.* Celebratur Festum clavorum Domini in Boemia & Alemania feriâ 6tâ post Octavas Paschatis ex concessione Innocentij VI. ad postulationem Caroli IV. Imp: facta anno 1353. & confirmata à Martino V. per Bullam peculiarem. Et iam ad aliud quæstionis punctum festinans penna, in extrema adhuc præsentis puncti lacinia detinetur. *An scilicet pervolam manus an per carpum clavi Dominici sint adacti.* Carpus est

brachij extremitas, quæ proximè nectitur manui, in eo maximè ſentitur pulſus ſeu arteriæ micatio, in eo etiam ſunt plurima nervorum coniugia, & veluti nexus aliquis quodq́; inde ſequitur, in eo maximè viget ſenſus tactus: unde cùm hic carpus convellitur ingentem dolorem cieri neceſſe eſt. Ob hoc ipſum Lobbetius per carpum manus Dominicas affixas putat, & quidem clavis adactis non directè ſed transverſim, ut ſcilicet per carpos impulſæ in manus, deniq́; ſuperficiem, extremitates acuminum deſinerent. Sic verò affigi placuit non modò ut hæreret firmius, verùm etiam ut maiori afficeretur cruciatu, dum clavi per diffuſos in carpo nervos,arterias,venas adiguntur 26. mallei ictibus, (ut numerat Lanspergius) easq́; contundunt, dividunt, ſecant. Fundamentum opinandi præbet longitudo ipſa clavorum, & energia Sacri Vatis Pſ: 26. *Foderunt manus meas*, quâ non ſimplex perforatio, ſed prolixior ſulcatio innuitur. Mallonius quoq́; ex Sacra Syndone Taurinenſi idem confirmat, quâ ubi de Cruce depoſitum Corpus involutum eſſet, ut omnium aliorum vulnerum;ita lacerati, convulſiq́; carpi manent veſtigia, apparetq́; quòd vulnera illa in longum & latum ex gravitate corporis & brachiorum carpum degravantium, continuò ſint effecta maiora & productiora. Obliquæ demùm Templi Salomonici feneſtræ 3. *Reg:* 6. obliquas manuum Chriſti aperturas, ingenioſè Carthagena ſuſpicatur figuràſſe, & antiquæ picturæ quædam opinioni adſtipulantur. Nihilominus Cornelius à Lapide per volam manus clavos adactos aſſerit ſecutus communiorem fidelium ſenſum, qui in picturis paſſim ſe prodit. Favet illud Zachar: c. 13. v. 6. *Quid ſunt plagæ iſtæ in medio manuum tuarum?* Addit Bourgheſius difficulter clavos transverſim non directè inſi-

infigendos fuisse Cruci. Et ipse Dominus Thomæ cùm diceret: *Vide manus meas*, volam manus ostendere videbatur. Ioan: 20.

III. *An etiam funes in Crucifixione adhibiti fuerint?* Westphalus Hæreticus sycophanta clavis an funibus Dominus in Crucem actus fuerit? nequiter ausus est dubitare: sed nebulam hanc sole suo pridem dispulit S. August: in Psal: 68. *Nisi clavis fixus esset; crucifixus Dominus non fuisset.* Ipsi quinimò collaterales Domini in supplicio latrones, non funibus ut vulgus pictorum opinatur, sed clavis ad suas cruces erant confixi: aliàs nihil negotij S. Helenæ in discernenda ab alijs Cruce Dominica esset, utiq; foraminum indicio eam dignovisset: oportet igitur omnes foramina clavorum habuisse, cùm alia via discernendi quæri debuerit. Cæterùm Dogma Fidei est, Christum non funibus sed clavis fuisse affixum; fieri tamen potest, ut funes quoq; adhibiti sint ad colligandum Cruci Corpus Domini, alioqui enim tota moles è manibus vix pendere & sustentari potuisset. Ob hoc forsan S. Hilarius *lib: 10. de Trinit:* ait Christum Cruci clavis affixum & funibus alligatum. Funes ipsi ostenduntur Romæ ad S. Crucem in Ierusalem, ædificato à S. Helena. Addit Nonnus vetus Paraphrastes S. Ioannis. *Extenderunt Christum astringentes vi explicatas utrinq; manus ferreo vinculo:* quale fortè modò conspicitur in Martyribus Iaponicis. Adhibitos quoq; funes in ipso actu extensionis Sanctissimi Corporis constat ex lib: 7. revel: S. Brigittæ c. 15. Licèt enim factus obediens Dominus usq; ad mortem, postquam in vita fuisset subditus Parentibus: in morte promptissimè obtemperaverit tortoribus: nihilominus etiam obedientissimo homines efferi vim adhibere non dubitarunt. *Non coactus*, (ait S. Bri-

gitta

gitta,) *sed statim voluntariè extendit brachium suum, & aperta sua dexterâ manu posuit eam in Cruce, quam illi sævi tortores immaniter crucifixerunt. Perforabant eam per eam partem quâ os solidius erat: tunc etiam trahentes cum fune vehementer manum ejus sinistram Cruci affixerunt eam simili modo. Deinde extenso corpore supra modum, iunctos pedes affixerunt in Cruce: in tantum autem extenderunt illa membra gloriosa, quòd quasi omnes venæ & nervi ejus rumperentur.* Huc respexit Propheta cùm caneret, *dinumeraverunt omnia ossa mea*, Ps: 21. Alijs verbis doctissimus Eckius tract: de Pass: c. 5. consid: 3. sensum S. Brigittæ exprimit. *Manus altera obtuso clavo ut gravior esset dolor, Cruci affixa est, altera verò quando iam foramen attingere non poterat, funibus sic extensa est, ut venæ disrumperentur.* Et hunc cruciatum per extensionem cum funibus tantum ac tam gravem asserit S. Brigitta l. 1. c. 10. & lib: 4. c. 70. iterum lib: 7. c. 15. ingeminat, ut omnium atrocissimus totius anteactæ Passionis censendus sit. Confirmat idem S. Catharina Senensis ex propria experientia: si quando enim à Christo suo Sponso Passionis dolorumq́; suorum fieret particeps; sentiebat longè maximum cruciatum in distensione & distractione pectoris; & tamen vix ibi micam aliquam sui doloris Sponsus sangvinum impertiebatur. De hac distensione iam puncto primo quæstionis præsentis aliquid innui: & uberiùs Lobbetius *tract: de Pass: c. 9.*

IV. *An ad pedes Christi in Cruce fuerit tabula?* Passus est Christus Dominus supra caput suum in Cruce, affigi tabulam tituli; si ad pedes quoq́; ejus fuisset apposita, meritò titulos & omnia gloriæ insignia videretur calcare, pedibus premendo tabulam, qualis regios titulos supra ejus caput extulisset: & certè SS. Irenæus & Iustinus

nus MM. quos citant & seqvuntur S. Gregor: Turon: de gl: MM. l. 1. c. 9. & Gretserus lib: 1. de Cruce c. 29. Drexelius, Estius, Bellarmin: arbitrantur in Cruce fuisse suppedaneam tabulam, qualem Tertull: l. 3. ad nationes solistaculum vocat. Græca Ecclesia, ut imagines ejus passim testantur, agnoscere ac recipere id videtur. Antiquus etiam Nummus Lætiensis Monasterij scabellum quoddam habet, quod necessarium videtur fuisse Bourghesio ad sustentandum corpus brachijs expansis è clavis duntaxat pendulum. Qui & vellicat Lipsium contra sententem: nempe quòd delicatior ejusmodi fabrica Crucis ei videri possit, qui per horæ quadrantem nunquam extensa habuerit brachia. Delicatior nihilominùs accuratiorq; hæc fabrica Crucis meritò videtur Lipsio quàm ut vel perosæ omne lenimentum patientiæ Domini, aut intentæ in ejus tormenta malignitati placere potuerit. Laudant & secundant Lipsium Corn: à Lap: Lyræus, Sylveira. Superior quin etiam Crucifixionis modus non cohæret cum proprietate verborum scripturæ, in qua non stetisse sed fuisse suspensus dicitur in Cruce. *Quem vos interemistis suspendentes in ligno.* Act: 5. *& maledictus qui pendet in ligno.* Ad Galat: 3. Deinde si tabula aliqua fuisset, fuisset etiam reperta, sicut repertus titulus Crucis cum Cruce. Acceptavit Dominus tabulam supra caput, quia ad contumeliam & irrisionem pertinebat, quia calumniam meram continebat, eâq; se ceu honorificâ aureolâ voluit coronari: non acceptavit sub pedibus, quia talis aliquam commoditatem præstitisset. Franciscus Lucas in c. 17. Matth: existimat Crucem ad pedes Christi fuisse excavatam ut calcibus in eam cavitatem receptis, pedes non decussati, nec flexis poplitibus possent crucifigi, favet sententiæ Lyræus, & pro confirmatione

tione allegat imaginem Crucifixi, quæ in monte S. Bavariæ religiosè colitur, diciturq; ea esse quam Carolo magno Angelus attulit, cujus deinde auspicijs Pipinus filius & Comes, postea Ratho lætissima de infidelibus trophæa retulerit. Apparet, quòd in ea Cruce aliquam pro pedum calcibus recipiendis cavitatem notaverit: non incommodam opinionem hanc dicit & Cornelius. Sed Sylveira reijcit tanquam nullo antiquiorum Authorum tritam vestigio. Igitur S. Brigittæ standum revelationi lib: extrav: c. 1. loquitur enim illi Dominus. *Nec aliud sustentaculum habebam nisi clavos.* Habuerint forsan alij cruciarij, ut memorat S. Iustin: dial: cum Tryph: *lignum aptatum & utrinq; tanquam cornu eminens in quo requiescerent & immitterentur.* S. quoq; Irenæus l. 2. c. 41. *figura* inquit *Crucis fines & extremitates habet 5. duas in longitudinem, duas in latitudinem, unam in medio, in qua quiescit qui clavis affigitur.* Habuerint inquam alij, quorum quieti in ipsis cruciatibus consulebatur. Non habuit ille qui præter laborem & dolorem nil quæsivit utq; vitam ac iuventutem auspicatus erat à labore, ita in labore ac dolore defecit.

V. Ad complementum resolutionis decidendum restat. *Quò facie versâ Christus sit crucifixus?* Respondet S. Damascenus Orthod: Fid: l. 4. *Dominus cùm in Cruce penderet, ad occasum prospiciebat.* Hoc uberius exequitur S. German: Patr: Const: Theor: rerum Eccl: *Cruci affixus ad occidentem erat intuens, ejus verò venerandarum manuum altera in meridiem, altera in septemtrionem erat extensa:* idem asserunt S. Hieron: Beda, Cassiodorus, Sedulius, Adrichomius, & recentiores omnes. Carthagena illustrat assertum similitudine. Quemadmodum Sol oriens occidentem intuetur, *ita Sol Iustitiæ,* de quo Zach: 6. *Ecce*

6. *Ecce vir oriens nomen ejus*, in Cruce existens occidentē aspicere voluit, ut significaret eos, qui in tenebris & umbra mortis sedent, suo splendore illuminaturum. Hoc ex Persona Dei prædixit Malach: c. 4. *Orietur vobis timentibus nomen meum Sol Iustitiæ, & sanitas in pennis ejus.* Per pennas Carthag: & Sylvei: intelligunt brachia Christi, incredibili enim velocitate adest in salutem nobis: ac velut amantissimus Pater prodigo suo *Luc:* 15. currit, imò volat obviam cum amplexu & osculo. Et Isai: *Qui ascēdit super occasum. Super occasum* (per scalam Crucis) *ascēdit, quia unde in Passione occubuit, inde maiorem suam gloriam resurgendo manifestavit.* S. Gr: h. 17. in Eu:

S. Clemens Papa Const: Ap: lib: 2. cap: 27. *Oportet* ait *stare in Ecclesia sapienter, sobriè, & vigilanter, auribus ad verbum Domini intentis: Deinde cuncti pariter consurgentes & ad orientem spectantes precentur Deum.* Hic enimverò ex Apostolica traditione in Ecclesia receptus est situs precantium templorumq; ædificandorum, Authoribus Dionys: Areop: Clemente utroq; Athanasio, Eusebio, Paulino, Cyrillo, Isidoro Hisp: Damasceno. Sidonius etiam restringit Epl: 10. l. 2. *Ortum respicit æquinoctialem* & Beletus vetus Auctor. *Omnino quoq; necessarium est, ut ædificetur versùs orientem, hoc est versùs Solis ortum æquinoctialem, nec verò contra solstitium æstivale, ut nonnulli & volunt & faciunt.* Adverte æquinoctij verni sub quod Passio contigit, rationem haberi. Sed accuratiùs rem pensemus. Origenes in lib: Num: hom: 3. Nodum hic non facilem seu putavit, seu ut talem objecit. *Quòd ex omnibus cœli plagis ad solam orientis partem conversi orationem fundimus, non facilè cuiq; puto ratione compertum.* Vestigavit solutionem Latinus Pacatus cùm diceret. *Divinis rebus operantes, in eam cælo plagam*

gam convertimur; unde lucis est exordium. Quo innuit pro tanto munere gratitudinem. Vanior est intentio Apuleij miles:2. *tunc ad orientem obversus, & incrementa Solis augusti tacitus imprecatus.* Magis congrua S. Clem: Romani qui inter orandum innuit spectandam primam humani generis Patriam, hoc est Paradysum, quem Deus in Eden ad orientem plantavit, ut censent SS. Basilius, Athan: Nyssen: ut quemadmodum ex illis lucidis sedibus nos culpa exegit; ita oratio illuc reducat. At verò nunquid non fons lucis in Cruce? illinc *qui versabantur in ignoratione, exortus est dies cognitionis veritatis. Eâ ratione ad orientem fiunt orationes*, ait Clem: Alex: Num non Crux est lignum vitæ? & Christus melior Adam, & Passio ejus novus cælestium voluptatum Paradysus? *propterea ad orientem adoramus quasi faciem ejus intuentes*, ait S. Damasc: Propterea Templa ad orientem ædificantur, ut in eis Christus crucifixus ab oriente occidentem respiciens, in oculos animosq́; intrantium incurrat. P. Melchior Inchoffer in 3bus Magis Evang: c. 45. Adorandi ad orientem, causam duplicem reddit. Quia, inquit, ab oriente venerunt ij primi ex gentibus qui crediderunt; ut inde vocationis nostræ & illucescentis primùm Evangelij recordemur. Iterumq́; cogitemus pendentem de Cruce pro salute nostra Dei Filium ab oriente respexisse in occasum. Atq́;(subiungit author,)apparet hinc quanta sit affinitas mysterij Crucis & Magorum ab oriente vocationis. Vt hinc initium capiat gentium salus, inde perfectionem: illic aurora præluxerit, hic Sol plenus affulgeat. Nec alterum ab altero separetur; adeoqué uno religionis cultu utrumq́; aptè concludatur.

Verùm hactenus dicta probant Christum è Cruce occidentem respectâsse, sed causam situs non dant. Dat

Regius Vates Pſ: 65. *Oculi ejus ſuper gentes reſpiciunt.* Ita ſe vertit ut terram occidentalem, Italiam, cæterasq; Europæ Regiones, Romam præcipuè, quàm in trophæum ſuæ victoriæ deſtinabat, intueretur. Romam ſibi occidenti ad occaſum objacere voluit, quemadmodum olim arcam teſtamenti Deus ad occaſum Templi voluit collocari: ut in hac ſanctiorem arcam ultimâ voluntate ſpiritum ſuum, hæreditatem pro filijs adoptionis deponeret. Cùm verò facie reſpiceret gentes: oportuit iam à tergo relinqui Iudæos. Adrichomius conſultò aversâ ab Ieroſolymis facie crucifixum putat; ut quem indignum iudicarent peſſimi, etiam aſpectu ultimo civitatis Sanctæ, tanquam hoſtem acerrimum, hominem profanum ac immundum; neſcioq; quid mali ac feralis faſcini in oculis habentem. Vero autem ſimiliùs eſt ingratam, impiamq; civitatem, ne aſpectu quidem dignam fuiſſe. Irati fuit Numinis indicium & implacabilis ultimata faciei averſio. Hanc olim comminatus erat Ierem: 8. *Dorſum non faciem oſtendam eis in die perditionis eorum.* Reprobabat ejusmodi ſitu Iudæos & eligebat gentes in hæreditatem ſibi. Lyræus quidem ex manuum collocatione argumentatur Ieruſalem non à tergo ſed à ſiniſtris iacuiſſe Salvatori ad ſeptemtrionem: At & ſic non melior ejus conditio utpote quæ cum hædis ad lævam damnaretur. Non debet verò pia curioſitas hujus quæſtionis absq; fructu cedere; ob quem bene animo eſt infigendum non ſolùm à Iudæis, verùm etiam à Chriſtianis eorum ſimilibus faciem avertere. Extat alicubi etiamnum imago Crucifixi facie, totoq; pene corpore poſt evulſum è manu dextra clavum in latus alterum averſo, prout avertit ab homine impœnitente ac ingrato. Conſimilia ſunt huic quæ refert *Herman: Carthuſienſis ſer:* 33. in exequijs hominis

agre-

agreſtis, verbumq́; Dei ac myſteriorum auditionem perosi, ſub ſolennes vigilias Chriſtum à Cruce revulſis manibus, aures ſuas obturâſſe. Matthias Faber quâdam concione refert idem contigiſſe in funere hominis cæteroqui boni ſed tenacis, qui ne pauperum mendicantium quiritationes exaudiret, longè à platea cubiculum in aream interiorem ſubduxerat: atq́; ob hoc ſuper ejus cadaver deprecante Clero, viſus eſt crucifixus, & manus à Cruce avellere; & aures digitis inſertis occludere. Super alio quoq́; qui offenſam ſui nullo modo condonare volens, cupidam vindictæ animam infeliciter efflaverat. Burgis in Hiſpania; ſimiliter ianuas clementiæ aures ſuas obſerabat Crucifixus, addito epiphonemate. *Non pepercit neq́ parcam*, ut ſcribit Ioan: Iunior *in ſcala cæli.* Quod totum nil aliud eſt quàm Chriſtum ad occaſum obverti.

Pro coronide notandum hìc diſcrimen ſub lege veteri & ſub nova orantium; Templum Salomonis occidentem ſpectabat, & verſus eandem plagam Hebræi adorabant. *Ne gentium more adorarent ſolem; ſed ſolis Dominum.* Ait Anaſt-Nicænus. (Gentiles enim etiam orientem religioſum habuerant, ut docent Vitruvius l. 4. c. 5. & Hyginus de limitibus apud Iulium Bulengerum tom: 1. de Templ: l. 3. c. 7.) Hinc & Ezech: c. 8. indignatur Deus ijs, qui dorſa obverſi ſanctuario adorabant ad ortum. In nova autem lege & templa & ora obvertimus orienti. Nos ita facimus, quia (ut ſupra dixi,) ab oriente nos Dominus reſpexit. Et *ſalus ex Iudæis* Ioan: 4. Lex etiam nova nunquam occidet, adeoq́; non occidentem ſpectat. Vetus verò lex occidentem requirebat adorando, quia occidere debuit, nec aliter ſalutem ſuis potuit conferre ſectatoribus, niſi crederent in eum, oculosq́; fi-

dei intenderent, qui *Expectatio gentium*, venturus erat Redemptor. Adeoq; animo ac desiderio esse debuerant Christiani, ut salvi fierent.

Summa quæstionis decisæ. Erectæ an stratæ, Cruci affixus Dominus? non liquet: Clavis non paucioribus quàm tribus, neq; pluribus quàm quatuor: Funes in subsidium clavis accitos tum distendendo corpori; tum etiam forsan alligando. Absq; suppedaneo pependit Dominus, & facie ab Ierosolymis occidenti obversâ. Hic modus Crucifixionis cui pro lemmate sit distichon S. Francisci Salesij

Aut amor aut furor est qui Te Bone Christe peremit
Est amor, est furor, est meus hic, ille Tuus.

XC.

Cur Christus non alio mortis genere mori, nosq; redimere voluerit quàm Cruce?

RESponsi vice ad quæstionem subijci posset alia quæstio S. Pauli ad Rom: 11. *Quis cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit?* Nullus Æterni Patris diphteram evolvit, in qua hoc genus mortis Filio præscripsit. Quinimò si cujusq; hominis cor est inscrutabile, inscrutabiliùs longè cor Hominis-Dei: Nemo proinde cor ejus inspexit, unde rationem determinatam excerperet, cur sibi præ cæteris illud supplicium arrisisset? Magni tamen & sapientes amici Dei varias & plurimas arcani cæteroqui consilij produnt causas, alias quidem literales, alias morales sive congruentias (ut vocant:) illas ipsas tres in classes dividunt; quarum una complectitur causas ex parte Patris Æterni; alia causas ex parte ipsius

ipſius Chriſti, alia deniq; cauſas ex parte inſenſiſſimæ ac ſangvinariæ malignitatis Iudaicæ. Sed brevitati conſulendo ad duo capita omnes revoco arrepta pro fundamento pia non minùs quàm ingenioſa pictura B. Rudoſindi Epiſcopi Compoſtellani: qui in ſcutaria teſſera ſive pro ſtemmate, ſive pro ſymbolo verè heroico pingebat Crucem puniceam, ex cujus dextero cornu pendebat ſpeculum, è ſiniſtro circinus; per quod innuebatur Chriſtum crucifixum merum eſſe ſpeculum perfecti amoris, eundemq; circinum menſuralem quo noſtras actiones ad virtutem, ad æternas rationes, ad proportionem quandam perfectionis Divinæ exigere debeamus, donec formetur Chriſtus in nobis. Inſpiciendum primò ſpeculum Amoris, ſive rationes quæ ſpectant ad contemplandum cognoſcendumq; ejus amorem infinitum.

I. Poterat Chriſtus Dominus pro nobis ſatisfacere ſolâ humiliatione ad ſuſcipiendam carnem noſtram, unico actu adorationis in carne aſſumpta, unicâ lacrymâ ex profuſis in antro Bethleemio, unicâ guttâ ſtillante ſub Circumciſionem: poterat noſtras maculas Baptizmo Iordanis eluere; poterat laſſitudine itinerandi ſitiq; illâ ad puteum Samariæ expiare, multò magis ſudore illo ſangvineo usq; ad agoniam corpus exhauriente, carcere, flagellis, ſpineâve coronâ. Hæc enim omnia in Deo-Homine actus erant infiniti valoris, nec modò exæquabant ſuo pretio gravitatem offenſæ, ſed etiam infinitè eam ſuperabant. Miſſis tamen facilioribus iſtis vijs Crucem ſibi, non utiq; violentè aut imperioſè à Coæterno & ejusdem ſecum voluntatis Patre impoſitam, ſed unicè dilectam ac concupitam acceptavit: ut non modò noſtrum debitum diſſolveret, ſed omnimodam quoq; proportionem ſatisfactionis ad offenſam ſervaret: qualis proportio nec

in alio modo satisfaciendi, nec in alio quovis poterat elucere supplicio. Consideravit hanc proportionem S. Franciscus Borgia, operum lib: I. pag: 38. *Extendit manus suas Christus ad delendam culpam, quia Adamus porrexerat suam ad mortiferum malum: hic ad ramos prohibitos, ille ad Crucis arborem ablaturus suis pœnis violatoris delictum. In promptu erant Adamo gressus ad iniquitatem, fixos tenuit eos Christus ad legis obsequium: hic in cælorum itinere; ille per latam viam infernum versùs, hic ad paternam hæreditatem; ille ad sempiternum exilium. Sed hujus ductu revocatus est ille, ut seposito errore in ipsum cælum penetrare posset.* Consideravit eandem olim S. Greg: Naz: in Apologia. *Quemadmodum Christus posuit lignum adversùs lignum, ita manus adversùs manus & pedes adversùs pedes, manus scilicet suas ac pedes clavis confixos & constrictos adversùs manus & pedes nostros incontinentes & solutos.* Vt scilicet quod ex eodem S. Patre addit Lobbetius. *Ad vitæ lignum unde excideramus per ignominiæ lignum revocaremur.* Vtq; *mors per arborem, sic & vita per Crucem*, aiente D. Ambrosio veniret. *Per lignum erigitur lapsus de ligno, & gustu fellis & aceti diluitur esca peccati.* S. Leo. *Quoniam morti per lignum aditus patuerat consentaneum erat ut per lignum quoq; vita & resurrectio donaretur.* S. Damasc: lib: 4. de Fide. *Quidquid Adam perdidit, Christus in Cruce invenit.* S. Augustin: & S. Thomas Aq: 3. p. q. 40. art: 9. *Ad satisfaciendum pro Adæ peccato seipsum passus ligno affigi quasi restituens quòd Adam sustulerat iuxta Psal: 64. quæ non rapui tunc exolvebam.* Quanquam quid Adam rapuit? pomum utiqué? pro pomo Christus voluit appendi semetipsum. *Vt de ligno vitæ tuto iam homini comedere liceat, eum ibi appendit fructum, ex quo nisi te nutrias, mo-*

riaris. Iuglar: Comedit Adam ab Eva porrectum pomum (ut pulchrè observat S. Augustin:) *Ne contristaret delicias suas:* tam carè illud pomum compensavit Christus ut consolaretur delicias suas humanum genus, deliciæ enim ejus esse cum filijs hominum etiam in Cruce. Ad delicias usq; profectò amamur, & hoc ipsum ingens amoris in nos est argumentum; quòd non tantùm pro nobis voluerit satisfacere, nosq; redimere ut misericors mediator, sed etiam personam rei assumere, debitoremquè quò ad omnia repræsentare, veluti alienum debitum suum faceret oblectamentum.

II. Arrogare sibi causam forsan vellent crucifixores, quòd scilicet non aliter perimere voluerint, tum ut supplicij atrocitate maiorem patienti cruciatum afferrent, suamq; rabiem exaturarent: tum ut infamiâ pœnæ, gloriam omnem Domini, claritatemq; nominis, virtutibus ac miraculis comparatam penitus extingverent: atq; adeo ab ejus disciplina sequelaq; omnes absterrerent, dum probrosam adeo Magistri mortem (in eorum opinione) erubescunt ac perhorrescunt. Hanc verò telam ut pertexerent, imponebant crimen affectatæ Deitatis, quod iuxta legem Cruce plecti deberet, sed quia iurisdictione ad Gentiles Romanos translata hoc solum non admodum ab ijs considerandum crederent, addiderunt criminationem affectati Regni Iudæorum, adeoq; rebellionis contra Cæsarem, seditiones quoq; ac tumultus quæ ambitiosis rebellibusq; sunt familiaria: & Romano iure ejusmodi flagitiorum rei crucifigebantur, ut qui voluerant cæteris eminere in Regno, eminerent in patibulo. Istud supplicium utpote seditioso & latroni famoso debebatur, sed Iudæi Barabbam præeligendo ad libertatem, Christumq; ei postponendo, unà cum crimine in Christum

ſtum remoliebantur. *Crucifige eum*, inſanis clamoribus geminantes, quaſi dicerent, IESVS incomparabiliter eſt ſeditioſus, turbo & vertigo Regni, præ illo Barabbas innoxius & integer, hunc ergo potiùs quàm illum per ius debitæ addicas Cruci. Hærebant forſan hoſtibus & illa verba Chriſti *tanquam ad latronem exîſtis*, &c. ſecumq; illico ratiocinabantur, *ſummè illi dolet inſtar latronis tractari, ergo ut latronem tractemus, & latronum maximum* (ut advertit Segneri Conc: ſer: 6.) His (ni fallor) ex cauſis iniqui Dominum crucifigi expetiêrunt & effecerunt, adeoq; ſibi hoc inventum arrogarent, ſed immeritò. Oblatus enim eſt, quia ipſe voluit, & ſic oblatus, quia ſic voluit offerri: Odio ipſo Iudæorum uſus eſt Amor pro congruo ad ſuas diſpoſitiones antiquiſſimas inſtrumento; quod infligebat odium, ordinaverat Amor: quòd Amor intenderat, odium exequebatur, amoriq; inſerviebat: certùm eſt autem effectum magis eſſe adſcribendum principio efficienti quàm inſtrumento; Domino ordinanti quàm famulo exequenti. Nobis certè (ut cum S. Auguſtino de SS. innocentibus loquente afferam.) *Profanus hoſtis nunquam tantùm potuiſſet obſequio, quantùm profuit odio* contra Salvatorem: & cùm S. Leone ſerm: 1. de paſſ: inferam. *Vna eſt Patris & Filij voluntas, ut eſt una Divinitas, de cujus diſpoſitionis effectu nihil vobis gratiæ Iudæi, nihil tibi Iuda debemus. Salvationi quidem noſtræ, non hoc vobis volentibus impietas veſtra ſervivit, & per vos factum eſt quidquid manus Dei & conſilium decreverunt fieri. Meritò ſoli non habetis quòd omnibus perire voluiſtis.* &c. Clarùm eſt quantùm in Crucifixione Domini odium Iudaicum & Amor Divinus diſcrepaverint, illud enim Chriſtum tantùm perimere: hìc genus humanum univerſum laboravit redimere: at verò in cauſa ſupplicij

omnino convenerunt; tam enim crucifixores quàm Christus Crucem ex omni moriendi artificio delegerunt, quia ex omnibus maximè esset & immane, & infame. Immanitas ejus colligitur ex violenta distensione corporis totius,ex persossione clavorum,de quibus supra. S. Thomas Aqu: acerbitatem hujus tormenti non solùm ex his colligit, verùm etiam ex diuturnitate. *Mors ait crucifixorum est acerbissima, quia configuntur in locis nervosis & maximè sensibilibus scilicet manibus & pedibus, & ipsum pondus corporis pendentis auget dolorem: cùm hoc est etiam doloris diuturnitas, quia non statim moriuntur, sicut qui gladio* (idem intellige de laqueo etiam, aquis, præcipitio quin & igne cujus fumus suffocat,) *interficiuntur.* Consonat S. Bernardus. *Nec capite truncari aut collo suspendi, aut comburi, aut suffocari voluit, quia mortes illæ breviusculæ,crucifigi autem voluit quòd genus id martyrij prolixum ac durum: quia ut amor Christi in nos infinitus, & amore magno patiebatur, ita supplicium ipsum voluit esse longum incomparabile & omnium crudelissimum.* Apud Speranzam fol: 404. S. Hieronymus ibidem citatus nonnulla accuratiùs pensat. *Crucifixerunt eum,ut dolor clavorum intimâ & nervosâ tangens acerbitate torqueret, & suspensio distenderet, ut pondus corporis vulnera manuum & pedum laceraret, & asperitas ligni dorsum flagellatum affligeret, & sic nulla pars corporis dolore careret.* Talem in Cruce contemplabatur S. Franciscus Borgia l. 5. c. 6. O *mi Bone IESV animarum nostrarum dulcis Redemptor quàm prono in nostram salutem affectu tam graves sustines dolores? quâ charitate totum corpus ad recipienda vulnera expansis brachijs exponis, quâ patientiâ acrium luporum sustines morsus? plùs tibi dolent membra hoc modo habita quàm si millies morsibus fuissent discerpta iam non vulne-*

ra membris, sed vulneribus quasi membra in te deficiunt, ut nova vulnera ingerantur; vulneri vulnus infligitur: sed licèt deesset corpus tormentis, latissima pateret iniurijs patientia, hanc immensus laborum non obruet cumulus quò plùs aquarum tribulationum potaverit, eò vehementiùs sitiet nostram salutem. Cornelius à Lap: Crucem omnium tormentorum compendium esse dicit, omniaq; supplicia æquivalenter in se continere. In Cruce, ait, *omnia pœnarum genera concurrunt, quare illa Christus in sua Cruce complexus est. Crux enim manus pedesq; secat ut gladius, corpus distendit ut eculeus, lacerat ut ungula, laniat ut bestiæ: urit, cruciatq; ut focus, adeoq; lento quasi igne assat & necat. &c. &c.* Et hinc est illa Primasij opinio *nulla mors peior propter diuturnitatem cruciatuum.* Et S. Augustini epl: 110. *illâ morte nihil est peius inter omnia genera mortium.* Et alio loco. *Crux propterea dicta est, quòd ipsius verbi asperitas cùm doloris quem Crux efficit, asperitate concordet.* Dicebatur etiam antonomasticè supremum sive extremum supplicium tam quò ad sensum doloris, quàm quò ad æstimationem eorum qui Cruci addicebantur, hoc est tam immane quàm infame. Certè quia tale videbatur, honestissimus quisq; periphrasi potiùs rebatur utendum, quàm ut vel ipso nomine suum os pennamve contaminaret. Ipsi Hebræi generico ligni nomine Crucem exprimunt, ideoq; Regem Hai non in Cruce, ut Latini, sed in gemino ligno suspensum legunt. Hinc Ciceroni *truncus indignus* Livio *truncus infamis* Crux dicitur: Tacitus cui loqui mos est etiam cùm tacet, quoties hujus supplicij meminit, propriâ voce silentio pressa phrasim servilitatis adhibet. *Sumptum* inquit, *de eo supplicium servilem in modum* lib: 2. hist: & lib: 4. *Asiaticus Vitellij Libertus malam potentiam servili supplicio* expia-

expiavit. Tullius ubi Verris facinus exaggerat quòd P. Ganium virgis cæſum crucifixiſſet, *Facinus*, exclamat, *vincire civem Romanum, ſcelus verberare, prope parricidium necare: quid dicam in Crucem tollere? teterrimum crudeliſſimumq́; ſupplicium.* Et illum diſcriminis cauſam cenſet Drexelius in morte Principum Apoſtolorum, quòd licèt uno die unâq́; urbe ſint paſſi, crucifixus tamen Petrus; at Paulus tantùm decollatus; parſum ſcilicet eſſe Paulo ut Civi Romano reſpectu natalium honeſtorum; Petro autem ignobili Piſcatori, contemptibili, terræ filio, iuxta eorum opinionem, congruum inflictum tormentum: Iunxit verò Cruci infamiam ipſa atrocitas, dum illi tam acerbè duntaxat plectendi putantur qui hominum viliſſimi eſſent, & fermè non homines,(Nam & canes per trivia apud Romanos olim ob non cuſtoditum contra Gallorum inſidias Capitolium crucifixos legimus.)adeoq́; nullâ digni miſeratione. Quis non his perpenſis dicat cum S. Auguſtino. *Nihil inter omnia genera mortis execrabiliùs & formidoloſiùs.* Verùm non Amori: illicium fuit ipſa conſpiratio hoſtilis Amori cùm dicerent. *Morte turpiſſimâ condemnemus eum,* Sap: 2. Quinimò ceſſarent licèt hoſtes; facto inter omnes torturas delectu ſuimet animi decretum pronunciavit, Iob 7. *ſuſpendium elegit anima mea.* Oneravit,quin etiam graviſſimum ſenſui pudoriq́; ſupplicium non levioribus circumſtantijs. Delectus enim ad ignominiam dies ille feſtus & celebritas, quo hilares Iudæi feſtum ſuum & ferias agerent, ipſe in publica lætitia affligeretur, & quo die alijs parcitur; accuſaretur, impeteretur, tum eriperetur ei vita, quando alijs donatur. Expectatum eſt tempus, quo ex toto orbe confluerent Iudæi ad celebrationem Paſchæ, ut ſpectaculum necis eſſet frequentius, præter quam

quòd *erant in Ierusalem habitantes Iudæi ex omni natione quæ sub cælo est.* Act: 2. Fuitq; Ierusalem quoddam orbis compendium, religionis emporium commercijs & rumorum communicatione cum toto mundo celebratissimum. Lectus & locus eminens apricus collis in aperta planitie quâquaversum conspicuus, ne lucerna illa spei nostræ & pharos salutis ullatenus poneretur sub modio; nec Civitas illa refugij alibi quàm in monte fundaretur, quæ nulli volebat abscondi. Lactantius quidem ait l. 4. c. 26. *Quoniam qui in patibulo suspenditur, & conspicuus est omnibus, & cæteris altior, Crux potiùs electa est quæ significaret illum tam conspicuum, tamq; sublimem futurum, ut ad eum cognoscendum pariter & colendum cunctæ nationes ex omni orbe concurrerent.* Arcanior hæc ratio & moralior; magìs literaliter ad nostrum propositum S. Chrysolog: serm: 58. *Crucifixus in edito colle omnibus inimicis & totâ crudelitate spectantibus, & totâ acerbitate observantibus mortem suscepit.* Impleta hic illa figura Num: 21. *fac serpentem æneum, & pone pro signo.* Vt enim serpens ille fuit elatus sublimè, quatenus omnis populus in eum posset aspicere, & eodem sanari; *ita Christus ad iustitiam omni credenti,* ad Rom: 10. *Pacem ijs qui longè, & pacem ijs qui prope;* ad Ephes: 2. at illis qui circumstabant, longè mens alior; non enim sanari placuit, sed insanire. Posuerunt eum sibi pro signo, id est scopo. *Posuit me quasi signum ad sagittam,* Thren: 3. Pro signo, id est portento. *Signum & portentum erit super Ægyptum & super Æthyopiam.* Isaiæ 20. Cùm potiùs pro signo, id est vexillo positus esset. *Qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur.* Isai: 11. Hoc tempore, hoc loco exponi, & oculis, & lingvis venenatis quantùm auxerit sibi infamis pœnæ, deplorat. Psal: 6.

Operuit

Operuit confusio faciem meam, quoniam sustinui propter te opprobrium. Confusio faciei meæ operuit me. Hanc à Deo solo condignè concipi & satis comprehendi posse affirmat. *Tu scis improperium meum & confusionem meam, & reverentiam meam.* Psal: 68. Idem clivus Golgotheus quem paulò ante apricum dixi, si quos in usus ab Hierosolymitis assignatus fuerit, spectemus; non iniuriâ fimetum quoddam publicum dici queat, in quod sordes & purgamenta morum, homines inquam sceleratissimi, & omnibus probris notatissimi extrahebantur: utq; in fimetum nihil boni eijcitur: ita illuc nihil nisi probrosissimum perveniebat; coæquavit se in illo loco Christus servis furciferis, fugitivis, flagitiosis, ut iuxta S. Hieronymum, *Amor aut pares invenit, aut facit.* Ad tam infamem terminum viâ quoq; congruâ duci voluit, non aliâ enim portâ ex urbe egressus, quàm illâ, quæ stercoraria dicebatur, sive quòd illac plaustris everrimenta urbis, sive (quòd verò similiùs) illuvies flagitiorum in golgotham extrudebantur. Si igitur iuxta S. Chrysostomum *gravissima omnium pæna pudor* ô quàm medullitùs verecundissimum IESVM tanta infamia supplicij transfixit? Crux literam Thau Hebræorum exprimit, eâq; subinde cognaminatur, nec sine mysterio; ut enim Thau est ultima alphabeti: ita Crux ultimum supplicium tam quò ad doloris quàm contumeliæ acerbitatem. Christus tamen *proposito sibi gaudio sustinuit Crucem confusione contemptâ;* ad Hebr: 12. Vides ut Crucem non aliter gaudio & honori opponit quàm luci tenebræ aut mors vitæ opponi solet. Biblia Regia legunt *pro gaudio quod habebat, sustinuit Crucem;* sive relicto gaudio cælesti, sepositâ lætitiâ connaturali suæ Divinitati, omni se dolori ac mærori exposuit, sive *pro gaudio,* hoc est pro fine suæ Passionis

gau-

gaudium noſtrum verum ac immutabile ſibi proponendo: ſolenne enim eſt amantibus quô oblectent amatas perſonas, eisq́; volupe faciant; ut nihil triſte recuſent. Sive deniq́; *pro gaudio* iuxta vel ſecundùm gaudium ſuſtinuit Crucem: hoc eſt gaudebat pati, ut amantes omnia ſive agant, ſive patiantur in gratiam amatarum perſonarum omnia faciunt, patiunturq́; cum gaudio; amor enim inter quasvis anguſtias laxat pectus, cor dilatat, mentem ſerenat: & ideo forſitan Sponſa Cant: 2. diem Crucis vocat, *diem deſponſationis, & diem lætitiæ cordis ejus.* Quia ergo infinitè lætabatur de ſalute hominum ex ſua paſſione profluente, infinito quoq́; doloris ac confuſionis mortem elegit, quæ tanto gaudio reſponderet. Spectat ad contumeliam Crucis, maledictio legis, *maledictus à Deo eſt qui pendet in ligno,* Deut: 21. & ideo ibidem ordinatum eſt, *non permanebit cadaver ejus in ligno, ſed in eadem die ſepelietur:* dat cauſam Andreas Maſius celebris Interpres in cap: 8. Ioſue. Quia cenſetur contaminare terram, nec ipſe Sol aſpectabilis orbis oculus eum diutiùs quàm unâ luce videre poſſit, adeo terræ cæloq́; inviſum ſpectaculum. *Vt ergo redimeret nos ex maledicto legis, factus pro nobis maledictum,* ad Gal: 3. ut in gentibus benedictio Abrahæ fieret. Hoc tormentum ſubijt, ut pro maledictis à Deo inprimis parentibus & in ipſa communi matre terra pati illum conſtaret, pati ut idololatrum, ut blaſphemum, ut tyrannum ſive invaſorem Regni,(hæc enim nominatim flagitia apud Hebræos Cruce puniebantur,)cùm ab his omnibus longiſſimè abeſſet. Subivit autem tormentum pro illis qui ſexcentas cruces, qui mille patibula, qui gehennæ incendia infinitaq́; ſunt meriti ſupplicia, pro ſervis & latronibus quibus Crux debebatur æterna. Ita veritas ſtetit promiſſis. Prædixerat &

pro-

promiserat Ioan: 3. *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis.* Pulchrè hunc locum tractat Segneri in Manna cælesti 3. Maij. Serpens ille fictitiùs non fuit reus ullius illatæ mortis, tot inter funera à veris serpentibus profecta, & tamen illi fuit pendendum in Cruce, ut pro omnibus satisfaceret. Apparebat, serpens non erat, factus opere fusorio virtute ignis, cæterùm in se nihil veneni habebat, sed nec habere poterat. Ita similiter Christus non modò in se nihil habuit noxæ quam præferebat, sed nec habere potuit, in Cruce tamen *in similitudinem carnis peccati* ad Rom: 8. In se peccator non fuit, sed talis fieri voluit vi ignis, hoc est ardentissimæ charitatis, &c. *anathema factus pro* fratribus suis, ad Rom: 9. Recolenda hìc maledictio serpentis, *maledictus es inter omnia animantia & bestias terræ*, &c. Gen: 3. & inde forsan fluens naturale odium & horror ac execratio insita hominibus adversùs serpentem, ex qua fit ut cum varijs bestijs varij homines svaviter afficiantur ac colludant; nemo nisi Nero purpuratum generis humani monstrum viperam aliquando familiarem habuisse legatur. Serpentem perniciosum illud insectum insectantur omnes, & sicubi comparuerit occidendum statim conterendumq; censent: hinc adagium odisse peius angve. Ecce Dominus noster dum in Crucem instar Mosaici serpentis agi voluit, quàm execrabile, quàm maledictum genus mortis elegit. *Pessimam mortem Salvator elegit, ut omnem mortem occideret*, ait S. Anselmus. O *Bone IESV quid tibi est? mori debuimus & tu solvis, nos peccavimus & tu luis, opus sine exemplo, gratia sine merito, charitas sine modo.* Exclamat in extasim pene absorptus S. Bernardus: cùm alibi ignominiam supplicij istius comparatione Elisæi explicuisset. *In calva-*

riæ

riæ locum ubi verus Elisæus ab insensatis pueris irrisus, &c. *Ascendit itaq; Crucem calvus noster mundo pro mundo expositus, & revelatâ facie ac discoopertâ fronte purgationem peccatorum faciens, probrosæ & austeræ Crucis non horruit ignominiam, nec pænam exhorruit ut nos opprobrio æterno eriperet, restitueret gloriæ.* Capitulo X. ad Milit: templi. Deniq; S. Athanasius de Incar: Verbi. *Si ideo venerat, ut nostra piacula execrationesq; portaret, quomodo aliâ ratione execratio aut piaculum fuisset, nisi execrabilem mortem in se recepisset? est autem hoc ipsum Crux, quemadmodum scriptum est execrabilis, quicunq; in ligno pendet.* Hoc est quòd lamentatur Psaltes Psal: 68. *Super dolorem vulnerum addiderunt,* quid nisi opprobrium famæ & maledictum animæ ut non in solo corpore perimerent. Placuit Christum parricidis in Cruce potissimùm interimere, quia supplicium summè dolorosum, summè ignominiosum, omnino & maledictum. Ob easdem causas placuit Amatori generis nostri, ut eâdem viâ quâ illi suum odium, ille vicissim amorem demonstraret. *Suscepit Dominus quòd secundùm propositum suæ voluntatis elegit: admisit in se impias manus furentium, quæ dum proprio incumbunt sceleri; famulatæ sunt Redemptori.* S. Leo serm: 11.

III. Certissima probatio amoris est exhibitio operis non modò ex SS. Patrum sensu, sed etiam ex experientia: quia igitur nullo alio patiendi genere Divinus Amor in nos esse poterat beneficentior, Crucis unum præ omnibus alijs delegit sibi tormentum 1. Beneficium, *purificatio aëris.* Aër iste quo respiramus, & sine quo vivere non possumus, infectus erat & oppletus spiritibus infernalibus, qui & propterea aërearum potestatum nomen sibi vendicârunt. Inquinârunt scilicet aërem sequaces

Luciperi cùm de cælo caderent, in eoq; ex parte forsan hæserunt. Christus igitur cùm alijs elementis omnibus impertiret sanitatem: terræ videlicet & aquæ, hanc 33. annis perambulando, obambulando illam; sanctissimisq; plantis solùm calcando, salumq; & in Iordane Baptismum suscipiendo. Igni etiam sive cùm focum Puer obsequentissimus Sanctissimis Parentibus Nazarethi de fabrilibus sarmentis strueret, sive cùm deinceps in igne S. Spiritum demitteret: àërem morte purgavit, & àërias inde potestates præcipitavit. Hanc rationem specificant S. Athanasius & S. Chrysostom: Prioris sunt verba. *Quânam aliâ ratione id fieri poterat, nisi eâ quâ in àëre tolleretur; de Cruce est quod loquor: solus ille in àëre moritur, qui in Cruce vitam finit. Quare non sine ratione eam Dominus sustinuit: ita enim sublimatus àërem purificavit & purgavit ab omni diaboli aliorumq; dæmonum infestatione, dicens.* Lucæ 10. n. 8. *Vidi sathanam sicut fulgur cadentem de cælo:* Audaciùs imò quiddam pronunciavit S. Basilius hom: de humilitate. *Diabolus in eo crucifixus est, quem se crucifixurum & in eo mortuus, quem se morte extincturum speraverat.* Explicuit hunc sensum Origenes. *Visibiliter Dei Filius in carne crucifixus est: invisibiliter verò diabolus* (& in aversa ut ita dicam parte ligni) *in ea Cruce cum potestatibus atq; principatibus affixus est.* Similiter intelligendus S. Leo serm: 10. *Clavi Christi perpetuis diabolum fixere vulneribus, & sanctorum pæna membrorum inimicarum fuit interfectio potestatum.* Velasquez tom: 1. in Epl: ad Philip: c. 2. v. 8. adn: 1. moraliter hanc àëris purificationem interpretatur. Bene quidem moritur in Cruce ut purget nostrum communem àërem ab omni diaboli infestatione, expellens ab eo omnem *principem potestatis àëris hujus.* Eph: 2. n. 2. Aëris hujus scilicet

Zz mun-

mundani, superbiæ, vanitatis, ac mundanæ gloriæ, quæ omnia inania ac ventorum flatus sunt. Ideo nudus moritur in àëre, ut suo corpore nostrum hemisphærium ab hoc mundano àëre purget, sive non tantùm illam infectionem tollat quam habet àër immediatè à pervagantibus dæmonibus, sed etiam quam ab hominum peccatis; quæ & ipsa opera sunt diaboli suggerentis. Quibus ipsum àërem contaminant, ut typho superbiæ, verbis impijs, & carnis obscænæ fætoribus. *Expolians principatus & potestates traduxit confidenter palam triumphans ipsos in semetipso.* Ad Coloss: 2. n. 15. Syriacus legit *per semetipsum,* hoc est non modò doctrinâ & verbo, sed suomet corpore, suâ ignominiâ, suis cruciatibus àërem naturalem nostri hemisphærij à mundana vanitate purgavit. Quanquam nec cætera elementa ejusdem expiationis immunia dixerim, sicut cætera quoq; idololatricis ritibus, milleq; peccati abusibus fuerunt profanata. *In excelso ligno & non sub tecto passus est, ut etiam ipsius àëris natura mundetur, sed & terra simile beneficium sentiebat decurrentis è latere sangvinis stillatione mundata loquitur S. Chrysost: relatus à D. Thoma* 3. p. q. 46. artic: 4. in ☉ Mundavit àërem corpore, terram sangvine: aquam (addit Sylveira) lateris emanatione, ignem corde, in corde enim vehementissimi amoris flamma erat. Quod si iuxta revel: S. Brigittæ l. 1. c. 10. in mortis articulo ruptum est, non tam summâ doloris acerbitate (quantùmvis hæc adfuit) quàm vi intensissimi amoris, ut lucernam consumpto alimento crediderim dissiliisse. Quin etiam ipsi homini situs hic patientis Dei lustrando congruebat, unde ait S. Cyprianus. *Vt sanctificaret de excelso plebem,* & veluti benediceret summus ille Sacerdos & Pontifex. Verùm ut redeam ad àëris elementum in eo veluti in proprio

fun-

fundo atq; domo invasorem diabolum superavit, & hoc est alterum in nos beneficium amoris Crucifixi. 2. Victoria de hoste capitalissimo generis nostri. Eò enim splendidior est victoria, quò instrumentum vincendi abjectius. Celebrior Samgar *Iudic:* 3. qui sexcentos Philistijm percussit vomere, & Samson 1000 viros ex eadem gente in mandibula pulli asini *Iudic:* 15. delevit: quàm si tantam stragem iustis armis intulissent. Admirabilior David cùm venit fundâ pastoritioq; baculo, quàm cùm gladio Regiâq; ex ære galeâ venit armatus in Goliam, longèq; admirabilissimus, cùm illam turrim carneam lapillo uno deijcit, proprioq; ei erepto gladio obtruncat. Figurabat iste David serum Filium suum IESVM, huic enim contra gigantem tartareum Crux sua & baculus pastoritius (quò deinceps gregem suum regit) & gladius; gladius verò ex ipso hoste acquisitus, an non enim ligno genus humanum immanis ille tyrannus prostraverat? *Per lignum sathanas vicerat, & peccatum induxerat, per lignum victus est operatione æmulâ*, ait Tertullianus. Talis ei vicissitudo debebatur, ut qui contemptim nos vicerat, ipse quoq; superbissimus contempto armorum genere perimeretur. Modum victoriæ, lege Isai: 25. *Requiescet manus Domini in monte illo, & triturabitur Moab sub eo, sicuti teruntur paleæ in plaustro, & extendet manus suas sub eo, sicut extendit natans ad natandum, & humiliabit gloriam ejus cum allisione manuum ejus.* Ad quæ S. Borgia l. 1. adnotat *ut verè loquar, dæmonis manus sub Christi Cruce allisæ sunt, Crucis enim victoriâ ejus suppressæ vires, contrita superbia, eversum imperium.* Impressit his armis suis victoriosissimus Dominus vim quandam mirificam vincendi, ut non modò vibrata in se, verum exhibita duntaxat hostis infernalis effugiat. *Si modò Crucem*

infixeris vultui tuo, nullus dæmonum prope stare poterit videns ensem in quo plagam accepit, videns arma in quibus Christus caput suum abscidit. S. Chrysost: serm: de Cruce. *Quid timent dæmones? quid tremunt? sine dubio Crucem Christi in qua triumphati, in qua exuti sunt principatus eorum atq; potestates.* Origen: hom: 6. in Exod: & hom: 4. in Genesim. *Impulsu quodam primos parentes ad arborem tanquam ad asylum se contulisse putandum est, ut significaretur iam tunc unicum refugium peccatorum, quod subinde constitutum est in arbore Crucis.* Et S. Ephrem lib: de pænitentia. *Hoc signo conspecto adversariæ potestates conterritæ, trementesq; recedunt.* Euthymius in verba Psal: 5. *Domine ut scuto bonæ voluntatis tuæ coronâsti nos. Tu Domine munîsti nos valde, & circumdedisti Cruce tuâ quæ scutum est bonæ voluntatis.* S. quoq; Hieron: in Psal: 85. *Fac mecum signum in bonum ut videant qui oderunt me, & confundantur. Muniar Crucis tuæ signo quod videntes potestates adversæ, fugiant confusæ & discedant.* Hæc omnia cùm ita se habeant, directè ad nostram quæstionem S. Augustinus serm: 59. de diver: respondet. *Noluit lapidari, aut etiam gladio percuti: quia videlicet non semper nobiscum lapides aut ferrum ferre nos possumus quibus defendamur, elegit verò Crucem quæ levi motu manûs exprimitur, quâ & contra inimici insidias munimur.* Meritò proinde ex antiquissima Christianorum consvetudine, de qua Tertullianus. *Ad omnem progressum atq; promotum, ad omnem aditum & exitum, ad vestitum & calceatum, ad lavacra & mensas, & lumina; ad cubilia & sedilia, quæcunq; nos conversatio exercet; frontem Crucis signo terimus.* Quia enim ubiq; hostis insidiatur, ubiq; sunt arma in eum expedienda. Hoc monet S. Ephrem serm: de Cruce. *Nihil absq; Cruce peragas, sed si-*

ve operi insistas, sive comedas, sive bibas, omnia salutari hoc Crucis signo semper communi. Et ibi quàm maximè, ubi ille quàm maximè insidiatur. Turpiter omnino clypeum suum illi Christiani abijciunt, qui ad mensas & pocula Crucis benedictionem adhibere, nescio quâ seu incivilitatis opinione erubescunt, sive negligentiâ dissimulant. *Immortale vexillum portemus in frontibus nostris, quod cùm viderint dæmones, contremiscunt.* Hortatur & Origenes hom: 8. in Eu. Totam demùm in una Cruce nobis explicat panopliam. S. Martialis Petri Apostoli discipulus in Epl: ad Burdegalen: c. 8. *Crux Domini armatura vestra contra sathanam, galea custodiens caput, lorica protegens pectus, clypeus tela maligni repellens, gladius iniquitatem & insidias sibi propinquare nullo modo sinens.* Tam præsentem armaturam seu abijcientes, seu non sumentes in ruborem vertit stolidum animal asinus, qui Crucis arma sibi contra dæmonem probavit profuisse. Erat is gradarius S. Reguli Ep: Sylvanectensis: cùm verò S. ejus sessor dæmonem ex energumeno eiecisset; cernentibus cunctis qui aderant, malus inquilinus hospitium mutaturus in asinum rectâ ferebatur. At brutum subitò (meritis utiq; sancti) pede Crucis signum figuravit in terra, & quasi Deum adiutorem invocaret, erecto cælum versùs capite plùs solito rudere cæpit, tuncq; Divina potentia illud ab invasore liberavit. *Vincent: in spec: hist:* l. 10. c. 29. Ingratissimus quin etiam homo est suo defensori, quisquis Crucis Sanctæ usum non habet familiarem, illi inquam defensori, qui â tanto hoste tamq; nobis infesto nos & sui capitis periculo sangvinisq; impendio liberavit: & victricia arma nostris usibus in promptu semper futura reliquit: quod utrumq; quid est aliud quàm Summi Amoris manifestissimum documentum. *3tium*

um beneficium crucifixi Amoris est reconciliatio nostra sive restitutio in gratiam Patris Æterni, à nobis implacabiliter læsi: hanc verò perfecit pro nobis deprecando, sacrificando, mediatorem se interponendo; quæ omnes functiones nusquam commodiùs quàm in Cruce perfici potuerunt. Deprecationem ejus memorat Apost: ad Hebr: 5. *preces supplicationesq́ꝫ cum clamore valido & lacrymis offerens exauditus est pro sua reverentia.* Quæ autem orantis decentior compositio quàm expandere manus in altum? Sciebant hoc veteres ethnici, ex quibus Apuleius *habitus orantis est, ut manibus extensis in cælum precemur.* Et ratio in oculis, quòd cælum Dei Sedes sit, & velut apertum atq́; explicatum templum quò proinde spectant & tolluntur manus. Ex illo naturæ sensu Sapientûmve instituto Romani pietatis simulacrum effinxerunt sublatis in æthera manibus & Constantinus Imp: latâ lege præscripsit, ut gentiles ipso Dominico die feriarentur & vota sua elevatis in cælum manibus exponerent. Sicq́; sensim Christianis ritibus assvescerent. Hunc situm orandi probavit sæpe cælum prodigijs. Orabat Moyses expansis de more manibus, & ecce mirum è cælo benigniore prodigium! ros de cælo lapsus in precantis manibus concrevit (ut testatur Ioseph: l. 3. Antiq: c. 1.) eum ipse primus gustavit, deinde etiam alijs gustandum dedit: fuit hoc signum munificentiæ Dei & objectum stuporis, à quo & nomen accepit *Manna*, quasi *Manhu? quid est hoc?* illapsum autem in manus orantis, ut donum seu meritum orationis intelligas. Rursus Iosue pugnante contra Amalec. *Cùm levaret Moyses manus, vincebat Israël: sin autem remisisset paululum, superabat Amalec.* Exod: 17. Extensio hæc manuum exprimit animi contentionem sursum luctantis & Deum quo-

dammodo-

dammodo prensantis. *Caput & manus in cælum extollimus, corpus à terra educere conantes, erectam & elevatam animam desiderio meliorum cogimus in sancta progredi, magno animo corporis vinculum despicientes.* Ait Clem: Alex: Plerosq; Sanctorum sub orationem toto corpore in àëra sublatos legimus, ut S. Magdalenam ex suæ pænitentiæ spelunca Massiliensi ad audiendas cælestes laudes singulis diebus Angeli terq; quaterq; levabant. S. Ludgardis in Choro cantans *Veni Creator* cum sororibus ad duos cubitos in àërem attolli visa: similia de S. Ignatio, Xaverio, cæterisq; recenset *Bagatta tom: 1. l. 2. c. 3. par: 2.* Singularissimum est illud de S. Francisco Seraphico apud Bozium lib: 15. de signis Ecclesiæ c. 5. Cùm totus esset aliquando in Divinarum rerum contemplatione, visus est ignem spirare, accitumq; Socium Massæum complexus sublimem secum rapuit in àëra. Vtinam nos aliquando sursum rapiat secum, orans sublimè Amor noster; non quidem vi suâ Divinâ absq; ullo adminiculo sublatus, quòd utiq; facere potuit, sicut & in gloriosa Ascensione fecit: verùm ad Crucem conclavatus. Pulchrè quò ad manuum elevationem Christi Symbola & Asymbola advertit S. Borgia lib: 6. med: 73. *Brachia in Cruce elevat, ut ejus populus victoriam de hostibus reportet; cujus mysterij figuram in Moyse videre est Exod: 17. Sed huic ad manus sustinendas adiumento sunt Aaron & Hur, verùm nihil nostro Moysi extitit adiumento, nisi clavi durissimi manus ejus perforantes, qui ipsi ad augendum cruciatum deservirent.* Tertullianus quoq; in Moyse expandente manus, vivam figuram Crucifixi considerabat lib: con: Marcionem c. 18. sed nec minore fructu eum Sanctissimi quiq; imitantur. S. Gregorius Thaumaturgus dum persecutionem pateretur in montem secesserat

ſerat cum Diacono ſuo. Satellites etiam eò ſe per veſtigia ejus proripuerant, ſed cùm ambos diu quæſiviſſent in monte, ubi expanſis manibus illi orabant; haud agnoverunt tamen, reverſiq; nunciârunt nihil ibi reperiſſe niſi arbores duas: ita brachijs extenſis orantes, Deo volente videbantur. Triumphales planè arbores, & in quibus trophæum componere de hoſtibus licuiſſet. S. Franciſcum brachijs extenſis familiare habuiſſe precari, filiorum ejus usq; hodie perſeverans docet conſvetudo. Brachijs videlicet alarum loco protenſis ignes in ſe Divinos Seraph ille eventilabat. S. Magdalena de Pazzis aliquando 26. horis perſtabat orans brachijs in Crucis modum diſtentis. S. Kieywinus Eremita Hybernus cum extenſis aliquando per feneſtram manibus precaretur, contigit ut avicula ovum ſuum in una volarum ejus deponeret, ſtatuit ergo Sanctus non priùs manum ab extenſione retrahere, quàm avicula incubatione peracta pullum excluderet. Admirandum propoſitum! mirabilior in propoſito, quam tenuit conſtantia. Vide (ſi placet) autenticè hiſtoriam apud Nirembergium in hiſtoria naturæ. Robertus verò Salentinus Ord: Cæleſtinorum. Et B. Bonaiunta Ord: Servorum B. V. M. Generalis, nec mori quidem aliter quàm tenſis in Crucis formam manibus voluerunt. Plùs, imò aliquid in hoc genere præſtabat Salentinus. Nactus enim quandam arborem Crucis omnino figurâ prognatam excidit, eamq; in cubiculum ſuum pertraxit, in eaq; ſe quotidie ſpatio quo *Pater & Ave* decies dici poſſunt, cruciformiter appendebat, eamq; ipſam licèt prægrandis ac inerudita eſſet morienti ſibi adferri optavit, ſublaturus nempe ad illius aſpectum brachia, cùm ſe totum in eam agere per vires non liceret. P. quoq; Antonius de Regibus in Ordine Minimo-

rum

rum Tyronum Magister per suos discipulos funibus crassis ingenti Cruci (quæ hunc in usum sua in cella aderat) curabat se alligari, & hoc situ orans tres quatuorve horas, sæpe diem dimidium perseverabat: licèt verò hinc ossa omnia luxata haberet, vividus nihilominùs semper erat, ab eaq; crucifixione non secùs quàm à mollissimo lecto surgebat. Hæc & similia refert *Barry in Blanditijs sacris*. Referebant isti vicem aliquam oranti pro se Amori; nullusq; conatus gratitudinis vitio verti potest. Ostendebantq; velle se Christo in Cruce diductis brachijs patienti assimilari, & in Cruce spem reponere. Cæterùm *flectere genua, extendere manus, se solo prosternere, etsi exteriora sunt dum oramus, ex interiori tamen affectu oriri, eumq; augere adeoq; non esse inutilia* definit *S. Augustinus* lib: de cura pro mortuis cap: 5. Thomas Le Blanck elevatarum extensarumq; in oratione manuum, tom: 6. art: 2. in Psal: 140. v. 2. dat aliquot non omittendas rationes: Levantur manus in cælum, quia credunt esse Deum in cælo. Quia testantur illinc Dei se auxilium postulare & sperare, ut è periculo calamitateq; velut è naufragio eripiat. Qui sic orat, omnia opera sua Deo offert; velut tensis in cælum ramis arbor flores, folia & fructus; quâ de re & Xenophon l. 9. Cyrypædiæ. *Manus sustollimus in cælum quo habitu testamur nos, vel orationem tanquam iucundissimum Deo munus offerre, vel cor quasi donum eximium attollere ad Deum.* Sic oratur ad contestandam mentis elevationem, item ad protestandam earum puritatem: bene ascendit ad montem Domini oraturus qui innocens est manibus, unde & S. Paulus 1. Thim: 2. iubet *orare levantes puras manus*. Et S. Chrysostomus hunc in usum hortatur puræ ut manus serventur: & Tertull: cap: 30. Apol. *In cælum suspicientes Christiani*

ſtiani manibus expanſis quia innocuis, capite nudo quia non erubeſcimus, &c. Philo quoq; lib: de victim. *Poſtulat* inquit *Deus è Sacerdote primùm bonam mentem, ſanctam & in pietate exercitatam, deinde vitam benefactis ornatam, ut dum munus imponit, poſſit liberâ conſcientiâ dicere manus hæ nec muneribus corruptæ, nec innocenti ſangvine pollutæ ſunt; noxam, iniuriam, vulnus, vim intulerunt nemini: nulli rei turpi præbuerunt miniſterium, ſed rebus honeſtis ac utilibus, &c. &c.* Qui ſic orat, oſtendit alas deſideriorum ſuorum ad cælos evolantium remorante quidem corporis mole, iuxta Symbolum Annæ de Ioyeuſe Admirallij Galliæ qui aquilam panſis alis volaturæ ſimilem pingebat in anchora cum lemmate *& moror & propero.* Deniq; qui elevatis manibus orat, denotat ſe eſſe paratum ad laborem & pugnam. *In oratione manus extendimus ac veluti ſagittam in hoſtem dirigimus, ait S. Ephrem;* ut ex ejus ſententia brachia ſint arcus, ſagitta oratio: aurea quæ cælum ac cor Dei penetret, ferrea quæ corda inimicorum Regis. Quadrat orationibus, præſertim eiaculatorijs in Symbolo Ioannis Pauli Sfortiæ Marchionis Caravatij, Arcus depictus ſagittâ in cælum verſâ cum lemmate. *Sic itur ad aſtra.* Omnes enumeratæ cauſæ extenſorum in oratione brachiorum bene congruũt deprecanti in Cruce pro nobis Chriſto: Qui ſi alio tormento moreretur, non ita liquidò ſe pro nobis deprecatorem oſtenderet. Nec tamen ſatis habuit hoc ſitu deprecari; etiam pro nobis obtulit Deo ſacrificium propitiationis. In Perſona Chriſti cecinit David Pſ: 140. *Elevatio manuum mearum ſacrificium veſpertinum.* Quæ verba citatus Blanck exponit. Ipſa tibi manuum elevatio arrideat ſicut ſacrificium veſpertinum quod ſingulis diebus veſpere immolatur; ut in hac vitæ meæ veſpera

Tibi placeam. Vnde patet Agnum consveviſſe immolari, qui figurabat Chriſti Paſſionem: & S. Auguſtinus apertè in eum locum dicit. *Sacrificium veſpertinum Paſſio Chriſti.* Porro ſicut ſacrificium veſpertinum præſtabat omnibus diurnis & matutinis: ita ſacrificium illud in quo ſe Chriſtus obtulit Deo Patri victimam placationis, omnes alias victimas Teſtamenti veteris noviq; ſuperavit. Quæcunq; præceſſerant Chriſtum, umbræ, erant & figuræ: quæ deinceps factæ oblationes, ſeu ſpirituales, ſeu materiales; poſſunt dici ſacrificia diurna ad ſolem legis gratiæ:Chriſtus ſacrificium nobiliſſimum & Deo gratiſſimum, tam nobili ſacrificio nulla convenientior ara quàm Crux. Celebris ara Gen: 4. Abelis; ubi in prima orbis infantia innoxiâ manu candidâq; mente cecidit primogenita gregis. Celebris Noemi, quam ex vindicibus aquis redditæ inædificavit telluri Gen: 5. Celebris Abrahæ, cui ſuum unicum cordatus ille Genitor impoſuit: Celebris Iacobi, Gen: 28. qui erexit lapidem in titulum fundens oleum deſuper. Celebris prodigio Ara Heliæ contra aras idololatricas pſeudoprophetarum erecta, quæ licèt undiq; perfunderetur aquis, igne tamen cælitùs demiſſo, una cum victima conflagravit. Taceo Altaria holocauſti & thymiamatis &c. Omnibus Crux præſtat Chriſti, ubi (ſicut canit Eccleſia)

Divina cujus charitas ſacrum propinat ſangvinem
Almiq; membra corporis Amor Sacerdos immolat.

Amor ipſe Sacerdos & victima, offerens & oblatio. Crucem in aram elegit, ut ſi ara ab ardore dicitur, illic æſtum ardoremq; Divinæ mentis in oratione exereret, proprioq; incendio ceu melior cæli Phænix conflagraret. Altare etiam ſi iuxta etymologiam Iſidori, quaſi Alta ara dicitur: non defuit Cruci altitudo, de qua Eccleſia pſal-

lit: *flecte ramos arbor alta.* Quin(ut annotat Bourghesius.) Ad rationem sacrificij pertinebat hic situs, quæ enim Deo offerebantur, in altum extolli consveverat. (Nominatim Levitici 23. præcipitur de manipulis primarum frugum; Sacerdos *elevabit fasciculum coram Domino.*) Salvator erectus in Cruce sublevatis in cælum manibus seipsum nostræ salutis victimam offerebat, sursumq́; nos cor habere iubebat. Ne verò sacrificium vespertinum non satis ad literam esset; *veniente quasi mundi vespere, sive declinante iam sole ad vesperam.* Dominus *elevans manus suas, obtulit seipsum in sacrificium, & deleta sunt peccata nostra;* ait Isidorus in Psal: 140. Involvit, imò tenebris repentinis oblationem suam: ut nos quoq́; vespertina maximè sacrificia; hoc est à lumine mundi, luceq́; publica ob metum vanæ gloriæ subducta, Deo offerre discamus. Crux nobis ara est Asyli ad quam pressi animæ corporisve periculis confugiamus: *Hæc ara tuebitur omnes.* Virgiliano licèt acclamare hemistychio. Ara est Crux ad quam donaria sive mundi spolia & vitiorum irritamenta atq́; fomenta, seu votivas tabellas votorum nostrorum, corda maximè devota dedicemus. Memorabilis hac in parte Virgo Neapolitana, quæ Anno 1599. ut erat viduæ matris unica; genere, divitijs, formâ & moribus ornatissima, cùm ad nuptias cogeretur, ipsâ antenuptiali nocte antequam religiosam vestem clam domi asservatam indueret, ipsa sibi comam præcidit, ac ad clavos Crucifixi appendit. Memorabilis & ille Sacerdos Romanus, qui tacito nomine à Lyræo alijsq́; memoratur; cujus cùm corpus à morte Anatomici exenterarent, cor nusquam reperire potuerunt: donec casu quispiam illorum oculis in Crucifixum abaco insistentem conjectis, cor ad plantas Crucifixi sublimè palpitans

ac

ac geſtiens animadvertit. Iam ad mediationem Amatoris noſtri promoveamus ſermonem. Mediatoris eſt ubi hoſtiliter mutuò ſibi infenſorum digladiatio fervet; ut expanſis brachijs ſe medium velut ab invicem divulſurus, inter partes inimicas interijciat: quo quidem caſu non raró contingit mediatorem vel ab utrinq; vel ab alterutra parte lædi ac vulnerari. Chriſtus Dominus ab utrinq; vapulavit: fatetur Pater Æternus, *propter ſcelus populi mei percuſſi eum.* Iſai: 53. O plagam! ô ictum graviſſimum manûs Divinæ! tetigerat tantùm hæc manus leviter Iobum, & miſer lamentis modum invenire non poterat. *Quia manus Domini tetigit me.* Hujus manûs tres digiti orbi totius terræ appendendo ſufficiunt; ô quàm robuſta debet eſſe? *terribile* proinde dicit eſſe Apoſtolus *incidere in manus Dei viventis*; incidit Amor noſter, qui cùm totâ mente univerſoq; corpore conſauciatus eſſet, non ſecùs quàm Agnus demptâ ſibi duntaxat lanâ coram tondente ſe obmutuit, nec aperuit os ſuum, ut aliquod vulnus graviter ſibi dolere teſtaretur: Patris ſolius plagam diſſimulare non poterat, ſub hac lacrymabundus ingemuit. *Deus meus, Deus meus, ut quid me dereliquiſti.* Non ſegniùs pro ſua parte homines lædendo Mediatori incubuerunt, quorum ictus licèt ſub tempus Paſſionis ſilentio altiſſimo diſſimulaverit, ob vehementiam crediderim affectûs, qui plagas & vulnera ab amata manu aut penitus non ſentit, aut inſuper ceu roſarum ſparſionem delicataq; oſcula acceptat: Multis tamen ſcripturæ locis, tum nominatim Zachar: 13. conqueritur. *His plagatus ſum in domo eorum qui diligebant me.* En præmium mediationis? à qua tamen minimè deſtitit usq; dum opus ſuum perficeret, proteſtatus olim Iſai: 65. *Expandi manus meas totâ die ad populum incredulum* &c.

Quin

Quin etiam ut testatior sua functio esset, cælum inter terramq; medius pendere voluit verus Deum inter ac homines sequester. *Pacificans per sangvinem Crucis ejus sive quæ in terris, sive quæ in cælo*, ad Coloss: 1. Quatuor illa Crucis cornua (ut notat Drexelius) totidem effectus mediationis adumbrabant: reparandam nempe Angelorum ruinam in cornu summo, Patres limbo educendo in cornu imo, filios cælo adscribendos, & hostes gratiâ donandos in cornibus geminis transversi. *Vnus ergo Deus, unus Mediator Dei & hominum Christus IESVS qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus*. 1. Thim: 2. *Manus in Cruce extendit ut omnia ad se traheret; ut nodo mortis exuta, iugo fideli suspensa cælestibus ea quæ priùs terrena erant, sociaret.* S. Ambrosius. Nemo ampliùs dicat quò fugiam, quò me vertam. *Hic melioris testamenti Mediator est*, ad Hebr: 8. 6. Habuerit in Symbolo Carolus IX. Galliæ Rex libram cum lemmate *ortus occasibus æquat*, quo significabat penes Galliam esse ius quoddam & consvetudinem, Regnorum aliorum potentias librandi, seseq; interponendi, ne unum Regnum alterius potentiâ nimiùm prægravetur, adeoq; simultates Regnorum examinandi, prætensionum momenta coæquandi: Christi Crux statera canitur à S. Ecclesia, à SS. PP. nominatim à S. Bernardo appellatur: in hac Mediator Amor mutuas cæli terræq; prætensiones complanavit: & hoc fuit pacem inter Deum & homines concludere. Placare Deum hominibus, & hos in gratiam Dei reponere. Effectus hujus reconciliationis sive pacificationis est inter primarios, liber passus in cælum qui meritò *quartum* beneficium amoris Crucifixi dici queat. Cùm enim gentes aliquæ hostiliter inter se diffident, ex neutra cuiquam fas est per obsessos limites in alteram penetrare: similiter

ter durantibus inimicitijs inter cælum & terram, nulli homini datum eſt in cælum irrepere, & viciſſim Angeli non niſi vel diſſimulato habitu velut exploratores, vel ad pauciſſimos ex optimis & cælo fæderatis, idq; rariſſimè commeabant. Sed illâ hoſtilitate per Chriſtum ſublatâ, ipſa Crux ſcala Iacob effecta eſt, per quam Angeli ad homines, & hi ad Angelos, ipſumq; Deum nullo vetante conſcenderent. Ideo ſcilicet non humi, ſed in àêre, quà via in cælum, mori dignatus eſt, ut per ignotam viam, per aſperas viſu ſcalas ductor ſequacibus præiret. Ita conſiderabat Chriſtum S. Cyprianus: *elevatum in ſublimi & cælo proximum, ſuperioribus inferentem conſummati agonis vexillum, & victoribus erexiſſe ſcalam in Patris occurſum.* Ioſephus ſcaliger in ſcuto præſetulit ſcalas alatas cum lemmate *ſcalis & alis.* Innuens gemino adiumento hoc opus eſſe illi, qui cælum ingredi cupiat. Nobis nec ſcalæ nec alæ quærendæ ſunt alibi, brachia extenſa Domini ſunt alæ, & Crux ejus firmiſſimæ ſcalæ. Has teſtamento ipſo nobis quo alijs alia profuſiſſimus ſui in morte inſcribebat, ut ait S. Ambroſius. *Author pietatis in Cruce pendens teſtamentum condidit, ſingulis pietatis opera diſtribuens, Apoſtolis perſecutionem, Iudæis corpus, Patri Spiritum, Virgini Paranymphum, latroni Paradyſum, peccatis infernum, Chriſtianis pænitentibus Crucem.* Porro Tabulæ fuerunt ſacerrimum ejus corpus, ſangvis atramentum, clavi calamus ſeu ſtylus quo ejus in manibus pedibusq; ſcripti ſumus, flagra item & lancea quâ ad intimum usq; cor characteres impreſſi ſunt, ac nomina noſtra inſcripta (his ita recenſitis infert Hautinus) ergo cælum Patria noſtra eſt, cælo nati ac deſtinati ſumus En teſtamenti authenticum quo cælum nobis à Chriſto inſcriptum eſt ſed unâ ſcalæ ad illud

Crux

Crux: Testamenti hujus condendi gratiâ Crucis mortem elegit. *Pendentes enim in ligno Crucifixi productâ morte necabantur, non enim cruc figi hoc erat occidi, sed diu vivebatur in Cruce, non quia longior vita eligebatur, sed quia mors ipsa protendebatur, ne dolor citiùs finiretur.* Ait S. Aug: tr: 30. in Ioan. Horrebat Seneca epl: 101. votum Mecænatis qui modò viveret, in Cruce perdurare non refugit. *Invenitur* inquit *aliquis qui malit inter supplicia tabescere & perire membratim, & toties per stillicidia amittere animam quàm semel exhalare. Invenitur qui velit adactus ad illud infelix lignum trahere animam tot tormenta tracturam.* Amandus Mecænas noster IESVS non quidem præcisè ob longiorem vitam Crucem elegit, sed ob spatium productius testamenti condendi. Elegit imò hoc supplicium,(ut notat Bourghesius;)ut iudicio semper integro plenoq; sensuum ac rationis usu Dominus moreretur ad extrema persolvenda officia supremaq; de Cruce verba proferenda. Certè ubi abest rationis usus(ut in præcipitio, igne, gladio)animalis potiùs est quàm hominis passio, Christo minimè conveniens. Vidimus beneficum in Cruce Amorem ut ob hoc & manus distenderit. *Ecce non est abbreviata manus Domini ut salvare nequeat.* Isai: 59. *Quæ enim maior esse potest misericordia quàm manum semper extensam habere ad levandum & dandum.* Subiungit Oleaster ibi, & Iuglaris elogio 63. Cùm omnia dederit ei Pater in manus, retinere illum quidpiam velle ne crederes; stringere illas ne posset, clavo voluit prohiberi. Ita tenaces prodigus ne in compressa quidem imitari potuit manu. De pedibus etiam S. Borgia ad propositum loquitur. *Quid ampliùs sperari potest de Dei clementia? quam videbantur simul ostendere clavi, quibus firmiter inhærebant Cruci ejus pedes*

ac manus, utpote quæ deinceps ligatæ ad vindictam futuræ erant, extensæ autem & solutæ ad misericordiam.

IV. Et hactenus spectabamus amorem Crucifixi in effectibus: manifestiùs longè apparet in se ipso. Fabulatur alicubi Ausonius Pöeta Burdegalensis, Cupidinem è myrtho Crucifixum; dignum profectò latrone animarum supplicium, modò verum esset. Dominus noster IESVS Christus omnibus omnia factus, Protheus quidam ac Vertumnus omnes figuras in gratiam nostri induere, perhibetur à Nirembergio *in arte voluntatis* l. 4. c. 68. apparuisse aliquando Antonio Martinio in habitu Cupidinis igneas in pectus iaculando sagittas. En iam iste sanctior Cupido Cruci affixus. Quidquid in eo est, amor est aspectabilis. Vnde Ecclesia canit in Officio septem dolorum: *Dilectus meus candidus & rubicundus, & totus desiderabilis: omnis enim figura ejus amorem spirat, & ad redamandum provocat: caput inclinatum, manus expansæ, pectus apertum.* S. Hieronym: Epist: 18. miratur Amoris Divini magnitudinem *in hoc parvo terræ foramine* (ita antrum Bethleemiticum vocat) *cælorum Conditor natus est!* si magni ergo amoris erat unum terræ foramen subijsse, quanti est, quinque foramina proprio in Corpore nobis aperuisse, quæ fierent civitates refugij, intimæ admissionis auditoria, & ut cum Pöeta loquar Dulces latebroso in pumice nidi.

Extendit brachia Crucifixus Amor ut arcum, ex quo ipse, *sagitta Dei Patris* (ut eum D. Hieronym: vocat) in nostra se corda immitteret. Extendit brachia in umbram, ut deinceps Sponsæ suæ, devotæ animæ jubilent: *Sub umbra illius, quem desideraveram sedi.* Cant: 2. *Vmbra ejus Caro ejus* S. Bernard: serm: 48. in Cant: Et Gvilelmus apud Delrium: *Quis enim posset* inquit *su-*

ſtinere Solem Iuſtitiæ nudum? quis non conſumeretur ardentibus radijs ejus. Quærat ergo, qui volet umbram vitis ebrioſus; umbram ficûs voluptarius; umbram mali guloſus; umbram quercûs ambitioſus; umbram hederæ vanus & illecebroſus; umbram juniperi inconſtans; umbram Nabuchodonoſoris & Balthaſaris cum Iſraëlitis Baruch 1. quisquis neglectô Deô, in homine poſuit adjutorium ſuum: Tibi ô anima Chriſtiana Crucifixus Amor præbet umbram Cedri ad incorruptionem, umbram Olivæ ad ſanctam pacem, umbram Palmæ ad victoriam, umbram Cupreſſi ad conſolationem & felicem mortem. Obſervandum verò jam ſuperiùs dictum eſſe, ex quatuor iſtis arborum ſpeciebus Crucem Domini compactam fuiſſe, qua de re lege, ſi placet S. Bernard: ſerm: 46. ex parvis & Lobbetium in via vitæ ac mortis l. 7. à cap: 1. usq; ad 4. l. 3. ubi valdè accuratè & ad fructum enumeratas umbras explicat. Sicut & vulnera Chriſti Domini Crucifixi, tum Vincentius Caraffa in Faſciculo myrrhæ, tum Gvilelmus de Wäel in Corona SS. Chriſti vulnerum. Non tamen hìc aliquos textus videntur omittendi S. Petrus Damiani l. 7. Epiſtolarum ait: *Chriſtus petra eſt, foramina petræ Redemptoris ſunt vulnera, in quibus foraminibus columba ſubſiſtit; quia quælibet anima totam ſalutis propriæ ſpem in ſui Redemptoris Paſſione conſtituit. Ibi veluti ab accipitris incurſu defenditur, quia à cunctis malignorum ſpirituum inſidijs cuſtoditur.* Concinit Damiano Bernard: ſerm: 60. in Cant: *In his foraminibus paſſer nidum ſibi, & turtur domum invenit; in his columba ſe tuetur, & ſecura circumvolantem intuetur accipitrem.* Conſidebat aliquando Senatus Græcæ cujusdem Reipublicæ ſub fago, paſſerem ſubinde inſectabatur accipiter: ille volatu vario ac flexu hoſtem deludens, tandem anhe-

lus & iam iam capi ac laniari metuens sub fagum Senatoriam convolavit Xenocratisq; cujusdam sinum pro asylo occupat. Misertus aviculæ Xenocrates atq; ad Collegas conversus, oportet, inquit, profugum ac supplicem protegere. Clementior incomparabiliter IESVS, quare tot aperuit vulnera? nisi quia oportet eum supplices ac profugos protegere: *Vbi firma tutaq; securitas, nisi in vulneribus Salvatoris? tantò illic securior habitas, quantò ille potentior est ad salvandum. Fremat mundus, premat corpus, diabolus insidietur, ne time, quia in foraminibus petræ secura es.* Ait S. Bern: serm: 61. in Cant: & Bernardi discipulus Gverricus Abb: non degeneri calamo atq; affectu. *Benedictus,* inquit, *qui ut nidificare possem in foraminibus petræ; manus pedesq; ac latus perforari sibi tulit & se mihi totum aperuit, ut ingrediar in locum tabernaculi sui* &c. Ante omnes S. Aug: in Matth: c. 22. *Tutum refugium mihi præbent vulnera Salvatoris.* Vt verò (quod acutè observat Iuglaris) in civitatem refugij facilior sit reis ingressus, non in uno duntaxat latere, sed & omni angulo suam pandi ianuam decuit. Quem ubiqué ingressum Dominus negâsset, si alio quovis mortis modo, quàm Crucis multiforæ occidere voluisset. Ora sunt eadem vulnera & ora facundi ad veniam Amoris, quæ si non muta, certè haud ita vocalia fuissent, extra rostra Crucis. *Cùm penderem in Cruce, omnia vulnera mea patebant, & singula vocem ad Deum Patrem emittentia pro hominis salute interpellabant, & sic usq; hodie clamore quodam Dei Patris iram mitigant peccatori Dicebat ipse Christus* S. Melchtildi Spir: grat: l. 4. c. 16. Ne verò humanorum instar verborum ô homo! has etiam voces è vulneribus Domini ventis obnoxias, ac in aëre perituras timeas; easdem perpetuos, indelebiles ad

perpetuam rei memoriam in tabulis corporis ſui extare voluit characteres. *Quid ſunt plagæ iſtæ in medio manuum tuarum?* quæſivit Zacharias: ad quæſtionem Rupertus Abb. *Poterat optimè reſpondere, ſunt monumenta charitatis, ſunt teſtimonia obedientiæ, ſunt ſigna iuſſionis Paternæ, ſunt pretia redemptionis humanæ.* Non reſpondit hæc Dominus, ſed tantùm his plagatum ſe in domo eorum *qui diligebant me.* Domo ſcilicet amantium commemoratâ, amoris eſſe plagas conteſtabatur. Senſum autem ſcripturæ iſtius S. Rupertus ſequentibus exprimit. *Cerne*(quaſi diceret)*Pater nomina omnium electorum deſcripta in manibus & corde meo.* O! quanta ſpes hinc oritur, nos conſcribendos in libro viventium, quos in libro emorientium ſuorum membrorum conſcribere dignatus eſt Amor. Cujus ſcriptura nunquam ita manifeſta fuiſſet, niſi in Cruce expanſa ex aprico Golgothæ monte in oculis totius mundi conſtitiſſet. Libet modò cum S. Auguſt: deprecari. *Scribe Domine vulnera tua in corde meo, ut in ijs legam amorem tuum.* Quòd enim ejus Sanctiſſimum Corpus attinet ſervilibus etiam notis conſcribi non refugit, modò in ijs literis Amorem legeremus. Quem ſi hæc omnia non ſat adhuc liquidò proponunt: Attendamus adhuc expanſa brachia, nonne is vel maximè habitus eſt amantium? Attendebat ad hoc S. Franc: Borg: & ait lib: 1. *E ſublimi Cruce extenſis manibus invitabat homines dulciſſimus IESVS ad pacis & amicitiæ fœdera.* O ſvaviſſimam invitationem ſi auſcultaremus, imò ſi ſaltem attenderemus. Attendit ad illam S. Bernardus Clarevallenſis, cùmq; Crucifixum contemplaretur, ejus viciſſim complexu ſenſit ſe adſtrictum. S. Lutgardis Virgo Ciſtercienſis, S. Caëtanus Thyenæus Author Clericorum Regularium non modò in comple-

xum ſuſcepti: Verùm etiam ad ſuctum lateris Dominici admiſſi ſunt. Invitamur omnes & ſinguli. *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos.* Matth: 11. Ideo diſperſit cum ſole manus, ut non ſolùm hunc illumve hominem, ſed totum orbem terrarum complecteretur affectu intenſiſſimo. Hoc aſſeruerunt illi veteres Presbyteri Syriani, qui anno 600 circiter poſt Chriſtum, Chinas evangelizârunt, quorumq; lapidarium monumentum anno 1625. deinceps è terra effoſſum puncto 3. hæc habet: *Meſſias Cruce utitur, ut omnes absq; exceptione comprehendat, excitat omnes voce charitatis, reverentiam exhibere iubens verſùs orientem, ut pergant in via vitæ glorioſæ.* Kircher: Chinæ illuſtratæ c. 3. interpr: 3. In eundem ſenſum Lactantius lib: 4. c. 26. *Extendit ergo in Paſſione ſua manus orbemq; dimenſus eſt, ut iam tunc oſtenderet ab ortu ſolis usq; ad occaſum magnum populum ex omnibus tribubus & lingvis congregatum, ſub alas ſuas eſſe venturum, ſignumq; illud ſublime atq; maximum frontibus ſuis ſuſcepturum.* S. Hieronymus diſtinctiùs quatuor extenſis Crucis cornibus quadripartitum orbem comprehendi. *Ipſa ſpecies,* inquit, *Crucis quid eſt, niſi forma quadrata mundi? Oriens de vertice fulgens; Arcton dextra tenet; Auſter in læva conſiſtit; Occidens ſub plantis firmatur. Vnde Apoſtolus dicit, ut ſciamus, quæ ſit altitudo, & latitudo, & longitudo, & profundum, &c.* Idem Sedulius vetus Pöeta Chriſtianus eleganti metro,

Quatuor inde plagas quadrati colligit orbis,
Splendidus Authoris de vertice fulget Eöus,
Occiduo ſacræ lambuntur ſidere plantæ,
Arcton dextra tenet, medium læva erigit axem.

Activus usq; adeo vel in ipſo vitæ ſuæ occaſu Sol eſt increatus, ut non ſit, qui ſe abſcondat à calore ejus. Quatuor

tuor mundi partes, quatuor velut angulis Crucis respondent ac continentur. Sic aiunt S. Maximus Episcopus Taurinen: hom: de Cruce. Lactant: c. 426. Nissenus apud D. Thomam. Ecce 4. Crucis dimensionibus totidem orbis partes signantur, & ad eam evocantur, ut sub erecto salutis vexillo militent; unde rectè Greg: Nyss: Crucem vocavit *vinculum universitatis:* Quòd scilicet universum, quantum illud est, ejusq; partes omnes iungit atq; connectit uno Fidei nexu vinculoque. Extensio ista quinimò pertinet non modò ad omnia mundi loca, verùm etiam ad omnia tempora, (ut animadvertit Lobbetius.) Longitudo Crucis est ipsa quanta quanta æternitas,è qua prædefinitum,ut in ligno scelera expiaret Deus homo: Iuxta illud Isai: 54. *In misericordia sempiterna misertus sum tui,dixit Redemptor tuus Dominus.* Sublimitas est ipsa cæli Regia, ad quam per Crucem velut per scalam ascendit Christus eoq; evexit primitias generis nostri. Profundum sunt inferi, ad quos etiam descendit ipsa virtus Christi visq; Crucis. Latitudo Crucis est, quæ in ea legitur inscripta charitas ad omnes latè fusa, ad omnes, qui ante legem, in lege, post legem. S. Hieronymo adhuc *sublimitas est cælum: profundum, media latitudo & longitudo est accessus ad unum vel alterum.* Hic observa in longitudine non lata, designari viam in cælum,in qua per angustias luctandum est cum longanimitate & perseverantia: in latitudine non longa,non tam viam quàm præcipitium ad inferos, *facilis descensus Averni.* Omnium locorum, omniumq; sæculorum homines Crucifixus amplectitur, præterquam eos,qui se violenter ex ejus amplexu eripiunt. Parùm dixi, amplectitur, etiam vi quâdam magneticâ ad se attrahit, ut vel ideo sublimè conscendisse censeri possit; nam & magnes

è subli-

è ſublimi in latiori activitatem ſuam ſphæra propagat. Hoc dixit Bourgheſius. *Ut Dominus formâ Crucis oſtenderet, ſe pro ſalute mundi totius pati, & omnia ad ſe attracturum.* Et S. Greg: Naz: carm: de Virg:

Quin etiam expandens ſacrati corporis artus
In fines terræ, mortale ex finibus orbis
Collegit genus, atq; hominem contraxit in unum,
Et medijs magnæ poſuit Deitatis in ulnis.

Hoc ſcilicet eſt, quòd ipſe Dominus dicebat, Ioan: 12. *Ego ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipſum.* Elegantiſſimè Salvianus Epiſcopus Maſſilienſis lib: 4. de provid: Magnetiſmum Chriſti exequitur. *Sicut illas* (inquit) *naturæ admirabilis gemmas ferunt, quæ ferro admotæ duriſſimum licèt chalybem affectu quaſi adſpirante ſuſpendunt: ita etiam ille, id eſt, ſumma & clariſſima negotiatorum cæleſtium gemma hoc voluit, ut dum ſe duriſſimis licèt nobis deſcendens de cælo propiùs adiungeret, affectu ſuo nos, quaſi amoris ſui manibus admoveret, ut agnoſcentes dona ſua ac beneficia intelligeremus, quid nos pro Domino tam bono facere conveniret, cùm ille pro malis ſervis tam multa feciſſe comperiretur.* Cur & Ezech: c. 1. atq; 8. *Similitudo Hominis*, id eſt, Incarnatæ Deitatis *quaſi ſpecies electri* adſpicitur? niſi ut inſtar electri nos leves paleas, ſiccaq; folia, obvia cujusvis venti ludibria, calcaneive ſpolia, ad ſe attrahat. *Traxit exaltatus omnia ad ſemetipſum, quemadmodum Aquila in ſublimè volans prædam trahit.* Ait Maldonatus. Trahit inquam, verùm non aliter quàm trahit ſua quemq; voluptas. In Cruce enim (ut deſcribit Drexelius.) Membra Chriſti omnia paratiſſimos offerunt amores. Nam Caput inclinat ad oſculum pacis, brachia pandit ad amplexandos tam bonos, quàm malos, ut & ipſi fiant boni; manus habet apertas

ad dandum, Cor lanceâ reſeratum ad amandum, pedes fixos ad expectandum, dum redeamus ad ipſum. Congruit huic deſcriptioni ardens Gilberti Abb: affectus ſerm: 20. in Cant. *Omnia, quæ in te ſunt, Bone IESV, quandam habent alliciendi efficaciam, & cogitantes ſolicitant in affectum, ſed ad omnia non poſſumus omnes attingere; ſublimia ſolis ſublimibus ſunt, humilia omnibus; & quæ maior humilitas quàm exaltari in Cruce? efficax ad trahendum humilitas iſta: quidni? quis non ad ſimplicem hujus rei cogitatum ſtupore & extaſi repleatur.* Apoc: 5. Pro parta victoria & trophæo adorant Agnum 24. Seniores, *habentes ſinguli Cytharas & phyalas aureas odoramentorum, quæ ſunt Orationes Sanctorum.* Quare Cytharis potiſſimùm, quàm alijs muſicis inſtrumentis victoriam celebrant? Reſpondet Primaſius. *Cytharis, in quibus ligno imminentes chordæ tenduntur, Chriſti Paſſio figuratur.* Paſſio verò ipſa eſt victoria, quæ vincit mundum & diabolum. Sed cur ipſa Paſſio non alio inſtrumento, quàm Cytharâ figuratur? ſimilitudo quidem & convenientia cum alio fortè maior inveniri poſſet, ut cùm Lyra, &c. Sed ob efficaciam, quam inter cætera inſtrumenta vox Cytharæ obtinet in edomandis hominum animis ac attrahendis, Cytharæ potiſſimùm decet comparari. Admirandi profectò ſunt effectus muſicæ, prodeſſe illam, ait Varro, podagris; Iſchiadi Theophraſtus, Iſmeniamq́; Thebanum Tibicinem ab ea affectione modulis ſvavioribus plures perſanâſſe; carmine Lienoſos curari Plinius: colicâ laborantes Alexander Trallianus, aliterq́; affectos alij perhibent apud Tiraquellum de nobilitate tom: 1. a. pag: 158. Xenocrates Organicis modulis Lymphaticos, Aſclepiades Phreneticos ad rectum uſum rationis reſtituebat, Thales Cretenſis cantu Cythe-

ræ peſtilentiam expulit. Avicenna muſicam panchreſton quoddam ſive univerſale omnium morborum putat medicamentum. Pythagoras perturbationes animi lyrâ componebat. Non penitus fabuloſa ſunt quòd Arion Delphinas & cæterum pecus maris; Amphion ipſas feras quin & ſaxa Cytharâ ceu machinâ movere tenereque potuerint.

Potuit (*ſi fides Poëtæ*) manes accerſere coniugis Orpheus
Threiciâ fretus Cytharâ fidibusq́; canoris.

Antigenides Cytharædus domitorem orbis Alexandrum domabat, hunc ſiquidem quoties ſeveriores modos tentantem audiret, proſiliebat ad arma, gladioq́; in præſentes irruebat; ſed ubi rurſus ad mitiora declinâſſet muſicus; ira quoq́; & furor Alexandri in mitiores vertebatur affectus. Clinias Pythagoricus quoties ira ſe commoveri ſentiret, ſumebat Cytharam, ejusq́; pulſu commotionem illam tranquillabat, *Ælianus*. Similia muſicæ miracula leguntur alibi, ut nempe aſpidum viperarumq́; venena Cytharæ cantus ex ictis corporibus eliciat, &c. Habent iſtam omnigenæ muſicæ, habent Cytharæ præcipuè efficaciam omnes venæ & nervi Chriſti per lignum Crucis ceu chordæ tenſæ per Cytharam. *Illius enim livore ſanati ſumus*. Iſai: 63. Stultitia Crucis tenebras errorum ab intellectu noſtro diſpulit: Peſtilentiam quoq́; omnem non modò à moribus, ſed etiam ab ipſo âëre abſterſit, ait enim Xiphilinus Patriarcha Orat: de ador: Crucis. *Dum in Cruce pependit, àërem manuum diſtenſione purificavit.* Sed præcipua activitas Cytharædi Crucifixi, ſeu Cytharæ Crucis in mentes animosq́; hominum, de qua tam verè quàm facundè Clem: Alexand: exhor: ad Gent: *Solus cantor meus difficillimas feras manſvefacit, volucres nempe eos, qui ſunt leves: ſerpentes eos,*

qui deceptores, leones eos, qui sunt animosi & in iracundiam concitati; sues eos; qui sunt voluptati dediti; lupos eos, qui sunt rapaces, lapides autem & ligna, qui sunt insipientes, &c. Vis specimen? en plurimi, qui ceu lupi vesperti-ni circa Agnum in Cruce suffixum exululabant blasphemando: qui ceu leones rugiebant, fremebant, ungvibus & dentibus concerpebant, non quidem leonina generositate, cui corpora prostrâsse sufficit, verùm illâ rabie,

quâ Lupus & tristes instant morientibus ursi
Et quæcunq; minor nobilitate fera est.

Hæ, inquam, feræ subitò Cytharâ Crucis cicuratæ percutiebant pectora sua redeundo, humanâq; omnino voce dicebant. *Verè hic Filius Dei erat. Vide quantùm potuit canticum novum, homines ex lapidibus, & homines fecit ex feris.* Subiungit Clemens citatus. Quis ignorat & non Eurydicem aliquam unam, sed multos sanctiores Orpheos, Prophetarum nempe Sanctorum corpora ex mortuis ad eandem Cytharam surrexisse. Erat Romanis teste Æliano quoddam mutæ musices artificium, quod sine sono manuum quibusdam facieiq; signis perficiebatur: talem aliquando musicum conspicatus Demetrius Cynicus dicebat. *Video sonos, quos facis, nec modò video, sed & mihi videris manibus ipsis loqui.* Non modò verba in Cruce prolata, verùm ipsa figura Crucifixi sonora est atq; harmonica ad attrahendum. *Cytharâ passio Christi figuratur.* Sed continuò Cytharis Apocalypticis adduntur phyalæ aureæ continentes Orationes Sanctorum: quod considerans Hugo, ait: *Post Cytharas phyalæ ponuntur, quia priùs Dominus passus est, & sua latitudine ostendit latitudinem charitatis, tum pro suis crucifixoribus dixit: Pater ignosce illis. &c.* Sylveira factâ reflexione ad eandem connexionem Cythararum & phya-

larum. Cythara, ait, passio, phyalæ orationes SS. ut igitur cujuslibet oratio grata sit ac jucunda sicut incensum thymiamatis, debet procedere ex meditatione Dominicæ Passionis. Sed redeo ad attractivum Amorem, qui cùm attraxerit, non destituit, nec ex se solùm suspendit; verùm quod promiserat Oseæ 11. *Ego tanquam nutritor Ephraim portabam in brachijs meis. In brachijs meis in Cruce distentis; ibi enim extendit brachia sua ad amplectendum nos & portandum.* Subiungit Stephanus Cantuariensis. S. verò Athanasius *ut hâc quidem veterem populum, illâ verò gentiles attraheret, & ambos in se coniungeret.* Specta homo, specta munde Athlantem tuum, & recognosce, quod dixit S. Germanus Patriarcha *decidit deorsum natura humana & suspendit se in petra, scilicet in Christo, & arbore Crucis quietè sicut in fulcro resedit.* Et Macarius Philadelphiensis. *Crux fulcrum est cæli, & orbem terrarum suffulcit.* Iulius deniq; Firmicus: *Clavi Crucis cornua, quibus omnia sustinentur & sublevantur, in quibus cornibus bene omnium hominum vita pendet.* Ecce quanto fulcro labilis homo & mundus totus caruisset, si Amor Crucifixus in columnam & basim se non subposuisset. Latitudine Crucis omnia complexus, altitudine cælum patefecit, penetravit infernum profunditate: instauravit omnia & quæ in cælis & quæ in terris: Ne instaurata aliquando nutarent, seipso suffulsit ac stabilivit. Hoc ut intelligere laboremus monet Apostolus ad Eph: 3. *Vt in charitate radicati possitis comprehendere, quæ sit longitudo, & latitudo, & sublimitas, & profundum, scire etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi.* Quasi diceret, ut docet S. Dionys: Areop: citatus à D. Thoma: *habeatis tantam fidem & charitatem, ut possitis tandem comprehendere, quando comprehensibile est.* Sed

quando comprehensibile erit, nisi quando & lumine gloriæ illustrabitur intellectus, & incendetur ut carbo affectus charitate? Interim ex doctrina D. Thomæ in Epl: ad Eph: *Scire charitatem Christi, est scire omnia mysteria Incarnationis Christi & redemptionis nostræ, quæ ex immensa charitate Dei processerunt; quæ quidem charitas excedit omnem intellectum creatum & omnium scientiam, cùm sit incomprehensibilis cogitatu & ideo dicit supereminentem scientiæ, scilicet naturali, & omnem intellectum creatum excedentem* &c. Quærebat Ecclesiasticus c. 1. *Profundum abyssi quis dimensus est?* Sed si Augustino est *abyssus, profunditas aquarum impenetrabilis* enar: in Ps: 42. S. Isidoro *spelunca aquarum latentium*, alijs *ipsa Oceani altitudo*; certè hæc à naturæ secretario sic dimensa est, ut vix ad 300 stadia revocetur? de alia ergo hìc abysso Sapiens agit, & quidem de qua superiùs Apost: *Vt possitis comprehendere* &c. Sic enim iuxta D. Thomam Crucem describit. *Ibi est profundum in ligno quod latet sub terra, & sustinet Crucem, & non videtur: quia profundum Amoris Divini sustinet nos, nec tamen videtur; quia ratio prædestinationis excedit intellectum nostrum.* Sic ergo debemus comprehendere virtutem charitatis Christi, ut adhuc eam sciamus omni scientiæ supereminere: quia nullus potest scire quantùm Christus dilexit nos. Hoc nec natura potest capere, nec humana ratio explicare, imò nec ullius votum potuit assequi. Vt piè & doctè loquitur Nirembergius lib: 4. c. 3. *de ador: in spiritu.* Tale est beneficium & Sacramentum redemptionis, quam si quis postularet, antequàm manifestaretur hominibus, hoc modo, quo facta est; preces blasphemiæ crederentur, spes insana temeritas; votum sacrilega voluntas; opinio impietas. Quis hìc non exclamabit ad Crucifixum cum

Dro-

Drogono Ostiensi. *Fecisti Domine de corpore tuo speculum animæ meæ.* Et cum S. Bernardo: *Vtrumq́ꝫ es mihi Domine & speculum patiendi & præmium patientis:* maximè cum S. Laur: Iustiniano. *Es mihi ô Domine IESV & speculum patiendi & meritum, utrumq́ꝫ fortiùs provocat & vehementer accendit.* Video ô Domine in te Crucifixo ceu in speculo politissimo ac sincerissimo tuum infinitum erga me amorem! video, & utinam hoc speculum mihi esset ustorium, quod concentratos sancti amoris radios in cor meum transmitteret: sed eheu! video in eodem speculo ingratitudinem meam, & nullum penitùs vicissim ex me tibi amorem respondere: Evenit in me, quod scribitur 4. Reg: 4. Distendebat se ibi Eliseus super puerum Sunamitidis defunctum *posuitq́ꝫ os suum super os ejus, & oculos suos super oculos ejus, & manus suas super manus ejus.* &c. (Quod totum erat figura distendentis se per Crucem super mortuum genus humanum IESV) quid tandem? *Calefacta est caro pueri & oscitavit puer septies aperuitq́ꝫ oculos.* Oscitavit à somno mortis resuscitatus puer, ignoscenda puero oscitatio, sed non mihi, qui tanto amori nihil, nisi solas oscitationes, torporem & acediam repono. Oscitavit ille, sed calescebat totâ carne, sed aperiebat oculos: ego rigeo toto corde, & oculos clausos oppletosve habeo mundi vanitatibus quominùs te inspicere possim. O vivum speculum amoris! esto mihi speculum ustorium. Verùm à speculo iam ad Circinum Rudosindi transeamus.



Secunda Pars Rationum quæ pertinent ad morum nostrorum instructionem.

CIrcinus notum ac familiare artificijs est instrumentum proportionum, cui nonnemo apud Petrasanctam lemma adscripsit *dirigor & dirigo* & aliud aureo Circino assumpto in stemma suæ Typographiæ Plantinus *labore & constantiâ.* Habemus in Cruce Domini ejusmodi Circinum, quo nostras omnes actiones Christi passi actionibus & virtutibus pro modo gratiæ Dei nobis communicatæ commensuremus. Dirigebatur hic Circinus in Christo ad voluntatem Patris Æterni: modò dirigit nos ad imitationem Christi: geminoq; illi pede opus est *labore* scilicet *& constantiâ* in laborando. Labor à puncto vitæ ad punctum mortis decurrat, Constantia nunquam à centro, quod est Christus exerret. Si cor in hoc centro defigatur nulla unquam actio non perfectè erit sphærica, id est, à Deo in Deum, qui utiq; punctum est initiale ac terminale, recurrens: nusquam exorbitabimus, nusquam vitiosum circulum committemus, ubi pedem constantis voluntatis in eo centro fixerimus. S. Laurentius Iustinianus, ut in Crucifixo universam disciplinam virtutum contineri explicariq; ostenderet, librum quendam esse dixit. *In quo habet foris simplex & indoctus, quod legat. habet spiritualis atq; perfectus, quod intus intelligat. In eo enim scripsit charitatis compendium, perfectionis celsitudinem, virtutum normam, & totum humanæ redemptionis modum ordinemq;, quem cùm scribere complêsset, nihilq; superesset scribendum.* inquit, *Consummatum est.* Et S. Thomas in cap: 12. ad He-

bræos. *In Cruce,* ait, *est obedientia ad Deum, ibi caritas erga proximum; ibi patientia in adversis: deniq; in Cruce invenitur doctrina & exemplum omnis virtutis.* Hinc iuxta amussim superius ex Divo Paulo Epl: ad Eph: c. 3. memoratam in ipsa quadruplici Crucis dimensione SS. PP. varias considerant virtutes. S. Anselmus in longitudine spem Ecclesiæ longanimem; in latitudine charitatem; in altitudine vitam cælestem & opportunam extunc in cælis conversationem; in profundo fidem, cujus scilicet mysteria in imo & profundo recondita; procul à sensibus, procul ab humana ratione. S. Bernardus lib: 5. de consid: *Divina,* inquit, *essentia res cùm una sit, est tamen longitudo propter æternitatem, latitudo propter charitatem, sublimitas propter Majestatem, profundum propter scientiam. Hæc quadriga Dei: comprehendimus hanc duobus brachijs Timoris & Amoris; Timor sublimi & profundo; Amor longo latoq; respondet. Vel quatuor virtutibus; longitudinem enim tenemus & comprehendimus perseverantiâ, latitudinem charitate, Majestatem veneratione & adoratione: sapientiam & abyssum iudiciorum timore & humilitate.* Et alio loco. *Patientiam,* inquit, *exhibet, humilitatem commendat, obedientiam implet, perficit charitatem; his namq; quatuor virtutum gemmis, quatuor cornua Crucis ornantur: Et est supereminentior charitas, à dextris obedientia, patientia à sinistris, radix virtutum humilitas in profundo: His ditavit trophæum Crucis consummatio Dominicæ Passionis, cùm ad Iudæorum blasphemias humilis, ad vulnera patiens, intus lingvis, clavis exteriùs pungeretur: Nam & charitas in eo perfecta est, quòd pro amicis animam posuit; & obedientia consummata, cùm inclinato capite tradidit spiritum, factus obediens usq; ad mortem. His spoliare dotibus, hac privare* glo-

gloriâ Christi Ecclesiam satagebant, qui dicebant: Si Rex Israël est descendat de Cruce, ut non sit iam obedientiæ forma; non incentivum amoris; non patientiæ vel humilitatis exemplum. hactenus S. Bernard: serm: I. in Pasch. S. Augustinus Epl: 120. c. 26. *Non frustra tale mortis genus elegit, ac si in eo, quo latitudinis hujus & longitudinis Magister existeret. Nam latitudo in eo ligno, quod transversum desuper figitur, hoc ad bona opera pertinet, quia ibi extenduntur manus. longitudo in eo, quod ubi pes ligni usque ad terram conspicuum est. ibi enim quodammodo statur, id est, persistitur & perseveratur, quod longanimitati tribuitur. Altitudo est in ea ligni parte, quod suprà transversum, sursum versus relinquitur, hoc est, ad caput crucifixi: quia bene sperantium superna expectatio est. Iam verò ex eo ligno, quod non apparet, quod fixum occultatur, unde totum exurgit, profunditatem significat gratuitæ gratiæ, in quo multorum ingenia conteruntur, id investigare conantium. ut ad extremum ijs dicatur ô homo tu quis es, qui respondes Deo?* In compendium hunc textum S. Augustini redegisse videtur P. Lobbetius, si non ex alio loco citat. *In latitudine sunt bona opera caritatis, in longitudine perseverantia usque in finem, in altitudine spes cælestium præmiorum, in profundo inscrutabilia Dei iudicia; unde ista Dei gratia in homines venit.* Quanta virtutum exempla præbet Christi Crucifixio? quas ex SS. Patribus obiter innuimus hactenus, deinceps saltem de nonnullis sigillatim. Docet Crux fidem. Vt enim Christi mors esset testatissima ad resurrectionis fidem adstruendam, ideo palam in Cruce mori voluit. Vt nemo ambigeret mortuum. Et quò mors fuisset acerbior & horribilior, eò resurrectio esset admirabilior & gloriosior. ait Bourghesius. Docet Crux spem: Nam (ut perquam asceticè loquitur

M. Ioan-

M. Ioannes Avila Cent: 2. Epl: 20. quandam animam pusillanimem solando.) *Cùm sit res admiranda magis videre Deum in Cruce, quàm te in cælo; sperandum est in ejus bonitate, quòd qui fecit id, quod est plus, facturus est etiam id, quod est minùs.* Habemus certissima pignora & gratiæ & gloriæ vulnera Domini, quæ identidem Deo Patri repræsentemus. *Specta gloriose Genitor gratissimæ prolis lacera membra, vide Redemptoris supplicium, & redempti dimitte delictum.* S. Aug: medit: c. 6. Iungit Crux sanctæ spei salutarem timorem, quo perculsi peccatum omne horreamus. Tanta enim ejus est gravitas, ut non nisi Crucifixione Dei-hominis, iusto decreto Patris æterni expiari potuerit. Prodidit quidem se hìc Divina misericordia, dum parcit servis mille cruces promeritis; sed non minùs prodidit se iustitia, dum furta servorum tam severè vindicat in Filio. Quod si ita castigavit in Filio suo unico unicè dilecto, Sanctissimo, & castigavit peccatum alienum, quomodo castigabit propria peccata in quovis peccatore impœnitente, vilissimo sibiqué odibilissimo, quibus in eum ignibus infernus, quibus tormentis desæviet? *Nam si in viridi ligno hæc faciunt, quid fiet in arido?* fortissimum est ipsius Christi argumentum. *Agnosce ò homo* (dicebat S. Bernardus) *quàm gravia necesse fuerit tua esse vulnera, pro quibus oportuit Regem gloriæ vulnerari.* Refert Plinius lib: 8. hist: cap: 16. quòd leones obsideant Africæ urbes, ideoq; dum Scipionem illuc comitaretur, se vidisse leones passim in vijs regijs crucifixos, quia cæteri metu similis pœnæ absterrerentur simili noxâ. P. Drexelius applicaturus hanc eruditionem commemorat 1. Petri 5. diabolum rugientem leonem dici, *qui circuit quærens, quem devoret.* Hunc igitur leonem imò hos leones vias omnes ad cæ-

lum infeſtas, tenuiſſe & plurimos viatorum dilaceraſſe. His verò coërcendis Chriſtum Leonem de tribu Iuda ſuſpenſum, ut in terrorem fugamq́, beſtias tartareas verteret. At Vincentius Gillibertus in Elencho Conc: ad Dom: 5quag: propiùs ad rem noſtram illud Pſalmi 53. *Divites eſurierunt* ex hebræo legit *leones eſurierunt*; nam ut notat ibi Genebrardus. *Leonum more facultates aliorum diripiunt, & oris rictu tanquam prædæ inhiant:* Leo igitur de tribu Iuda illis proponitur pro aliorum rapinis crucifixus, qui ait de ſe, *quæ non rapui, tunc exolvebam*, ut ipſi metu pænæ ſimilis abſterreantur ab eadem noxa. Quinimo cujuscunq́; peccati gravis reos iuſtus tangat metus oportet, visâ tam acerba inſontis IESV pænâ: flagellabatur aliàs caniculus, ut leo pertimeſceret: hic Leo Regius, non iam brutorum ſed rationalium animalium & totius Vniverſi Regnator ex infami trabe ſuſpenditur, ut canes pertimeſcant. Vbi homo per peccatum à Deo diſceſſit: diſceſſit à ſeipſo, neq́; tantùm infuſam gratiam effudit, ſed etiam ſeipſum exuit. *Comparatus iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis*. Pſ: 49. infelix iumentum, quod niſi regatur in alias atq́; alias præceps ruet miſerias. Id ne fieret providit Divina miſeratio iumento ne aberret neu vagetur; de freno: ſicut ne torpeat neu ceſſet de calcaribus. Calcaria admovet Amor; frenum inijcit ſalutaris timor. Non vanè prædixerat Zacharias. *Erit, quod ſupra frenum equi eſt, ſanctum Domino* c. 14. nec ſine myſterio huic prophetiæ obſecundans Helena clavum patientis Domini, freno Conſtantini Imperatoris filij ſui adaptaverat: Aſſecutus myſterium S. Ambros: *Vt Imperatorum inſolentiam refrenaret; comprimeret licentiam Tyrannorum, qui quaſi equi in libidines adhinnirent, quod liceret illis adulteria*

impu-

impunè committere. Quæ Neronum, quæ Caligularum, cæterorumq; probra comperimus? quibus non fuit sanctum frenum. Quid ergo aliud egit Helenæ operatio ut frena dirigeret nisi ut omnibus Imperatoribus Sancto dicere Spiritu videretur. Nolite fieri sicut equus & mulus, sed in freno & chamo maxillas eorum constringeret. Prona enim potestas in vitium ferebatur, & more pecudum vagâ sese libidine polluebat; ignorabat Deum. Restrinxit eos Crux Domini, & revocavit à lapsu impietatis: exuerunt se chamo perfidiæ: susceperunt frena devotionis & fidei. Quod hic dicitur de Imperatoribus; applicet quivis Christianus sibi, cuiq; enim dictum est. *Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius:* Vnicuiq; imperium in se concupiscentiasq; suas & passiones impositum est. Item quod diximus de clavo, multò magis intelligendum de Cruce. Sicut & circa finem textûs citati S. Doctor: apertè intellexit. P. Paulus Segneri in libro suo *Homo Christianus* inscripto par: 2. cap: 21. Colligit disertissimè quantum malum sit peccatum ex Christi acerbissima Passione: dignus auctor qui legatur, ego hic initium finemq; saltem discursus, ut gustum aliquem propinem, adscribo. Duobus inquit in hoc mundo diluvijs, uno aquarum, altero dolorum suffocare Divina iustitia voluit peccatum. In primo diluvio aquæ adeò montium vertices transcendêre, ut exceptis octo personis tota humani generis vita submersa fuerit. In secundo, quòd non fuit aliud quàm Christi Passio, tot & tanti dolores simul iuncti fuerunt; ut ipsa Dei vita submersa fuerit. Sed unde tanta quæso in primo diluvio aquarum copia, & unde tot ac tanti in secundo dolores? Primæ illius aquæ partim de cælo disruptis, ipsius cataractis delapsæ sunt, partim de mari antiquos suos terminos transgrediente

ascenderunt; partim ex ipsius terræ sinu, supra quam vastissimi illius abyssi fontes regurgitârunt; provenere. Eædem istæ secundùm proportionem sunt horribilissimi dolorum diluvij origenes, quibus Redemptoris nostri vita in sua Passione submersa fuit: partim provenerunt à cælo, hoc est, ex Divina iustitia: partim ex mari, hoc est, ab hominum in perniciem Christi coniuratorum crudelitate; partim ex sinu ipsiusmet terræ exundantis, hoc est, à Dulcissimo IESV corde, quòd ut redemptio nostra esset copiosissima Amorem suum omnium crudelissimum sibi voluit esse carnificem, &c. &c. Explicatis verò fusè his tribus capitibus acerbissimæ Passionis, subiungit verba Apostoli ad Rom: 3. *Quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sangvine ipsius ad ostensionem iustitiæ suæ.* Mundi salus erat medium, finis autem saltem perfectior fuit gloria iustitiæ Dei. Non potuit Christus perferre illam perturbationem, ut cùm Deus iniurijs affectus esset, nullus pro ijs illi satisfaceret integrè, cùmq; creaturis non adesset illa summa, quâ ingens extingveretur debitum, voluit Redemptor noster illud per se tanto cum excessu exolvere, quò immensa inde Patris sui gloria resultaret: ita, ut etiam peccatorum omnium possibilium debitum expungi posset. Quare etiam si omnes homines obstinatè damnationem præeligerent, non ideo Christi Passio suo careret fructu: primarius enim ejus obtineretur finis, qui est de peccato tantùm contristari & affligi, quantam ipsum peccatum afflictionem & dolorem exigit: tantamq; Deo pro iniuria illata satisfactionem præbere, quantam Deus offensus meretur. *Ad ostensionem iustitiæ suæ.* Atq; hoc est, quod Christus pro inauditorum dolorum suorum compensatione desiderat, ut peccatum super omnia mala detestemur. Totus fru-

ctus

ctus, quem Salvator noster ex laboribus suis, pœnis, vitâ & morte colligere prætendit, est unicus ille; ut addiscant mortales peccatum agnoscere, illud detestari, omniaq; ejus vestigia extirpare. *Iste est omnis fructus, ut auferatur peccatum ejus.* Isai: 27. Poterat Salvator noster levissimo suo incommodo plenissimè mederi vulneribus nostris; sed quia gravitatem mali non ita apprehendissent; medicinæ atrocitate, morbi atrocitatem nobis demonstrare voluit. Quòd si Deus propter unum aliquod peccatorum nostrorum de novo mundum diluvio, (ut Noemi tempore fecit) submergeret; quis peccatum, parvum aliquod malum esse existimaret? Quomodo igitur dicere quis audet? *quid mali est hæc fragilitas?* Cùm manifestum sit ob hanc fragilitatem puniendam, multò majùs non aquarum sed ineffabilium pœnarum diluvium à Deo decretum fuisse, Deiq; Filium mortem subire debuisse, cujus vita infinities valet plùs, quàm alicujus hominis cogitabilis, in quo omnes vitæ possibiles coniunctæ essent. Scribit Peregrinus Terræ Sanctæ Radivilius in Ægypto propè Cairum esse quandam pyramidem, in qua Nili incrementa, quantùmve is exundaturus sit, cognoscantur: Crux omnino videtur esse pyramis ejusmodi, in qua mensura quædam capi possit illius diluvij, de quo Oseæ 4. *Maledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundaverunt.* Quo diluvio lamentatur superobrutus Christus Thr: 3. *Inundaverunt aquæ super caput meum, dixi perij:* Et Psal: 68. *intraverunt aquæ usq; ad animam meam. Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me.* &c. Nobis verò ex eodem ferali diluvio nisi per lignum Crucis, quod Arca Noe figurabat, salus nulla patebat, (ut innuit Spiritus S. Sap: 10.) *Cùm aqua deleret terram, sanavit iterum Sa-*

pientia

pientia per contemptibile lignum iustum gubernans. Interim qui evasimus ex eo, qui absorptus est, nostri periculi magnitudinem conijciamus. Recordemur Christi in horto cum sudore sangvineo, ceu cum primis littoralibus fluctibus luctantem, ut calicis ulterius profundum deprecabatur? Verùm quidem est illam Christi petitionem non absolutam sed conditionatam, illumq; (quo tunc iactabatur) non rationis sed sensûs fuisse horrorem: Nihilominùs iuxta S. Thom: Aq: totum illud, quod à Christo proveniebat, tanta æstimatione dignum erat; ut illa ipsa naturæ inclinatio plùs quàm quævis alia, quorumlibet Sanctorum expressa voluntas mereretur. Quis itaq; existimâsset à Deo, (qui se humiles, derelictos, & afflictos audire prædicat) filij sui in abjectionis abysso & inauditis submersi angustijs preces exaudiendas non esse? Equidem sic est: exauditus non est: voluit suum iustitiæ relinqui rigorem, ut quantum debitum sit peccatum, intelligerent mortales, pro quo extingvendo nulla ne quidem in illius gratiam, qui non ut primarius debitor pro se, sed tanquam fideiussor pro alijs solvebat, in cælo pietas & clementia se exhiberet. O peccatum! peccatum! & adhuc mortales te non dignoscunt, non fugiunt? adhuc cum voluptate committere non verentur? *Potest aliquis gustare, quod gustatum adfert mortem?* Iob 6. Omnino aut mutanda est vita, aut mutanda fides. Nimis magna repugnantia est credere Deum in Cruce, ut peccatum destrueret; se in nihilum redegisse: hominem tamen tanta cum voluptate adhuc peccare, non aliter quàm si mortem Christi vanam esse fabulam existimaret. *Filius Dei pro peccatis mortuus est ô Christiane, & te peccare delectat Deum! ô homo! pro peccato consputum, flagellatum, laniatum, crucifixum, vides & peccas?* exclamat

Orige-

Origenes citatus à S. Thom: Villan: ferm: de Adven: Ipſe verò Thomas ex ſuo addit. *Quid magis homini peccanti horrorem incutere poteſt, quàm videre Filium Dei pro peccato in Crucis patibulo morientem, & terribilem pro peccato hominis ſatisfactionem reddentem. O grande malum peccatum! pro quo talis fit ultio.* Verſo iterum ſermone ad Chriſtum. *Nihil me Domine ita deterret, nihil me ſic à peccato detinet, ſicut videre Filium tuum dilectiſſimum unigenitum propter peccatum clavis affixum, latronibus aſſociatum, crudeliſſimâ morte mulctatum. O infinitam audaciam peccatoris! quis eſt qui poſt tale ſpectaculum non formidat peccare?* Quid, quòd ſine metu peccare eſt tragicum Crucis theatrum teſte Paulo inſtaurare? *Rurſus crucifigentes ſibimetipſis Filium Dei & oſtentui habentes*, ad Hebr: 6. in quem locum S. Thom: Aq. *Peccatores quantùm in ipſis eſt rurſus Cruci affigunt Chriſtum, quia Chriſtus pro peccatis noſtris mortuus eſt ſemel: cùm ergo peccas baptizatus, quantùm in te eſt, das occaſionem, ut iterum Chriſtus crucifigatur, & ſic contumelia fit Chriſto, in cujus ſangvine te totum maculas.* Hugo Victorinus ibidem ait. *Quantùm in te eſt, iterum crucifigis, iterum mori compellis.* Gloſſa verò *per unumquodq; peccatum quod committimus, Chriſtum crucifigimus, & quantùm in nobis eſt, occidimus.* Deterret ab hac impietate Crux & Crucifixus: exprobrare nobis & expoſtulare nobiſcum videtur. Quid ego de te ô homo tam malè ſum meritus? imò quid boni facere potui & non feci? ideone ſangvinem fudi, ut conculces, ideone manus pedesq; extendi, ut clavos ac vulnera multiplices? Docet adhuc crucifixum corpus IESV pretium noſtrarum animarum atq; æſtimationem. Seneca Epl: 71. poſtquam expendiſſet, quàm parvi æſtiment ſemetipſos homines, ſubdit. *Non immerito*

rirò. Ad corpus enim respiciunt: revertantur ad animam iam hominem Deo metientur. Supra ethnicum profectò hic sensus, est dignus, quem S. Aug: super Ps: 102. disertius efferret. *Nemo fallit Redemptorem suum, egit hoc commercium, pretium solvit, sangvinem fudit unicus Filius Dei pro nobis. O anima erige te, tanti vales.* Addit Eusebius Gallicanus hom: 2. de Symb: *In trutina Crucis non aurum vel argentum, non corpus aliquod Angelicum, sed semetipsum passus est Author salutis appendi, ut homini, qui ab statu degeneraverat, naturæ suæ dignitatem vel ipsa ostenderet pretij magnitudo.* Cùm ergo ex pretij magnitudine æstimetur dignitas rerum: sicut nullum excogitari pretium majus, quàm Filij Dei sangvis, ita nulla potest dignitas inveniri maior quàm anima hominis. Omnia in mensura fecit Dominus, sed quia datur mensura ejusdem rationis & diversæ rationis, reliqua omnia creata mensurantur à Creatore, mensurâ diversæ rationis à Creatore: in solo homine metiendo, mensurâ ejusdem rationis utitur Deus, & iure, nam solus homo factus est ad imaginem Dei. Anima itaq; tunc optimè æstimatur, cùm Deo comparata appenditur. In emptione vel venditione margaritarum pretiosorumve lapidum fraus potest locum habere, dum emptor imperitus carò emit falsam gemmam, putans esse veram: id autem longè est à peritis in arte. Quis verò peritior in arte cognoscendi bonas margaritas, quàm Negotiator ille Divinus, qui descendit de cælis, ubi portæ nitent margaritis, ad eas, & quærendas, & emendas. Dum ergo ipse, qui nec fallit, nec fallitur, inventâ unâ pretiosâ, vendidit universa, quæ habuit & emit eam, certè illam tanti esse existimavit. Animam porro gemmam hanc esse Plato Divinus apud Pierium l. 8. censuit. Humanum inquit ge-

nus ostreorum simile est. *Nullâq́ similitudine nostræ imbecillitatis naturam significantiùs potuit explicare, quàm cum ostrea indicium esse dixit animi in corporis carcerem tenebrasq́ conjecti. Ita enim Deus corpori animam adglutinavit, ut necessarium sit hominem corporis affectibus tangi vel invitum. Quid verò aliud illa vel Divinæ vel stellaris essentiæ scintilla hîc patitur, nisi quòd corpori adhæreſcit, & vinculis se coërceri sentit, & in quodam obscuritatis carcere detineri.* Planè sicut gemmæ in ostreis sive conchylijs. Pro hac pretiosa margarita cælestis Negotiator omnia sua dedit, extrema nuditate pansisq́; manibus nihil sibi reliquum esse testatus: dedit, quin etiam seipsum. *Tam copioso munere ipsa redemptio agitur, ut homo Deum valere videatur!* Epiphonema est Eusebij Gallicani hom: 6. de Pasch. Hinc & S. Petrus Damiani serm: 1. dedic: Eccl. *Perpende ô Christiane dignitatem tuam, & redemptionem culpæ tuæ noli belluina mente contemnere.* Vbi (ni fallor) alludit ad illud Prov: 11. *Circulus aureus in naribus suis mulier pulchra & fatua.* In muliere pulchra humana mens; in circulo aureo fidei confessio, in fatuitate defectus intellectûs significatur, iuxta Glossam, quæ ibi ait. *Circulus aureus pulchra & circumflexa sit locutio: nares suis, sensus stultæ mentis: unde oritur mulier pulchra verbo, & fatua intellectu.* Quæ enim fatuitas huic poterit comparari, quâ anima pulchra Dei imagine insignita, annulo fidei ornata, & fidei confessione decora, tam miserabili commercio intellectum abijciat & cœnum cælo, dignitatem Divinam fœdæ voluptati anteponat, belluina mente omnia contemnat, ornamentum pulchritudinis à Deo datæ infra spurcum quoddam volutabrum commaculans, conculcans, & conterens. O quanti fecit animas nostras Deus, vel exinde constat,

quæ pro ijs passus est. Quis ergo vilè æstimet animam suam & pro futili quâvis vanitate aut voluptate prodigat? Quis non potiùs pro suo statu animas etiam proximorum lucrifacere satagat; ne scilicet sangvis IESV pro eis fusus inaniter pereat. Discitur ex Crucifixo & quanta sit Beatorum felicitas in cælo, utpote, quæ empta sit tot tormentis à Christo in Cruce. Verùm antequam ad eam felicitatem perveniatur, *Crux*, quæ *eruditrix insipientium* ab Andrea Cretensi dicitur, erudit nos ipsa arma, quibus nos dæmon aggreditur, quibusve aliquando in Deum insurreximus, in ipsius dæmonis profligationem, & pænitentiam, sive punitionem nostram esse vertenda. *Extensio manuum Christi, & fixio damnat Adami, & Evæ protensas manus ad lignum vetitum*, ait apud Bourghesium S. Aug: serm: 4. de Div: & in Ps: 62. Ligno primum Adam tentavit sathan, ligno sathanam secundus Adam confecit, & ligno expiavit, quod ligno fuerat peccatum. Meritò Maria Magdalena capillos capitis, quibus animas illaqueabat, abijcit ad pedes Domini extergendos: oculos petulcos eliquat in lacrymas, catenulasq; aureas, quibus se ex vanitatis legibus adornabat, in flagella pænalia convertit, ipsis corpus suum in servitutem redigendo, quibus mundo atq; dæmoni miserè tenebatur captiva. S. Gvilelmus Aquitaniæ Dux nudæ carni loricam ferream circumdedit atq; adstrinxit, ut lueret violentias illatas multis, quibus in armis fuerat formidandus. B. Iacoponum cùm aliquando non solita orexis carnium incessisset, carnes sibi conquisivit, & præ oculis in cella appendit, sed non priùs degustavit, quàm longo tempore verminâssent, planèq; computruissent: tum ergo tandem postquam earum rancore oculos naresq; diu vexâsset, genium, palatumq; suum cupedijs

illis

illis non demulsit, sed afflixit. S. Alexius ex voluntario exilio domum paternam validâ tentatione retractus: in ipsa domo exulando, parentesq; spectando, sed ab illis minimè agnitus, nec se illis revelando, nec interea perpeti projectissimorum famulorum vexationes cessando, tentatorem in ea arena superavit, & illis in armis, in qua, & quibus ille se victorem fore sperabat. Prorsùs, ut monebat S. Ignatius Loyola, *quibus artibus dæmon ad nos oppugnandos utitur, ijsdem nobis utendum est ad eum vincendum sancto ingenio.* Certum est ex S. Ambrosio, *quòd nobis manus suas expanderit Deus, ut totum mundum obumbraret: quomodo enim non sumus in umbra, qui Crucis ejus protegimur velamento? quomodo non sumus in umbra, quos crucifixus in malignitate sæculi & corporis ardore defendit. Vmbra tua ô Christe caro fuit, quæ nostrarum æstus refrigerat cupiditatum, quæ compescit insolentiam vitiorum, quæ extinxit ignes libidinum, quæ avaritiæ diversarumq; passionum incendia superavit, & quid dicam de umbra Domini, quando & Apostolorum umbra sanabat?* Certum & ex S. Thoma Aq. *In quacunq; tentatione invenitur in Cruce præsidium;* quo nomine multùm Cruci debemus. Si enim in Ægypto teste Plinio l. 17. c. 1. gentes vectigal pro umbra dependunt, quâ sub proceris platanis fruuntur: Quæ non gratitudo tam umbriferæ Cruci est dependenda? exhibet Ægyptus mundana umbras desiderabiles, sed sæpe non secùs ac taxus arbor, aut napellus pestiferas ac lethales: umbra Crucis salutaris est. Nihilominùs parùm est in umbram fugere, in umbra otiosos velle desidere, atq; sine ulla resistentia hosti exhibita protegi. Sumenda est Crux pro armis in hostes. docet Crux & crucifixus Magister scientiam & usum Crucis, id est, voluntariam mortificationem, quâ

subigatur caro, abigatur dæmon. Audiamus hoc super argumento differentem S. Borgiam. *In omnibus sensibus passus est Deus, ut tu omnes contineres tuos ejus exemplo ab inepta libidine: visum ne divagaretur per illicita: auditum ne pateret obtrectationibus & maledictis: gustum & olfactum ne indulgerent transitorijs blanditijs*, &c. &c. & superiùs. *Ejus tempora vepribus cincta sunt, ut te defenderent ab ingruentibus tentationibus: perforatæ manus pedesq; ad componendos tuos gressus & mores: apertum lanceæ cuspide pectus, ut haberes perfugium quô te reciperes: palluerat toto corpore, ut nos niteremus non tantùm corpore sed & animâ: ejus oculi lethi tenebris obducti sunt, ne diverterentur ad aspectus vanos & illicitos: impletæ ejus aures nefandis opprobrijs, ut tuæ clauderentur detractionibus, aperirenturq; clamoribus pauperum: degustavit amaritudinem fellis ad moderandas tuas blanditias. Tulit speciem tuæ infirmitatis, ut inde meliùs confirmareris ad sustinendos labores in hujus vitæ peregrinatione, postea regnaturus in Patria.* Subnectit alias merito præmia *castigationi*, inquit, *in cælis succedet gloria; singulis singulare præmium, auditui musicæ, visui amænissimæ venustatis ac pulchritudinis, odoratui florum ac rosarum, gustui ciborum dulcedinis, tactui svavitatis in cultu corporis.* Alio verò loco. *Tria in te habes, quæ necesse est crucifigas cum suis imperfectionibus, nempe spiritum, carnem, & mundum. Crux spiritûs est fervor devotionis, cujus angulos conficiunt spes, timor, amor, & dolor. Crux autem carnis est rigor disciplinæ, quæ extendit brachia sua ad vigilias, abstinentias, verborum ac vestium asperitatem. Sed Crux, quâ torquetur mundus, non alia videtur esse quàm paupertas spiritûs. Hujus brachia complectuntur despicientiam opum & honorum, patriæ, generisq; contemptum.* Hæc Sanctus

Asce-

Aſceta. lib: 1. pag: 42. Si ultroneam mortificationis crucem horres, quam utiq; ambire & poſt Chriſtum ferre ac etiam ſcandere par eſſet, non pigeat ſaltem ſuſcipere crucem, ſi quam caſusve Deusve obtulerit. Magna virtus eſt Patientia, ſive fortitudo animi in perferendis adverſis atq; aſperis. Et hæc nusquam explicatur magis ad captum, nusquam diſcitur faciliùs, quàm à Cruce & crucifixo Profeſſore. Vnde S. Auguſtinus, *Sapientia*, (inquit,) *Dei hominem ad exemplum, quo rectè viveremus, ſuſcepit; pertinet autem ad vitam rectam ea, quæ non ſunt metuenda, non metuere.* Et alio loco in Pſ: 104. Ideo Crucem præ alijs tormentis ſuſcepiſſe, *ut Diſcipuli ejus mortem non modò non metuerent, ſed nec genus mortis horreſcerent.* Et iterum de Agone Chriſtiano c. 11. *Nolite timere contumelias & cruces, & mortem, quia ſi nocerent homini, non ea pateretur homo, quem ſuſcepit Filius Dei.* Similia habet S. Thom: 3. p. q. 48. art: 4. Crux antea quid erat? *teterrimum ſupplicium* reſpondet Cicero pro Rabirio & Verrinâ 5tâ. *Nomen ipſum Crucis abſit non modò à corpore civium Romanorum, ſed etiam à cogitatione, oculis, auribus: hujus non tantùm eventus atq; perpeſſio, ſed etiam auditio, expectatio, mentio deniq; indigna cive Romano atq; homine libero eſt.* Addit Tacitus, Calliſtrat: Paul: Vlpian: ICti *ſummum, ſupremum ſupplicium* vocant: Apuleius *pænam ſupremam:* ff. de his, qui infamiâ notantur: *Non ſolent lugeri ſuſpendioſi.* S. etiam Chryſoſt. *Pænalis mors, & omnium teterrima, & apud Iudæos maledicta, & inter gentiles abominanda.* S. verò Auguſtinus ex ipſa ethymologia colligit ejus horribilitatem: *Quis aſperitatem non ex ipſo nomine aſperam iudicet? lene eſt auribus cùm dicimus voluptas, aſperum eſt cùm dicimus crux.* Et alio loco. *Illâ morte nihil fuit peiùs in-*

ter

ter genera mortium. Christus Dominus elegit gravissimum & extremum genus mortis. In quam rem vide plura initio quæstionis dicta. Ecce quid est Crux communi hominum iudicio? imò hoc olim fuit, antequam Christus eam elegisset. Cùm verò elegit; ex pessima optimam, ex amarissima dulcissimam, ex gravissima levissimam, ex ignominiosissima honoratissimam, ex acerbissimo tormento merum & unicum delicium ac solatium effecit. Quis unquam ita suis delicijs blandiebatur, ut S. Andreas Cruci propter se paratæ vix eminùs conspectæ, tenerrimè illam alloquendo. Formalia ejus sunt relata ab auritis testibus Presbyteris Achaiæ apud Ribadeneiram in Flore Sanctorum. *Salve Crux, quæ in corpore Christi dedicata es, & ex membrorum ejus margaritis ornata. Antequam te ascenderet Dominus, timorem terrenum habuisti: Nunc verò amorem cælestem obtinens pro voto susciperis. Securus & gaudens venio ad te, ita, ut tu exultans suscipias me Discipulum ejus, qui pependit in Te. O Bona, quæ decorem & pulchritudinem de membris Domini suscepisti; diu desiderata, solicitè amata, sine intermissione quæsita, & aliquando iam concupiscenti animo præparata. Accipe me ab hominibus, & redde me Magistro meo, ut per te me recipiat, qui per te redemit me.* Apostolicam hanc apostrophen devotâ quoque Pöesi à Patre Petro Paulo Simio redditam hic omittere non possum, utpote & ingenio pascendo, & affectui extimulando, apprimè idoneam.

Salve ô labentem blandè exceptura senectam
Arbor amica: Deo iam desponsata perenni
Fædere amicitiæ & dotali sangvinis auro;
Salve oculis formosa meis.
Tu Charitum soboles, Tu nobile germen Olympi
Astro-

Astrorumq; decus, Tu pacis amabile pignus:
Lætitiæ veracis opum, vitæq; perennis
Dives vena; tui ne despice membra clientis.
Divinos assveta humeros portare, rigentem
Haud geris agrestemq; animam sub cortice duro,
Regis ab occidui blando emollita cruore.
Si qua tamen servatur adhuc sub mitibus undis
Aspera durities, & non tibi fervidus omne
Decoxit vitium moribundi Numinis ardor;
Asperitas placet ista nimis.
Te quondam placuisse Deo, Tibi dulcis Olympi
posthabuisse lares, alacrem Teq; omnibus astris
ad thalamos emisse suos ditissima quercus,
Divini merces operis pretiosa supellex. &c.

Taceat iam aureorum sæculorum fabula, quæ cecinit *flavaq; de viridi stillabant robore mella.* Crux Domini ea est arbor, quæ cælestium solatiorum nectar fundit uberrimè. Hoc signabat illud ostentum à V. Beda c. 20. de locis SS. memoratum. *Quod scilicet in Templo S. Sophiæ Constantinopoli de nodis ligni Crucis liquor odoratûs oleo similis manaverit. Cujus si modica portiuncula contingeret, omnem ægritudinem sanabat.* Nec cessat stillare de Cruce Domini usq; hodie mitis liquor, qui mentium persanet ægritudines. Quid est, quòd aureo nascentis Ecclesiæ sæculo Christiani statim à Baptismo ad Martyrium Christi causâ provolabant? Quòd si fortè deerat Tyrannus aliquis, qui gravi Crucis mole humeros oneraret; eam ipsi Christiani in fronte, quæ ingenuæ mentis ianua est, imprimere, candentiq; ferro inurere soliti. Adeò Crux in oculis erat & amoribus, adeò omnes invaserat ingens patiendi desiderium: Verificatum hìc quod præcinuerat Isai: c. 65. *Ecce ego creo cælos novos*

& ter-

& terram novam, non erit ibi ampliùs infans dierum. Infans, inquam, ob ætatulam abjecti animi, timidus, fugax; sed à virtute & robore, ab invicta animi constantia adultus; tot in virtute recensebit annos, quot in Christianismo exegerit, imò verò quot dies & horas numeraverit: non alijs quàm crucibus Christi decades annorum suorum censebit. Hoc cælum novum terraq; nova humani cordis. Quæ, quia rubebat, calebatq; effuso Christi sangvine, ea dabat virtutum germina, ea fortitudinis exempla, quæ sibi pro salute, religione, Deo cruces statim effingerent. Non enim hæc profectò è vetere Adam, è terra rufa & antiqua potuerant expectari. Infinita sunt SS. MM. hoc in genere exempla, pulcherrimum SS. Marci & Marcellini Fratrum crucifixorum. *Nunquam*(dicebant illi)*tam iucundè epulati sumus: quàm libenter hæc Christi causâ perferimus, in Crucis amore nunc fixi esse cœpimus. Vtinam nos tam diu pati sinat, quamdiu corruptibili hoc corpore vestiti erimus.* Quid igitur mirum si Sanctæ Ludgardi Virgini pro quavis ærumna molestiaq; abstergenda, hoc fuit unicum remedium, ut Christi crucifixi respiceret imaginem? Hoc enim solo spectaculo recreata claudebat oculos, & in Ecstasim rapta, Christum, patulumq; ejus latus intuebatur, atq; ita cuivis dolori suo medebatur. *ut in ejus vita.* Meretur ex hac experientia fidem, scitum S. Francisci Xaverij in quadam Epistola scribentis. *In Christo, ejusq; Cruce reperitur vera consolatio atq; lætitia.* Tam lætam esse ex tristissimo ligno Crucem Domini necesse est, postquam Salomon sapientissimus eam *fecit sibi ferculum de lignis Libani:* continuò & *ascensum ejus purpureum media charitate constravit.* Nota in purpura & honorem & molles quasdam delicias, in charitate verò omnem affluen-
tiam

tiam eorum, quæ cordi iucunda ſunt: Id autem totum *propter filias Ierusalem* Cant: 3. propter animas Chriſtianas delicatas illas, quas minimum roſæ folium convolutum mundanæ voluptatis angit, quæ minimum pulviſculum peccati horrent. Ex earum numero fuit S. Maria Magdalena de Pazzis Angelica Virgo in Monaſterio Angelorum Florentiæ Carmeliticum inſtitutum profeſſa: hæc in quadam Ecſtaſi ait (par: 4. vitæ c. 17.) *Ecce Verbum loquitur animæ meæ, dicens: quàm ſvavis Crux mea rectis corde! recti diligunt me, & ego diligo eos.* Deinceps dulcedinem Crucis cum dulcedine lactis Mariani conferens. *Manus Verbi diſtillaverunt aurum purum, & manus Mariæ lac. Manus Verbi in Cruce deſtillant mel ijs, qui amant Crucem, ſed ijs, qui procul ſunt à Cruce, diſtillant myrrham.* Hæc ſenſit de Cruce & in Cruce Virgo annis non provecta, ſexu fragilis, viribus infirma. Eadem longè iuſtiùs robuſtior S. Didacus ex Ord: Min: qui cygneam vocem in eas voces moribundus reſolvebat. *Dulce lignum, dulces clavos, dulce pondus ſuſtines.* Secuti ſunt hi, atq; horum ſimiles iudicium de Cruce Sponſi Crucis, qui dicebat Cant: 1. *Lectulus noſter floridus, tigna domorum noſtrorum cedrina, laquearia cypreſſina.* Quòd hic loquatur de Cruce; ipſæ lignorum ſpecies produnt. Nam *Pes Crucis eſt Cedrus, corpus tenet alta Cupreſſus.* Apage lectos Sardanapali, Heliogabali, Commodi, &c. quorum florulentia fætebat avernalem laſciviæ mephitim: Lectulus Crucis in omnes delicias ſpirituales efflorеſcit, omnem ſpirat ſvavitatem odoris, omnem ſapit ambroſiam dulcoris. Figura hujus erant, Exod: c. 15. aquæ in Mara, quas filij Iſraël *non poterant bibere eò, quòd eſſent amaræ:* Quid verò adhibitum ijs remedij? Moyſes oſtenſum ſibi à Domino lignum *cùm miſiſſet*

sisset in aquas, in dulcedinem versæ sunt. Quale hoc lignum? unde illi vis dulcorativa? ex natura an miraculo? Rabbi Salomon, & Abulensis, lignum quoddam dictum *Adelpha* plantam amaram & mortiferam putant, ejus tamen intinctu dulces aquas evasisse, maiore cæli prodigio, quòd à ligno quantùmvis amaro dulcedo causari potuerit. Simili quodam miraculo Elizæus aquas steriles ipso sale sanavit, fæcundasq; reddidit contra naturæ pacta modumque; sale enim & siccari solent omnia, & sterilescere. Fuit omnino lignum illud typus & umbra Crucis, quæ licèt in se ipsa amara sit, novo tamen gratiæ miraculo omnem amaritudinem depellit: Sicut ipsa immisso sibi *ligno vitæ* Domino IESV omnem amaritudinem amisit. Iam si amisit omnem amaritudinem, gravitatem, acerbitatem Crux realis, quid putandum de Cruce metaphorica, quæ sunt omnes vitæ præsentis ærumnæ, quas in corpore, fortunis, anima, honore solemus possumusve perferre. *Crux enim Christiana* Authore D. Augustino serm: 22. *non est ligni patibulum, sed vitæ virtutisq; totius propositum. Crux non tantùm dicitur, quæ Passionis tempore ligni affixione construitur, sed illa etiam, quæ totius vitæ curriculo cunctarum disciplinarum virtutibus coaptatur.* S. Thuribius ex Benedictino Episcopus Asturicensis in Hispania, cùm ex Divina revelatione brachium unum S. Crucis Hierosolymis peregrinus loco occulto reperisset, in Patriam Cathedramq; suam detulit, ubi constructo cœnobio illud pignus venerabile deposuit, quod & 70. annis vitæ ejus magnis ibi miraculis claruit. Demùm sibi morte imminente Sanctus lignum sanctum adferri sibi voluit, factaq; ad Fratres cohortatione, sermonem vertens ad Crucem, 3. gratias perpetuas à Deò petijt, scilicet ut quæcunq; cruculæ

per

per foramen brachij illius Crucis à se allati, (foramen autem manûs Domini affixæ in illo extat,) traducerentur, haberent deinceps potestatem, intemperiem tempestatesque aëris sedandi; omnigenas dæmonis tentationes, quibus seu animas, seu corpora hominum exerceret depellendi, omnes deniq; corporis morbos persanandi. Ad quæ postulata omnibus exaudientibus vox insonuit. *Tu-tibi magna petis, sed tamen Crux mea maior est, & mihi tam accepta, ut petitionem tuam in omnibus ratam habeam.* Cautum verò est in Hispanijs sub excommunicatione maiori, ne fictitiæ ejusmodi cruces circumferantur aut proferantur. Ex narratione illud duntaxat observo. per foramen Crucis traductas cruculas vim thaumaturgam acquirere! pariq; ratione fieri, ut per Christi Crucem piâ cogitatione omnes cruces nostrarum tribulationum traductæ novo quodam miraculo, svaves, & ad perferendum levissimæ efficiantur. Ingentem ergo stimulum ad patientiam Fidelibus admovebat Apostolus, ad Hebr: 12. *Recogitate eum, qui talem ac tantam sustinuit à peccatoribus contradictionem, ut ne fatigemini animis deficientes.* Quis enim ab incurrentium adversitatum mole fatigetur, cui recurret IESVS sub Cruce lassus & lapsus? cui amara erit tribulatio? qui meminerit in Cruce, in ipsa morte sub ultimam luctam in siti acutissimâ felle potatum ac aceto? *Velit nolit* (inquit Sidonius Apolinaris l. 9. Epl: 4.) *quisquis contempti mediatoris consequitur regnum, sequatur exemplum. Quantùmlibet enim anxietatum vitæ præsentis propinet afflictio, pauca toleramus, si recordemur quid biberit ad patibulum, qui invitat ad Regnum.* Hoc & novo Religionis proselyto inculcabat, S. Hieronymus Pammachio: *Quòd patritij generis primus inter primos Monachos esse cœpisti, non sit tu-*

moris, sed humilitatis occasio scienti Filium Dei factum Filium Hominis. Quantùmcunq; te dejeceris Christo humilior non eris. Esto incedas nudis pedibus, fuscâ tunicâ vestiaris, æqueris pauperibus, inopum cellas dignanter introëas, cæcorum oculus sis, manus debilium, pes claudorum, ipse aquam portes, ligna concidas, focum struas: ubi vincula? ubi alapæ? ubi sputa? ubi flagella? patibulum? mors? Eâdem cogitatione se suosq; armare solebat S. Basilius Magnus: *Si stultus & indoctus appellaberis, reminiscere eorum, quæ à Iudæis iactata sunt in veram Sapientiam: Samaritanus es & dæmonium habes. Alapâ seu pugillo cæsus es? expuit aliquis in faciem? nec ipse Christus ab expuentibus aut cædentibus faciem avertit. Calumniam pateris? & Dominus. Tua laceratur vestis? & à Domino quoq; vestis per vim extracta, & super eam missæ sortes. Nondum condemnatus es, nondum Cruci affixus. Multa tibi toleranda, ut ad ejus imaginem pervenias. Talia, & horum similia tibi succurrant, mentisq; tuæ impetum ac iram compescant. Similes namq; præparationes & animi dispositiones morsus cordis facilè delebunt, & animi cogitationes in tranquillum statum deducent.* Ex talium consideratione S. Bonaventura in illam resolutionem erupit: *Nolo Domine vivere sine vulnere, quia te video vulneratum,* ex tali S. Xaverius, Domine ne auferas à me hanc Crucem, nisi des maiorem. Ex tali S. Bernardus, omnem cujusvis etiam licitæ voluptatis fructum execratus est. *Deus meus pendet in patibulo, & ego voluptati operam dabo? Absit, absit, non decet sub spinoso capite membrum esse delicatum.* Hâc cogitatione gulæ illecebras damnabat Palæmon Eremita S. Pachomij Magister, (si tamen gula fuit ipsa Paschatis Solemnitate oluscula oleo perfudisse?) lacrymis enim oblitus S. Senecio exclama-

vit

vit. *Dominus meus crucifixus est, & ego nunc oleum comedam?* In Christi Cruce S. Petrus M. Ord: Præd: non satis perfectæ suæ patientiæ medicinam roburq; invenit. Cùm enim is ob quandam criminis umbram, (sub qua magna lux cælestium visionum cumq; cæli civibus conversationum latebat) quasi captivus ad quoddam abstrusum Monasterium esset amandatus; in eo suo exilio ac ergastulo unicum habuit solatium, domum Dei Ecclesiam; hanc aliquando ingressus totus mæstus & fletu madens ad Crucifixum, (ut ingenuus Filius cum Patre loqueretur) cœpit animi sui afflictionem explicare. Scis ô Domine me innocentem, cur me tacente non loqueris? Quid feci? quid perpetravi? ut cùm universi nominis boni iactura huc captivandus relegarer. Ad hæc verba vicissim de Cruce Dominus, & ego, inquit, Petre quid sceleris admisi, ut in hanc agerer Crucem? Ad quæ Sanctus partim solatio, partim rubore suffusus, ærumnam præsentem cælestem credidit favorem, accensusq; plura patiendi desiderio infamiam captivitatemq; suam orbis totius diademate permutare noluisset. Ridiculus erat ille Abyssinorum aliorumq; degenerum ab Apostolo Thoma Christianorum in India orientali ritus, quòd Crucem non modò adoratione & incenso colerent, sed etiam butyro inungerent. Transferimus profectò in Europam, futilissimam superstitionem; si impositas nobis quascunquè tribulationum cruces, mundanis lenire volumus condireq; solatijs. Habet in se crux oleum lætitiæ in copia; ipsa si cum Christo, pro Christo, & Christum intuendo perferatur; cælestibus inundat delicijs, ut ait S. Hieron: in Regula Monach: *Christianis vexilla Crucis sunt deliciæ, trophæa nostræ vitæ non pompis sed miserijs repertantur. In nostra classe viri fortes opprobria sciunt portare non munera*

nera. Nam Christi vincula voluntaria sunt, & vertuntur in amplexus. Supplicium igitur Crucis subijt Christus (observante Drexelio,) ut corpus quidem gravissimis cruciatibus affectum, nihilominùs tamen maneret integrum. Idcirco noluit cum infantibus ab Herode discerptis iugulari aut confodi: à Nazarenis præcipitari, à Pharisæis lapidari, ut Ioannes decollari, ut Isaias medius secari, nimirum ut corpus servaretur indivisum, integrum, compactum; quo Symbolo docuit amicos suos inter supplicia & mortes; tribulationes & cruces, nunquam à se abstrahi, nunquam animo frangi aut constantiâ imminui debere. Et quid magnum nos præstare existimabimus, si Crucem aliquam constanter perferamus; cùm à Christo adeò sit alleviata atq; dulcorata. Imò quid adhuc in Cruce pertimescimus? quid horremus? quid nobis arduum ac importabile fingimus? An infamiam & opprobrium mundi? & hoc sustulit ille, qui *pœnam vestivit honore*, ut canit Sedulius. Infame & infandum illud lignum iam tot SS. PP. encomijs celebratur, ut eis libri non sufficiant. Lege S. Ephrem serm: de Cruce & S. Damascenum lib: 4. de Fide c. 12. S. Chrysostomum hìc non præteribo, qui hom: de Cruce sub finem tomi 3. sequentia congerit. *Crux spes Christianorum, resurrectio mortuorum, cœcorum dux, desperatorum via, claudorum baculus, consolatio pauperum, refrenatio divitum. Crux destructio superborum, malè viventium pœna, adversùs dæmones triumphus, devictio diaboli, adolescentum pædagogus, sustentatio inopum, spes desperatorum, navigantium gubernator, periclitantium portus, obsessorum murus, Pater orphanorum, defensor viduarum, iustorum consiliarius, tribulatorum requies, parvulorum custos, virorum caput, senum finis. Crux lumen in tenebris sedentium, Regum*

magni-

magnificentia, ſcutum perpetuum, inſenſatorum ſapientia, libertas ſervorum, Imperatorum Philoſophia, lex impiorum, Prophetarum præconium, annunciatio Apoſtolorum, Martyrum gloriatio, Monachorum abſtinentia, Virginum caſtitas, gaudium Sacerdotum, Eccleſiæ fundamentum, orbis terræ cautela, idolorum repulſio, perditio impiorum, invalidorum virtus, ægrotantium medicus, emundatio leproſorum, paralyticorum requies, eſurientium panis, ſitientium fons, nudorum protectio, &c. Quot & quanta nomina? omnia vera & grandia. Iam ex illo teterrimo damnationis ſtigmate profecit Crux in illuſtriſſimarum familiarum magnorumq; regnorum parmas ac ſtemmata, in ipſos regiorum diadematum apices, regnantumq; capitum atq; pectorum ornamenta. *Reges Crucis Chriſti ſignum in fronte iam portant pretioſius ſignum, quàm quælibet gemma diadematis.* S. Aug: in Pſ: 32. Idem in Pſ: 36. *Crux honorata eſt & finita eſt: finita eſt in pæna, manet in gloria: à locis ſuppliciorum fecit tranſitum ad frontes imperatorum. Qui tantùm honorem dedit pænis ſuis, quid ſervat Fidelibus ſuis?* & S. Hieron: Epl: 7. ad Lætam. *Regum purpuras & ardentes diadematum gemmas patibuli ſalutaris figura condecorat.* Certè Rodolphus I. Habſpurgicus dum Anno 1273. Aquisgrani Rex Romanorum inauguraretur, & incuriâ eorum, qui apparatum Cæſareum advexerant, ſceptrum deſideraretur; Crucifixi imaginem de Altari accepit. *Hoc* inquiens, *ſceptrum eſt, quo Deus regnat, quo redempti omnes ſumus: hoc ego utar contra hoſtes Dei ac imperij & perſonæ noſtræ rebelles.* Quæ cùm ita ſe habeant; quis non æquè ſit animo comparato ac S. Paulus? *Mihi abſit gloriari, niſi in Cruce Domini noſtri IESV Chriſti.* Gloria Crux eſt, non opprobrium: nunquam proinde erubeſcenda. *Nec ſine cauſa* (ait S. Au-

guſt:

guſt:) *ſignum ſuum Chriſtus in fronte nobis figi voluit, tanquam in ſede pudoris; ne Chriſti opprobrio Chriſtianus erubeſcat.* Confeſſ. l. 3. & in Pſ. 30. Voluit eam Deus in Filio ſuo glorificare, ut quæ antea Iudæis ſcandalum, gentibus verò erat ſtultitia; vocatis & electis Dei virtus eſſet ac ſapientia. *Quia quod ſtultum eſt Dei, ſapientius eſt hominibus, & quod infirmum eſt Dei, fortius eſt hominibus* 1. ad Cor: 2. Plùs Sapientiæ eſt apud Deum in uno trunco, quàm in univerſis cerebris mundi. Meritò ergo exclamat S. Leo ſerm: 8. de Paſſ. *O admirabilis potentia Crucis! ô ineffabilis gloria Paſſionis! in qua & Tribunal Domini, & iudicium mundi, & poteſtas eſt Crucifixi.* Et S. Athanaſius. *Lignum, quod erat damnationis inſtrumentum damnatis hominibus, libertatis fructum produxit.* S. quoq; Leo. *In honorem tranſierunt triumphi, inſtrumenta ſupplicij.* Erit fortè aliquis qui talibus argumentis inductus, cum Chriſto pati non inficiabitur: ſed hoc adhuc parùm eſt, niſi palam & in facie orbis, ut Chriſtus pati non erubeſcat. Annotavit hoc S. Borgia lib: 6. medit: 73. *Crucifixerunt eum, in altum, in àëra ſuſtulerunt: eò, quòd peccator in àërem ſuperbiæ ſe extollat; & ut quidam rubore ſuffundantur, qui Crucem quidem patiuntur, verùm in Cruce publicè extolli neutiquam ferre poſſunt.* Accumulo adhuc hìc motiva ad Crucem Chriſti patienter perferendam, imò cum deſiderio complectendam ex P. Claudio Nòüet in Exercitijs S. Ignatij ſingulari ſpiritûs energiâ vibratisq; ſenſibus congeſta. Fuga Crucis, (ait ille) Crux eſt omnium duriſſima. Nam pati communis Crux eſt mortalium & ſimplex; ſed reluctantem & invitum pati, Crux damnatorum, quæ ſui ipſius odio duplicatur. Amor eſt maximum Crucis condimentum. Vis Crucem exiguo cum labore & magno cum fructu

fer-

ferre? Ama. Hic eſt ille gladius doloris, qui animam B. V. pertranſivit. Amor ſiquidem illi cauſa doloris fuit, & lenimen. Doluit, quia amavit; tulit dolorem fortiter, quia amavit; meruit dolendo, quia amavit. Amor Chriſti nomen difficultatis erubeſcit: in eo, quod amatur, aut labor non eſt, aut labor ipſe amatur. Quid ergo fugis Crucem? Fugientem perſequitur, perſequentem fugit, amantem coronat. Sed venientem fortiter excipe. Ecce appropinquavit hora, pugnandi tempus eſt non fugiendi. Plùs dico, noli expectare venientem; ito obviam, ſurge alacriter. Crucem putas? ſi vel eam intueri audes oculo irretorto; umbram reperies & larvam. Quid enim eſt illa confuſio, quæ cruciat? quæ animum torquet & lacerat? cujus vel metus abſterret, & à propoſito virtutis fine turpiter cadentem ſternit, niſi larva? quam ſi contempſeris, vaneſcit illico: ſi fugias creſcet, & augebit Crucem in immenſum. Pelle igitur (ſi potes ipſum Crucis metum) vel ſi fragilitas naturæ non patitur, ſiſte fugam. Chriſtus in horto metuit, & hoc imbecillitatis tuæ ſolatium. Sed non fugit: hoc conſtantiæ Chriſtianæ exemplum. Fit, dum pati non vis, peccare non metuis. Inter peccatum poſitus, & Crucem in peccatum ruis audax, & Cruci præceps ac timidus terga vertis. Non ſecus ac dæmon Cruce perculſus in infernum deſilit. Sed tu malus eſſe mavis quàm miſer, errore certè peſſimo, nemo enim miſer niſi malus. Sta ergo, & animum obfirma: Et ſi fortè Crux animum concutiat, illud cogita; aut patiendum ne pecces; aut patiendum, quia peccaveris. Crux, quæ antecedit peccatum, glorioſa & meritoria; quæ ſequitur turpis & infructuoſa: prima Sanctorum eſt, altera reproborum, niſi pœnitentis latronis exemplo ad normam Crucis Chriſti reconcinnetur.

Fuga Crucis fons malorum omnium: Amor Crucis omnium origo bonorum. Quid Crucem metuis si libertatem amas? Crux ignis est, è Divini amoris fornace exiliens; vincula tua duntaxat uret. Tibi, & virtuti tuæ splendorem afferet. Vis in te Deus optimus agat? pati te necesse est. Sustine paulisper manum Divini illius artificis; imaginem Christi exprimet. Patere, ut cor tuum scrutetur & fodiat; thesaurum tibi gratiarum aperiet. Patere, ut affectus pravos & mundanos radicitus evellat; cùm omnia noxia evacuaverit, nil nisi bonum Divinum in fundo voluntatis relinquet. Patere, ut mundum, & te ipsum extra te eijciat: ipse, cùm vacuam domum invenerit, magnificus hospes intrabit. O si scires donum Dei, si consilia bonitatis illius! Te perditum luges, cùm vides Cruci affixum! erras! Crux te consecrat æternitati. Te operarium gloriæ Dei, Te exemplum iusti iudicis facit; vexillum & feretrum magnificentiæ ejus In Cruce salus, in Cruce vita, in Cruce pax animi. Quàm ergo noxia fuga Crucis, tam salutaris fuga ad Crucem. Iuglaris etiam in eandem sententiam Elogi: 63. Erecto labaro Christus otiari iam suos prohibet. Non aliud illis scutum exhibens, quàm id ipsum quod signum est. Felix, qui *vel in hoc, vel cum hoc;* (ut suos natos matres Lacænæ hortabantur scutum in bellum ituris dando) è bello redierit. Quod Deus coniunxit, homo non separa: Affixa tua salus est Cruci; salutem sine Cruce non spera. *Christus intravit in gloriam suam per Passionem, & tu vis intrare in alienam sine Cruce.* Fortissimè premit S. Chrysost: hom: 66. ad pop. Crux enim *currus Triumphatoris & triumphale patibulum* Ambrosio: quo sine Capitolium cæleste non aditur. Svadent hæc omnia argumenta imitationem patientiæ Crucifixi, sed omnibus ar-

gumen-

gumentis efficaciùs ipse svadet. Et Sanctum quidem Bernardinum Senensem disertis è Cruce verbis ad Religiosam Crucem vocavit:(ut est in ejus vita 20. Maj.)Nos omnes ad Crucem patientiæ invitat & instituit ipso aspectu, qui vel ipse vocem habet, si modò auscultamus. Olim & S. Bernardo quâdam Passionis Dominica, gravissimâ Cruce Dominus onustus apparuit veluti in Calvariam repens, illacrymantemq; illi spectaculo allocutus. *Mi Bernarde iuva me, qui tanta pro te patior.* Accurrit illico Bernardus. (*Patere Domine, ut patiar*) se offerendo. Digna imitatione promptitudo! æmulanda in schola patientiæ capacitas. Lacinia patientiæ iniuriarum est condonatio, & in his liberalem docet esse Crucifixus: cùm enim sangvine suo obliverit characteres, quos ejus in corpore sculpserat crudelitas; diffiderit q; sub mortem suam marmora atq; confregerit: scribere deinceps in marmore læsos voluit dedocere. Do ex plurimis unum in hac scientia nobilissimum Crucifixi Discipulum Ludovicum XII. Galliæ Regem; qui antequam ad hoc solium ex Duce Aurelianensi proficeret; plurimos Gallicorum Procerum acerrimè sentiebat suis honoribus obsistere. Retulit omnium nomina in unum indicem, & omnia ad marginem affixis cruculis consignavit, hoc solùm discrimine, quòd quò quisq; vehementiùs sibi obniteretur; eum maiore cruculâ confixisse videretur. Emanavit, nescio quâ arte, index ille ad Patres conscriptos & vehementer ferales Crucis notæ appictæ quemvis pessimè conscium perculerunt; maximè cùm Regius candidatus perfractis obstaculis ad thronum evasisset: quòd itaq; unicum restabat, fugam quisq; ex regno circumspiciebat. Verùm Rex omnes ad se comiter invitatos meliore animo esse iussit, præfatus Ducis Aureliaci

 iniu-

iniurias nequaquam ad Regem Galliæ vindicandas pertinere. Non proinde salutare Crucis signum instar cujusdam fatalis Theta cogitandum esse. Intelligant potiùs cuncti se omnes iniurias ac offensas Cruci Dominicæ, ejusq; amore authoribus condonare. O dignum principe Christiano ingenium! quòd pulchrè edidicit Cruce Christi omnia simultatum memorialia esse configenda atq, superinducenda; sicut ipse Dominus quidquid in eum peccavit mortalium rabies, totâ suâ Cruce delevit, ac veluti rem obliviscendam cancellavit. Quin etiam cùm tota cutis sua tenerrima crudeliter concerpta esset; tunc illud chirographum, quod contra nos erat, cassavit atq; discerpsit. Placetne & obedientiam ediscere? ad quam amore proprij iudicij atq; arbitrij naturâ indociliores sumus; nullibi dilucidiùs maioreq; traditur compendio, quàm à crucifixo Magistro. S. Gregorius Nyssenus nunquam sibi Isaaci speciem paterno sub gladio ictum expectantis in oculos incurrisse fatetur, quin illico ex oculis uberes lacrymæ decurrerent. Postquam verò lacrymis & gemitui Sanctus aliquamdiu indulsisset, continuò in se recollectus talibus stimulis se fodicabat. Vbi nunc Pater Abraham, qui animosè vel in unicam prolem ferrum stringat? si Deus velit. Vbi filius Isaac, qui ferrum admittat? & obvium ponat vulneri caput. Delicatuli nimium, molliculæ sumus animæ nimiùm, tenaces, amantesq, primogeniti nostri, Amoris nempe proprij & sensûs nostri, qui Deo cadere debuit occisa dudum victima. Isaac iste Christum præfigurabat. Non quidem quô ad ætatem; Isaac enim iuxta Iosephum 25. communiùs iuxta Hebræos 37. Iuxta Rabbi Abenezra 12 duntaxat erat annorum: Christus 24tum agebat. Quidquid verò sit de annis Isaaci tenera semper & immatura

fer-

ferro cervix filij, Genitori amantissimo debuit videri, nisi maturam Deus arbiter temporum iudicâsset, qui ei victimæ mensem Septembrem, (quo utiq; maturi fructus leguntur) designâsset. Locus victimæ fuit ille mons *Moria* multis titulis pridem nominatus. In eo enim ab initio victimas obtulit pius Abel, ac deinde fratris invidiâ odioq; & ipse ibidem victima occubuit. Post tarda deinceps sæcula obscurosq; soles Nòëmus ab immensa eluvie aperto liberoq; solo redditus Deo Vindici ac Servatori holocaustum in eo posuit. Tum demum senescente iam orbe Christus ipse in eo vitam sangvinemq; homini liberando dedit: ut umbra corpori, figura veritati responderet: eademq; IESV, quæ quondam Abeli, Nòëmo, Isaaco ara fuerat erecta. Erat porrò ex notione Hebræa Moria *Mons amarus* myrrhæ ferax & alòës ipsoq; nomine portendebat amaritiem à Christo exorbendam. Moria *mons timoris* iuxta aliam notationem, quia eò loci Dei timor superumq; reverentia insitum parenti filioq; amorem debuit supprimere. Iuxta aliam Moria *mons visionis*. Quòd eum Abraham cælesti prodigio illustrem aspexerit, vidit enim in supercilio montis columnam ignis, quo ostento cognovit illum esse locum sui sacrificij. Ex alia deniq; interpretatione Moria *mons doctrinæ* ac altioris disciplinæ, ex eo quippe data sapientiæ Divinioris placita, quæ svadent omnes seu naturæ humanæ leges seu rationis altum silere, ubi cælestis vox Divinumq; imperium insonuerit. Sit amarum quod præcipitur, dulcescat: Sit metuendum, metus in fortitudinem migret: aliud videatur tibi: id quòd Deo videtur amplectendum, illud respuendum. Ex hoc monte velut superiore pulpito vetus obed iendum docuit Isaac: docuit indidem Christus, sed è Cruce insuper, id est, ex supre-

ma

ma cathedra veritatis; docuit priùs discipulus, dein Magister. *Cùm esset Dei Filius, didicit ex ijs, quæ passus est, obedientiam,* Hebr: 5. imò etiam docuit, quod didicit. *Disce ergo homo obedire, disce terra subdi, disce pulvis obtemperare.* Legitimè infert S. Bernardus. Et rationem subiungit. *De auctore tuo loquens Evangelista: & erat, inquit, subditus illis.* Quibus, inquam, illis? non iam sicut in Nazareth Sanctissimæ Matri & Iosepho, sed iniquissimis iudicibus, impijs satellitibus, imperiosis tortoribus. *Erubesce* (pergit Bernardus) *superbe cinis, Deus se humiliat, & tu te exaltas? Deus se hominibus subdit, & tu dominari gestiens hominibus, tuo te præponis Authori. Si hominis homo imitari dedignaris exemplum, certè non erit indignum sequi Authorem tuum.* Non vulgaris hic obedientia, nec modò ad proprij arbitrij, sed ad totius sui extremam abjectionem. *Humiliavit,* (inquit, Ap: ad Philip: 2) *semetipsum factus obediens usq; ad mortem, mortem autem Crucis.* Ad quæ S. Aug. *Non laboravit Apostolus potentiam Christi probare, sed obedientiam prædicare. Parùm illi fuit dicere qualemcunq; mortem, sed addit mortem Crucis,* &c. Hæc est verè heroica obedientia in tam ardua re ac difficili, qualis est Crux, obedire. Sed non omittamus affinem semper humilitatem obedientiæ, ex qua proximè quidem obedientia, aliæ autem omnes tanquam ex radice pullulant, diffunduntq; se virtutes. In Crucifixo tota est humilitatis disciplina. Si quando hic Præceptor in vita dicebat, *discite à me, quia mitis sum & humilis corde;* in morte sua ejusq; modo prælectionem explicat atq; exemplificat. Ingens quidem statura Crucis est, assimilata palmæ, & sicut cedrus inter omnia ligna sylvarum; quò tamen excelsior, eò contemptior & abjectior: eò Christus in Cruce humilior at-

què despectior. *O novissimum & altissimum! ô humilem & sublimem! ô opprobrium hominum & gloriam Angelorum!* meritò exclamat S. Bernardus. Videbatur quidem sublimè pendere, sed hominum peccata tanto eum pondere aggravârunt, ut ab hominis dignitate ipsaq; natura in unum vermem dejecerint: unde ore Davidico testatur. *Ego sum vermis & non homo.* Quid infirmiùs? quid abjectiùs? quid despicabiliùs? Vermis, qui terris adrepere impunè non sinitur, sed viatorum pedibus teritur atquè atteritur. Cum verme se componit Salvator, quem vesana crudelitas in Passione, in Cruce, ut vermem habuit & dirum in modum conculcavit. Dejecerat quidem hæc vilificatio Filij Dei minoratum ab Angelis, infra homines & omnia perfecta animalia ad insectum quoddam terræ vilissimum: at nondum humiliationem satis exprimebat, proinde idem Psaltes magìs expressivum quid cogitavit Psal: 68. *Infixus sum in limo profundi, & non est substantia.* Limus ille profundi est immensa tormentorum colluvies, acerbi cruciatus, Crux inglo-ria, dura mors, quâ ita immergitur, ut à se omnem propè substantiam videatur abdicâsse. Quod adhuc clariùs ab Apostolico calamo habemus, *semetipsum exinanivit.* Nec enim ab alio exinaniri potuit: ejus unius fuit esse quodammodo sibi tollere, qui omnibus alijs dat esse, ut noveris factum illud non necessitate sed voluntate. Exinanivit, inquam, semetipsum non tantùm ubi carnem induit, sed vel maximè, ubi eam per immanes cruciatus exuit. Ita aliquando portendebat ipsum IESV, id est Salvatoris nomen amabile & svavissimum, de quo Sponsa Cant: 1. *Oleum effusum nomen tuum,* vel ut S. Ambros: legit. *Oleum exinanitum.* Parùm enim amanti fuit effundi nisi ita effunderetur, ut exhauriretur penitus & exina-

exinaniretur. *Intolerandæ* igitur (S. Bernardo iudice) *superbiæ est, ut ubi maiestas humiliatur, vermiculus infletur & intumescat.* Quin exclamemus, & cum Gilberto Abb. *Vicisti Domine IESV, vicisti superbiam meam humilitate tuâ.* Restat, ut victam se agnoscat, & cristas ponat, herbamq; porrigat, discatq; non pluis sapere quàm oportet sapere, sed pro nihilo se reputare. Infinitum esset alias virtutes percensere, nobis certè plurimæ ne de nomine quidem satis notæ sunt, omnes verò in Cruce manifestè prostant condiscendæ. Vnde Ven: Balthasar Alvarez dicebat. *Arboris Sanctæ Crucis nec folium debemus permittere decidere in terram,* vitæ c. 28. Nullum in ea folium, sive nil tam leve est, quòd magnos virtutum fructus non proferat & non propinet. Vt verò dicta in summam redigam textum D. Bernardi supra delibatum in terminis adscribo. *Crux,* inquit, *Fides est, cujus latitudo charitas, longitudo longanimitas, altitudo spes, profunditas timor. In hac Cruce te invenit, quicunq; invenit; in hac Cruce suspenditur anima, & dulcia poma de ligno decerpit.* Bourghesius c. 163. in Histor: Evan: exemplum, inquit, dedit in Cruce Salvator crucifigendæ carnis cum vitijs & concupiscentijs suis, perfectæ denudationis omnium respectuum, elevationis cordis, perseverantiæ, patientiæ ac charitatis. Et Cornelius à Lapide in cap: Matth: 27. Crux speculum omnis virtutis ac perfectionis, quia Christus in Cruce ostendit apicem & culmen summæ humilitatis, paupertatis, patientiæ, fortitudinis, constantiæ, mortificationis, obedientiæ, charitatis, cæterarumq; virtutum omnium. *Inspice ô Christiane, & fac secundùm exemplar, quod tibi in monte monstratum est.* Exod: 25. Accuratiùs adhuc S. Borgia indicem virtutum in Cruce percenset, lib: 1. c. 5. Perfectio-

num

num leges, quarum Doctor fuit Christus in suis Evangelijs omnium exactissimè servavit, implevitq; in sua Cruce & Passione, ita, ut haud absrè vocetur Crux Domini finis legis & scripturarum, omnium virtutum summa. Hanc cogitabat Paulus, quando prædicabat, solùm sibi cordi esse, discere IESVM crucifixum. Noverat enim hâc solâ sapientiâ comprehendi omnia, quæ æternæ saluti deservire possent. Nam si paupertatem desideras, quis Christo pauperior? tam nudo, tam inope in Cruce, ut non haberet ubi reclinaret caput. Si vis obedientiam & humilitatem, quis abjectiùs unquam se demiserit Dei Filio? qui humiliavit semetipsum &c. Si charitatem? quis mirabiliùs amavit quàm Christus, qui tot ignominias pertulit pro amicis? Si patientiam? ea clarissimè indicatur Passione Christi; si mundi contemptum? à quo unquam tantopere mundum despectum legimus? quàm à Christo, qui totius vanitatis pompâ & gloriâ superior elevatus, triumphavit de illis in Cruce? Si ieiunium & abstinentiam? quis eo abstinentior? qui nihil aliud degustavit in Passione sua præter fel & acetum? Si mortificationem corporis? quis posset ferre suis membris tam dura supplicia ac tulit ipse? Si orationis ardorem ac efficaciam? quis unquam ferventiùs oravit illo? qui præ amore & attentione guttas sangvinis per apertos poros sudavit? Si liberalitatem & misericordiam? quid potuit benigniùs facere hic Deus, quàm adeò indulgenter ac munificè tribuere suam carnem, ac proprium sangvinem in potum ac cibum miseris peccatoribus. &c. &c. Audaciùs verò quiddam hoc in genere citatus suprà Nouëtus pronunciat. *Nulla solida virtus est, quæ sua non habeat in Cruce Christi incunabula, quin ipse Amor, qui aliunde nascitur quàm à Cruce, adulterinus est ac illegitimus.* Posterius ta-

men punctum ſano ſenſu intellige, ſcilicet non negari hic ex conſideratione aliorum myſteriorum Chriſti, beneficiorumve Dei Amorem poſſe exardeſcere ſanctum: ſed undelibet oriatur, ſi Crucem Chriſti detrectet, hoc eſt, pati pro Chriſto non ſit paratus; amorem illum ſincerum non eſſe. Profectò juxta Theophilactum, *Crux ſcabellum pedum eſt, quaſi requies ejus, qui per Incarnationem ad nos venit, & locus eſt, ubi ſteterunt pedes ejus. Quid enim opus erat, ut ampliùs moveretur, qui jam ad finem proceſſerat, ſalutemq; per quam victoria venit, procuraverat.* Quod quid eſt aliud dicere, quàm Crucem non modò laborum Chriſti, ſed etiam virtutis eſſe metas Herculeas, qualibus Carolus V. Imp: inſcripſit. *Non plùs ultra.* Vltra Crucem enim Domini *nec virtus altiùs ire poteſt.* Crucifixus Divo Bonaventuræ liber fuit, ex quo ille omnem Theologiam myſticam haurire ſe fatebatur coram ſibi amiciſſimo Aquinate, & ſanè *unicus hic tota eſt bibliotheca liber.* Ex quo compendio diſcitur, quidquid longis alibi præceptionibus explicatur. Nam vel ethnici Senecæ judicio Epl: 16. *Longum iter eſt per præcepta, breve & efficax per exempla.* Præſtitit in Paſſione Dominus longè efficaciùs, quod poſtea aliquando Joannes II. Luſitaniæ Rex, qui, ut unum ex charioribus Palatinis ad potionem medicam tam valetudini pernecèſſariam, quàm palato nauſeabilem & acerbam, ſorbendam animaret; magnam ejus partem ipſe exorbuit. Quo jam exemplo non difficilè reliquam ægroto exorbendam perſvaſit. Pariter enim virtutum exercitium non erat ad guſtum corruptæ naturæ, ſed illud optimus IESVS; ut ſvaderet, non perfunctoriè prægustavit, cùm in ſe expreſſit. Quin arcano quodam Deitatis conſilio factum eſt, ut cùm impij Dominum ceu librum prohibitum, ma-

giæq;

giæq; vg. aut necromantiæ (dicebant enim aliquando in eum Ioan: 8. *Samaritanus es, & dæmonium habes;*) condemnatum clavis trabalibus confixerunt; idem omnibus, apertis omnibus sigillis expansus atq; patens ad legendum ediscendumq; liber prostaret. Expandit manus in Cruce Dominus noster. *Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans expandit alas suas*, Deut: 32. ut nos omnes ad altissimum perfectionis in virtute culmen evolare condocefaceret. *Hujus ex meditatione cùm rebus turbidis adversaq; fortuna quocunq; in genere iactamur; robur ac tolerantiam acquirimus.* Ait S. Borgia. Hoc nempe circino vitam ac nostras actiones dimetiendo ac dirigendo, nunquam à virtutum orbitâ exerramus, & felicissimè in Deo felicitatis puncto sistimus. *A te principium tibi desinet*, ut canebat Vates. Pro Coronide addo S. Chrysostomi quæstionem. Cur Christus lapidibus nominatim se interimi non permiserit? Quam ille in rem nostram hisce solvit. *Tumultuarium genus mortis est lapidatio, & inter lapidum fragorem exaudiri non poterant ultima Christi mandata.* Subiungit Novarinus. *Tanti Christo est sua verba exaudiri, ut lapidibus obrui noluerit, maiora supplicia non defugit, maiora dedecora sponte lubensq; quæsivit, ut verba sua maiori silentio exciperentur.* Magnum hinc momentum ad æstimandum verbum Dei avidâq; aure bibendum, cujus prædicationem utcunq; Christus per triennium sui laboris concionatorij impensissimè exercuerit; nusquam tamen id maiore contentione præstitit, quàm in Cruce. *Lignum enim Crucis, in quo fixa erant membra patientis, etiam cathedra fuit Magistri docentis*, ut loquitur S. August: de ag: Christ: c. 11. Et S. Bernard: serm: de Pass. *Christus ascendit in altum Crucis, ut ab omnibus videretur; voce*

magna clamavit, ut ab omnibus audiretur, clamori lacrymas addidit, ut homo ei compateretur. Qui ad ejus clamorem non compungitur, gravior est terrâ; fætidior sepulchris; & durior petris. Quòd si vehementissima actio, gestusq; maximè patheticus concionantis est, brachia distendere; distentis brachijs prædicavit virtutem sequendam, fugiendum omne peccatum veritas crucifixa.

Brevibus præsentem quæstionem decidere intenderam; cùm ecce rerum ingens moles sensim absq; sensu verba quoq; longè latèq; diffudit; verùm tamen, ut me excusem, allegabo, quòd Orator quidam Græcus supra tumulum Alexandri magni orationem & incipiens & finiens dixit, *de dilecto nunquam satis.* Quis verò magis dilectus, quàm ut aiebat S. Ignatius M. *Amor meus crucifixus.* Qui adhuc plura vellet, invenire poterit in Stromatis P. Drużbicki, apud Adrianum Lyræum, & Lobbetium in via vitæ ac mortis lib: 3. à capite 4. & deinceps. Modò ut memoriæ consulam, fusiùs dicta in summam colligo. Ideo Christus non aliud genus mortis quàm Crucem elegit; quia nullo alio maiorem suum in nos amorem contestari; & nullo maiora atq; manifestiora virtutum exempla ad nostram institutionem poterat relinquere, quò ad primam rationem libet adhuc cum S Bernardo in affectum erumpere. *O charitas! quàm magnum est vinculum tuum, quo Deus ligari potuit in ligno vitæ.* Alteram S. Borgiæ dogmate coronare. *Christus Dominus totâ corporis dimensione extendebatur in Cruce, ut tu totius amoris latitudine virtutem amplecti disceres.*



XCI.

XCI.

Cur inter latrones crucifixus Christus?

HAbacuc Propheta c. 3. summo timore ac stupore quodam se perculsum fatetur: *Domine*, inquit, *audivi auditionem tuam & timui, consideravi opera tua & expavi.* 70 legunt pro *expavi obstupui.* Merentur tam fortem & ecstaticam considerationem omnia opera Dei, mirabilia enim opera ejus, ut ait Psaltes. Supra quod tamen ex omnibus ita defixus, attonitusq; hæserit ac horruerit, mox subiungit. *In medio annorum notum facies.* Sive, in medio annorum Messiæ illud opus revelabitur. Porrò si iuxta computum Davidis. *Dies annorum nostrorum 70 anni.* (Loquendo de numero quasi ordinario & connaturali.) Circa hoc iam medium annorum fuit Dominus, cùm annum vitæ 34tum per aliquot menses inchoâsset. Hoc tempore, quod illud opus tam stupendum? 70 Interpretes aliquid innuunt, cùm pro verbis *in medio annorum*, vertunt, *in medio duorum animalium cognosceris.* Scimus Christum à pastoribus, quin etiam à Sapientissimis Orientis Regibus agnitum inter bovem & asinum, qui cognoverant possessorem suum, & præsepe Domini sui: at hoc non medio sed ipso initio annorum Salvatoris contigit. S. Augustinus hunc nodum solvit lib: 18. de Civ: Dei: ubi per duo animalia duos intelligit latrones Crucifixo collaterales. Et profectò animalia erant effera, violenta, cruoris humani avida, sylvas colebant, obsidebant vias, infestabant viatores. Quorum alterum quidem cicuratum ac mansvefactum cognovit saltem in exitu possessorem suum, & possessionem Regni ejus expetiit: alterum indomitum in sua feritate ac rabie, (quæ morientibus violentè bestijs maxima esse consve-

vit

vit,) extinctum eſt. Nobis cum Propheta prodigio ac ſtupori eſt cur Dominus mitiſſimus ac manſvetiſſimus, qui à vi & ſangvine ſummè abhorruit ita, ut & cædentem repercutere vetuerit; & auferenti pallium, tunicam quoq; permittere Matth: 5. hortatus ſit, cur inquam tam diſſimili ſocietati immiſtus, & quidem loco maximè inſigni moreretur? quis non obſtupeſcat Agnum cum lupis, columbam cum vulturijs, harpyisve eodem ſupplicio mactari: Beneficentiam atq; clementiam ipſam cum maleficis; profuſiſſimum Largitorem bonorum cum prædonibus; vitæ Datorem cum homicidis communes pænas perſolvere.

1. Ratio à Bourgheſio imputatur malitiæ Iudæorum, quòd hi procurârint ſocietatem latronum ad Domini gloriam penitus delendam, ut ſimilitudine ſupplicij atq; pænæ ſimilem culpam aut culpæ opinionem affingerent; tresq; ſimul latrones in crucem acti dicerentur. *Vt in medio maleficorum maleficus putaretur*, ait Euthymius. Quando enim iuſtus inter peſſimos commoratus, quaſi unus illorum non habetur? notat Eſcobar. Familiariſſimum eſt talem quemq; exiſtimare cum qualibus verſatur, ſive quòd ſimilis ſimili gaudet, ſive quòd ipſa converſatio citiſſimè aſſimilat, & proniùs ſemper bonos malis, quàm malos bonis: ut nervoſè Comicus. *Talis quis eſſe putatur, qualis eſt ei ſodalitas: ſic non morantur unà nox, dies: bonus, malus. Vix diurnant diſcrepantium morum contubernia: vix una die moratur cum nepote ſobrius. Nunquam coëunt vitia ipſa cum virtutibus.* Vix dubitamus malum eſſe, qui malis ceu viſco adhæreſcit: ut enim lues proximum quemvis; inficit & faſcinus obvium quodvis tenerius corripit: ita vitia in vicinos tranſiliunt. Pulchrè in hanc ſententiam Corn: à Lap:

in

in Prov: 13. v. 20. Maius est, inquit, contagium mali quàm boni, faciliùs affricatur & addiscitur vitium quàm virtus: sic videmus unam ovem scabiosam inficere cæteras, sic

grex totus in agris
Vnius scabie perit & porrigine porci
Vvaq; conspectâ livorem ducit ab uvâ. *Iuven:*

Vnus gulosus, superbus, impius, cæteros quibuscum versatur, efficit sui similes: cùm ex adverso multi humiles vix unum superbum efficere queant humilem: sic modicum fellis, myrrhæ, absinthijve, totum vini, lactis, mellis imò poculum amarum efficit, è contra integro poculo mellis vitrum parvulum myrrhæ non edulcaveris. Hæc ferè Cornel: & apud eum citatus Comicus. *Claudicare disces, uni si vel claudo assveveris. Conversatio malorum de bono facit malum, fermentumq; item farinæ vim suam communicat. Nil nisi sordidum è servili contubernio trahas. Pestilentius malorum contubernio nihil. Mores trahuntur cuiq; à conversantibus. Vis nôsse Regem? familiares noscito.* His veluti præmissis Iudæi in adiuncto binario latronum propositis, inferre irrefragabiliter & ab omnibus assensum conclusionis extorquere laborabant: Christum aut suopte ingenio semper malum fuisse, aut commercio malorum (nam pridem ei amicitias peccatorum improperabant) pessimum evasisse usq; ad idem cum eis supplicium. Adeòq; quidquid antea sanctè vixerit ac docuerit, imposturam hypocrisimq; fuisse. Ecce, (quasi dicerent) *exitus acta probat.* Mors Echo imagoq; vitæ est, oportuit istum in vita latronibus coniunctissimum fuisse, qui in morte ab eis non potuerit separari. Quinimò non qualitercunq; latronibus eum sociârunt, sed memores in comprehensione Dominum dixisse sibi, *tanquam ad latronem exîstis,* non quasi unum è trivio latro-

nem

nem, verùm ut ducem ac Principem in medio crucifigendum curârunt. Qui scilicet non ad vulgares quasvis prædas manum extenderit, verùm ipsum Regnum Iuda, Herodi quidem Vasallo, Cæsari autem directo Domino eripere attentaverit; quin etiam ad ipsam Divinitatem invadendam animum adjecerit. Fortè & Pilatus (ut observat Bourg:) remordentem conscientiam de innocente condemnato adiunctis noxijs morte damnatis relevare ac mitigare conatus est, aut certè velamentum aliquod suæ iniustitiæ quæsivisse. An non latrocinium affectati diadematis innuebat, cùm Regem Iudæorum memoratâ ignobili Patria Nazarenâ, in titulo præscriberet. At verò usitatissimum dæmonis artificium est, Sanctorum mortes & postea ipsas reliquias immixtione malorum, & per hanc ortâ confusione velle obruere atq; obterere. Crudele fuit in Christi Confessores tormentum, quo in culeum unà cum angve atq; cane insuebantur, cujus frequens memoria in Martyrologio; crudeliùs longè, dum simul cum hominibus sceleratis non secùs quàm scelerum complices neci dabantur. Tale exemplum dedit 1540 Henricus Angliæ Rex hoc nomine VIII. & ut octo improbus, à Catholica unione totaq; humanitate apostata, is tres viros Catholicos Theologiæ Doctores Thomam Abelum, Edoardum Povellum, Richardum Fetherstonum in causâ Fidei afficiendos damnavit extremo supplicio, quo ipso die tres Hæreticos Zwinglianos perditissimos à Catholica Fide & Sacerdotio apostatas. Factum est verò Henrici iussu in maiorem religionis contemptum, ut bini & bini vimineis cratibus innexi, per plateas ad locum supplicij traherentur singuli Catholici cum singulis hæreticis in eadem crate coniuncti, quòd Dei servis ipsa morte graviùs & intolerabiliùs videbatur.

Cùm

Cùm autem Palatinus quidam ex Henrici aula hos ita ad mortem duci cerneret, aliumq́; ab alio se avertentem & voce consortium detestantem; cognitâ diversâ cujusq́; causâ, alios nempe ob religionem propugnatam, alios ob eandem oppugnatam plecti; in posterum (inquit) ego Regiæ, id est, nullius religionis ero. *Sanderus de schism: Angl: l.* 1. *p.* 160. Christus equidem utcunq́; vitia detestaretur latronum, ipsorum tamen consortium, quia Passioni suæ non leve addebat momentum, non horruit: sed Iudæi idem in Christo ipso cum latronibus confundendo, ne deinceps ab illis dignosceretur, faciebant instigante dæmone, quod fecerunt paulò post circa Crucem ejus: & hanc enim unà cum latronum crucibus communi scrobe defoderunt. Sed convenit illi lemma vel sic sepultæ, quod in armamentario congestis armis quidam apud Petrasanctam adscripsit. *Conduntur non confunduntur.* Prodidit Crucem Christi, discriminavitq́; demum à crucibus latronum prodigium manifestæ curationis: miraculis pariter apud ignaros quosq́; crucifixus IESVS, à socijs latronibus discernebatur. Ita sensit D. Chrysost: in Ioan. *Voluit dæmon rem ipsam obtegere, nec tamen valuit. Crucifixi sunt tres, claruit unus IESVS, ut intelligas omnia ejus virtute provenisse. Tribus crucifixis miracula patuerunt; nemo tamen ullum alteri latroni attribuit, sed soli IESV.* Sic potest oleum confundi cum alijs liquoribus: commisceri quin supernatet omnibus, non potest: sic & palma premi ponderibus: opprimi quin eluctetur: etiam ignis obrui sarmentis, extingvi quin emicet magìsq́; exardescat, non potest. Quid? an non oleum effusum nomen IESV? an non statura ejus assimilata est palmæ? Quin audi Isrâël, Deus tuus ignis comburens est. Non sunt ergo assecuti finem suæ intentionis

 Iu-

Judæi non Pilatus, non dæmon: Assecutus verò ipse Dominus, ex cujus parte Crucifixio sua in tali societate facta est.

2 Ratio. Sicut ex omnibus suppliciorum generibus Crucem sponte elegit Dominus; ita hanc etiam circumstantiam crucifixionis, ad maiorem sui nominis & existimationis exinanitionem amore nostri; ut superiori quæstione in prima parte circa initium respondimus. Hic tantùm addo ex S. Chrysostomo hom: 13. in 1. Cor. *Probrum quid sit ignorat charitas; idcirco his de rebus gloriatur, propter quas conspectum hominum alij fugiendum putant.* In totius pene orbis aspectu voluit Dominus associari latronibus, quibus si quispiam alius honestus associaretur, sub terram abscondi mallet, quàm in ea societate palam spectari.

3. Vt doceret virtuti locum esse etiam inter vitia. Hanc rationem dat S. Athanasius in Cat: Græc. *Crucifixerunt eum & latrones unum à dextris, alterum à sinistris; non communicavit iniquitati eorum, mirandum est: illis coniunctus nullum ab eis accepit nocumentum.* Floret lilium etiam inter spinas, lucet stella in medio nubium, rutilat adamas etiam inter cineres; ita vera virtus suum nitorem consortio malorum non diminuit. Perseveravit Noë *perfectus* inter gigantes corruptissimos, Loth iustus inter Sodomitas sceleratissimos, Iob servus Dei inter Hussitas idolis servientes: Quem ideo conglobatis encomijs celebrat, S. Chrysost. *Vir erat in terra Hus, columba inter accipitres, stella in medio nubium, lilium inter spinas, gemmen virtutis in oppido iniquitatis.* Et S. Greg: lib: 1. c. 1. *Hus quis nesciat, quòd sit terra gentilium? dicatur ubi habitaverit, ut hoc ejus laudibus proficiat, quòd bonus inter malos fuit. Neq; enim valdè laudabile est bonum esse cum bonis, sed bonum esse cum malis.*

Sicut enim gravioris culpæ est inter bonos bonum non esse, ita immensi est præconij inter malos bonum extitisse. Hoc idem B. Iob sibi attestatur. Frater fui draconum, & socius Struthionum; c. 30. *Hoc Petrus in Loth laudibus extulit, quòd bonum inter improbos invenit.* Et iustum oppressum à nefandorum iniusta conversatione 2. Petri 2. *Aspectu enim & auditu iustus erat, habitans apud eos, qui de die in diem animam iusti iniquis operibus cruciabant. Qui nimirum cruciari non posset, nisi prava propinquorum opera & audiret, & cerneret. Et tamen aspectu & auditu iustus dicitur, quia iniquorum vitia non delectando iusti aures atq; oculos, sed feriendo tangebant. Hinc Paulus discipulis dicit,* in medio nationis pravæ atqué perversæ, inter quos lucetis sicut luminaria in mundo, ad Phil: 2. *Hinc Angelo Pergami dicitur.* Scio ubi habitas, ubi sedes est sathanæ & tenes nomen meum; & non negâsti Fidem meam; Apoc: 2. *Hinc S. Ecclesia laudatur Sponsi voce.* Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias; Cant: 2. Quem locum canticorum & ingenio & eloquio solito tractat: S. Bernard. *Spina culpa est, spina pæna est, spina falsus frater, spina vicinus malus. O candens lilium! ô tener ac delicate flos! increduli ac subversores sunt tecum, vide quomodo cautè ambules inter spinas. Plenus est mundus spinis, in terra sunt, in aëre sunt, in carne tua sunt: Versari in his & minimè lædi Divinæ potentiæ est non virtutis tuæ. Sed confidite inquit, quia ego vici mundum,* & paulò infrà. *Non mediocris titulus profectò est virtutis inter pravos vivere bonum, & inter malignantes innocentiæ retinere candorem & morum lenitatem,* &c. &c. serm: 48. in Cantica. Quis ignorat & Ioseph in cisterna sicca inter colubros, & Danielem in lacu inter leones & tres pueros in camino ignis inter

flammam illæsos. Non reticendum & recentius exemplum P. Petrus Cottonus, quem Barthol: Gramondus Historicus Galliarum celebrat non tacendo encomio lib: 15. pag: 655. *Longa illi in virtute perseverantia, & quod rarum etiam Religioso viro, procul ambitu vita. Henrici IV. conscientiæ admotus, nullo rei privatæ studio egit in aula innocenter; scientiarum apicem ingenti laude adeptus est; facundiâ floruit adeò, ut regnante Henrico eloquentiæ imperium penes Cottonum fuerit. Magna hæc certè apud homines; maximum est, quòd in Deo vixit, florens & candens lilium inter spinas, homo incorruptus in aula.* Egregium est, inter malos bonum esse; nemo tamen his fretus ultro se malorum consvetudini addicat; nam & ex communi aëris corruptione sani quidam & intacti evadunt, magnæ tamen insaniæ esset, si paucorum ista felicitate quispiam fretus, ultro se nullis præmunitus amuletis, in pestem conijciat. Parendum potiùs monito S. Greg: Nazianzeni

Ne tibi qui vitijs scateat coniunge sodalem:
Namq; etiam firmos pestis gravis occupat artus.
Non tu virtutem tribues, sed dedecus ipse
Accipies, vitijs atq; inficiêre profanis.

Quinimò si Bedæ standum, qui Evangelicæ veritati innixus loquitur. *Melius est habere malorum odium, quàm consortium.* Quòd si verò non propriâ temeritate temet improbis aggreges; verùm necessitate quâdam inextricabili in eorum contubernium conijciaris, tuum est virtutem integram conservare inter vitia; nullius pravitate, nullius scandalo tua crimina coram iusto Iudice excusabis; nemo enim ad improbitatem cogere potest nolentem. Nulla ergo tam prava societas est, quæ officiat constantiæ, nullus tam profanus locus, quem virtus non consecret. Plus etiam in hoc genere dicendum est. Op-

posita

posita penes se posita magis elucescunt: Crocus odoratissimum germen lætius inter fætentia floret allia: calor frigore, & frigus calore circumfuso interclusum magis intenditur: eandem antiperistasim virtus amat, ut inter offusa vitia emicet, redoleat, ac invalescat. Altissimo proinde inter latrones sibi locum delegit consilio Christus; ut ejus innocentia tantò illustriùs ac manifestiùs appareret. sic canit Sedulius.

Par est pœna trium, sed dispar causa duorum,
Hi mundo sunt quippe rei pro crimine multo:
Huic reus est mundus salvatus sangvine iusto.

Non est obscuratum, sed illustratum Christi nomen ex societate latronum: illis neglectis, solus Christus in Cruce Deus agnitus & adoratus: Lux veritatis cum tenebris iniquitatis composita clarior evasit. *Bourghesius.* Nam S. Chrysostomus audet pronunciare de latronum consortio. *Non solùm crucifixi gloriam non offendit, sed auxit.* Hoc quoq; quod dixi, virtuti exiguum est, nisi conservata auctaq; inter circumfusa vitia, pessimam viciniam in melius refingat, in seq; ac suum succum convertat. Sic Apostolus Paulus Onesimo servo Philemonis inutili, infideli, fugitivo, in vinculis associatus, eundem Christo genuit; ac frugi servum effecit. B. Paulus Michi è Societate IESV M. Iapon: nominis & zeli Apostolici heres ipso in carcere sex maleficos unà captivos in libertatem Filiorum Dei asseruit. Edmundus Arausmitheus ejusdem instituti Anglus 1628 Lancastriæ pro Fide suspensus & sectus, socium habuit in supplicio & confessione latronem, quem in communi carcere ex malo bonum effecerat, & adeò in suscepta Fide constantem, ut vitam sperneret, quæ ei eâ conditione offerebatur, si ad hæresim rursus vel è ferali trabe transiliret. Tanti est

ma-

malos vel ad momentum, vel in extremo se momento bonis coniunxisse. Vnde verò tam efficax seu exemplum, seu sermo ad transformandos malos in bonos, socios latrones Confessoribus Christi nisi ex ipso Christo? qui palmare suorum miraculorum sub mortem patratorum esse voluit latronis conversionem. *Neq; enim minùs fuit latronem converti & in Paradysum introire, quàm petras collidi*; ait S. Chrysost:

4. Medius inter latrones pependit, ut Mediatorem se pro sceleratissimis quibusq; ostenderet. Vt medius Auctor vitæ (cum Bourghesio loquor) & gratiæ inter peccatores, pro ijs sacrificium offerret Patri instar Aaronis inter mortuos & vivos sacrificantis. *Distenditur in Cruce corpore IESVS magis in animo ad homines charitate distensus, ut etiam sui crucifixores non excluderentur ab hujusce charitatis affectu & effectu*; ait Simon de Cassia. Quòd si hi amplexum recusant, sociorum latronum alterum dextrâ, alterum sinistrâ ad se trahit. Quorsum enim in fines terræ brachia, collecturus undiq; populos extenderet, si maximè vicinos præteriret. Quid & in Evangelio dixerat Matth: 19? *Faciliùs est camelum per foramen acûs transire, quàm divitem in Regnum cælorum.* Cùm dicit faciliùs, non penitus divites à cælo excludit, impossibilemq; eis aditum cæli pronunciat: sed quæ ista acus, per quam isti cameli transire debeant? Respondet S. Paschasius. *Per acum ipse Christus intelligitur, perforatus in Passione, per quod utiq; foramen omnia ad se & post se trahit.* Etiam divites, & quidem de alieno, latrones: camelos illos non modò iniquorum spoliorum sarcinis onustos, verùmetiam gibbo propriorum criminum inveteratorum tumentes. Laxavit profectò Protopiscator hominum retia in capturam, dextrâ & sinistrâ colligit bo-

bonos & malos. Verùmtamen boni eliguntur in vasa, bonus scilicet Latro in Paradysum: mali autem mittuntur foras: malus exulat in orcum.

5. Ob admirandam abyssum iudiciorum Dei! Dixit aliquando Christus Luc: 17. *Erunt duo in lecto uno, unus assumetur, alter relinquetur.* Hæc prædictio videtur primùm impleta in socijs Crucifixi latronibus, uterq; erant in uno eodemq; lecto Crucis, in quo & Christus: unus assumptus, alter lethargo suo relictus. Constiterat vita in medio eorum; quam alter amplexus evasit salvus; alter aversatus, non iam somno fratre mortis, sed morte fratre somni; eâq; æterna procubuit. Experti sunt in Christo magnetem, qui ferrum altera sui parte attrahere, altera repellere perhibetur. Certè magneti Christum comparat S. Hieron. *In magnete hæc vis esse dicitur, ut annulos sibi copulet, quantò magis Dominus omnium creaturarum ad se trahere poterat, quos volebat.* Assumptus est eodem die in Paradysum, qui se attrahi passus est: relictus, qui contumax repulit trahentem. Et assumptus quidem meritò confiteatur. *Domini est assumptio nostra, & Sancti Israël Regis nostri*; Ps. 88. Relictus verò nullo pacto relictionem suam Domino imputare queat: quia *perditio tua Israël, tantùmmodo in me auxilium tuum:* Oseæ 13. Non omittendus S. Maximus Taurien: qui hom: 1. de Adv: pulcherrimè illum locum tractat. *Erunt duo in lecto uno,* &c. *Hic iam resurrectionis meritum demonstratur, quòd pro qualitate vivendi sit gratia resurgendi, ac tantam in singulis resurrectionis esse distantiam, ut duobus etiam pariter dormientibus & unâ sede quiescentibus, æqualis esse non possit assumptio; quamvis enim eodem consortij lecto teneantur, pro meritis tamen alter rapietur in cælum, alter relinquetur in terris. Lectulus enim noster*

qui-

quidam communis est terræ hujus amplissimum solum, in quo deposita corpora nostra tutissimâ sede requiescunt: in hoc autem lectulo ille molliùs dormit, quisquis duriùs in vita se gesserit. Possumus etiam ipsa membra nostra lectulos nostros proprios nuncupare, in quibus animæ nostræ veluti in quodam stratu svavissimè demorantur, &c. &c. O quot non modò in eodem, hoc est simili corpore, in eadem terra demorantes, sed etiam in eodem lectulo crucis iacentes; iudicium Domini in æternùm seiunget. Nemo igitur fidat, quòd in eadem terra cum Sanctis versetur, nemo inquam fidat, quòd in eodem crucis lecto cum Christo ipso degat; hoc est in S. Crucis confessione in Fide Christiana; in cruce etiam religiosa, etiam in cruce tribulationum, quæ sunt signa prædestinationis ad gloriam: nisi in cruce dignè, cruce vivat ac perseveret ad extremum. Quem non percellat tragicum hoc exemplum,tanta in abysso iudiciorum Dei præcipitia! Christi in Cruce socius! & potuit æternùm perire! in timore ergo & tremore salus operanda; convertendum cor ad Christum, expetendum ardenti prece ejus Regnum ac memoria nostrî; si cum bono assumi, non cum latrone malo velimus relinqui.

6. Vt ad memoriam mundo reduceret, extremi sui Tribunal iudicij, idq; mundo quàm fortissimè inculcaret. Paulò antè cùm staret ante Tribunal Caiphæ, adiuratus ut ediceret cathegoricè,si ipse esset Filius Dei: fassus, mox subiunxit. *Amodo videbitis Filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cæli;* Matth: 26. Commemorabat hìc suis iniquissimis iudicibus, suam vicissim iudiciariam potestatem, formam iudicij in valle Iosaphat futuri, atq; modum in Calvario monte adumbravit. Sic pependit. *Vt etiam in ipsa patibuli*

buli specie monstraretur illa, quæ in iudicio ipsius omnium hominum facienda est discretio, cùm & salvandorum figuram fides latronis exprimeret, & damnandorum formam blasphemantis impietas præmonstraret. S. Leo serm: 4. de Pass: & S. Aug. *Crux Tribunal fuit, in medio enim iudice constituto unus Latro qui credidit, liberatus: alter, qui insultavit, damnatus: iàm significabat, quid facturus est de vivis & mortuis, alios positurus ad dextram, alios ad sinistram.*

7. Placuit inter latrones Domino locus, ne deinceps servi ejus salvâ virtute ac innocentiâ, cum & pro latronibus reputari erubescant; hoc est, quòd primis Christianis I. post Christum Papa inculcabat. *Nemo vestrûm patiatur, ut homicida aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor, si autem ut Christianus,* (imò ut Christus) *non erubescat.* 1. Petri 4. *Socrates carcerem intrando purgavit, & omni curiâ honestiorem reddidit;* ait Seneca de vit: tranq: c. 17. *Ipsis Regijs illustrior carcer Pauli, imò ipso cælo,* videtur S. Chrysostomo. Quomodo non & Dominus locum inter turpes turpissimum honestaverit? cùm dignatus est occupare: & quidem non qualitercunq; sed ita, ut medium duos inter latrones patibulum in tribunal ac pompam iudiciariæ potestatis converterit, ut immediatè præmissâ ratione dictum est. S. Chrysost: tom: 6. hom: de SS. MM. Heroës illos mirabiliter ad tormenta gravissima animatos commemorat. *Quasi choreas ducerent ad tormenta cum voluptate perrexerunt: & tanquam bellatores omnem fortitudinem ac tolerantiam præsetulerunt, hostesq; vicerunt. Ac si eorum quidem, quæ geruntur spectes naturam; pugna & bellum & acies sunt, quæ geruntur: sin autem eorum mentem consideres, quæ fiunt, sunt choreæ, sunt & convivia ac festivitates & voluptas*

maxima. Hoc nempe ita ſe habebat, poſtquam ſe Chriſtus in Crucis perferendæ dedit exemplum: pari ratione poſtquam medium latronum idem ſuâ præſentia dedicavit ac honeſtavit; locus ille ſuapte naturâ ignominioſiſſimus honori cæpit eſſe atq; ornamento. Hinc funeſtus licèt Nangazacho Iaponiæ urbi imminet collis reorum ſupplicijs infamis; à Confeſſoribus tamen Chriſti longè maiore deſiderio, quàm curia quævis aut palatium Regis expetitur. Sqvallet oſſibus ſceleratorum fædamq; halat mephitim Londinenſe in Anglia Tiburnum: illis tamen, qui in cauſa Fidei illuc raptantur, non peſtilens Sardinia, ſed Tybur Italum, Theſſala Tempe, hortusq; deliciarum videtur, & ut talis alijs optatur. *Nihil medium eſt, & Crux & ſtatim Paradyſus. Hodie mecum eris in Paradyſo.* S. Chryſoſt.

8. Noluit Dominus Crucem ſuam eſſe ſolitariam, ſed crucibus pluribus voluit ſtipari; & qui prius quemvis ad Crucem ſuam tollendam invitabat; quemvis in propria cruce ſibi deſiderat aſſiſtere. Non decet ſolium Regis dolorum, ſed in ipſis doloribus Regis gloriæ, aſſeſſorum non addenſari curulibus. Dicitur in iure *tres faciunt collegium:* & in vulgi proœmia *tres ſunt omnes.* In ternione Chriſtus Calvariæ inſtituit collegium, ut ad illud omnes aggregaret. Bartholomæus Riccius in triumpho Crucis cum figuris æneis edito ad Annum 1608 Octoginta quatuor Martyres recenſet, qui vel ſinguli, vel in pauciore numero in Crucem acti comites ſe Redemptori iunxerunt. Sunt verò in his ex utroq; ſexu, ex omni ſtatu, conditione, ætate. Nominatim pueruli novem numerantur. Cui ætati meritò S. Auguſt: ſcribit elogium ſerm: 2. de Innoc. *Quàm Beata ætas, quæ Chriſtum non poteſt loqui, & pro Chriſto meretur occidi: non-*

dum

dum opportuna vulneri, & iam idonea passioni. Senes pene decrepiti 4. ex his S. Simeon Ep: Ieros: annos 120 natus. Virgines teneræ 11. &c. &c. Præterea Tyri aliquot simul: Carthagine 7, aliàs 12. Theopoli in Perside sub Cosrohe 10. Romæ sub Nerone SS. Petri & Pauli Apostolorum discipuli, quà crucifixi, quà pice illiti, & in luminis nocturni usum accensi, alijsve tormentis peremmpti innumerabiles; quorum memoria 24. Iunij: In monte Ararath ad Alexandriam Armeniæ Exercitus decem millium ab Angelis in Fide instructus, ex quo singuli instar IESV priùs flagellati, spinisq; coronati, demum quia crucibus eorum sylvæ non sufficerent, humi clavis crucifixi ad diem 22. Iunij. De his ad literam sonat, quod de Christianitate universa S. Augustinus tom: 9. lib: de Symb: Fid: 4. *Rex noster Christus ut doceret, quomodo suus exercitus vincere; in se demonstravit mortem corporis non esse timendam, dum prior ipse Crucis mortem elegit; & in ea prior ipse mori dignatus est.* Recentiùs iam in Iapone simul sex supra viginti consociari crucifixo meruerunt. O quot heròes posterioribus annis usq; ad præsentem huic numero accesserunt? Addamus in Cruce univocè dicta fixis, analogicè crucifixos; hoc est quocunqué genere mortis pro Christo defunctos: de his audacter quidem, sed valde veròsimiliter pronunciat doctissimus Scribanius, *plures in novo Testamento pro Fide homines, quàm in veteri cecidisse ex pecoribus victimas:* quas tamen vel inde numerum omnem superâsse colligitur, quòd solus Salomon unâ dedicatione Templi mactavit boum viginti duo millia, arietum centum viginti millia. Quantùm in memorijs annuis? in dedicationibus Templi instaurati? quantùm sacrificijs quotidianis? quantùm à singulis personis incipiendo ab Abele usq; ad eversionem

ultimam Templi Salomonici & legis veteris antiquationem cecidisse oportuit? Quid tamen hic numerus ad numerum Martyrum? Addamus spiritualiter corporaliterve in ea Cruce semet figentes, cujus duo genera memorat S. Augustin. *Vnum corporale, quo voluptates omnes corporales mortificantur. Alterum spirituale & nobilius, quo animi cogitationes malas in potestatem redigimus, & voluntates proprias abnegamus: pretiosa namq; Crux hæc in conspectu Domini est.* Talium crucum frequentiam S. Bernardus Epl: 19. ad quosdam Religiosos cum gaudio suspicit. *Non apparebit in vobis FF. vacua Crux Christi, omnino refloruit, & nunc quasi de novo lignum, in quo pependit Rex gloriæ,* ceu diceret

Non steriles plantæ surgunt, sed nobile quævis
Corpus pro fructu Martyris arbor habet.

Idem intellige de omnibus Religiosis Ordinibus, & multis Christianis in sæculo religiosè vitam agentibus, hoc est spiritualiter crucifixis. O quàm frequentibus asseclis Crucifixus circumfunditur? *Quid congemiscitis Pharisæi dicentes ad vosmetipsos, ecce mundus totus post eum abit,* Ioan: 12. *quasi postquam Filium hominis occideritis, nemo post illum abiturus sit? exaltate quantocyùs illum à terra, & palam fiet vobis, quantùm profeceritis.* Appositè ad rem S. Rupertus. Quis Regum terræ tanto satellitio, tantis catervis, tantis exercitibus succingitur? Simillima Crux Christi videtur arbori Indicæ dictæ *mangle* sive ficus Indica. Hæc in magnam altitudinem unico trunco, eoq; crasso admodum surgit, ramos in omnia circum latera pandens, qui tenues quasdam fibras usq; in terram demittunt; hanc ubi attigerint, novas radices agunt; & in novos arborum caudices transeunt, novos ramos spargunt, daturos novas fibras & in arbores novas transitu-

fituros: & fic per consequens ultra: quò subinde una ar-
bor in tantam sylvam excrescit, intra quam 3. millia ho-
minum facilè possint latere. *Vide Niremberg: hist: nat:*
l. 14. *c.* 38. Huic arbori quispiam dedit lemma *Una ne-*
mus. Talis profectò arbor Crux Domini & una laureum
nemus victoriarum; ceu quondam ex ramusculo lauri uno
ab aquila in sinum Liviæ Augustæ demisso Romæ plan-
tatum perhibetur à Svetonio in Galba. Cùm ergo S. Hie-
ron: dicit. *Gloria Salvatoris patibulum est triumphan-*
tis & Theophylactus. *Gloria Christi Crux:* præter dicta
superiùs de hoc argumento, intelligendum etiam de tan-
to comitatu Crucis ejus, juxta illud Prov: 14. *In multi-*
tudine populi dignitas Principis. Erubescendum si in tan-
ta frequentia comitum Crucifixi nullo numero, nullo
loco sumus. Quid prodest si omnes stipant crucifixum
Cruci fixi, nos ab ea universitate sponte exclusi vagamur,
quò prava fert cupiditas. *Si complantati facti sumus si-*
militudini mortis ejus, simul & resurrectionis erimus. ad
Rom: 6. Sin secùs, vacua est & inanis spes nostra.

9. Adhuc socias Cruci suæ Dominus duas adiunxit
cruces; ut constaret non unam Christi Crucem esse; sed
esse boni, esse & mali latronis. Harum discrimen facit
S. Augustinus in Ps: 34. Conc: 2. *Tres in cruce, unus Sal-*
vator, alter salvandus, alter damnandus; omnium par
pæna sed impar causa. Unus innocens, alter pænitens &
confitens, tertius blasphemus & impænitens. Crucem Chri-
sti sibi vendicant, qui patiuntur absq; culpa: Crucem
boni Latronis, qui culpam agnoscunt, ad eamq; exolven-
dam, pænam æquo animo sufferunt, meritòq; suis pec-
catis deberi agnoscunt, faciuntq; vel ex necessitate vir-
tutem: ut Mauritius Imperator, qui à Phoca captus, suo
in conspectu trucidatis filijs cùm ad necem raptaretur,

illud identidem ex coronato Psalte occinebat. *Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum.* Cruce latronis mali plectuntur, qui tribulantur inviti; inter ipsasq; ærumnas anguntur, seipsos ac alios diris vovent, blasphemant Authorem Permissoremve suarum calamitatum Deum. Talium planè Crux habet ipsa crucem, duplicant eam sibi atq; triplicant. Præter enim crucem exteriorem sponte ipsi interiorem adsciscunt; deniq; æternam promerentur, ac in illam se præcipitant. Hi planè in malam crucem se ultro damnant, nec aliter in ea pendent, quàm canes Romani, suprà memorati. Quin potiùs ut canes cerberei, qui in inferno seipsos morsibus devorando, cælum allatrant nequidquam totâ æternitate. Bene & V. Beda apud Escobar Cruce boni Latronis eorum cruces significari opinatur, qui purâ intentione pro Christo perferunt labores; sicut sinistri latronis cruce ii innuuntur, qui mundi causâ laborant & anxiantur. Horum posteriorum cruces apud Zachariam Lexoviensem Capucinum in Gyge Gallo festivo non magis, quàm serio stylo delineatas invenio. Quodlibet (ait ille) vitium habet martyres suos. Gravem esse suis cultoribus Deum putant omnes, qui ab eo descivêre, nec advertunt ipsâ declinatione incommodi in aliud genus pænæ provolvi miseros, quo nullum acerbius. Auro dicere quilibet avarus potest, quod Martyr Christo. *Propter te mortificamur totâ die*; sua enim supplicia avarus & patitur & amat: dilectæ mercedis intuitu in longa spatia protrahit ærumnas suas, nec beatiores credit, quàm qui sub tortore infelicitate, iure habentur infelices. Invidus carnificem habet alterius fortunam, si propitiam viderit; quibuscunq; bonis læditur, nisi sua sint. Qui libidinosè vivunt, sub amore suo vapulant. Alijs durissimam famem

infert immodici vestitûs splendor, ut nisi ieiuni non fulgeant: iucundo amictu, querulo ventre, neq; unquam bene pasti, nisi cùm apud invitantes famelici convivæ, diu laborantem contractumq; domesticâ penuriâ explicant stomachum suum. &c. Ita ille titulo *ieiunia ornata*. Meritò S. Ambrosius ad Luc: 8. quòd in spinas cecidit, qui à voluptatibus suffocantur, ait. *Quis unquam mihi crederet, si delicias & voluptates spinas vocarem, nisi Christus idem dixisset, qui mentiri nequit.* In lingva etiam Hebræa eodem nomine *Tannim* afflictiones & voluptates significantur: quo innuitur in re quoq; esse idem. Huc spectat mysterium Psal: 43. ubi canitur. *Humiliâsti nos in loco afflictionis.* S. Hier: legit *deiecisti nos*; Symmachus *confregisti nos*. Verbo *afflixisti nos in loco afflictionis*. Videtur enunciatio identica, hoc est iuxta dialecticen inepta, inutilis ad sermonem: Est autem mystica. *Pulchrè Aquila vetus interpres* (ait S. Ambr:) *quemadmodum intelligere debeamus locum afflictionis expressit, dicens: humiliâsti nos in loco Syrenum.* Syrenas Poëtæ excogitarûnt in symbolum voluptatis, corruptrices voluntatis & sensuum humanorum: Videlicet in tepida maris Tyrrheni plaga tres pulcherrimas Nymphas habitâsse, quæ præternavigantes blandè invitârint, ut vela ad littus eorum converterent; spondentes nidum gratiarum & amorum, patriam gaudij, portum quietis, paradysum deliciarum & voluptatum: triplici vinculo & blandis vultibus & fidibus canoris, & svavi cantu cantando incantâsse, & incantando ita cæpisse infelices illos, ut obliti negotiorum & patriæ quò tendebant, non aliam stellam secuti, nisi pulchros ocellos, nec alium ventum nisi svavis concentûs auram, ad illud littus properârint. Sed vix in littus excenderant, cùm non aliud oculis offertur, nisi horri-

dum desertum, nudi scopuli, nuda ossa & insepulta cadavera: ibi cranium pendebat, ibi sceleton arrosum, alibi truncus adhuc semivivus: sic terrore mortis priùs quàm morte deiecti canentibus illis feris naves, merces, vitam deniq; ipsam prædæ relinquebant. Quid Syrenes? nisi afflictiones, hoc est cantus mundi quid, nisi gemitus? lætitia, nisi mæstitia? Voluptas nisi ærumna? Non frustra Syren in græco à verbo decipio derivatur. Prima enim voluptatis mundanæ proprietas est fraude illicere, & operibus decipere animas incautas. Ob hoc ipsum Syrenes puellarum lascivarum specie repræsentantur, quarum totum ingenium fraus, omnis cogitatio fraudulenta inventio, omnis vox esca, omnis obtutus insidiæ, omnis capillus laqueus: si cor ostentat, facit quod auceps accipitri peregrino, ut in casses inducat. *Quid sibi vult puellarum figura, nisi eviratæ cupiditatis illecebra? omnis sæculi voluptas quâdam nos carnali adulatione delectat, ut decipiat*; ait S. Ambros. Porro non unam, sed tres puellas sorores individuas finxerunt Poëtæ. *Parthenopen*, quæ oculis fallat, *Ligiam*, quæ voce; *Leucosiam*, quæ pulchritudine & candore totius corporis in fraudem pellicit. An non totidem extra fabulam, Discipulus veritatis Syrenes deceptrices filiolis suis cavendas ostendit. *Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est*; ecce Leucosiam, *& concupiscentia oculorum*, ecce Parthenopen *& superbia vitæ*, 1. Ioan: 2. ecce Ligiam. Vnde bene Plutarchus, *fera mancipans sibi homines est voluptas, sed non fera: nam si apertè pugnaret, citò caperetur: nunc etiam magis invisa esse debet, quòd celat inimicitiam induta habitu benevolentiæ, itaq; dupliciter aversanda est, & quòd noceat, & quòd fallit.* Vox Hebræa *Tannim* non solùm *Syrenem*, sed etiam *draconem* significat: quâ signifi-

fica-

ficatione fraudi fæmineæ in alliciendo iungitur crudelitas in devorando. Vnde eadem verba *humiliasti nos in loco Syrenum.* S. Hier: legit. *Deiecisti nos in loco draconum.* Ieremiæ quoq; 50 *habitabunt Syrenes cum fatuis, habitabunt dracones cum fatuis.* Et Isai: 13. *Syrenes in delubris voluptatis; dracones in delubris voluptatis.* Syren voluptas, sed fictis Syrenibus ut verior, sic ferior longè; Homerus enim suas Syrenes effinxit partim puellas, partim aves, & in eis fraudem cum levitate coniunxit: alio loco idem effinxit, ut puellas & pisces, coniungens fraudem & fugacem momentaneamq; lubricitatem: at Deus sublimiori incomparabiliter energiâ & acumine repræsentat puellas & serpentes, summam fraudulentiam cum summa crudelitate significans. Cedat huic monstro Sphynx sypili, Hyppocentaurus Thessaliæ, Minotaurus Cretæ, nullum horum bicorporum monstrorum crudelitatem æquat puellæ serpentis. Ejusmodi monstra Evangelista vidit in Apocalypsi prodire ex abysso capitibus fæmineis, caudis serpentinis ad genus humanum inficiendum, ita, ut nec terra, nec mare, nec aër ab eis manerent incorrupta. Quid enim non corrumpunt? Ipsis delicijs & paribus solicitudinibus devorant corpus voluptuarij, nobiles spiritus effæminant, animum dolore afficiunt, vires enervant, carnes inficiunt, bona fortunæ & naturæ ad nihilum redigunt: ita, ut voluptas & sensibus noceat; & ipsa sibi sit supplicio. Diviné S. Paulinus. *Nunquam in carnalibus affectionibus ita quiescit animus, ut careat cruciatu.* Longiùs progreditur Divinitatis ingenium, quoniam eodem vocabulo *Tannim* non solùm Syrenes deceptrices & crudeles, sed etiam scopulum naufragijs infamem significat. Eundem enim versiculum Symmachus legit. *Confregisti nos in loco inhabitato*

& deserto, & Lyranus post Ambrosium *in loco scopuloso.* Quò Deus indicat voluptatem esse scopulum, ad quem allidantur naves mercibus pretiosis onustæ, quæ vento alioqui secundo ad portum cælestem provehebantur. Neque enim vires naturæ modo consumit, sed etiam donis gratiæ gloriæq; cælestis animam spoliat, ut etiam post mortem naufragium faciat sempiternum. Sed recolamus totum Psalmi versiculum. *Declinâsti*, inquit, *semitas nostras à via tua, afflixisti nos in loco Syrenum.* Scilicet, quando homines voluptati dediti permissu Divino ceu miseri olim nautæ à dulci insidio sarum Syrenum cantu sese abripi patiuntur, ut à recta ad cælestem Patriam via deflectant; horribile naufragium duros ad scopulos illisâ navi subeunt, & à peste illa svaviter canente occupati, non solùm corporis; verùmetiam animæ salutisq; bonis expoliantur. Ad quod explicandum Syrenes à Psalte sacro adhibitas, ait S. Ambros: in eum Psal: *Syrenes, quarum mentionem facit Scriptura Divina vocis propriæ svavitate canendiq; illecebris, audiendiq; studio illectos navigantes ad littus admovere navigia provocabant; eosq; cùm gratiam vocis sequerentur, scopuloso in loco naufragia facere solitos, vetustas posteris tradidit.* At quæ sunt istæ mundi oblectationes, nisi veræ contristationes? quænam illarum obsecro, quæ animum tranquillet, & infinitam humani desiderij capacitatem expleat? Num divitiæ? non sui causâ expetuntur. An sanitas? quò quis rectiùs valet, eò infirmitati propior. Num doctrina? quò quis plura scit, eò plura se ignorare novit. An honores? ab alieno pendent arbitrio. An regna? quo maior corona, gravius onus. Quid igitur? voluptates fortè sensuum? si permissæ ut matrimonium, quantum onus? si vetitæ, quantus dolor? si faciles, quæ satietas? si furtivæ, quæ peri-

pericula? si interruptæ, quis furor? si Deum times, quis metus? si non times, quæ damnatio? *Afflixisti nos in loco afflictionis, in loco Syrenum, in loco voluptatis.* Quòd si Ovidius vocat Syrenas Proserpinæ socias: Martialis *hilarem navigantium pænam, blandasq; mortes, gaudiumq; crudele.* Claudianus. *Dulcia mala, bona vorantia, monstra lepida, pericula blandientia, tortores gratos:* Meliori iure voluptates hujus mundi appellare licet venena grati saporis, gaudia turbida, risus luctosos, felicitatem infelicem, fallaces Syrenas, dracones puellas, ex quibus meritò cum S. Ambrosio concluditur. *Non claudendæ igitur aures cerâ, sed reserandæ sunt, ut Christi vox possit audiri. Non corporalibus, ut Vlysses ad arborem vinculis alligandæ manus, sed animus ad Crucis lignum spiritualibus nexibus vinciendus, ne lasciviarum moveatur illecebris, cursumq; naturæ detorqueat in periculum voluptatis.* Hunc discursum versiculo Psalmi 43. excerptum ex Thesauri Emmanuelis *Idea argutæ dictionis,* hic apponendum duxi, quia & nostram materiam nervosiùs exequitur, & liber ipse rarior est. Accuratissimè omnium S. Franciscus Borgia lib: 1. pag: 41. ex quo supra Crucem Christi descripsimus; utriusq; latronis crucem, earumq; structuram exequitur. In triplici cruce triplex genus Martyrij licèt perquam diversum, tria hominum genera, malorum pænitentium & perfectorum subeunt. Nam & malis sua crux evenit, licèt unâ præcipuè voluptate metiantur felicitatem vitæ, deliniti rebus turpissimis. Illorum sunt tristissima suspiria, quibus miseriam suam deflebunt in die iudicij. *Lassati sumus in via iniquitatis & perditionis, & ambulavimus vias difficiles, viam autem Domini ignoravimus; quid nobis profuit superbia? aut divitiarum iactantia?* &c. Sap: 5. & S. Paulus ad Rom: 2.

 Ira,

Ira, & tribulatio, & angustia, in omnem animam hominis operantis malum. Crucis hujus pars superior est superbia, quâ hujus mundi principes tumescunt: infima pars luxuria, in quam proni declinant, veluti fœdissima bruta ad vilitatem stercoris, ut notat Ioël. *Computruerunt velut iumenta in stercore suo*, c. 1. Dextrum brachium est improba avaritia coacervandi sibi divitias; sinistrum autem est invidia, quàm de alienis bonis concipiunt. Pessima sanè crux quid? an hâc ducuntur mali ad gloriam? Quinimò properè & recto tramite ad infernum: ab alia cruce transeunt ad aliam tristiorem: decedentes ex temporalibus miserijs, absorbentur in æternis. Pænitentium Crux, cordis contritionem, confusionem propriam, fugam à peccatis, satisfactionemq; pro admissis, ut quatuor nitidissima cornua habet, quibus animæ cum bono Latrone transportantur in Paradysum. Perfectorum verò Crucis, quæ est Christi Domini; quatuor levioribus alis atq; omni decore distinctis, volitamus ad sublimes delicias. Illæ suo ordine numerantur. Timor Domini, mortificatio passionum, res adversæ, & Divinorum contemplatio. *Hæc ex S. Borgia.* Novimus discrimen crucum. Si in Crucem Christi evadere non possumus, boni Latronis teneamus. qui utramq; horret, in tertiam incurret magno tormento, nullo merito aut prœmio supplicij æterni. Nemo tam malus est, cui tertiam crucem imprecari velim, nisi, qui se sponte ad illam damnavit. An non se damnâsse videntur illi Calvinistæ Gheusij in Belgio Antverpiæ Anno 1566 (ut scribit Strada de bello Belgico decad: 1. lib: 5.) qui ubi furore iconoclastico sub noctem bacchari cæpissent; ex basilica principe, & per Europam celeberrima amplissimaq; signis atq; imaginibus refertissima, (in qua 70 Altaria extabant;) ad

cra-

craſtinum manè nihil omnino ſalvum integrumve reliquerunt, niſi contra Aram maximam duo ſimulacra crucifixorum latronum, quaſi eos unicè ut factionis ſuæ proprios patronos venerarentur, & præſenti negotio propitios optarent; poſtquam è medio illorum grande ſignum Chriſti de Cruce pendentis, funibus in terram demoliti, bipennibus comminuiſſent. Horum furori ſuo modo conſentiunt, qui, quantùm ex ſe, ſubmotâ Cruce Chriſti, crucem latronis idq́; mali ſibi conſervant, ac adorant. Subit hoc loco mihi in memoriam notandus ille eventus ex vita S. Ignatij. Redibat hìc aliquando Hieroſolymis in Italiam, cùmq́; tres in Cypro naves offendiſſet velificari paratas, Turcarum alteram, alteram Venetorum, firmas ambas & omnibus neceſſarijs inſtructas: petebat obnixè, ut alterutrâ ſuſciperetur, verùm ob egeſtatem ſpretus eſt. Venetus inſuper Navarchus convitio inhumanitatem cumulavit; auditâ enim commendatione, quòd ſcilicet Ignatius vir Sanctus eſſet; aſperè facetus reſpondit, *ambulet ergo ſuper aquas, ſi Sanctus eſt.* Coactus proinde vir Dei, tertiam navim modicam illam & malè mariteriatam ac vetuſtate caoſam conſcendit, verùm ſupra omnem opinionem hæc una Deo aſpirante, felici curſu Venetias tenuit. Nam aliæ duæ licèt pariter ſecundo vento ſolviſſent, brevì ortâ tempeſtate miſerè periêrunt. Et Turcica quidem cum vectoribus abſorpta mari; Veneta in conſpectu Cypri ad ſcopulum confracta, hoc ſolùm felicior, quòd homines evaſiſſent. S. Ambroſius tom: 5. ſerm: 55. Crucem malum navis gubernaculumve appellat. *Arbor quædam in navi eſt Crux in Ecclefia; nam cùm à nautis ſcinditur mare, priùs ab ipſis arbor erigitur, antenna ſuſtollitur, & velum diſtenditur, ut Cruce Domini factâ aquarum fluenta rumpantur, & hoc*

Do-

Dominico securi signo portum salutis petunt. S. verò Augustinus crucem non aliquam partem navis, sed ipsam navim existimat, tract: 2. in Ioan. *Si videat quis patriam de longinquo, & mare interiaceat; videt quò eat, sed non habet quà eat. Vt ergo esset & quà iremus, venit idem, ad quem ire volebamus, & instituit lignum crucis, quo mare hujus seculi transeamus.* Aliò loco. *Nemo potest mare hujus sæculi transire, nisi Cruce Christi portatus.* Vnde & hortatur tom: 9. *relinque mundum, confuge ad crucis lignum, ne metuas procellas & turbines hujus diluvij, non mergeris si ligno portaberis.* In electione duntaxat sæpenumerò fallimur, pyraticum myoparonem pro fida & certa navi arripimus. Pyraticus myoparo crux latronis mali, licèt instructa navis, licèt aurea bucentaurus Venetiarum videatur. Crux quoq; dextri Latronis non satis navis fida; nam S. Ambrosius lib: 2. de pæn: asserit: *faciliùs inveni, qui innocentiam servaverit, quàm qui congruè pænitentiam egerit.* Ægrè admodum & periculosè hâc rate vecti evadunt, non secùs quàm naufragi tabulâ fractæ navis arreptâ. Quisquis tamen naufragaris; tabulam non sperne. *Eripe te à submersione. Naufragium fugis? si vis non mergi, tabulam apprehende, ligno portare, Crux te perducat;* monet S. Aug: Crux inquam etiam Latronis boni complectenda. Multò alacriùs ipsa Crux Christi utcunq; futilis, contemptusq; lembus mundo videatur. Hâc solâ navi ad bonæ spei promontorium felicissimè ac tutò enavigatur. Inspiciamus ipsam structuram corporis nostri, de hac censet S. Iustinus M. *Humana figura non aliâ re à belluis differt, quàm quòd recta sit, & manuum extensionem habeat, quòd non aliud demonstrat, quàm Crucis signum.* Si ergo ad Crucem fecit nos Deus, certè ad suam. Non vult in mala cruce opus suum

pro-

profanari. Hinc & Iob. *Homo nascitur ad laborem, & avis ad volatum.* c. 5. *Porro aves cùm in sublimia evehuntur, extensis alis imitantur Crucem.* Ait Origen: hom: 8. Labor noster in cælum est evolare, quò Crux bona subvehere tantum potest.

10. Inter latrones mori voluit, ut veram nostræ mortis imaginem nobis obijceret. Vt enim natus ærumnosissimè, non ad voluptates, sed ad ærumnas nos à potiori nasci; ita latronibus in morte circumdatus, plurimos & maximè infestos latrones moribundis instare solere, suo exemplo admonebat. *Cogita miserabilis anima,* (ait Drogo.) *cruciatum, quem iam passura es in morte. Certè nulla crux est durior quàm mors. Mors inquam est durissima crux, quæ tibi paratur, ad quam quotidie tu festinas, & non attendis. Vide quomodo te Crux crucifigit, corpus rigescit, crura distenduntur manus, & brachia decidunt, pectus anhelat, cervix langvescit, labia spumant, oculi stupescunt, facies exudat, vultus horrescit, & veluti testa pallescit. Ista te manet Crux, nescio utrum in lectulo molli, an in cruce rigida svaviùs moriatur? nisi quòd crux citiùs dolorem abscindit. Quæ videmus & sentimus levia sunt, ad ea, quæ intus anima iam prægustat. Nam sensus à corpore citò recedit, animam sua mors semper comitatur.* Habet in morte cujusq; suam crucem corpus, habet anima suam; interim quasi geminæ crucis asperitas non sufficeret, circumsilit insuper latronum atq; prædonum caterva. Putas eos hic intelligo, qui morientium opibus ac substantiæ inhiant, ipsis iam prohibere vim non valentibus, cernentibus verò depopulationem laboris ac industriæ suæ, ex ipsaq; illa spoliatione angorem atq; dolorem sibi accrescere sentientibus? parùm quid ad ærumnas morientium dicerem. Boni adhuc Latronis locò istiusmodi

præ-

prædones censeri possent; qui rapiunt quidem, sed bona iam iam relinquenda, adeoq; pene derelicta, & ipsi alijs relicturi. Diripiunt, quæ ultrò abijcienda erant, iustoq; supplicio à prædonibus maiores animæ prædones, (opes inquam) flagellantur. Sigismundus Imper: (teste Æneâ Sylvio) allatis sibi ex Hungaria 40 millibus nummûm aureorum, cùm noctem duceret insomnem, cogitans quos in usus illam pecuniam expenderet, mox evocatis aulæ primoribus, en, inquit, latrones illos, qui me totâ nocte infestando, rem carissimam nempe quietem eripuerunt: Vos eos arripite, & inter vos dividite. Quanquam minor hæc iniuria foret, si modò somnum & non magis bonam voluntatem necessariamq; de salute vigilantiam eriperent. Non unus divitum est, qui velut mus dum conchylia marina arrodere tentat, ab ijsdem interceptus in Symbolo Alciati fatetur *dum capio capior:* nempe dum opes occupare studet, ab ijsdem occupatur: nec tam possidet ac habet: quàm à pecunijs possidetur & habetur. Amentia hæc utinam plerisq; cum valetudine integra cessaret, & non maximè finem vitæ infamaret! Fuit nonnemo metello pretioso, quàm pretio redemptionis suæ addictior, qui oblatam sibi argenteam Crucifixi imaginem pro eo, quòd pijs osculis prosequi debuisset, in ejusq; pretiosa vulnera vilem animam conijcere; explorare maluit, eccujus notæ illud esset argentum? Alius, cùm Sacri Viatici mentio fieret, locò Orbiouli Eucharistici, orbiculis aureis manu versatis se oblectabat; dignus, qui subinde pro S. Communione à bufone infernali aureum nummum ori suo ingestum glutiret, eoq; suffocaretur; ut refert Nadasi. Alius hæredibus aurum suum invidens, cùm avidus aureos prunis Damascenis obtectos vorat; ipse sibi carnifex gulam fregit, & spiritum intercepit.

Horatius lib: 2. sat: 3. Opimium quendam tenacissimum ac avarissimum scribit lethargo iam fatali sopitum à Medico solerte hoc pacto excitatum.

Mensam poni iubet atq;
Effundi saccos nummorum: accedere plures
Ad numerandum. Hominem sic erigit, addit & illud:
Ni tua custodis avidus iam hæc auferet heres.
Men vivo? ut vivas igitur vigila: hoc age. Quid vis?
Deficient inopem venæ te, ni cibus atq;
Ingens accedat stomacho fultura ruenti
Tu cessas? agedum sume hoc ptisanarium orizæ.
Quanti emptæ? parvo. Quanti ergo? octo assibus? eheu
Quid refert, morbo an furtis peream ne rapinis?

Sæpius verò evenit, ut opes malè adamatæ graviorem animæ lethargum inducant, spoliatamq; finali gratiâ, spolient demum beatitudine æternâ. Minus ergo damnum est moribundo, si prædones isti alijs prædonibus in spolium cedant; si eum temporalis substantiæ circumsonet latrocinium. Sunt alij, qui latera morientium addensant, maliq; latronis officium tantò periculosiùs implent, quantò ipsi peiores sunt adversus hominem. Inter hos latrones *væ terræ* iam in terram se resolventi, *quia descendit diabolus, habens iram magnam; sciens, quòd modicum tempus habet.* Apoc: 12. Dicitur de Christo tentato *diabolus recessit ab illo usq; ad tempus.* Luc: 4. annotat S. Aquinas, *ad tempus crucifixionis*, seu mortis. Tunc eò furiosiùs nec unus, sed toto agmine plerumq; instant, quò debilior homo est ad resistendum fractis iam viribus corporis, langventibus ex organorum corruptione potentijs mentis, quòve præsentiore metu concutitur proximi districti iudicij. Faciunt hosti animos reportata aliàs spolia, ut animam, quam toties deprædatus erat, in solidum

ſibi ceu debitum quoddam afferat. Inſidiatur pyrata maligniſſimus ad celeuſma lætum properanti navigio, ut in ipſo portu creet naufragium. Senſerunt iſtas iras ac inſidias Sanctiſſimi quiq; viri, ut Martinus, Guthlacus, &c. glorioſèq; vicerunt: ſenſerunt ac ſentiunt innumeri peccatores, & infeliciter occubuerunt. Plenæ vitæ SS. plenum ſpeculum exemplorum utriusq; ſortis eventibus. Nec minùs malos exiſtimet quisquam latrones, quos vulgus alioqui amicos ac benevolos vocat. Ipſi quidem bonum Latronem ſimulant, cùm pænitentiam quandam ſeu dolorem & lacrymas ſuper moribundo oſtentant; ſed illæ lacrymæ vix non crocodylinæ; præficas enim ſonant; agunt ſæpe harpyias: cùm ſcilicet de vita ac ſanitate corporis ſoliciti, animam deſtituunt. Talium vitio fit, ut medicus animæ Confeſſarius vel prorſus non advocetur vel tum demum advocetur, cùm obtorpuit moribundus aut obriguit. Curantur fomenta corporis: at Sacramenta ſalutis, Viaticum, Vnctioq; Sacra negliguntur. Dumq; per horum dilationem agunt, ne æger ſe moriturum intelligat; efficiunt, ut infeliciter moriatur. Multos in agone ſua interior iactantia de virtutibus ſubvertit, fuitq; illis, quòd ait S. Chryſoſt. *Gloria ſæva bellua, horrendus dæmon peſtis orbis terræ.* Aliquibus inolitæ vitiorum conſvetudines interitum conſciverunt, ut nominatim quendam conſcientiâ expiatâ ſanctæ morti bene præparatum, iamq; morientem, infelix amaſia, (cui antea malè aſſveverat) rurſus in deteſtatum paulò antè cænum per conſenſum mentis retraxit, atq; in barathrum orci præcipitavit, cùm fortè ad ſpondam lecti propiùs adſtitiſſet. Num non latrocinantur ſui cum importunis lacrymis, interrogationibus, obſecrationibus, & neſcio, quibus moleſtijs quieti ac devotioni obturbant? impediunt certè

ra-

rationes animæ ad proximam calculationem ritè supputari, in eoq; momento, quo acerrimus & maximè dubius est cum dæmone conflictus, pene illius insidiatoris partes augent, *inimici hominis domestici ejus*. Tales insidias domesticumq; latrocinium devitando non pauci ijq; Principes sacra asceteria, templaq; ipsa pro asylo eligebant, in quibus immunes ac securi mortem obirent. Taceo Bellarminum Cardinalem, qui à negotijs Ecclesiæ ad negotium agendæ bene animæ biennio se ante mortem in tyrocinium Societatis IESV Romæ recepit: Theodosius Lusitanus annorum 19, virtutum innumerarum Princeps A. D. 1679 cùm extrema iam patiens intellexisset Reginam Matrem regio comitatu accelerare; ocyùs per cubicularium ne in ulteriora adita tenderet, prohiberi iussit. *Edicito* inquit, *Matri amantissimæ, me summum ultimi pignus amoris deprecari, ut humanis curis solutum & cælestibus ut par est intentum æquanimiter patiatur soli Deo ad cælum iam vocanti vacare.* Doctor Emmanuel Ludovicus Pace-Iuliensis in ejus vita. Vt nominatorum latronum insidioso in morte satellitio careas, quid ages? à dextris quidem illis satis cavetur, si possessio terrena in cælum per manus pauperum præmittatur, iustisve heredibus in tempore disponatur. Sinistros visibiles, Theodosij Lusitani constantiâ potes compescere: cum invisibilibus difficilius est certamen, facilitari nihilominùs potest, si maturè tibi adiungas *conscientiæ bonæ, Sanctorumq; Cælitum* præsidium. S. Hieron: in vita Malchi Monachi, cùm Assa desertum Arabiæ transeundum est, quia prædonibus Sarracenis maximè scatet, non singulos aut paucos intrare, sed grandes hominum turmas associari scribit, ut immunes transeant. Tu pariter Divis Tutelaribus cinge tibi latus utrumque: & diabolus non

ſtabit à dextris tuis; nihil proficiet inimicus in te, & filius iniquitatis non apponet nocere tibi: nec appropinquabit flagellum tabernaculo tuo. Animadverte, ut Christus contra latronum velut conſortium, ſtipatricem ſibi aliam ſocietatem circumdedit? non quòd indigeret; ſed ut ſimilem nobis aggregandam doceret. Vide, quæ perſonæ Crucem circumſtent? *MARIA & Ioannes Cruci Christi hinc illinc immobiliter adhæſère, ut quæ ſuſpicio à ſocietate malorum firmabatur, à Sanctorum ſocietate aboleretur:* notavit Eſcobar. Ingenioſa animadverſio, nec minùs utilis inſtructio contra latrones articulum mortis noſtræ obſidentes MARIÆ & Ioannis advocandam Chriſti exemplo præſentiam. Haud negligenda Magdalena, quæ, ut ſemel in domo Simonis lacrymis rigare cæpit pedes IESV, ita nunquam deſtitiſſe legitur, imò verò è Cruce pendulos prenſâſſe, exanimesq́; multis oſculis ſvaviâſſe perhibetur, iuxta oraculum Domini. *Non ceſſavit oſculari pedes meos*, Luc: 7. Adſciſcendus maximè comes ad agonem noſtrum Chriſtus. Lego pleroſq́; SS. Martyrum feris obiectos, præſertim S. Blandinam Virginem Lugduni crucifixam, & in ipſa cruce retibus implicitam ac tauro cornupetæ, à quo confoderetur expoſitam, *vide Martyrol: 3. Iunij.* Simili periculo nos conditio noſtra mortis in Cruce & quidem orci ipſius feris exponit. Implorandus igitur *in medio duorum animalium* emoriens Dominus, *ne tradat beſtijs animas confitentes ſibi.*

11. Tot rationibus oſtenſum eſt conveniens fuiſſe Chriſto latronum & ſupplicium, & conſortium, licèt ab eorum reatu longiùs abfuerit quàm cælum à terra: verùm penſatis omnibus fatendum eſt deniq́; meritò adhuc prædonibus annumeratum in pœna, quoniam & ipſe prædatoriam

toriam quandam exercuerit. Durus hic sermo: sed SS. Patribus non inusitatus. S. enim Maximus Taurin: hom: 43. ubi Christum ascendentem in cælos aquilæ compa- rat, hæc etiam loquitur. *Aquila prædam frequenter diri- pit, tollit frequenter alienum: nec in hoc dissimilis est Salva- tor. Prædam enim quodammodo sustulit, cùm hominem quem suscepit, inferni raptum faucibus portavit ad cælum.* &c. S. Bernardus serm: 1. in vigil: nat: expressiùs. *Magnus Prædator Christus, qui priùsquam sciat vocare Patrem & Matrem* (iuxta Isai: 8.) *Samariæ spolia diripit. Magnus Prædator Christus, qui ascendens in altum, captivam du- xit captivitatem; nec tamen abstulit quidquam, sed magis ipse dedit dona hominibus.* Ingeniosissimè Iuglaris elogio 65. quod pene totum hic exscribam, reconcinnatum ta- men ad propositum nostrum, & quibusdam reflexioni- bus proprijs interpolatum. Proh quàm adhærent homi- nes malis suis! Christus, qui venit illa minuere, nempe peccata & calamitates è medio tollere; prædo est credi- tus. Orta secum hæc de se suspicio. Artis suæ conscium primus Herodes extimuit, vel cum fascijs vinctum sciret; ab infantis manibus sceptro suo expavit & cavit. Quan- quàm bene securus esse poterat, qui undequaq; perditus, non habebat utiq; quo talem latronem alliceret. Omnia subinde Christum de repetundis accusârunt, quia ubi- cunq; fuerat, omnia rapuit. Rapuit cælo stellas, Orien- ti magos, gregibus pastores, Ægypto sua idola, quæ in e- jus ingressu suis ab aris corruerunt. Congruum ergo illi Isaias c. 8. nutu ipsius Patris æterni nomen indidit præ- datoris. *Et dixit Dominus ad me, voca nomen ejus. Ac- celera, spolia detrahe, festina prædari: quia antequam sciat puer vocare Patrem suum & Matrem suam auferetur for- titudo Damasci & spolia Samariæ.* Tempus & locum na-

tivitatis videtur erubuiſſe Evangelium, quia tacuit. Nec enim expreſſè nocte & in ſpelunca natum dixit. Certè nox latronum eſt: unde Poëta. *Surgunt de nocte latrones.* Quâ hora dormiebant homines, quaſi per inſidias eo egreſſus ex utero, ex quo mundus eum non poterat expectare. (Nam quis Virginem Matrem fore ſuſpicaretur?) ſecus viam in ſpecu latuit. Hunc verò locum naſcenti Domino cum alijs PP. aſſerit Epiphanius Orat: de Deip. *Virgo in ſpelunca, citra laborem prægnans, Dominum cæli depoſuit in præſepio.* At ſpeluncam quis latronum neſcit latibula? aſſentiente vel ipſo *feciſtis eam ſpeluncam latronum*, Luc: 19. Decurſu vitæ Erronum more vel ipſa ſemper hoſpes in patria, curatione corporum ad cordium rapinas abuſus, quos etenim ſanabat in corpore, (ut docent SS. PP.) ſanabat etiam à peccatis in animo: ne ſua quidem morti ac tumulis reliquit cadavera, toties mortuos ſuſcitando. Quidni igitur latronum fine defineret, qui eorum initijs cæperat, latroni cuiq; in pæna præferri debuerat, qui non humana ut cæteri, ſed homines rapiebat, imò ex hominibus quod præſtantiſſimum, corda, ſive dum Matris ſederet in gremio, ſive Crucis penderet in tormento. Tam ſevero correctus ſupplicio, & rapinas luens in Cruce, adhuc ipſos prædatus eſt prædones, rapiendo ſecum bonum Latronem in Paradyſum, neq; tot tantiſq; plagis plagium dedicit. Induxit noctem novis latrocinijs opportunam, in illaq; tumulos ipſos adortus, prædatricem mortem expilavit: Vt tanto prædandi ſeu artificio, ſeu auſui plauſerit mundus rupibus diſſilientibus totiusq; terræ ſubſultatione. Nemo vitio verterit, quòd Vniverſitas approbat; imò, quòd extrema neceſſitas excuſat, debuit prædari vix natus, quia pene nudus erat: debuit in vita, quia inops & abſq; tecto: debuit

mori-

moriens, quia usq; ad cutem, quin etiam ipsa cute ad carnes & carnibus passim ad ossa fuit spoliatus. Neq; mirum tam spoliatum fuisse, qui in latrones vel in ipsa Cruce incidisset. Quin, (quòd aiunt) *naturam expellas furcâ tamen usq; recurret:* post patibulum Crucis à prædis non cessavit. Expolians enim potestates & principatus tenebrarum, traduxit confidenter vinctos de lacu sive limbo. Dicerem ergo prædas agere debuit, postquam sua omnia seu aliena malignitate amisisset: seu amoris prodigalitate dilapidâsset; ut faciunt illi, qui *dum sua perdiderunt, cùm deest, aliena seqvuntur.* At verò non rapinas agit cùm rapit, sua duntaxat sibiq; omni titulo debita repetit: quæ cùm sponte iniqui non reddant, nec iure apud iniquum tribunal mundi possit vindicare: vim adhibet, sed amabilem, sed sanctam ac salutarem. Quidquid sit, tetigit illum tamen Prophetica comminatio. *Væ, qui prædaris nonne & ipse prædaberis.* Isai: 33. In Bethleemico suo latibulo Prædo IESVS prædæ omnium expositus iacuit; nam, quæ valla, quæ seræ, qui vectes illum claudebant? patuit undiq; & ventis & iumentis, ut tantò facilior esset accessus avidis hominum pectoribus, Luc: 8. Hæmorrhoissa (ut ait S. Chrysol: serm: 33) *admota fimbrijs manu, furata est sanitatem.* Nulli non utile latrocinium, quod Fides imperavit, spes fecit. In Cruce deniquè, quas egerit; passusq; sit rapinas, iam vidimus tam iustâ quàm iniustâ talione. Figuram aliquam Domini nostri fuisse Iephte crediderim, qui cùm latronum princeps esset; Iudex, Dux, & Salvator Israëlis extitit. Non dedecuit ergo Christum latronum consortium ob sanctas quidem & laudabiles, prædas tamen exercitas. Interq; prædones congruè prædo in suo genere collocatus, ut sentire videtur S. Chrysost. *Propterea inter duos*

os latrones Cruci affixus, ut eadem de ipso ac de illis existimatio esset, ac impleretur quod dictum est, & cum iniquis deputatus est. Sed tantò magis elucet veritas, longè enim pulchrius atq; dignius spectaculum apparet. Inter homines latrones Prædo Deus. Multa interim Tibi restant mi Prædo cælestis, in quibus peritiam solertiamq; tuam experiare: quamdiu mihi meipsum non rapis, non sat callidum nec satis validum te probas raptorem.

Pro fine solutionum seposui medium: hoc enim solvendum superest cur non tantùm cum, sed inter quoq; latrones obiêrit & quidem bonum à dextris habens, à sinistris malum. Præter suprà dicta. 1. Vide, ut peiorem cordi suo viciniorem habuit ad illam officinam amoris propiùs admovens: quod quidem illi in maiorem damnationem cessit, quia tam manifestæ benevolentiæ non cessisset. Atq; adeò benevoli quoq; Dei signa non minùs quàm irati sunt timenda: graviorem enim demum fulminant damnationem si contemnantur: prout contempsit malus latro, qui cor admoventem sibi Dominum, corde vicissim reddito non excepit. 2. Locus ad sinistram Antiquis honoratior erat, quàm ad dextram. Vnde teste Xenophonte Cyrus honoratiores convivas ad sinistram collocabat. Digniorem locum ratus, qui cordi vicinior. Veteres imagines diplomataq; Pontificia S. Petrum S. Paulo sinistrum exhibent Orientalium populorum ex sententia, qui ut à dextra versùs sinistram, sive ab Occidente in Orientem, scribunt ita, & sinistram dextræ præferunt: Ejusdem opinionis sunt Turcæ, ex ea insuper ratione, quia gladius non dextro, verùm sinistro lateri accingitur. Atq; iuxta hanc opinionem malo etiam latrone inferiorem Dominus locum voluit sortiri. 3. Sed demus interiorem quoq; locum ceu sinisteriorem, (ut vult

Men-

Mendoca virid: erud: l. 8. dec: 4. c. 9.) dici, adeòq; digniorem haberi. Verùm quò dignior inter latrones locus, eò eſt indignior. Præterea qui medius inter duos eſt, aut dextro poſtponitur, (ut putant Occidentales populi) aut ſiniſtro, ut Orientales: aut utrinq; velut ab apparitoribus comprehenſus tenetur. Et ſic implevit Dominus, quod Lucæ 14. ſvaſerat. *Cùm invitatus fueris, recumbe in noviſſimo loco.* Is locus *noviſſimum virorum* decebat. Quòd ſi medius cuipiam adhuc vel inter latrones honoratior extremis videtur; talis cur & quomodo Chriſto placuerit? piè argutatur Iuglaris. Aſſvetus, inquit, modeſtiæ genio in noviſſimo loco recumbere, ubi fellis noſtri conviva factus eſt: legis iam propè immemor ſuæ, non expectavit, quòad ſibi diceretur: *aſcende ſuperiùs.* In cælo ſedens contentus eſt dexterâ Patris; inter miſeros plùs aliquid ambiens, non ſecundas ſed primas petit. Amat eminere, verùm inter infelices. Amate Deum mortales, qui non aliud vobis, quàm attributum infelicitatis inviderit. Nomina latronum iſtorum vetus quidam exhibet verſiculus

Diſmas & Geſtas, medium Divina Poteſtas.

Verùm apage ſuperſtitio, ad quam proh indignitas! peſſimi quidam eo carmine abutuntur. *Geſtas vel Gimas* mali nomen fuiſſe putatur. *Diſmas vel Dymas* boni. Sed Eccleſia in Martyrologio ad 25. Martij tacito nomine Sanctis illum accenſet, atq; hoc conſultò; nam nomen illud ex apocryphis innotuit teſte Baronio in notis Martyrol: Qui ibidem S. Dymæ Latronis titulo quædam ſacella dicata commemorat. De Cruce & Latrone extat Homilia S. Chryſoſtomi & S. Ambroſij ſermones duo, nempe 49. & 50. Erudítiſſimus Theophilus Raynaudus luculentum de eodem commentarium ſcripſit.

Non Hic

Hic sufficiat encomium ex Drogone Cardinale serm: de Sacr: Pass. *O Beatissimum Latronem! imò non Latronem, sed Martyrem & Confessorem! necessitatem enim vertit in voluntatem, & pœnam commutavit in gloriam, & Crucem in triumphum. In te Beatissime Confessor, Martyr, de totius mundi sterilitate Fidei reliquias colligit Christus. Tu fugientibus Discipulis, & negante Petro, socius & comes Passionis fieri gavisus es. Tu Petrus in cruce fuisti, & Petrus in domo Caiphæ Latro. Tamdiu hic Petrus Latro fuit, quamdiu intus latitans, Christum foris negavit. Et ideo & Petrum in Paradysum præcessisti; quia, qui te Cruce complexus est Dux & Rector tuus, eâdem die, quâ ipse ingressus est, fidelem & gloriosum militem secum te pariter introduxit. &c. &c.* Paulò superiùs in eo Adamum adumbraverat, inferiùs fusè laudes ejusdem prosequitur. *Summa dictorum.* Malignitas Iudaica, ut huic mortis generi, sic & loco Dominum addixit: sed ejus propria sui contemptus aviditas, ut addiceretur; disposuit. Inter latrones obijt, ut doceret esse locum virtuti etiam inter vitia. Vt se Mediatorem pro latronibus ostenderet. Vt metuendam judiciorum Dei abyssum, & ultimi à se instituendi Tribunalis formam inculcaret. Ne sui servi pro & cum latronibus in causa Dei censeri dubitarent. Vt Crucem Domini suis crucibus stipare certarent: Vt non modò sanctam, verùm maledictam etiam crucem esse discerent; Vt moneremur, plurimos instare morientibus latrones. Vt deniq; congruum merito esset supplicium; nam & IESVS quodam licèt salutifero ac laudabili modo prædo erat. Mirabatur S. Bernardus Christum aliquando sine Patre esse potuisse. *Nemo id præsumere cogitaret, nisi prior ipse dixisset: Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me. Habemus ex Patre nascentem, in Pa-*

tre

tre cubantem, cum Patre sedentem, sub Patre pendentem, sine Patre quodammodo morientem. Miror ego magis sine Patre aliquando esse potuisse, sine latronibus minimè.

XCII.

Quâ horâ crucifixus?

ORitur quæstio ex anthilogia sive dissensione Evangelistarum. S. enim Marcus c. 15. v. 26. ait. *Erat autem hora tertia, & crucifixerunt eum.* S. verò Ioannes horâ adhuc sexta Pilatum sedentem pro Tribunali, & cum Iudæis super nece Domini disceptantem recenset. (*Erat autē Parasceve Paschæ hora quasi sexta*, c. 19. v. 14) & subinde traditum crucifixoribus, Cruce gravatum, eiq; suffixum. Quî fieri potuit, ut priùs crucifigeretur; & tribus tandem horis elapsis cùm mortuum esse oporteret, in eum iudicium adhuc fieret? Fædam quidem rerum omnium perturbationem eo die fuisse nemo dubitat, sexta nihilominùs hora tertiam præcedere, aut tertia diei ejusdem sextam subsequi usq; adeò non potuit, ut Philosophis ea successivi necessariò temporis perversio implicet contradictionem. Tam iniquo, tam irrationabili iudicio Christus damnatus est, ut absq; ullo iudicio damnatus occisusq; dici possit; præcedere tamen sententiæ suam executionem & supplicium iudicio, alterum *isthe-ron protheron*, ordo quidam perversus videtur. At videtur tantùm; in re non est. Anthilogias putantur loqui Sacri Historici; non loquuntur: quorum, ut in ore diversa formabat idiomata unus idemq; Spiritus; ita ex calamo promit verba diversa, sensum eundem. Verborum diversitatem varij variè conciliant.

1. Sicut, aiunt, errore librariorum provenisse, ita mendi sublatione tollendam; quidam apud Theophylactum

ex Marco corrigendum Ioannem censent; & locò *quasi sextâ* restituendum *quasi tertiâ*. Verùm obstant omnes codices Græci, Latini, Syri, qui omnes *sextam* habent. Nominatim Arabs *& erant horæ sex*, scilicet ab ortu solis. S Hieronymus exadversò ex Ioanne vult Marcum corrigi, ut in eo legatur *erat hora quasi sexta*. Errorem autem contigisse affinitate notarum ternarij & senarij, quarum una pro altera irrepserit. Verùm omnia pariter exemplaria adversantur suâ hoc in puncto uniformitate. Error autem non est, ubi constans uniformitas.

2. S. Aug: tract: 117. & in Ps: 63. & lib: 3. de consens: Evang: ex aliena magis, quàm sua sententia respondet fuisse horam tertiam, quando Pilatus D. IESVM damnavit ad Crucem; sed hanc à Ioanne vocari sextam facto computu non ab ortu solis, (quod initium diei artificialis Hebræis erat,) sed ab eo tempore, quo cœpit IESVS præparari ad mortem, (Parasceve enim significat præparationem,) quod utiq; fuit hora nona præcedentis noctis, quando à Caipha proclamatus est reus mortis. Nam ab hac hora noctis nona usq; ad horam tertiam diei sex intercedunt horæ, quâ Christus, qui est verè Pascha, id est, Agnus Paschalis in Cruce immolatus est. Ita ferè prolixiorem S. Doctoris discursum contrahit Corn: à Lap. Verba autem Augustini, quæ maximè ad rem. *Ab illa*, inquit, *ergo hora noctis usq; ad ejus crucifixionem occurrit hora Parasceves sexta secundùm Ioannem; & tertia secundùm Marcum.* Et infrà. *Non absurdè conijcitur tempore eo, quando reum mortis pronuntiârunt, horam noctis esse potuisse; ex qua hora, quâ sedit Pilatus pro Tribunali, quasi hora sexta fuit non diei, sed Parasceves, id est præparationis, immolationis Domini, quòd verum Pascha est: ut plenâ sexta ejusdem Parasceves, quæ plena diei*

ter-

tertia ejusdem occurrebat, Dominus suspenderetur in ligno. Superiùs dixerat. *Die quidem illo, quem dies Sabbati sequebatur, Parasceve fuit Paschæ Iudæorum, quòd ab eo tempore iam inciperent azyma, sed tamen verum Pascha, quod iam in Passione Domini gerebatur non Iudæorum, sed Christianorum cæpit præparari, id est Parasceven habere ab hora noctis nona, &c.* Quasi diceret. Novum Pascha Dominus in sua Passione instituebat, & priscum antiquabat; iuxta igitur hujus Paschatis novi cursum dies ejus quoq; metienda est. Iudæorum Pascha erat Sabbato; novum immolabatur in cruce feria 6ta: ergo & Parasceve festi Iudaici incipiebat feriâ sextâ: Novi autem nostri Paschatis feriâ 5ta sive nocte præcedente feriam sextam. Hanc solutionem Cornelius dicit violentam, & pro tali à S. Augustino agnosci. Insolito enim & purè mystico modo diem ordinat. Certè dies aut naturalis aut artificialis. Naturalis à media nocte incipit, & mediâ sequenti desinit. Artificialis varius varijs. Romanis veteribus, Germanis, alijsq; Europæis idem qui naturalis. Italis ab Occasu ad Occasum. Ægyptijs & Astronomis à Meridie. Chaldæis, Persis, Græcis hodiernis ab Ortu solis. Iudæi in 12. horas diem tribuebant, utiq; inæquales. Nam prima diei erat cùm illucesceret, duodecima seu ultima cùm sol occumberet: quos imitati sunt Romani posteriores, quibus dies etiam hyberna 12. horis constabat, equidem multò brevioribus quàm æstivæ ijsdem fuissent. Vt docet Pexenfelder in appar: Erud: c. 67. Nullus enumeratorum dierum respondet computui allato: mysticus autem dies arbitrariè conditur.

3. Euthymius horâ iam tertia crucifixum Dominum dici à S. Marco putat, quia postulârunt Iudæi horâ illa Christum ad Crucem clamantes. *Crucifige, crucifige eum.*

Sed

Sed aliud est postulare ad Crucem, aliud crucifigere. Complet proinde S. Augustinus rationem scribendo in illud Psal: 63. *Exacuerunt tanquam gladium lingvas suas.* Crucifixum scilicet Christum horâ tertia lingvis Iudæorum, antequam crucifigeretur sextâ clavis manibusquê militum Romanorum. *Incipiente horâ 3tia dicitur Pilatus iam sedisse pro Tribunali, & revera quando ligatus est Dominus in ligno, hora 6ta erat: sed alius Evangelista intuens animum Iudæorum, quia volebant se immunes videri à morte Domini, narrando eos, ostendit reos; dicens Dominum horâ 3tia crucifixum. Considerantes autem omnem circumstantiam lectionis quanta agi potuerunt, cùm apud Pilatum Dominus accusaretur, ut crucifigeretur; invenimus horam 3tiam esse potuisse, quando illi clamârunt crucifige. Ergo veriùs tunc illi occiderunt, quando clamaverunt. Apparitores potestatis horâ 6ta crucifixerunt; prævaricatores legis horâ 3tia clamaverunt. Quod illi manibus horâ 6ta, hoc illi lingvis horâ 3tia. Rei magis isti, qui clamando sæviebant, quàm illi, qui obtemperando ministrabant.* Idem S. Doctor l. 3. de cons: Evang: c 13. citatus à Ioan: dela Haye Servio in Triumpho veritatis. *Quòd Iudæi maximè videri fecisse nolebant, hoc eos Marcus horâ fecisse tertia ostendit. Verissimè iudicans magis fuisse necatricem Domini lingvam Iudæorum quàm militum manus. Quisquis autem dixerit non fuisse horam tertiam, cùm hoc Iudæi primitùs clamârunt, insanissimè se ostendit inimicum Evangelij.* Post multa hanc in rem disputata infert, *iam itaq; corruat impia pertinacia, & credat Dominum IESVM Christum, & tertiâ hora crucifixum lingvâ Iudæorum, & sextâ manibus militum.* Adverte S. Doctorem duo dicere, & horâ 3tia Iudæos parricidalibus lingvis in Christum irruisse; & eos

magis crucifixores æstimandos quàm milites. Primum adeò illi persvasum est, ut contrarium asserere idem putet, *quòd insanè Evangelio contradicere; impiamq́ pertinaciam,*(ut retuli,)& alio loco, *impietatis duritiam.* Secundum pluribus locis inculcat, quàm maximâ energia textum D. Marci c. 15. v. 25. *pensando. Erat autem hora tertia, & crucifixerunt eum.* Iam dixerat Evang: versu præcedenti immediatè. *Et crucifigentes eum, diviserunt vestimenta ejus.* &c. &c. Quorsum ista repetitio? Respondet S. Aug: *ut quisq́ ibi recordetur, quâ hora Iudæi crucifixerunt Dominum, qui volebant in Romanos vel Principes, vel milites transferre facinus. Vbi factum ministrorum militum commemoratum est,* diviserunt vestimenta ejus, &c. *Ne quisquam cogitationem tanti criminis aversus à Iudæis in milites converteret; subdit.* Erat autem hora 3tia, & crucifixerunt eum; *ut eum illi potiùs crucifixisse inveniantur, quos hora 3tiâ, ut crucifigeretur, clamare diligens inquisitor inveniet.* Quasi diceret,in comparatione crudelitatis Iudaicæ, milites, qui manus crucifixioni commodârunt, tantùm præstiterunt, quasi solùm vestes diripuissent ac discerpsissent. Alio verò loco. Erat autem hora tertia. *Vt quid adiunxit? nisi quia voluit aliquid recapitulando significare, &c. Sciebat à militibus suspensum Dominum non à Iudæis, sicut Ioannes apertissimè dicit, occultè ostendere voluit eos magìs crucifixisse qui clamaverunt, ut crucifigeretur: quàm eos, qui ministerium Principi suo secundùm suum officium præbuerunt.* Excusat videlicet Romanos satellites ipsa sua professio vi cujus executioni vires adhibere tenebantur, criminis autem cognitionem bene poterant iudicio relinquere. Hoc si errâsset, culpa ad excutores minimè pertinebat, maximè si bona cæteroqui fide procederent, nec aliqua

pro-

propriâ feritate plùs iusto in lanienam proveherentur. Accedit, quòd illorum crimen extenuet singularis dæmonis assistentia (existimant enim quidam, tortores Christi à dæmone protunc fuisse obsessos) energumenorum enim gravissimi alioqui furores, quia voluntarij non sunt, sed à malo hospite profecti; minimè crimini ducuntur. Iudæi verò instigatores nequaquam istis excusationibus defendi possunt, qui deliberatâ malitia optimæ sibi cognitæ innocentiæ cædem cruentam; speciali charactere Gens Sancta, eorumq; Sanctissimi (si obligatio spectetur) Pontifices obstinatissimè procurârunt. Licèt verò & ipsi quodammodo à malo dæmone possessi fuerint, hæc quoq; pro illis defensio minimè militat, quoniam sponte se infereo possessori permiserunt. *Marcus igitur horam recoluit, eamq; maximè ad condemnationem Iudæorum in Domini crucifixione commemorare voluit, quâ intelliguntur clamare potuisse ut crucifigeretur: ut ipsos potiùs crucifixisse acciperemus, quàm eos, quorum manibus suspensus est*, ait S. August: & dat instantiam ab illo Centurione Evangelico, qui cùm Seniores Iudæorum intercessores ad Christum misisset, Luc: 7. v. 2. ipse tamen accessisse dicitur. Matth: 8. v. 5. *Nam ad Christum magis accesserat: cujus fidem ita laudavit, quàm illi ipsi per quos sua verba misit*; lib: 3. contra Faust. *Et mulier, quæ sangvinis fluxum patiebatur, quamvis fimbriam vestimenti ejus tenuerit, magis tamen tetigit Dominum, quàm illæ turbæ, à quibus premebatur. Vt enim hæc quò magis credidit, eò magis tetigit Dominum, ita & Centurio, quò magis credidit, eò magis accessit.* Idem in lect: Breviarij fer: 5. post Ciner. E converso, quantò maiore & deliberatiore furore Christum in Crucem optârunt adhibitis omnibus machinis, puta, clamoribus, Barabbæ electione præ Chri-
sto

ſto, comminationibus Cæſareæ inimicitiæ in Pilatum vibratis: tantò magis Chriſtum in Crucem aptarint, quàm Romani lictores, licèt hi phyſicè; illi tantùm moraliter concurrerint. Quid quòd necis Dominicæ cauſa fuêre crucifixores inſtrumentalis tantùm; Iudæi cauſa principalis efficiens: quod illis exprobrat S. Petrus 2. Act: v. 23. *traditum affigentes per manus iniquorum interemiſtis*, hoc eſt, manibus gentilium uſi eſtis in affigendo, effectus tamen & culpa interemptionis veſtra eſt. *Nam, qui agit per alium, per ſe agere videtur*; ICti. O ingens malum linguæ! cujus inſtigatio atq; inſtantia pro ipſo actu crucifixionis à Spiritu S. reputatur. Addamus cum Ribera, ut adæquemus rationem; horâ 3tiâ clamantibus inſtanter Iudæis *crucifige*, Pilatum aſſenſum eſſe, unde iuſſit eum flagellari, quaſi parans ad Crucem (occidendi enim, priùs flagellari ſolebant) ſperans interim inſtigatores emollitos atrocitate flagellationis, ab expetenda crucifixione deſtituros. Sed cùm nihil apud obſtinatos proficeret: iudex quidem manus abluit coram populo, mundum ſe à ſangvine iuſti proteſtatus: at inſtigatores ſangvinem ejus ſuper ſe, filiosq; ſuſceperunt; quâ importunitate ac reſolutione videntur Pilatum permoviſſe, ut ſub finem horæ 3tiæ, incipiente verò 6tâ Chriſtum iuridicè pro Tribunali ſedens ad Crucem condemnaret ſententiâ iudiciariâ & irrevocabili, quæ absq; mora executioni eſt mandata, urgente maximè Iudæos Paſchate quod inſtabat. Marcus ergo originem & initium crucifixionis per horam 3tiam indicavit; Ioannes verò per horam 6tam executionem ejus & complementum. Confirmantur dicta authoritate S. Clementis Romani l. 5. Conſtitt: Ap: *ligno Crucis horâ quidem 6tâ affixerunt: horâ verò 3tiâ ſententiam contra eum pronunciatam acceperunt*.

4. Communiùs adhuc nodum hunc ſolvunt interpretes ut Ianſenius, Maldonatus, DelaHaye Servius, Bourgheſius, Cornel: à Lapide, &c. Cum illis Suarez, Salianus, Lyræus, Wittfelt, explicatâ diverſâ ratione horarum Hebraicarum ab horis conſvetis. Quemadmodum enim nox in 4. Vigilias, 1mam, 2dam, 3tiam, 4tam dividebatur; ut innuitur Luc: 12. & Marci 14. ita dies apud Hebræos dividebatur pariter in ſtationes 4. (ut eas vocat DelaHaye) ſeu horas præcipuas pro ſacrorum conſvetudine; & uſus Eccleſiaſticus easdem etiamnum retinet. Porro tam noctis, quàm diei quatuor partes æquales, ſingulæ ternis horis conſvetis conſtabant. Diurnæ horæ ut ſunt, ita olim erant 1ma, 3tia, 6ta, 9na. Hæc diſtinctio apparet in parabola de operarijs Matth: 20, & maximè in hiſtoria Paſſionis. 1ma diei à luce prima continebat trihorium, quo expleto incipiebat tertia duratura trihorio ad meridiem: 6ta tribus horis poſt meridiem, & nona totidem usq; ad veſperam, & ſic horæ 12 ordinariæ diei Hebraicæ decurrebant per ſtationes. Hâc diviſione horarum Paſſionis Dominicæ, diſtinxit horas orationis canonicæ S. Clem: Rom: lib: 8. c. 40. *Tertiâ orate, quòd ea horâ Pilatus iudicium adverſùs Dominum pronunciavit: 6tâ, quòd eâ hora Dominus in Crucem actus eſt: 9nâ, quòd tunc omnia mota & tremefacta ſunt.* Simili utitur temporis partitione S. Ignatius M. ep: 5. ad Trallianos. *Paraſceves horâ 3tiâ accepit ſententiam à Pilato permittente Patre: 6tâ verò crucifixus eſt; 9nâ autem emiſit Spiritum.* Ergo, (ut iam aliquid puncto ſuperiore attigi cum Ribera & Cornelio.) S. Marcus cùm dicit Chriſtum crucifixum horâ 3tiâ, tertiam expletam intelligit: quo ſenſu intelligendus & S. Theleſphorus Papa in ſua epla. *Miſſarum celebrationes ante horam diei 3tiam*

mi-

minimè sunt celebrandæ, quia & eâdem hora crucifixus est Dominus: S. verò Ioannes cùm dicit, *erat hora quasi 6ta,* 6tam inchoatam loquitur. Non frustra enim addit particulam *quasi,* quæ hoc loco idem sonat quod *circiter sextam,* sive initiò 6tæ, quod est, cùm definit 3tia: ut è contrà finis 3tiæ est, cùm incipit 6ta. Iam si in nostro horologio hora crucifixionis vestigetur, duodecima probabiliter exit: hæc enim 6tæ Hebræorum respondet, ut computant Bourg: & Wittfelt. Quorum prior ex V. Beda istius horæ explicat mysterium. *Sextâ die homo est conditus, qui & 6tâ horâ de ligno comedit, quâ igitur horâ Dominus hominem condidit, eâdem & lapsum reparavit: 6tâ die & 6tâ horâ Cruci affixus: rationis enim imò pietatis ordo poscebat, ut quâ horâ primus Adam mortem invexerat, eâdem horâ 2dus Adam moriendo destrueret.* Rectè proinde meridiano pulsu crucifixionis Dominicæ & mortis, (quæ subinde 6tam inter ac 9nam Hebræorum, nostram verò tertiam pomeridianam subsecuta est) admonemur, ut vel brevi oratione gratias referamus. Meridie crucifigi & mori voluit Dominus; nocte obscurâ nasci, ad humilitatis institutionem & exuberantem redemptionem: ut, qui servi formam susceperat Bethlemq; nativitati Ierusalem prælegit Passioni, ad hujus obscuritatem, hujus augendam celebritatem.

Quid verò est, quòd SS. Evang: licèt idem in re dicant, diversis tamen horarum vocabulis utuntur, alius 3tiæ, alius 6tæ? Respondet universaliter S. Chrysosthomus præf: in Matth: citatus apud Paris in Marg: Evang. Hæc ipsa disparitas maximum est testimonium veritatis; si enim ex toto & in omnibus consonarent, & cum nimia diligentia, atq; cura usq; ad tempora & loca omnia concurrerent, nemo inimicus credidisset unquam, quin il-

li communi ad decipiendum consilio congregati, quasi exhumana quâdam conspiratione Evangelium condidissent: non enim simplicitatis tam solicitam consonantiam iudicarent. Nunc verò quæ videtur in rebus perexiguis dissonantia, ab omni illos suspicione defendit, & satis clarè scribentium authoritatem tuetur. In particulari verò loquendo, crediderim SS. Scriptores consultò in hora variâsse, ut dum alioqui certam in dubium revocant, aliam & aliam assignando: disceremus non unam aliquam, sed multas; imò omnes esse horas, quibus crucifigitur IESVS, quia nulla est, quâ non in eum peccetur. Vna ergo tanti criminis in Deum non accusatur, cujus omnis rea convincitur. Quid si variatur in horæ præteritæ mortis Domini, ut nostræ mortis futuræ horam longè incertissimam intelligamus, & hoc intelligendo, omnem horam suspectam habeamus. Quid si & hâc sacrorum historicorum varietate omnium molestiarum pro nobis toleratorum voluit IESVS videri oblitus? quasi enim nunquam passus est, dum ab alio hâc, ab alio aliâ horâ fixus in Cruce memoratur. Ad eandem quæstionem spectat uberiùs omne tempus crucifixionis pernôsse, ut non hora modò verùmetiam ejus continens remotius quoq; sciatur. Quamvis verò in primis partibus tetrachordij nonnihil attigimus, tamen hìc adhuc quod dicatur non deest. Suppeditârunt dicenda Corn: à Lap: in Exod: 12, Caussinus in Ephemeride, Wittfelt in Theol: Catech: Szentywani in Curiosis Miscell: quorum hìc summulam facio. 1. Crucifixus Dominus Anno ætatis suæ 34 inchoato, iuxta meliorem calculum: qui 33 ponunt de completis annis intelligendi: qui numerum annorum vel augent, vel minuunt, nec audiendi. 2. A condito mundo iuxta Æram Martyrol: Romani 5233. 3. Ty-

berij Cæsaris non 18vo ut volunt Euseb: & Epiph: sed 19no. 4. Mense Nisan quo ex lege Pascha celebrandum erat. Respondet *Nisan* Martio nostro vel partim Martio, partim Aprili. Nunquam esse potest totus intra Martium, extra Martium totus esse potest: & totus esse potest intra Aprilem: Communiùs ex utroq; mense participat. Primus hic mensis apud Hebræos Anni Sacri; sed civilis aut vulgaris sextus: Nam annum civilem *Thisri* nostro Septembri respondens inchoat. Nisan Chaldaicum est vocabulum; Hebræi enim menses ordinali numero indigitant. 1mus, 2dus, &c. Græcis dicitur Xanticus, Ægyptijs Pharmutij, id est mensis Pharaonis; nos mensem Pharaonis Ægyptij priùs, figurati sive infernalis deinceps à Christo profligati bene interpretari possumus. Latinorum Martius,(qui Nisan Hebraico communiùs respondet saltem quò ad tempus illud, quo defactò Christus passus est,)ita denominatus per Romulum filium Martis, qui eum Parenti suo ejusq; honori dicavit, cùm sub ejus tutela ipso mense Romam condidisset. Roma igitur tunc annum inchoabat, cùm ipsa erat inchoata, quòad Numa proximus à Romulo animadvertens annum 10 mensibus non compleri, Ianuarium in honorem Iani Latinorum Prothogenitoris, & Februarium placandis manibus adderet, teste Ovidio.

At Numa nec Ianum, nec avitas præterit umbras
Mensibus antiquis præposuitq; duos.

Ante Romulum huic mensi præsidebat eadem, quæ ingenijs Minerva, in cujus honorem durârunt Romæ quinquatrualia. Quo tempore,ut nefas digladiari; ita Præceptoribus Minervalia solenne fuit persolvere. Eundem ergo mensem & Marti bellipotenti & doctæ Minervæ sacrum adeòq; bis profanum, *Deus Exercituum, Æterna*

idem

idem Sapientia expiandum suscepit, cùm se omni connaturali potentiâ omnibusq; corporis viribus usq; ad mortem exinanîsset, & ad illudendæ fatuitatis opinionem abiecisset, vincens fortitudinem fortium suâ infirmitate, & confundens sapientiam sapientum mundi, Crucis suæ stultitiâ. Occupat ergo Martium victrix Christi infirmitas & sapientissima fatuitas: sub cujus utriusq; arbitrio mutuis decertare odijs planè insanum est. Compescit suos certè veriùs, quàm seros nepotes Anchises ex Elysio Æneid: l. 6.

Ne pueri ne tanta animis assvescite bella
Neū patriæ validas in viscera vertice vires
Tuq; prior, Tu parce genus qui ducis Olympo
Projce tela manu sangvis meus.

De Minervali potiùs seu didactro Præceptori Christo, vel ex condonatis iniurijs persolvendo cogitandum est, licèt nullum pro merito exhiberi possit. Si enim Plato negat Dijs, Parentibus, Præceptoribus, dignum quidpiam referri posse: quid referemus ei, qui omnia ista unus est? Hoc olim mense Roma ignem in Ara Vestæ; aridas laureas in fascibus consulum renovabat; Ancilia verò Salij per urbem circumferebant: Hoc & ad abolendos profanos ritus, qui missurus ignem in terram venerat, extremo suo in Cruce halitu in cordibus eum nostris vehementer inflammat: laureas è suis spinis innovat, totumq; se in clypeum impenetrabilem generi dat humano. Quid Iones? qui Apollinem sospitatorem sub hunc mensem colebant; Romani, qui Cereri Liberoq; festivis honoribus; Saluti, item Paci, Concordiæ: & Matri Deorum ludis Megalensibus litabant. Quid, nisi iam tum sospitatorem infirmitatis nostræ Christum, qui se totum in pharmaca immortalitatis destillaret; qui pridie mortis

car-

carnem in pane apponeret, ſangvinem propinaret in vino, qui ſalus & pax noſtra fieret, qui faceret utraq́; unum, ejusq́; dolentem Genitricem ſomniabant? quæ nobis demum hic menſis in vera luce revelavit. Non imputet Græcia Martio diluvium Ogygium, quo vaſtata fuit; novum dedit Martius è ſangvine IESV diluvium, quo mundus totus inſtauratus, ac in novum orbem novæ vitæ novæq́; legis traiecit. Sed quorſum profanæ fabulæ? ſanctiorem conſulamus cortinam. Numquid non Martio mundus maior atq́; minor conditus? Martio & Nòë terram ex diluvio emergentem primùm videt, licèt 56 dies expectandum erat, donec voce Dei ex arca evocaretur. Martio Abraham Iſaacum aræ impoſuit: Martio plagis cum ſua Ægypto caſtigatus abſorptusq́; undis Pharao; Martio expoliatâ Ægypto egreſſus Iſràël: Martio, biennio poſt egreſſum, tabernaculum Domino erexit. Martio aquæ in Mara dulcificatæ miraculo. Martio populus Dei extinctum ductorem ſuum luxit Moyſem, transgreſſusq́; Iordanem, intravit terram promiſſionis. Martio Evilmerodach Nabuchodonoſoris filius captivum in Babylone ſua Ioachimum Iudæorum Regem, quem in vinculis habebat, generoſâ humanitate liberavit, & ſecum honorificè habuit. Martio Eſdras & Nehemias poſt captivitatem Babylonicam Templum & urbem Ieroſolymorum inſtaurârunt. Martio per preces induſtriamq́; Mardochæi & Eſther funeſta in Hebræos ſententia ab Aſſvero revocata, ita, ut mutato decreto ipſis diebus, quibus univerſalis cædes per imperium Perſicum in Iudæos deſævitura erat, ab Hebræis 79000 barbarorum interficerentur; quâ ex origine prodiit feſtum Phurim ſive ſortium. *Eſth: 9.* Martio Iudas Machabæus Dei ope celeberrimam de Nicanore duce copiarum Antiochi retulit victo-

ctoriam, 2. *Machab:* 15. Præluſerunt videlicet variæ figuræ Paſſioni Chriſti per ordinem ad diverſos reſpectus conſideratæ, (ut ingenioſus Lector combinare poterit,) eodem menſe aliquando futuræ. Nec omittendi ex profana hiſtoria memorabiles eventus in eundem menſem incidentes, quos itidem aliquis ad exornandum Dei patientis myſterium non inconcinnè poterit adhibere. Eodem menſe Themiſtocles Xerxem navali prælio devicit. Phocion optimus Athenienſium & technis curialibus illibatus, iniquo iudicio à ſuis popularibus, qui Caſſandro Regi favebant, oppreſſus, cicutam bibit. Iulius Cæſar Fundator imperij & plurimarum palmarum Heros, die, qui Magiſtratui ineundo fuit ſolennis, in curia à Bruto & Caſſio beneficiorum ſuorum ingratis, alijsq; infenſis 23. vulneribus confoſſus. Ob quod ipſe dies vocatus *parricidium*, & hoc nomine in faſtos relatus. Cicero Patriæ & Eloquentiæ Parens, Marci Antonij barbarâ crudelitate à cliente ſuo Popilio trucidatus. Attila flagellum Dei inter nuptias ſangvine è naribus fluente periit. Ovidius triſtium elegiarum ſcriptor mortuus; ipſeq; Tiberius Imper: ſub quo Chriſtus prius occubuerat annis circiter ſex. 5to. Ipſo æquinoctio verno, quod tempus lætiſſimum, ita, ut tunc ad 25 Martij Hilaria & deinceps celebrarint Romani propter auctam lucem & æquationem dierum cum noctibus, per fæminas veneri ſacra faciendo: In hujus temporis laudes excurrit S. Ambr: de Paſch: mys: c. 2. *Eſt Paſcha in Vere, anni principium, primi menſis exordium, novella germinum reparatio ac tetræ hyemis nocte diſcuſſa primi Veris reſtituta iucunditas. Hoc tempore viſibilium & inviſibilium Conditor Deus defixa humo cæli machinam ſuſpendens diem ſolis ardore radiavit. &c.* Hoc tempore fiunt transplantationes arborum ob-

ſervato ſitu eodem, quem verſus aliquam certam partem cæli tenebant. Quo ipſo monemur, ut in Calvariam Chriſti nos transplantemus devotione & mortificatione, verùm ſitu priſtino vitioſo abnegato. Sub idem tempus rami ſuperflui præciduntur, ut ſtolones pravarum conſvetudinum præcidamus: ramuſculi ſeliguntur & inoculantur; ut ex naturali oleaſtro (*ad Rom: 11*) exciſi inſeramur vel contra naturam, vim ſcilicet naturæ faciendo, in bonam olivam Crucis, ſocij radicis & pingvedinis ejus futuri. Roſæ quoq; transplantantur, & uberiùs florent: ut roſas Vulnerum Domini in hortulum cordis noſtri transferamus. Quin etiam Palæſtina hoc eodem tempore meſſes primas colligit; ut nobis, qui ſementem cruoris Dominici ſuſcepimus; ſterilitatem animæ & bonæ frugis inopiam damnationi fore ſciamus. Senes hoc maximè menſe mori dicuntur, eò igitur ipſa ſenectus, ipſa mors peccati obire debuit. 6to. Menſi æquinoctioq; huic è Zodiaco affulget *aries*. Sub hoc naſci Pontanus lib: 5. rerum cæleſt: c. 4. aſſerit. *Inſignes, imperioſos, magnanimos, conſilio & ſermone audaces, &c.* Non aries, ſed Agnus Dei IESVS, univerſalis Horoſcopus Chriſtianitatis eſt; quo, (ſi nati non ſint) renaſcantur oportet, inſignes virtute, imperantes paſſionibus, magnanimi in adverſis, conſilio & ſermone audaces, ſed audacia ſanctâ & cum timore Dei coniuncta. Obſerva pulchrè cælorum terrarumq; phænomena congruere *Arietem & Agnum.* Aries eminet illinc in Zodiaco, ut Ovid: canit.

Impoſitamq; ſibi, qui non bene pertulit Hellen
Tempora nocturnis æqua diurna facit:

Hic Agnus ſine macula iuſtitialem æqualitatem inter peccatores & Deum, ceu inter diem ac noctem ſuo ſangvine inducit. 7mo. De die menſis multifariam ſentiunt

Scriptores. Certùm quidem eſt decimamquintam lunam fuiſſe menſis Niſan, qui fuit dies primus & ſolennis azymorum, non decimam 6tam, ut quidam voluerunt nullo fundamento, quos fuſè refutant Suarez & Tanner. Quæ autem fuerit determinatè dies noſtratis menſis ſolaris? incertum eſt. Alij volunt fuiſſe 3 vel 16 Aprilis, & iuxta hos Paſſio Domini iam non in Martium,(cujus memoranda innui;) incidiſſet. Si verò horum ſententiæ ſtandum eſſet, Aprilis etiam myſterio eſſet non incongruus. Aprilis dicitur ab aperienda tellure, ab apparentibus primis floribus, & ex græco quaſi Aphrilis, quod ſignificat ſpumam maris, ex qua natam venerem Pöetæ fabulantur, in cujus tutela & menſis hic erat Romanâ devotione, ut Ovidius teſtatur.

Martis erat primus menſis venerisq́; ſecundus:
Hæc genius princeps, illius ille Pater.

Bene & Aprili menſe florum, Nazarenus flos expalluit ut lilium; erubuit ut roſa; vepribus inhorruit ut uterquè: bene ſe terra aperuit non tantùm naturali tepore, ſed etiam prodigioſo tremore, cùm & petræ rimas facerent; ut ſcilicet exciperet ſangvinem, Abelis ſangvine longè clementiorem, qui ſcilicet non vindictam, ſed indulgentiam ſuis effuſoribus poſtularet: Terra verò, ut ſuſceptâ Divini cruoris ſemente non in ſpinas & tribulos maledictionis; verùm in flores fidei ac virtutum fide dignarum pullularet. Hæc tempora eminus proſpiciens ſponſus canebat, *flores apparuerunt in terra noſtra*, Cant: 2. Potuit Dominus Moderatorq́; temporum miſereri formoſiſſimi menſis, quòd ſcilicet turpiſſimæ deæ præſidio infamaretur, ſpumâq́; illâ marina fæde conſpurcaretur, eum proinde ſangvinis ſui latice eluendum ſuſcipere. Alij Martium licèt retinent; ſed in die diſſentiunt. Sunt,

qui

qui 21, sunt qui 22, imò 23 & 26 assignent, (vide Augustin: l. 4 de Trin: c. 5. Bedam de ratione temp: Baronium in Martyrol:) 26tam Martij communior tenet opinio. Illo die cum sole piscium fascia spectatur ab Astrologis, & Aries Zodiaci emergere dicitur. Eodem IESVS tanquam Agnus coram tondente se obmutuit: imò si piscis taciturnitatis maximè symbolum est, coram iudice petit mutus ac piscis, ut miraretur Præses vehementer: post pauca deniq; in Cruce verba Verbum illud æternum letho contieuit. Hoc die vel mundus, vel saltem homo compendium mundi maioris factus est. Romæ celebrata Hilaria. Archangelo Gabriele nunciante Christus in utero Virginis carnem susceperat. S. Ioannes Præcursor anno uno ante Christum sub Herodis gladio caput posuit, hoc est, (quòd ipse oportere aiebat,) ipse quidem imminutus erat capite, quo postea die Christus crevit in Cruce. Nec obstat, quòd S. Baptistæ decollationem 29 Augusti colamus: tunc enim colitur, cùm caput secundò inventum est. Post Christum verò Anno 421 die eodem Martij Vrbs Veneta ædificari cœpta in mari nobile symbolum Ecclesiæ in rubro cruoris Divini mari fundatæ. Hujus *fluminis impetus lætificat Civitatem Dei: sanctificavit* enim *tabernaculum suum Altissimus.* Ps: 45. Item tredecim urbes Asiæ uno terræ motu corruerunt, ut moriente Domino & tremente terra Babylon impietatis conciderat. Richardus Angliæ Rex dictus Cor leonis moritur An: 1199. 8vo. Feria septimanæ sexta obiit Christus: quod constans Ecclesiæ traditio extra omne dubium posuit. Dat rationem S. Rupertus. *Quia sextâ die crucifixus est Dominus, reparationis implevit arcanum. Sicut sextâ die factus est homo, & tota mundi erat creatura perfecta.* Feriam hanc gentiles veneris

titulo dehonestârant. Christus expiavit & consecravit Passione sua, ut plenus religione ac reverentiâ dies esset. Videtur non ob aliud Dominus eâdem veneris die & carnem accepisse de Virgine, & deposuisse in Cruce; quàm ut vitia carnis omnemq; voluptatem vetitam crucifigeret & aboleret. Hinc Apl: Eph: 5. *Omnis immunditia nec nominetur in vobis, sicut decet Sanctos.* Nihil efficaciùs est ad voluptatem, nempe carnis, profligandam: quàm Passio & Crux Christi piè invocata, attentè considerata, studiosè in corpore per imitationem portata. Sicut è contra nil efficaciùs ad pessundandam omnem religionem & Fidem Christianam, quàm carnis petulantia. Hæc plurimos Orientis populos in Mahometismum abstraxit; plurimos Deo sacros homines Lutheri Calviniq; retibus implicuit. Hæc Chinas, Iapones, cultissima alioqui ingenia in sordibus ac infidelitate detinet: infinitos pene hæreticos, eorumq; maximè mystas à reditu in Ecclesiam Christi unam & veram prohibet. Certè Ethnici, ut omnem Christi memoriam obliterarent in spelunca Bethleem, spurcissimum veneris amasium Adonidem: in loco verò Passionis ipsius, obscænæ Deæ simulacrum: in Resurrectionis Iovem Olypium, impurissimum pariter deastrum collocârant. Steteruntq; illæ abominationes centenis & 80 annis, donec Helena pijssima Imperatrix submovit. Reddidit præterea vicem gentilium fæditati cum filio suo Constantino, cum quo, deiecto Romæ Venereo sive templo Veneris & Cupidinis, Ecclesiam S. Crucis, dictam Hierusalem, ædificavit, ejusq; fundamenta usq; ad fornicem inferiorem translatâ è monte Calvario terrâ replevit. Egregiè profectò ulta profanatam ab ethnicis Ierosolymis Calvariam. Habet dicta Ecclesia Romæ 3. particulas S. Crucis titulumq;

ejus trilingvem, ſpinas duas è corona Regis dolorum, unum ex argenteis, quibus venditus erat, & partem ligni Crucis boni Latronis, (ut teſtatur Lupardus.) Inſtructiſſimum ſanè contra ſagittas impuritatis armamentarium. 9no. Horam 6tam cum S. Ioanne ſuperiùs determinavi, nunc aio, etiam bis ſextam fuiſſe. Sexta enim fuit deſinens computando per ſingulas ab ortu ſolis: & iterum ſexta incipiens computando per ſtationes; erat enim tunc incipiens tertia ſtatio, quæ dicitur *hora ſexta.* Quinimò ipſe D. Marcus, qui ſcripſerat. *Erat autem hora tertia, & crucifixerunt eum*; qualiter ea hora intelligenda? inferiùs v. 33. ejusdem capitis inſinuat. *& facta hora 6ta, tenebræ factæ ſunt per totam terram usq; ad horam nonam:* affirmat ergo actu crucifixum fuiſſe horâ ſextâ, ut advertit Magrius in antilogijs S. Scripturæ.

Animadverto pro coronide multiplicatum numerum ſextum in Paſſionis tempore. Paſſus enim eſt ſextâ mundi ætate, ut computat Em: Theſaurus in Genealog: Chriſti, ſecundùm quem 1*ma* ætas mundi ſive Pueritia, Paſtores ab Adam ad Nöë. 2*da* Adoleſcentia, Milites à Nöë ad Iudam Iacobi. 3*tia* ab Iuda ad David Iuventus, Duces. 4*ta* à Davide ad Salatielem virilis ætas, Reges. 5*ta* à Salatiele ad Pantherem Senectus, Solitarij. 6*ta* ſive Nova ætas Sancti, à Panthere ad IESVM Sanctum Sanctorum. Paſſus ſexto menſe anni ſacri. Sextâ die ſeptimanæ. Sextâ horâ diei. Cur hic numerus & ita multiplicatus placuit? *Senarius numerus omnifariam plenus, perfectus, atq; Divinus eſt.* Ait Macrobius Saturnal: l. 7. c. 13. utinam tam confidentis aſſerti ſolidum aliquod fundamentum dediſſet. Illud enim, quod Senarium ait ſignificari digito, qui in ſiniſtra manu minimus eſt. diciturq; medicinalis. Hunc in idolis Ægyptijs odori-

doribus finiri, in Neosponsis annulo coronari, utrumq; hoc ob nervum quendam ex eo digito ad cor usq; procurrentem. Sed quid ista omnia ad rem? vel certè valde extorta. Contra Webber in arte discurrendi fonte 1. ex Corn: à Lap: in Apoc: c. 13. Senarium esse asserit symbolum hominis imperfecti, corruptibilis, peccatoris: atq; ideo in nomine Antichristi ter continendum, ut scilicet nomen ejus valeat *666*. Prætendet quidem & promittet felicitatem Antichristus, aspirabit ad illam, non pertinget. Christus solus veram felicitatem & habet & confert, cujus ipsum nomen continet juxta prædictionem Sibyllæ *lib:* 1. *orac:* numerum 888. Porro numerus octonarius est symbolum perfectionis, consummationis, & felicitatis, uti docet Corn: loco citato. Interim in Passione non octonarium, sed senarium prælegit; tum, ut omnem imperfectum nostrum omniaq; peccata suscepisse ostenderet: tum, ut Antichristum in suo charactere vinceret. Antichristi enim nomen & character erit *666*: Christus, (ut jam dixi) quater senarium in Passione numerat. Imò etiam si lustrum annorum (quòd græcè Olympias dicebatur,) non per quinque inchoatos, sed per 4 completos annos numeremus, (tam enim Romæ sacrificium dictum Lustrum, quàm Olympia Iovi in Græcia 4to anno exacto, & initiò 5ti peragebantur, de quo vide Calepinum verbo *lustrum.*) Obijt Dominus sexto lustro suæ ætatis, adeòq; senarium quinquies habet, totidem, quot in Sanctissimo Nomine IESVS literas.



Qua-

XCIII.

Quare Christus non descendit de Cruce?

LOcò responsionis ponam partem sermonis S. Bernardi 1 in Pasch: nil enim seu solidius, seu floridius excogitari potest.

Vicit Leo de tribu Iuda *Apoc:* 5. vicit planè malitiam sapientia attingens à fine usq; ad finem fortiter & svaviter universa disponens. Vicit Iudæorum blasphemias in patibulo, &c. Vbi enim sunt opprobria tua Iudæe, qui pridie ante Crucem agitabas caput sacrilegum, qui Sacrum Christi caput exagitabas opprobrijs? *Christus*, inquit, *Rex Isráël descendat de Cruce.* O venenata lingva! verbum malitiæ! sermo nequam! Non est hoc Caipha, quòd paulò antè dicebas, *expedit, ut unus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat.* Ioan: 11. At illud, quia mendacium non erat, non loquebaris de proprio, non à temetipso dicebas. Si Rex Isráël est, descendat de Cruce. Hoc planè tuum est, magìs autem ejus, qui mendax est ab initio. Quid enim consequentiæ videtur habere, ut descendat si Rex Isráël est, & non magis ascendat? Sic non meministi serpens antique, quàm confusus abscesseris, cùm dicere præsumpsisses. *Mitte te deorsum:* et, *hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me.* Matth: 4. Sic tibi Iudæe excidit, quòd audîsti, quia *Dominus regnavit à ligno.* Ps: 95. ut Regem abneges, quia manet in ligno. Sed forsitan nec audisti, quia non Iudæis, sed nationibus hæc annunciatio debebatur. *Dicite*, inquit, *in nationibus, quia Dominus regnavit à ligno.* Meritò proinde Præses gentilis titulum regni inscripsit

ligno: nec potuit Iudæus, ut voluit, corrumpere tituli inscriptionem, nedum impedire Dominicam Passionem, & nostram redemptionem. Descendat, (inquiunt,) si Rex Israël est. Imò verò, quia Rex Israël est, titulum regni non deserat, virgam imperij non deponat, *cujus* nimirum *imperium super humerum ejus*. Sicut præcinit Isai: c. 9. Noli, (inquiunt Iudæi ad Pilatum.) *Noli scribere Rex Iudæorum, sed quia ipse dixit: Rex sum Iudæorum*. Et Pilatus, *quòd scripsi, scripsi*. Ioan: 19. Si Pilatus, quod scripsit, scripsit; Christus non perficiet, quod incepit? Ipse enim cæpit & salvabit nos. Sed dicunt: *alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere*. Imò verò si descenderit, neminem salvum faciet. Cùm enim salvus esse non possit, nisi qui perseveraverit usq; in finem: quantò minùs poterit esse Salvator? alios ergo salvos fecit; nam salvatione, cùm sit Salus ipse, non indiget. Operatur salutem nostram, nec caudam deesse patitur sacrificio vespertino, hostiæ salutari. (*alludit hìc S. Doctor ad sacrificia veteris Testamenti, de quibus vide in Levitico.*) Novit inique, quid cogites, non tibi dabit occasionem surripiendæ nobis perseverantiæ, quæ sola coronatur. Non faciet obmutescere prædicatorum lingvas consolantium pusillanimes & dicentium. Tu locum tuum ne deseras: quòd sine dubio sequeretur, si respondere possent, quia Christus suum deseruit. Proni enim sunt sensus hominum, & cogitationes in malum. Sine causa, maligne, parâsti sagittas tuas in pharetra, & Discipulorum suspiria cumulas opprobrijs Iudæorum. Illi quippe desperant, isti improperant, sed Christo neutra tela nocebunt. Aliud tempus elegit confortandis Discipulis, & aliud adversarijs confutandis. Interim patientiam magis exhibet &c. &c. Si Rex Israël est, descendat. Nimirum,

ut

ut non sit iam obedientiæ forma, non incentivum amoris, non patientiæ, vel humilitatis exemplum; sed deleri habeant ex Evangelio verba illa svavissima & dulciora super mel & favum: *Maiorem hâc dilectionem nemo habet, quàm ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Ioan: 15. *Et ad Patrem opus consummavi, quod dedisti mihi, ut faciam, &c. &c.* Hoc est enim, quòd dolet venenati serpentis astutia exaltatum in deserto serpentem æneum, cujus intuitu sanentur vulnera, quæ inflixit. Alioqui quonam alio instigante misisse credimus uxorem Pilati: *nihil tibi & iusto illi.* Timebat ergo iam tunc, sed nunc maximè virtute Crucis enervari se sentiens inimicus serâ ducitur pœnitentiâ, & quos instigavit ad crucifigendum, instigat ad svadendum; ut de Cruce descendat. Deniq; *descendat, & credimus ei.* Hæc planè serpentis astutia, hæc adinventio nequitiæ spiritualis. Audierat impius Salvatoris vocem: Non sum missus nisi ad oves, quæ periêrunt domûs Isràël: & noverat quantùm pro salute ejus populi zelum gerere videretur, propterea malitiosè nimis lingvas erudiens blasphemorum, suggerebat, ut dicerent, descendat & credimus, quasi iam nihil posset obstare quin descenderet, qui eorum credulitatem tantòpere desideraret. Sed quid machinatur, aut cui parat insidias versipellis? nempe illi, in quo nihil proficiet inimicus, & filius iniquitatis non apponet nocere ei. Non movetur variâ pollicitatione, qui novit omnium corda: sicut nec exprobratione blasphemâ mitissimus omnium movebatur. Eò quippe tendebat malitiosa svasio, non ut ipsi crederent, sed nostra quoq; si quæ erat fides in eum, omnimodis deperiret. Legentes enim *Dei perfecta sunt opera*, Deut: 31, quando faterentur Deum, qui salutis opus reliquisset imperfectum. Sed audiamus, quid ad hæc

Christus respondeat per Prophetam: Quæris signa Iudæe? expecta me in die resurrectionis meæ, si vis credere, maiora etiam tibi opera demonstravi. Multiplicavi signa, sanitates perfeci heri & pridie, hodie magis debeo consummari. An non maius erat, quòd vidistis è corporibus obsessis spiritus exire malignos, & de grabatis suis exilire paralyticos, quàm è manibus meis vel pedibus clavos resilire, quos infixisti. Sed patiendi tempus est non faciendi, & Passionis horam sicut frustra prævenire conatus es, sic nec poteris impedire; sed si adhuc generatio prava & adultera signum quærit, non ei dabitur, nisi signum Ionæ Prophetæ, non signum descensionis, sed resurrectionis. &c. Hactenus ex mellifluo concionatore. Cujus rationes ad propositam quæstionem, quia intra contextum perpetuæ orationis non ita percipiuntur: velut mel dissolutum in aliquo liquore dulcorem quidem retinet, sed favi speciem conspicuam deperdit: proinde elicitas ex disertissimo eloquio contractasq; in pauciora verba cum authoritatibus SS. PP. adnumero.

1. Non descendit de Cruce, quia quæ hoc svadebant, erant tentationes diabolicæ. Diabolus etenim vinci se animadvertens, ut cursum victoriæ Christi abrumperet & suæ ultimæ ruinæ succurreret, per ipsosmet Iudæos, quos in necem Domini concitarât, per quos *crucifige* clamarât, cœpit descensum urgere. *Hoc videntur dæmones immittere: statim enim, ut crucifixus est Dominus, senserunt virtutem Crucis, & intellexerunt fractas esse vires suas, & hoc agunt, ut de Cruce descendat: sed Dominus sciens adversariorum insidias, permanet in patibulo, ut diabolum destruat.* ait S. Hieron. Neq; minùs dæmon per os blasphemorum istorum loquebatur, quàm priùs spiritus melior per os Caiphæ cùm diceret. *Expedit*

dit, ut unus moriatur; licet enim pessimus fuisset Caiphas, eum tamen assistentia Spiritus Divini in negotio gravissimo Ecclesiæ non deseruit, non secùs, quàm corruptum etiam instrumentum bonus artifex in manus sumit, & aliquid se dignum elaborat. Porrò dæmonis fuisse illam vocem: *Descendat de Cruce.* Manifestum est ex similitudine tentationis primæ in deserto, quâ pariter svadebat, *mitte te deorsum. Hæc omnia dabo, si procidens adoraveris me.* En, ut utrobiq; motum deorsum svadet fermè ijsdem verbis. Patescit hic mysterium verborum D. Lucæ c. 4. v. 13. *Consummatâ omni tentatione diabolus recessit ab illo usq; ad tempus.* Quod illud tempus? nisi tempus crucifixionis, quo redijt tentans per suos Ministros, Scribas, & Pharisæos, &c. ait Bourghesius & S. Chrysost. *Scriptum est diabolum ad tempus ab eo discessisse observantem tempus Crucis.* Non descendit ergo de Cruce Dominus, ut disceremus à tentationibus dæmonis molestissimis expedire nos, non ijs assentiendo, sed animum contrà obfirmando, nec quidquam etiam minimùm ijs concedendo: sicut Christus cùm ad ostendendam suam Divinitatem & descendere posset de Cruce, & iterum redire moriturus ad consummandum opus nostræ salutis: hoc tamen non fecit, ne vel tantillum in gratiam dæmonis apparentia bona, sed vera mala svadentis, fecisse videretur, & facere quenquam doceret. Advertendum & hoc. Quis unquam & ubi à tentationibus queat esse securus, si Dominum IESVM & quidem crucifixum tentator aggreditur. *Nemo igitur se fallat dilectissimi, nemo se decipiat, neq; ita quisquam de cordis sui puritate confidat, ut putet se nullis tentationum periculis subiacere, cùm pervigil ille tentator eos acrioribus pulset insidijs, quos maximè viderit abstinere à peccatis. Nam à*

quo dolos suos contineat, qui ipsum quoq; Dominum maiestatis ausus est calliditatis suæ fraude tentare. Viderat superbiam, Domini IESV baptizati humilitate calcatam, intellexerat 40 dierum ieiunio omnem cupiditatem carnis exclusam, & tamen non cessat ab artibus suæ malitiæ spiritualis improbitas: tantùmq; sibi de naturæ nostræ mutabilitate promisit, ut, quem verum experiebatur hominem, præsumeret fieri posse peccatorem. Si ergo ab ipso Domino Salvatore nostro deceptionum suarum diabolus non revocavit insidias, quantò magis fragilitatem nostram impugnare præsumit, quos exinde vehementiore odio & invidiâ severiore persequitur, ex quo ei in Baptismo renuntiavimus. Ita S. Leo serm: 3. de quadr:

2. Quia frivolis rationibus rem tanti momenti, quanta est descendere de Cruce, & negotium salutis humanæ rescindere, conficere conabantur. Quemadmodum semper diabolicæ persvasiones si bene considerentur, futiles sunt ac levissimæ ex fumo aut àëre nubilo conflatæ, sive in larvam ad terriculamentum (cui adscripsit pro lemmate Bovius: *agnita ridetur,*) sive in nescio, quæ puerilia crepundia ad illicium. Qualis enim ratio. *Si Filius Dei es, descende de Cruce,* Matth: 27. v. 15. & v. 16. *Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere si Rex Isràël est, descendat de Cruce & credimus ei. Confidit in Deo, liberet eum si vult, dixit enim Filius Dei sum.* Marcus c. 15. v. 15. & 16. *Salvum fac temetipsum descendens de Cruce. Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere. Christus Rex Isràël descendat nunc de Cruce, ut videamus & credamus.* S. Luc: c. 23. *Alios salvos fecit, seipsum salvum faciat si hic est Christus Dei electus.* Ex quibus colligo argumenta, quibus Christo descensum svadebant fuisse. 1. Descendat, ut liquidò appareat Omnipotentia

Di-

Divina in eo, siquidem Filius Dei sit: quasi dilemmate arguerent, vel descendet, vel non descendet. Si non descenderit, apparebit non esse Dei Filius, nec Deus, quia non potest: si descenderit, nec sic Deus erit, quia opus suum non perficiet. Dei autem opera perfecta. Quàm futile argumentum. Quasiverò omnia, quæ Deus potest præstare, & facere, teneatur ad cujusvis importunitatem; maximè cùm effectus hic adversaretur fini, quem sibi Deus præfixit. Dilemmate ipso nihil infirmiùs apud eum, cui ratum fixumq; erat potiùs apud incredulos subire opinionem imbecillitatis aut impotentiæ; quàm opus nostræ redemptionis deserere. Non descendo, (re ipsa reponit Christus,) non quia non possum, sed quia non expedit: Potentia autem mea Divina non minùs agnosci debet à vobis in eo, quòd tantâ patientiâ æquanimitateque perferam supplicium; quàm cognosceretur si descenderem: non minoris enim est potentiæ illud ac hoc. Alterum quoq; cornu dilemmatis non Christum sed ipsos profligat cornupetas. Non descendit, ergo opus ejus perfectum, ergo Deus. 2. Descendat, ut appareat Rex Israël. Absurdissima consequentia. Numquid, quia Rex est, miracula debet patrare? recole, quæ scribuntur 4. Reg: 5. Fortè Regem pendere in Cruce dedecus est gentis? cur igitur appendistis ô rebelles? præstabat non appendi, quàm de patibulo descendere: Comitabitur enim descendentem infamia, quam oportebat non irrogari. Quòd si in Rege vestro plùs aliquid homine existimàtis: eundemque Regem Israël & cæli adeòq; Deum; non conveniat, licet Cruci hærere Regem, convenit Deum ac Redemptorem: imò etiam Regem, quem à ligno regnaturum David prædixerat. Ps: 96. Sed sacrilegi Iudæi pòst Resurrectionem Domini in imo versu Psalmi. *Dominus regnavit*

vit à ligno, exultet terra, &c. hanc vocem *à ligno* eraserunt: ut regnum ejus inficiarentur. *Nolumus hunc regnare super nos.* 3. Salvum faciat se, quia salvos fecit alios. Quasiverò semper debeat Medicus sibi ipsi mederi, qui feliciter alijs mederi solebat. Potest alias felicissimus Medicus iustis de causis se ipsum absq; medela relinquere, v.g. si magis expediat illum mori, quàm vivere: ut si idem sit vir egregius Philosophus, & malit præclarum exemplum fortitudinis in perferenda ægritudine morteq; obeunda præbere, quàm vitam suæ solùm utilitati absq; eo exemplo protrahere. Confutat hoc argumentum & S. Hieron: in Matth: 27. *Etiam nolentes confitentur scribæ & pharisæi, quòd alios salvos fecerit. Itaq; vos vestra condemnat sententia. Qui enim alios salvos fecit, utiq; si vellet, seipsum salvare poterat.*

3. Quia idem nitebantur persvadere promissionibus falsis. *Descendat de Cruce, & credemus ei. Fraudulenta promissio. Quid est plus? de Cruce descendere adhuc viventem, an de sepulchro mortuum resurgere? Resurrexit, & non credidistis; ergo etiam si de Cruce descenderet, similiter non crederetis.* ait S. Hieron. *Quid ei magnum fuit de Cruce descendere, qui potuit de sepulchro resurgere?* S. August. *Plùs fuit de sepulchro surgere, quàm de Cruce descendere. Plùs fuit mortem resurgendo destruere, quàm vitam descendendo servare.* S. Gregorius hom: 21 in Evang. *Vbi est, quòd dicebatis, descendat de Cruce, & credimus ei. Crucis signaculum dirumpere voluistis, promittendo ad fidem vos introituros, ecce apertum non disruptum est, introite. Alioqui si non creditis resurgenti, utiq; non credidissetis descendenti.* S. Bernard: serm: suprà citato. Promittebant conversionem & fidem; reverà zelum Domini, quem ingentem pro ejusmodi resciverunt, irridebant vel omni-

no diſcredentes eſſe poſſibile crucifixum deſcendere de Cruce: vel deliberatum habentes etſi deſcenderet, non credere; ſed tantum miraculum (quod blaſphemorum iſtorum imitatores ethnici faciebant, & hæretici faciunt) præſtigijs dæmonum imputare. Porrò non credituros fuiſſe bene SS. PP. evincunt ex effectu, quia ſcilicet maiori miraculo reſurrectionis credere noluerunt, conati illud calumnijs emptoq; mendacio obruere. Qui reiecerunt motivum credibilitatis maius; minus longè minore negotio reieciſſent. Axioma eſt, qui poteſt plùs, poteſt minùs. Non crediderunt facienti plùs, non crediſſent facienti minùs. Omnino non alio animo à crucifixo miraculum deſcenſûs expetebant, quàm Herodes, (de quo ſuprà,) qui cupiebat aliquod ſignum videre ab IESV. Sed nec Herodes, nec Iudæi tantùm fuerint meriti de illo, in quorum gratiam aliquid, ne dicam, ſupernaturale ac prodigioſum faceret. Noluit margaritas mittere ante porcos, id eſt tanta miracula, ceu quædam circumforaneorum ludicra hiſtrionicasve ſcenas proſtituere, quamvis motivo ſatis ſpecioſo & ſancto *credemus ei*, ſtimularetur. Docere nimirum voluit non minùs inſidias diaboli cavendas eſſe, cùm palam, quàm cùm clanculum in perniciem trahit. Verſutiſſimus hic veterator non modò illecebris mundi, ſed etiam illecebris quibusdam ſanctioribus decipit, ut capiat. Malchum Monachum, (ut ſcribit D. Hieron:) utiq; non retinendâ poſſeſſione parentum, nec oblatis formoſis nuptijs è Monaſterio eduxit; ſed inculcando eleemoſynas, Monaſteriorumq; ac Templorum fundationes, quas ex poſthumis parentum opibus facturus erat. Longum eſſet recenſere, ut ſpecie ſanitatis ad gulam & illicitas voluptates multos pertrahat, ut ſpecie neceſſitatis ad avaritiam, ſpecie

ho-

honestissimæ gloriæ ad superbiam, imò specie maioris Dei gloriæ ad suam vanam gloriam.

Fallit enim vitium specie virtutis & umbrâ. Constanter ergo surdâq; aure reijciendus, cùm virtutem obtrudit, ut in vitium præcipitet: discendumq́; à crucifixo non modò non consentire in suggestiones dæmonis, sed nec cum eis disceptare: Quemadmodum Dominus non solùm de Cruce non descendit, verùm nec responso blasphemos dignatus est.

4. Tentabant illusores malignissimi non solùm improperijs suis Christum affligere, verùmetiam ad commiserationem Discipulorum provocare. Cogitabant enim forsan, si hunc miraculorum patratorem exacerbaverimus; affligemus pariter ejus Discipulos: aut certè ad desperationem defectionemq́; ab eo perducemus. Vel enim descendet, ut eos in fide sua confirmet, & sic in sua patientia constantiam non tenebit, aut non descendet: & sic putabitur non posse, consequenter ab omnibus Discipulis maiori decessione, quàm in horto Getsemani, ceu seductor manifestæ imposturæ convictus relinquetur. Intentionem hanc Iudæorum attingit S. Bernard: suprà. *O maligne! discipulorum suspiria cumulas opprobrijs Iudæorum. Illi quippe desperant, isti improperant.* Verùm nihil technæ proficiunt contra sapientiam corda omnia scrutantem. *Neutra Christo tela nocebunt: aliud tempus elegit confortandis discipulis, & aliud adversarijs confutandis*; ait idem. Cæterùm, quod subdola malignitas non effecit, effecit innocentissima simplicitas S. Petri Cælestini Tyronis Eremitæ, abdicato deinde quàm gesto Pontificatu summo, clarioris. Hic enim cùm devotione summa ante Crucifixi imaginem psalleret: Christus ipse de Cruce descendebat, gratificaturusq́; suo integerrimo tyroni

roni Psalmos unà concinebat. *Ribad: in ejus vita tom: 2. 9. Mai.*

5. Non descendit, ut perseverantiæ tam necessitatem ostenderet, quàm exemplum præberet: quod uberrimè explicuit citatus S. Bernardus. S. quoq; Augustinus tract: 37. in Ioan. *Quia, inquit, patientiam docebat, ideo potentiam differebat. Si enim quasi commotus ad eorum verba descenderet, victus convitiorum dolore putaretur: Prorsùs non descendit, fixus permansit, quando voluit abscessurus.* Et S. Greg: hom: 21. in Eu. *Si de Cruce tunc descenderet, nimirum insultantibus cedens, virtutem patientiæ nobis non demonstraret. Sed expectavit paululùm, toleravit opprobria, irrisiones sustinuit, servavit patientiam, distulit admirationem. Et qui de Cruce descendere noluit, de sepulchro surrexit.* Perseverantiam commendat S. Bernard: epl: 129. quæ est ad Genuenses. *Perseverantia sola meretur viris gloriam, coronam virtutibus. Prorsus absq; perseverantia nec qui pugnat victoriam, nec palmam victor consequitur: Soror est patientiæ, constantiæ filia, amica pacis. Tolle perseverantiam, nec obsequium mercedem habet, nec beneficium gratiam, nec laudem fortitudo. Deniq; non qui cœperit, sed qui perseveraverit usq; in finem, hic salvus erit.* S. Thomas Aquinas Constantiam & Perseverantiam scholasticè distingvit 22. q. 37. in ◉ art: 3. *Perseverantia propriè facit persistere in bono contra difficultatem, quæ provenit ex ipsa difficultate actûs: Constantia autem facit persistere in bono contra difficultatem, quæ provenit ex quibuscunq; alijs exterioribus impedimentis.* In Christum utraq; difficultas ingruit, utramq; ille pervicit: ex duabus unam virtutem conflavit, & conflandam docuit. Constantia & perseverantia cyclum sive circulum aureum virtutum absolvunt. Vt enim circulus, sic

virtutum corona aliter absolvi non potest, nisi uno circini pede sis constans, altero labores & circumeas. Multi incipiunt sibi texere coronas è lapidibus pretiosis meritorum, lilijs puritatis, violis humilitatis, rosis charitatis, imò etiam martyrij sive propriè dicti, ut Sapritius, (de quo consule vitam S. Nicephori 16. Febr:) & unus è 40. MM: (de quo Brev: 10. Martij,) sive analogicè dicti; quale est vita religiosa aut sæcularis, sed non iuxta sæculi leges conformata: verùm abrumpunt filum, alij quidem initiò, ut dicere possint; *dum adhuc ordirer, succidit me;* Isai: 38. alij in medio, alij (quod summè dolendum) circa finem. Quocunq; tempore cessetur, corona haud perficitur: filum enim, quo ducebatur, *& filum prædestinationis*, præciditur. Ad rem præsentem Isai: 1. *Super custodiam meam stabo, & figam gradum super munitionem, & contemplabor.* Theodoretus vertit, *figam gradum super gyrum.* Aquila, *super circinum;* id est, ut perficiam circulum circini mei. Hoc omnino unicum studium debet esse eorum, qui bene vivere cæperunt, nam ut S. Aug: ad FF. in Erem. *Non est magnum inchoare quod bonum est, sed consummare, hoc solum perfectum est.* Et S. Hieron: l. 1. contra Iovin. *Cæpisse multorum est, ad culmen pervenisse paucorum.* Idem in c. 11. Eccles. *In adolescentia & senecta æquus tibi labor sit, nec dicas cùm potui laboravi, debeo in senectute quiescere: nescis enim utrum in senectute, aut in ætate longæva placeas Deo? in quacunq; enim die erraverit iustus, veteres eum iustitiæ liberare non poterunt.* Iterum epl: ad Furiam. *Non quæruntur in Christianis initia, sed finis. Paulus malè cæpit, & bene finivit: Iudæ laudantur exordia, sed exitus proditione damnatur.* Pulchrè hunc textum Hieronymi tractat P. Schwertffer in micis Panis Cælestis. Licèt viam mandatorum Dei toto

to

to corde cæperis, non tibi plaude; sed aude plus & plus. Lentè Paulus graditur, imò contra stimulum calcitrat: currit Iudas ultra triennium. Quid deinde? Iudas hæret in arbore: Paulus primò ad tertium, mox super omnes cælos pertingit, & victor ovat. *Cursum consummavi.* Soliciti igitur simus de fine, nam, qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. Non qui cæperit, dimidium fecerit, imò propè finem fuerit. Sunt aliqui, qui pleno spiritu gradiuntur, tanta vivacitate, ut animalia sancta putes, quæ currum gloriæ trahunt. Sed heu! spiritu deficiente, & boves indefessi tandem segnescunt, impingvantur, in macello dæmonis victima Plutoni cadunt; & leones imperterriti cervis timidiores fiunt. Et aquilæ priùs sublimes, ceu corvi in terrena cadavera decidunt. Deniq; Angeli animales & pecuini facti, cùm spiritu Angelico cæperint, carne consummantur. Hinc & S. Gregorius. *In cassum quidem bonum incipitur, si ante vitæ terminum deseratur: quia frustra velociter currit, qui priusquam ad metas venerit, deficit.* S. Augustinus eadem de causa, metu scilicet fragilitatis & defectionis in bono laudem omnem respuit. *Nolite quæso laudare me, sed orate, ut valeamus perseverare usq; ad mortem, quoniam finem nostrum Deus attendit.* quasi cum Poëta diceret

Diciq; beatus
Ante obitum nemo, supremaq; funera debet.

S. Chrysost. Hujus virtutis necessitatem multis similitudinibus inculcat. *Non exordia (inquit) sola oportet habere clara, sed etiam & finem clariorem: dic enim mihi, nonne Rhetor circa finem orationis satagit clarior apparere, ut cum plausibus discedat? nonne circa finem perfunctionis suæ actionem clariorem demonstrat? nonne athleta ni-*

si finem ostendat clariorem, & usq; ad consummationem semper exuperet; etsi omnes vicerit, vincatur autem à novissimo, nonne omnia illi infructuosa fient? Nonne gubernator, si pelagus totum pertranseat? circa portum autem confringat ratem, omnem perdit anteriorem laborem? Quid etiam Medicus? nonne si liberaverit ægrotantem morbo, cùm autem ad perfectionem salutis perventurus erat ægrotus, tunc ejus corrumpat valetudinem, nonne inquam totum opus corrumpit & perdit? sic etiam in virtute contingit. Quotquot exordijs finem non posuerunt competentem, & consequentem, & concinnum, perierunt & corrupti sunt. *In epl: ad Hebr: hom:* 25. Huc & S. Gregorius affert similitudinem fæni l. moral: 8. c. 28. expendens versum, Psal: 128. fiant sicut fænum tectorum, quod priusquam evellatur exaruit &c. *fænum, inquit, ædificij in alto nascitur, sed nequaquam pingvi radice solidatur: quia & hypocryta summa quidem agere cernitur, sed non ijs ex cordis puritate roboratur. Quod nimirum fænum & non evulsum arescit citiùs, quia videlicet hypocryta etiam in præsenti adhuc vita subsistit, etiam sanctitatis opera quasi viriditatis speciem amittit. Quia enim sine intentione rectæ cogitationis bona studuit agere, hæc amittens, indicat se sine radice floruisse.* Hæc S. Greg: conformiter ad dicta Christi Luc: 8. *Hi radices non habent, quia ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt.* Idem Moralitatum felicissimus artifex l. 4. mor: c. 4. unde perseverantia sit acquirenda docet pensando verba Iob 18. Qui facit ventis pondus. Dum inquit, *Dei Sapientia replet animas, eas maturitate inditâ graves reddit: Non illa gravitate, quâ dicitur Filij hominum usq; quò gravi corde. Aliud enim esse gravem per consilium, aliud per peccatum; aliud esse gravem per constantiam, aliud*

liud per culpam. Ista enim gravitas pondus habet oneris, illa virtutis. Pondus ergo accipiunt animæ, ut ab intentione Dei non iam levi motu dissiliant, sed in eum fixa constantiæ gravitate consistant. Rectè ergo dicitur, qui facit ventis pondus: quia cùm leves animi motus misericorditer dignatur aspicere, hinc protinus ad constantiæ maturitatem firmat &c. Talem constantiam considerat S. Aug: scribens in Ps: 136. Super flumina Babylonis illic sedimus. *Flumina Babylonis, quæ hic amantur & transeunt, &c. Graves autem viri & considerati Babylonis flumina vel fugiunt penitus, vel super illa sedent. Noli sedere in flumine, noli sedere sub flumine: debet enim iustus & perfectus vir super omnia transeuntia firmus & stabilis permanere, & nullis fluctibus agitari aut decursibus devolvi.* En & ex S. Gregorio Nazianz: Orat: 27. discrimen gravium & levium sive perseverantium in bono & deficientium. *Eorum, qui tentantur, alij mihi videntur, ut levissima corpora quædam à mari abripi ac distrahi, ac ne tantillùm quidem adversarum rerum impetum sustinere; alij petræ instar esse, quicunq; nimirum Philosophicâ ratione utuntur, ac supra vulgi humilitatem evecti, humana omnia immoto ac firmo animo ferunt.* Hæc ille. Talium unus fuit Eleazar ab Emm: Thesauro descriptus in Geneal: Christi. Longævus ille Levites, qui à sene Antiocheno (vide Machab: 2. cap: 6.) porcinam mandere iussus, rogantes amicos, ut ficto obsequio mortem fugeret, tali concione increpavit. Quod svadetis amici, etiam hostis svadet. Bonâ fide ad cænam vocatis, quam tyrannus paravit. Ego periuris faucibus suillas dapes invadam? hoc ipso virulentas, quia proscriptas: hoc ore leges violem quo legem doceo? Ne dignus sim bruto apponi, quod mihi apponitur. At moriar? quid ni? necessarium utriq; ma-

lum minatur annosus tortor. Solvendum semel hoc vitæ pensum: quod qui perendinat, morti fæneratur diu moriens. Non æstimat annorum meorum pondus, qui morte me leviorem putat. Nonaginta me illaqueant anni, hanc effugere nec possum velle, nec velim posse. Absit veteranam Eleazari pietatem terga vertere, pulcherrimam vitæ fabulam extremo in actu corrumpere. Sine fruge hanc frontem aravit tempus, nisi laureolam meto &c. &c. Addo exornandæ huic virtuti figuras Biblicas Gen: 3. *Tu insidiaberis Calcaneo ejus.* Glossa interl. *Calcaneo, id est fini, cui maximè insidiatur diabolus.* quod & S. Bernard: confirmat. *Scias diabolum soli perseverantiæ insidiari, quàm solam virtutem novit à Domino coronari.* Genes: 37. *Israël diligebat Ioseph super omnes filios suos, fecitq; ei tunicam polymitam,* Polymiton Græcis est vestimentum diversis coloribus contextum, sed S. Hieron: *pro varia* (inquit) *tunica, Aquila interpretatus est tunicam talarem, &c.* quod S. Greg: moraliter ad nostrum propositum. *Ioseph, qui solus inter fratres iustus perseverâsse usq; in finem describitur, solus talarem tunicam habuisse perhibetur. Nam, quid est talaris tunica, nisi actio consummata? quasi enim talaris tunica talum operit corporis, cùm actio bona ante Dei oculos usq; ad vitæ terminum tegit.* 1. Moral: 40. E contra inconstantiæ sensim à bono deficientis symbolum exhibet Fullonus in 1. Mach: c. 14. pag: 445. Statuam Nabuchodonosoris varijs metallis fabricatam, aureo scilicet capite, pectore & brachijs argenteis, ventre æreo, cruribus ferreis, pedibus partim ferreis, partim fictilibus. Talis est homo à bonis initijs sensim ad peiora desciscens. Sub cura parentum aurum est: sub Magistris, qui in parentum locum non pari tamen affectu succedunt, argentum. In Academijs adole-

ſcente pariter ætate ac licentia, æs; *prodigus æris:* brevi pravis exemplis fit ferrum, & ad rixas proſilit: mox deſinit in pedes ferreos affectusq́; viles ad res infimas. Deniq́; machina omnis ſubruitur; in timore enim Domini fundamentum non habuit. Pari imagine pingi poſſunt pleraq́; Chriſtianæ vitæ inſtituta, à principijs optimis paulatim in deterius deflectentia *vg.* Virgines Chriſtianæ, Chriſtiani milites, Religioſi, &c. Exhibet & aliud idem Fullonus in 1. Mach: c. 10. pag: 348. Dagon erat idolum Azoti, ex Hebræo ſignificat *piſcis triſtitiæ.* Putatur ab aliquibus caput piſcis fuiſſe, cætera ſpeciem hominis habuiſſe, alij ſupernè hominem, infernè piſcem, eoquè adumbratam Semiramidem. Huc forſan reſpexit Horatius, cùm dixit de Poëtis magnificè incipientibus, incongruè verò finientibus,

Turpiter atrum
Deſinit in piſcem mulier formoſa supernè.

Niſi id mavis de Syrenibus interpretari. Ejus idoli cultores dixerim, qui magna de ſe initiò polliciti, tandem longè aliter, quàm cæpêre, deſinunt; de quibus alius Vates:

Cæpiſti meliùs quàm deſinis. Vltima primis
Cedunt; diſſimiles, hic vir & ille puer.

Homines profectò ſunt, ſi primos annos inſpicias; ſi poſtremos in aquis fluitans genus lubricum, frigidum, exangve, muccoſum, de quibus prædicit Chriſtus, *refrigeſcet charitas multorum.* Porro ad hujus idoli fanum confugerat miles Apollonij ceu ad aſylum, ut antea inani ſpe vaniſq́; iactationibus animoſus, ita in fuga turpis & extremâ clade fuſus, quaſi ab humana ſpecie in piſcem deſinens. Quid tum? *ſuccendit Ionathas Azotum & templum Dagon, & omnes, qui confugerant in illud, ſuccendit igni.* Severâ ſcilicet ignis æterni pænâ vindicantur, qui

Divi-

Divinæ charitatis ignem in aquis voluptatum extinxêre.
Sancto quidem Augustino *piscis assus, Christus passus.* Sed piscis & symbolum & magisterium silentij, tum maximè colendi, cùm fluctibus adversitatum persecutionumque obruimur: At monstrosum illum ex homine piscem, qui post fervida initia frigidè finit, post solidos progressus lubricus labitur & elabitur, suâ in Cruce perseverantiâ damnat. Quanquam, qui virtutem hanc commendaturus ad instantias blasphemorum non se movit in eadem, ut aliquando contineret fugitantem, de Cruce quoq; in imagine sua descendere non dubitavit. Rem narrat Lyræus de Imit: IESV patientis l. 4. c. 7. pag: 223. à Rege Sanctio identidem filio suo sanctæ institutionis gratiâ narratam. Nobilis ac dives Angla Virgo in Ordine S. Benedicti se Deo dicaverat, & diu in sancta vocatione Deo hominibusq; cara vixerat: sed dæmonis invidiâ atq; astu incidit aliquando in oculos nobilis itidem sed vani adolescentis & in amores; qui fictâ consangvinitate alloquij copiam aliquoties nactus, ita strenuè tentatoris partes egit, ut persvaserit miseræ fugam è cænobio. Condicitur dies, imò nox, & hora noctis, locus & modus apostasiæ. Adest condicto loco infelix auceps; properat ad illum sponte *columba seducta non habens cor.* Oseæ 7. Iamq; ad destinatum ostium magnis ibat passibus per ædem sacram; cùm pervetus Crucifixi imago in medio Templi stans, quam præter eundum erat, festinantem alloquitur; *quò properas infelix?* quâ voce exterrita quidem, sed non compuncta, cæptum iter urgebat. Tantis ignis tartarei ardoribus abripiebatur? Christi igitur effigies manibus pedibusq; à Cruce revulsis fugientem insequitur ac manu dextrâ sublatâ clavum, quo Cruci confixa fuerat, in eam proijcit, qui maxillæ ejus impa-

ctus lato vulnere, carni magno dolore inhæsit, quo illa semianimis prolapsa in terram à sororibus ad preces matutinas confluentibus inventa: Christi verò effigies ad Crucem suam reversa priorem situm obtinuit, dextero brachio excepto, quod à Cruce refixum in tantæ rei memoriam perseveravit. Prò coronide dictorum sunto duo verissima dogmata. *Alterum*, triplicem quam suprà spectavimus in Calvaria Crucem, non ità suos affixos tenere, quin locum mutare possint. Potuit enim bonus Latro è sua cruce in Christi Crucem transire merito; potuisset transire & malus in crucem socij melioris, ac demum in ipsius Christi proficere, si voluisset. Et è contra. (Vt Velleius ait,) *à rectis ad vitia, à vitijs ad prava, à pravis ad præcipitia devenitur.* Multi, inquam, ex Cruce Christi in sequiorem crucem latronis deficiunt: idq; tum maximè contingit, cùm langvente patientiâ descendere cogitant, aut descendisse putant. Crux enim desertores suos non deserit, verùm altera in alterius locum succedit: ut idem, si non plùs patiatur infelix; verùm non iam ex virtute aut cum merito, sed ex necessitate & cum damnationis incremento. Finge enim aliquem cruciarium de sua cruce descendisse. Num eâ descensione luxati artus in suum statum redibunt? num vulnerum hiatus coalescent? num dolor omnis recedet? Minimè. Quin lectulus quivis molliculus utcunq; sit, crux erit. Quem celerior mors non confecit; longior enecabit tortura. Ipsa fomenta ac remedia torquebunt. Et post hæc omnia nil præmij restat sperandum, si non æterna supplicia metuenda. Quàm ergo beatiùs cum Christo perseverare: donec cum eodem alienis manibus deponaris. *Alterum*. Si Christus ipse de Cruce sua non descendit: minimè succensendum est, si te ex aliquâ afflictionis tuæ Cruce non il-

illico expediat. Deprecari licet, orare licet, ut si ei placuerit te liberet: sin minùs; acquiesce. *Non est in ullo reprehendendum iudicium Dei, quod semper iustum est, & iustè disponit omnia; sed venerandum atq; timendum.* ait S. Hier: c. 1. Lamen: Ierem. Hoc iudicio sive dispositione Dei, quis non in aliqua cruce hæret? S. Paphnutium Eremitam Ægyptij infixerunt in palma arbore, de quo P. Ioan: David

Quàm bene iuncta tuæ Paphnuti præmia pugnæ?
Palma Crucem, palmam Crux generosa dedit.

Petrus Helcius Madritensis à Mauris Marrochij in Affrica ad valvas portæ acclavatus, non modò per manus & pedes, verùmetiam lingvâ exectâ per caput, quòd dissimulato per humanum metum aliquamdiu Mahometismo, à Deo confortatus, Mauros & apostatas ad veritatem hortaretur. S. Liberatus Abbas cum 6. Socijs ab Arrianis Carthagine: item Alphonsus Castrius à Mauris ad Malucas insulas, è malis navium crucifixi: quibus occinuit memoratus Pöeta.

Cedat sepositas Argo quæ vexit in oras,
Hæc pinus cæli, vos statione locat.

Sanctum quendam Sacerdotem Diœcesis Carnotensis in Gallia, cùm ab ipso sacrificio in sacris vestibus Hugonotæ corripuissent, pugnis & calcibus mulctatum, super ligneam Crucifixi imaginem crucifixerunt, sclopisq; interemerunt. Quid refert? quo genere crucis te Deus fixum voluerit? Perseverantiam adde, & quamvis crucem consecrâsti. Imò crux te non dimissa consecrat ac cælo infert. *Scalam Christus fecit,* (ait S. Aug:) *per quam hominem lapsum ad Deum levavit: qui desideras cælum, non te terreat angustia earum.* Quò altiore de gradu scalarum decideris, lapsu graviore rues.

XCIV.

XCIV.

Vtrum ambo latrones in cruce, vel alter illorum Christum blasphemavit?

PRæsentem etiam quæstionem parit SS. Evangelistarum dissonantia. Lucas enim c. 23 v. 39. *Vnus autem de his, qui pendebant, latronibus, blasphemabat eum, dicens: si tu es Christus? salvum fac temetipsum & nos.* S. verò Matthæus c. 27. v. 44. *Id ipsum autem & latrones, qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei.* Marcus quoquê c. 15. v. 32: *Et qui cum eo crucifixi erant, convitiabantur ei.* Manifestè prior exprimit unum blasphemum, posteriores utrumq; videntur culpare. Nec dixeris blasphemabat tantùm unus iuxta Lucam, improperabant verò, convitiabanturq; ambo iuxta Matthæum & Marcum. Nam improperia & convitia in Christum à blasphemia excusari non possunt. Dicit enim S. Hieron: *talis loquela, manifesta est blasphemia, quæ non lædit periclitantem, sed interficit blasphemantem.* in c. 1. thren. Non solvit hanc difficultatem & S. Paschasius, qui apud Sylveiram ait, dicuntur blasphemare latrones, quia in uno latrone impio designati sunt, quicunq; cum Adamo pomum vetitum rapuêre ac Divinam legem transgrediuntur: hi enim Christum blasphemant. *Non dicit,* (ait,) *ambo, sed unus; quia unus hoc fecit.* Quasi diceret: Quem Lucas memorat unum, sinister latro tantùm blasphemus fuit propriè & locutione physicâ: quos pluraliter alij Evangelistæ; omnes peccatores intelligendi sumus, qui moraliter etiam sine voce re ipsa Christo insultavimus & insultamus. Habet hæc explicatio ingenium & moralitatem, cæterùm textui non inhæret: non ponitur qui-

dem Ly *ambo*, ſed additur expreſſè, *qui crucifixi erant cum eo.* Peccatores autem omnes cum Chriſto propriè & realiter crucifixos fuiſſe dici non poteſt, niſi fortè valde impropriè & tropicè. Communiores hujus quæſtionis ſolutiones ſunt duæ.

1ma. Quam Sylveira dicit eſſe Græcorum, ut Origenis, D. Chryſoſtomi, Theophilacti, Euthymij, Titi Boſtrenſis, ex Latinis S. Hilarij. Addo ego Victorem Antiochenum & S. Hieronymum. Putant hi omnes utrumqué latronem initiò Chriſtum blaſphemâſſe: ſed alterum poſtea perpensâ Chriſti patientiâ, tenebris repentinis viſis, alijsq́; ſignis ac miraculis reſipuiſſe, & in Chriſtum credidiſſe. Meritò proinde dici & blaſphemâſſe pluraliter, quia ambo cæperant; & blaſphemâſſe tantùm unus, quia unus in blaſphemia perſeveravit: alter verò, quia reſipuit, perinde habetur, ac ſi non blaſphemâſſet. Reſipiſcentiæ ejus manifeſtum videtur indicium ingenua confeſſio. *Nos quidem digna factis recipimus.* Et hac celeriter præſtitâ maledici ac blaſphemi nomen amiſit. Confirmatur verbis S. Petri Actorum 15. v. 22. ubi ex Perſona Dei loquitur. *Inveni David filium Ieſſe, virum ſecundùm cor meum.* Vir ſecundùm cor Dei denotat iuſtum & ſine peccato: qualis David, quî vocetur; cùm multoties peccaverit? R. D. Iuſtinus M. Benignè pænitentiam honorat Deus: ſic enim velox eſt pænitentia in peccato expurgando, ut quem peccator ducit colorem, tam citò facti pænitentia abluat, unde nec videtur perdidiſſe ſanæ mentis colorem. Sed recito ipſa verba quorundam PP. Græcorum, quia præter pondus ſententiæ controverſæ, habent etiam pleraq́; eximiè dicta, & ad mores utiliſſima. Titus Boſtrenſis in Lucæ c. 23. *Initiò uterq́; latro æquè ac cæteri Iudæi Chriſto inſultabat: for-*

ſan

ſan, quò hâc ratione gratiam illorum emeriti veniâ poti-rentur, aut aliquod ſaltem pœnarum laxamentum conſe-querentur. Poſteaquam verò beneficio, quod à Iudæis ex-pectabant ſeſe fruſtratos viderunt, alter è latronibus reſi-puit, ſociumq́ꝫ, ut unà reſipiſceret graviter admonuit. (Nota multis occaſionem frugis melioris fieri, cùm à mundi favore deſtituuntur.) *Aſt unde hìc cùm miracula, quæ circa crucem paulò poſt acciderant, nulla viderat, ad mentem redijt? Fortaſſis ex oratione, quam IESVS Chriſtus magna cum fiducia ad Deum, tanquam ad Patrem transmittebat. Pater, aiebat,* ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt. *&c. Matthæus itaq́ꝫ & Marcus ad alia feſtinantes ea tantùm expoſuerunt, quæ initiò circa latrones acciderant, quod reliquum verò hujus hiſtoriæ erat, prætermiſerunt. Lucas verò prioribus tanquam ab alijs iam expoſitis miſſis, quæ Matthæus & Marcus omiſerant, proſecutus eſt: nempe unius Latronis pœnitentiam noxæq́ꝫ agnitionem, exordio ab oratione illa Domini facto.* Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt. *Per hanc enim probabile fit, alterum latronem ad compunctionem perveniſſe.* En cauſam efficientem converſionis! Victor Antiochenus in Marc: 15. ait. *Hanc de latronibus hiſtoriam Lucas accuratiùs proſequitur: Matthæus enim & Marcus rem hanc breviter attingunt. Scribunt autem latrones, qui cum illo crucifixi erant, æquè ac cæteros convitia in Chriſtum detorſiſſe. Lucas verò alterum ex eis convitiatum narrat, alterum verò convitiatoris gravi oratione inſolentiam compreſſiſſe & reprehendiſſe. Cui proinde magna quoq́ꝫ merces, magnusq́ꝫ honos à Chriſto promiſſus eſt. Fieri nihilominùs potuit initiò utrumq́ꝫ, quod cauſam, propter quam Dominus ad mortem condemnatus fuerat, ignoraret, blaſphemâſſe, poſtea verò Chriſti innocentiâ compertâ, alterum quidem*

convicijs valefecisse, alterum verò insanabili animi malitiâ detentum, post cognitam quoq; Domini innocentiam convitiari perrexisse. S. Hieronymus, qui pro sententia posteriore passim citatur in Matth: 27. apertè hanc priorem sententiam sequitur. *Hìc per tropum, qui appellatur Syllepsis: pro uno latrone uterq; inducitur, blasphemâsse,* (atq; si hic cessâsset, sententiæ posterioris author, meritò putaretur, sed sequentia priori favent.) *Lucas verò asserit, quòd altero blasphemante, alter confessus sit, è contrariò increpaverit blasphemantem. Non quòd discrepent Evangelia, sed quòd primùm uterq; blasphemaverit. Dehinc sole fugiente, terrâ commotâ, saxisq; disruptis & ingruentibus tenebris unus credidit in IESVM, & priorem negationem sequenti Confessione emendaverit. In duobus latronibus uterq; populus & Gentium & Iudæorum primùm Dominum blasphemavit. Postea signorum magnitudine alter exterritus egit pænitentiam, & usq; hodie Iudæos increpat blasphemantes.* Cornelius à Lapide premit illa verba Hieronymi. *Terrâ commotâ, saxisq; disruptis*, quæ pene eadem apud S. Chrysostom: hom: 2. de Cruce & Latrone, Origenemq; tract: 34. in Matth: dicit extare. Miraturq; eos PP. non animadvertere, quòd talis sententia non satis congruat Evangelio, quia exceptis tenebris cætera signa acciderunt mortuo iam Christo, cùm tamen perspicuum sit, Latronem conversum esse, vivente. Valet igitur ad succurrendum Patribus citatis S. Leonis sententia serm: 2. de Pass. *Quæ istam fidem* (puta latronis) *exhortatio persvasit? quæ doctrina imbuit? quis prædicator accendit? non viderat priùs acta miracula, cessaverat tunc langventium curatio, cæcorum illuminatio, vivificatio mortuorum, ea ipsa, quæ mox gerenda erant, non aderant: & tamen Dominum confitetur & Regem, quem videt supplicij sui esse*

consortem. Inde ergo oriebatur hoc donum, unde accepit fides ipsa responsum. Scilicet miracula proximè futura, quæ imminentia præsentiri poterant ex prodromis aliquibus signis, aut tanquam præsentia iam obversari, motivum fuerunt latroni resipiscendi. Quanquam causa summa & primaria semper dicenda, gratia, ait S. Cyril: Ierosol: Catech: 13. *Quæ te virtus illuminavit ô Latro! quis te docuit adorare contemptum simul Cruci affixum? ô lumen perpetuum illuminans obscuratos!* Addit Suarez fieri potuisse, ut Latro antequam incarceraretur Christum prædicantem audiêrit, miracula conspexerit vel audiêrit, & in ipsum crediderit. S. Vincentius Ferrerius eum conversum umbrâ Christi asserit, cùm scilicet sole gyrante umbra Crucis Christi eum contigit: an enim efficacior putanda est umbra S. Petri, quæ sanabat infirmos. *Vt in plateas eijcerent infirmos, & ponerent in lectulis ac grabatis, ut veniente Petro saltem umbra illius quenquã obũbraret, & liberarentur ab infirmitatibus suis.* Act: 5. Omnium profectò graveolentium arborum umbræ capiti noxiæ sunt, quales sunt Pinus, Larix, Abies, Terebinthus, Cypressus, Sambucus, & omnes species piceārum, ait Webberus disc: cur: 52. art: 1. & Kircher apud eundem testatur aliquos, qui sub nominatis arboribus dormîssent, ita bituminosis gravatos spiritibus & odoribus, ut febri inde contractâ multis mensibus lecto affixi hæserint. Clusius quoq; apud eundem genus Laricis ex America refert sub cujus umbra dormientes tam potente delirio corripiuntur, ut expergiscentes & usu rationis destituti, miros inde mores assumant, gerantq; se pro Prophetis, Militibus, Mercatoribus, singuli pro ijs, ad quæ eos naturalis incitat propensio. In novo Regno Granatensi (teste Herrera.) Arbor *aquapun* tantæ est vi-

rulentiæ, ut Hiſpani adhuc ignari ſub umbra ejus dormientes hydropicorum inſtar immodico omnium membrorum tumore diſtenderentur. Barbari quoq́; cùm ſe fortè nudi ebrijve ſub eadem abijciunt, ruptâ non rarò nimio tumore pelle, omnibusq́; inteſtinis effuſis miſerabiliter pereunt. Tales ſunt umbræ mundi, quæ nonniſi morbos peſtesq́; animabus inhalant. De umbra Crucis Chriſti dicta ſunt quædam ſub quæſtione XC. Hic addo ex citato Webbero umbras earum arborum, quæ naturâ conſtant aëreâ humano corpori ſalutiferas eſſe. Vt ſunt Pyrus, Pomum, Cydonia, Amygdalus, & omnia aurantiorum cytriorumq́; genera &c. Atq́; hæ umbræ tantò ſunt ſaniores, quantò fructus homini plùs conferunt. Siquidem vapores expirant vaporibus naturæ, id eſt ſpiritibus valde conſimiles, unde & ijs ſpiritus hominis æſtuantis temperantur & confortantur, & corporis membra inſtaurantur. Hinc Ægyptiorum mos fuit, ut omnes illos morbos, quorum vis eſſet in perturbatione ſpirituum, (ut Phrenesis, Melancholia, vertigo, triſtitia,) arborum quâdam diſſipativâ facultate pollentium amicis umbris adhibitâ etiam muſicâ curare ſoliti ſint. Simili curationis genere Bonus Dyſmas in lectulo crucis revaluit; cùm & in eum ex arbore Vitæ, Cruce inquam fructum ſalutiferum IESVM tunc geſtante virtus exiret, & muſica verborum ſacroſanctorum ſvaviſſima accederet. Addit citatus author umbras quasdam umbris contrarias: ita dolorem capitis, quem quis in umbra iuglandis contraxerat, in umbra mox Tiliæ mitigari ſentiet. Qui ex morſu canis rabidi hydrophobiam, ſive metum aquæ contraxit; ſi ſanatus umbram corni ſubiêrit, in eandem irremediabiliter delabitur. Sic eſt contraria umbris ſæculi umbra Crucifixi: furorem, quem Latro intra umbras ſyl-

sylvarum infestatarum conceperat, in umbra Crucis deponit: & lacrymas, quas ex oculis supplicantûm sibi duplus ridebat, cûm cerbereâ rabie sæviret: iam ex oculis suis supplex fundit. Porrò ut arborum umbræ solis radijs percussarum vaporesq; exspirantium non aliter operantur in corpora subiecta, quàm cùm laxati corporum pori aêrem umbrosum arboreis spiritibus permixtum admittant: sic & bonus Latro non aliter sanitatem ab umbra Christi, quàm aure, cordeq; apertis, admisit. Qui pori quoniam apud obstinatum alterum densiores erant neq; aperiebantur; expers remedij salutaris interijt. Aiunt Lusciniæ amari maximè umbram fraxini, eò, quòd summa volucri cum serpente & huic vicissim cum fraxino antipathia, ideoq; inter hujus arboris umbrosos ramos velut in arce munita contra hostem tuta vivit. Nos pariter, ut ab antiquo serpente immunes simus, in fraxineam Crucis umbram convolemus, quò impellit & S. Francisci Salesij scitum nobile, *vilis est anima, quæ alia in arbore, quàm S. Crucis nidulatur:* & S. Latronis exemplum simul invitat ac experimentum. Piè quidam nec improbabiliter relati à Cornelio meditantur B. V. M. stetisse mediam inter hunc Latronem ac Christum, ac illi gratiam impetrâsse; & morienti Christum re ipsa crucifixum exhibuisse, uti morientibus figura crucifixi proponi solet. Bene S. Rupertus in hanc rem advocari potest explicans Gen: 4. figuram Ioseph. *Ioseph duorum medius vinctorum in carcere utriusq; somnij sui proferens interpretationem Salvatoris nostri forma est vel umbra, qui duorum medius latronum in cruce, utriq; iuxta fidem & meritum suum dignè dedit sententiam.* Recole ipsa Iosepho somnia proposita. Alterum ergo de Canistro panum. Non quidem Latro Christo panem, imò potius la-

pidem exhibebat pro corde, quem Dominus in panem refingeret, si posset, blasphemo id faciens tentatoris ingenio: verùm Christus se Panem Vitæ illi communicabat; ast non lætiore successu quàm Judæ: utriq; illa sincerissima explicatio amoris pro somnio contempta, meritò in exitium cessit, & ipsi in escam vulturibus cesserunt stygijs. Alterum somnium erat de vino & ejus propagine sive vite. Quæ illa vitis, nisi(ex Delrij interpretatione) B. V. MARIA? Illam prædicat Epiphan. *Vitis veritatis fertilissima, minimè vindemiata.* Et Esychius. *Vitis uvarum ferax valde florens, intacta.* Chrysipp. *Vitis uvas pulchras producens.* S. Bonav. *Vitis ferens botrum, per quem pulsa mundi sitis.* Theotocion apud Buteonem. *Vitis vera, quæ germinavit Fructum Vitæ.* Si ergo per somnium visa vitis Pincernæ Pharaonis bene ominata auspicataq; fuit: quid mirum, si Vitis Divina ac mystica verè præsens ac adstans Dysmæ, saluti fuerit; quòd ei redemptionis lytrum, vinum vivifici sangvinis intercessione sua propinârit; cùm ipsa maximè torculari Crucis Filij sui premeretur. Fudit laticem misericordiæ, cùm sub Crucis prælo lacrymas miserrima funderet, non temerè utiq; nec sine gustu ac utilitate ab arida tellure combibendas. Non debuit incendio æterno ulmus illa sicca licèt damnari, quam adeò nobilis Vitis favore suo circumplexa esset. Alias ulmos vites aliæ exsiccant, hanc ulmum Virgo Vitis æterno virore beavit. De laudibus S. Latronis, de obstinatione mali, eximiaq; documenta ex utroq; vide apud Cornel: à Lapide in Luc: c. 23. a. pag: 228. & seqq: Sylveiram tomo 5. in Evang: lib: 8. Escobar in Evang: tomo primo, &c.

Altera sententia est Patrum Latinorum, ut Cypriani, Augustini, Leonis, Gregorij, Isidori Hisp: quam ut

pro-

probabiliorem sequuntur recentiores interpretes Maldonatus, Franc: Lucas, De la Haye Servius, Cornelius à Lapide, Sylveira. Vnum solùm latronem sinistrum Christo convitia dixisse, in plurali tamen poni latrones per Synecdochen sive ut SS. Hieron: & Isid: per *Syllepsim.* S. Augustinus tropo hîc uti SS. Marcum & Matthæum evincit allatis similibus S. Scripturæ phrasibus, ut ad Hebræ: 11. dicitur, *clauserunt ora leonum*, cùm hoc solus Daniel fecerit. *Secti sunt:* Isaiam unum sectum constat. Et Psal: 2. Astiterunt Reges terræ & Principes convenerunt in unum. Per *Reges* solus *Herodes*, per *Principes* solus *Pilatus* notantur. &c. &c. *Quid autem usitatiùs verbi gratiâ, quàm ut dicat aliquis. Et rustici mihi insultant etiamsi unus insultet. Tunc enim esset contrarium, quod Lucas manifestavit, si illi dixissent ambos latrones convitiatos Domino: ita enim non posset sub uno plurali unius intelligi &c.* Hæc S. Aug. Similes modos loquendi ex Scriptura afferunt Cornel: & Sylv. *Milites offerebant acetum.* Luc: 23. cùm unus obtulerit ex militibus, & posterior ex S. Hieron: Iudam solum indignatum esse, *ut quid perditio hæc?* cùm Magdalena Dominum unxisset: Matth: tamen 26. dicuntur *discipuli indignati.* Annotat pulchrè Bourg: pluraliter dicuntur convitiati, nempe *unus loquens, alter tacens & dissimulans.* Quamdiu tacebat, consentire videbatur, licèt deinceps cùm cæpisset loqui contrarium sentire sit agnitus. Idem Bourg: cum De la Haye, adhuc pluraliter dici de blasphemis, licèt in re unus fuerit, quia alter non solùm suo, sed etiam socij nomine improperarît, cùm diceret *salva temetipsum & nos.* Cornelius verò cum citatis insuper per *latrones* non personas, sed conditionem addit significare voluisse Matthæum & Marcum, ut ostenderet Christum in Cruce ab

omni hominum genere & conditione etiam latronum convitia pertulisse. Adeò sævè & insolenter certatim omnes Christo convitiati sunt, ut etiam collateralis latro cum eo crucifixus, & animam agens impudenter in eum probra coniecerit. Hæc Cornelius. Verum audiendus & Dela Haye. Matthæus & Marcus hoc modo rei indignitatem amplificârunt non tam personæ, quàm conditionis notatione factâ, ac si dicerent,non solùm à scribis & senioribus & populo ac vulgo inferioris notæ,expertibus tamen illius conditionis,in qua Christus erat, illusus, & opprobrijs affectus fuit, sed ab ijs etiam, qui cùm in eadem damnatione essent: & iusta de causa damnati in miserrimo se gradu agnoscere debuerunt, suæq; sortis & culpæ conscientia & pœnæ sensu,pudore affecti tacere: multò se tamen despectiorem inferioremq; putabant IESVM, quem præ se contemnentes improperio prosequebantur. Itaq; non tam homines ipsos, quàm personarum conditionem hoc loco notant Evangelistæ, ut Christum etiam latronum damnatorum conditioni detestatum illo tempore fuisse ostendant. Ita enim ille pro nostris culpis factus est opprobrium omnium hominum & abiectio plebis, ut expendant & animadvertant homines, quo abominationis & detestationis, quo odij & desertionis in loco mundus peccato, obnoxius esset,quando, qui illius vicem luendam innocens ipse subijt,his modis exceptus est. &c. &c. Omnes ordines,Iudæi, Gentiles, Sacerdotes, Populus, servi infimi, periti, imperiti, qui habebantur sanctissimi pharisæi, & sceleratissimi latrones. *Omnes videntes me, deriserunt me; locuti sunt labijs & moverunt caput.* Psal: 21. Bourghesius.

Sylveira morales rationes duas isti sententiæ subnectit. 1. Bonus Latro simul cum malo pendebat, & inde

ex malo ſocio notari poterat, ac ſi blaſphemus eſſet. Sicut & in unctione ſuprà citata, cùm Iudas unus obmurmurâſſet, omnes Diſcipuli, etſi Sanctiſſimi, quodammodo involvuntur. Ita ſcilicet homines cum ſuis ſocijs in idem aſſimilantur ac reputantur. Miratur Theodoretus q. 50. in Genes: quòd omnes homines etiam pijſſimi filij Seth perierînt diluvio generali; quæ tanti rigoris cauſa? *Sanè*, inquit, *delere ſobolem Cain voluit Deus, & quia piorum tribus illi permiſta erat, ob id ſupplicij fuit particeps.* En,ut iniquorum ſocietas nocet, ut cum illis etiam pii pereant, eidemq; ſupplicio adſcribantur. 2dò. Vnus blaſphemavit, & dicuntur plures blaſphemâſſe, quia ſic afficitur Chriſtus dolore ob perditionem unius, acſi omnes perdidiſſet; ſic & in memorata murmuratione Iudæ Dominus triſtabatur amiſſione unius oviculæ, acſi totus electorum cætus quodammodo periјſſet. Hinc & illa querela *Deus meus,ut quid dereliquiſti me.* D. Hilarius ait, quòd his verbis *ſuam ſolitudinem conqueritur.* Vtiq; aiebat, *cùm exaltatus fuero, omnia traham ad me.* Si traxit omnia, quomodo ſolus? Admittebat unum latronem, ita contentus ceu omnia attraxiſſet. Amittebat unum latronem, ita anxiabatur acſi ab omnibus relictus omnes perdidiſſet.

In favorem hujus, ſententiæ poſterioris adderem ego axioma iuris. *Bonus quisq; eſſe præſumitur, quamdiu malum eſſe non conſtat.* Nempe Latronem dextrum nunquam blaſphemum fuiſſe; quia nulla ejus blaſphemia refertur diſtinctè, cùm verò bonus fuerit & contra ſocium pro innocente læſo zelaverit: idem ſemper extitiſſe aſſererem. Verùm in re ambigua malo cum Eſcobar S. Ambroſij problema amplecti. *Quia Matth: & Marcus duos convitiantes inducunt latrones; Lucas unum convitiantem*

tem, & unum repugnantem: fortasse & iste priùs convitiatus est, sed repente conversus est. Potuit etiam de uno pluraliter dici, sicut & illud caprinis pellibus ambulabant, secti sunt: cùm solus Elias melotidem habuisse, Esaias sectus esse doceatur.

XCV.

Quibus de causis datum Christo acetum? & cur illud acceptavit? non verò vinum myrrhatum?

IN lege antiqua Levit: 2. præceperat Deus, ne in sacrificijs uterentur melle, non quòd liquorem tam amabilem & veluti cæli partum, (vocat enim Pöeta *äerei mellis cælestia dona*) abominaretur, sed quia antiqua sacrificia totidem erant figuræ sacrificij in Ara Crucis offerendi: Omittebatur ergo mel in figuris; quia in vero, quod figurabatur, nulla dulcedinis gutta admisceri debebat. Fel, myrrha, hysopus, acetum, cruciamenta palati & gutturis aderant in copia; atq; adeò repetebantur: quòd gustum leniret omnino nihil. Bis Dominus potatus semel antè, iterum post crucifixionem. De illa priore actum est suprà quæstione 84. & 85. De hac altera bifariam procedit quæstio; ad cujus primam partem. ℟. 1*mò.* Acetum porrectum est sitienti, illusionis gratiâ, sic enim Lucas expressè. *Illudebant autem ei & milites accedentes, & acetum offerentes ei.* Si ex consvetudine esset dare acetum damnatis, non diceret *illudebant ei.* Coniecturam facit Sylveira, quòd antiqua consvetudo fuerit crucifixis dandi vinum in spongia circumligata folijs hysopi, ut si aliquid vini ex spongia deflueret; hysopi fasciculo exciperetur: utq; ita crucifixus tam hysopi, quàm vini succum

cum ex spongia sugeret, quo vires animumq; reciperet. Porrò hyssopi usum in vino, acetove fuisse priscis familiarem Columella & Plinius testantur. Ratio est ex Galeno, Dioscoride, Ruellio, Dodonæo, quòd hyssopus vino admixta exanimatis vires ac animum redderet, ac deliquium depelleret. Verùm de hoc disputent Medicorum filij. Ad quid hyssopus inservierit hoc loco? variant Authores. 1. Chrysost: Theophylact: Euthymius, Thomas, Lyranus, Titelmanus, Carthusian: Barradas, Cornel: à Lap: aiunt, quòd calamus, cui imposita fuit spongia, erat hyssopus; in Palestina enim terra felicissima ac uberrima hyssopum hortensem altiùs solitò excrescere, qualis pro hastili, cui spongia infigeretur, esse potuerit; maximè cùm Crux ipsa non adeò foret alta. Verùm contra hanc opinionem, ejusq; confirmationem à Cornelio cogitatam stat oraculum Salomonis 3. Reg: 4. qui disputâsse dicitur utiq; in Palestina. *Super lignis à Cedro, quæ est in Libano usq; ad hyssopum, quæ egreditur de pariete.* Vbi manifestum est sumi pro herba minima, quæ Cedris maximis opponatur. Datâ non concessâ tam procerâ hyssopo, quid adhuc opus erat eam conquirere? numquid ad manum militibus sua pila lanceæve præstò non erant? Certè Estius locò hyssopi ex græco coniectat legendum esse pilum, hastam, telum Romanum: Vnde & Pilati nomen fluxit. 2. Sà & Tyrinus hyssopum fuisse pro ligamine seu filo ad circumponendam spongiam arundini. 3. Toletus & Escobar inquiunt, quòd miles spongiam implevit aceto, & ne imbibitus liquor elaberetur, hyssopum herbam ob amaritudinem satis funestam circumposuit, ita, ut hyssopus suis folijs spongiam compleret & involveret. 4. Maldonatus ait, milites imùm arundini hyssopum circumligâsse, tum deinde hyssopo spongiam circumposuisse

ſe, ut ex ſpongia non vinum modò, ſed corruptorem vini inſipidum hyſſopi ſuccum biberet. 5. S. Hilarius & eum ſecutus Baronius dicunt, ſuccum hyſſopo expreſſum cum aceto ſpongiâ exceptum, impoſitumq; arundini ac Chriſto porrectum. Sed à varijs ſententijs, ut ad filum quæſtionis ceu ex diverticulo redeam. Aio, Milites, ut placerent Iudæis, locò vini crucifixis dari ſoliti in ſpongiam acetum miſiſſe. In hac ſententiam Lyranus ad c. 27. Matth: adducens illud Prov: 31. *date ſiceram mærentibus*, &c. dicit. *Ex occaſione iſtius verbi ſeniores Iudæorum ſtatuerunt, ut condemnatis ad mortem daretur vinum aromaticum ad bibendum, ut faciliùs tolerarent paſſionem. In Ieruſalem autem erant Matronæ devotæ, quæ hoc vinum ex devotione procurabant, ſed Iudæi tale vinum datum pro Chriſto & alijs duobus acceperunt ſibi, & locò ejus poſuerunt acetum.*

2*dò*. Pro magno cruciatu in ſiti Domini, (& hæc ratio priorem explicat,) non dant dulcem ac ſvavem potum, ſed valdè acrem & acerbum, ut maximè Dominum torquerent, & ejus ſitim non extingverent, ſed augerent. Nam acetum licèt in exordio videatur ſitim imminuere, mox tamen accreſcere facit, quia, cùm valdè ſiccum ſit, vehementer deſiccat. Huc loquitur S. Chryſoſt: hom: 84. in Ioan. *Tu autem aſtantium pravitatem intellige, nam licèt innumeros habeamus inimicos, qui nos graviſſimè perſecuti ſunt, cùm tamen interimi eos videmus, flectimur miſericordiâ. Hi verò nihil moti magis efferantur & irrident, acetumq; in ſpongia porrigunt; ut bibat tanquam reus; nam propter hoc hyſſopum additur.*

3*tiò*. Baronius exiſtimat acetum datum fuiſſe Chriſto, ut ſangvinem reſtringeret, ac à profluvio ſiſteret, ſtomachumq; cum cæteris membris roboraret, & conſe-

quen-

quenter, ut cùm diutiùs conservatur in vita, IESVS diutiùs etiam torqueretur. Porrò spongiam tum per se, tum magis imbutam aceto & hyssopo, quorum utrumq; vim habere sistendi sangvinem Plinius & Dioscorides volunt, & Baron: de industria vas illud aceto plenum cum spongia, hyssopo & arundine, annotat præparatum; non tantùm ad propinandum crucifixis, sed ut arundini affixam spongiam, aceto hyssopiq; succo turgidam vulneribus eorum admoverent, quo sangvis profluens sisteretur. Cujus rei non levis coniectura est, quòd Spongia Sacratissima, quæ tum Romæ in Laterano, tum Parisijs in Sacello Regio divisa servatur, aliquem adhuc ruborem retinet, quàm sangvine tincta fuisset. Hanc è clavorum Vulneribus sangvinem priùs abstersisse, sed hoc expresso, aceto hyssopoq; intinctam, ori Dominico porrectam fuisse verosimile est. Vt non modò acidis amarisq; liquoribus, verùm sangvine quoq; proprio (quod horridum est,) potaretur. Miratur meritò acerbitatem istius cruciatûs Bourghesius.

4tò. E contra Theophylact: Caietan: Ianssen: Tolet: Franc: Lucas, Sà, Barrad: & alij astruunt acetum fuisse Christo porrectum, ut mors ejus acceleraretur, idq; factum nutu illorum, qui ex officio executioni mortis hujus præerant, utpote famescentium iam hora nona, ac ad domos suas anhelantium ad prandium. Nam acetum magnam vim habet penetrandi, suamq; malignitatem & amaritudinem omnibus membris, vulneribus, & plagis instillandi. Hoc de aceto sentiunt S. Hilar: Chrysost: & Nonnus, qui paraphrasi super Ioan: 19. *Acerrimum potum & siticulosam muriam, acetum exitij hyssopo permixtum* vocat. Et Theophylactus: *Acetum Christo in potum dabant, ut moreretur priùsquam veniret Elias: unde*

 alij

alij dicunt, sine, videamus an veniat Elias? Hoc est sine eum, ne facias mori, ut sciamus an iuvetur ab Elia. Alias interpretationes vide apud Cornelium in Matthæi caput 27. v. 49.

5*tò.* Potest addi ratio symbolica S. Augustini. *Date, quòd estis Iudæi; quippe erant acetum degenerantes à vino Patriarcharum & Prophetarum, & tanquam vas plenum aceto habentes, scilicet cor plenum iniquitate, & velut spongiam cavernosis & tortuosis latibulis fraudulentum.* Vnusquisq; dat id, quod habet: cùm igitur nil præter acorem in cordibus haberent, imò toti quanti lagunculæ aceti essent, acetum propinant. Sic & Origenes contra Celsum lib: 7. *Semper veritatis insidiatores fel suæ malitiæ & acetum proclivitatis ad malum offerunt Domino Deo suo.* Et Remigius Altissiodoren. *Acetum Iudæi à Patribus degenerantes, spongia fraudulenta corda, arundo Scriptura Sacra, quæ hoc facto implebatur.* Quanquam non solius hoc gentis Iudaicæ crimen est, si audimus S. Hieronymũ. *Vsq; hodie Iudæi & omnes increduli Dominicæ Resurrectionis aceto & felle potant IESVM, & dant ei vinum myrrhatum, ut eum consopiant, & mala eorum non videat.* Et S. Hilarium. *Vinum, quod in Adam coacuit, immortalitatis est honor an virtus? potavit ergo, ad se in communionem immortalitatis ea, quæ in nobis erant vitiata transfundens.* Ipsam quoq; hyssopum S. Aug: allegoricè expendit in cap: Ioan: 19. *Herba,* inquit, *est humilis, pectus purgans, Christi humilitatem significat, Christi enim humilitate mundamur, hanc Iudæi circumdederunt, & se circumvenisse putaverunt.* De hyssopo quoq; vide Cornel: in Matth: c. 27. v. 48. In hac morali explicatione aceti, sitis quoq; Dominicæ (nam hujus manifestatæ occasione datum est) moralis explicatio non prætermitten-

da. Arnoldus Carnoten. *Profluentibus*, inquit, *de sacro latere lymphis viventibus, emanantibus de fonte uberi largis liquoribus Christus sitire se perhibet.* Et Ven: Ludov: Blosius Abbas Lætiensis. *Habuit aliam sitim, puta amplius patiendi, atq; evidentius suum nobis amorem demonstrandi.* Post tot & tantas pœnas, *nondum satiatum est cordis mei desiderium, amoris mei flamma, neutiquam restincta est. Etenim si fieri posset, & Patri meo gratum foret, vel millies ob salutem omnium vestrûm crucifigi optarem.* Idem. Sitiebat, ut exhauriret omnes nostros cruciatus, dolores, afflictiones. Figura ejus erat Angelus, qui descenderat cum tribus pueris in fornacem Babylonicam Dan: 3. *Angelus Domini descendit in fornacem, & excussit flammam ignis.* Tertul: legit, *exhausit flammam ignis.* Quis verò hic erat, qui hominum flammas epotabat, ne illi pueri ab igne torquerentur, nisi magni consilij Angelus IESVS? qui ob sitim, quam habebat, nostrarum pœnarum flammas ne pueris nocerent, hauriebat. Sic Tertullianus memoratus contra Marcionem c. 21. *Verbum in fornacem descendens, flammas ignis exhausit, pœnas hominum sitiens.* Drogo Hostiensis serm: de Sacram: Dom: Pass: *Domine quid sitis?* interrogat. *Ergone plùs cruciat sitis, quàm Crux? de Cruce siles, & de siti clamas. Sitio. quid? Vestram fidem, vestram salutem, vestrum gaudium, plùs animarum vestrarum quàm corporis mei cruciatus me tenet.* S. quoq; Laur: Iustin. *Quòd Samaritanæ dixerat, da mihi bibere, hoc in Cruce ait omnibus sitio.* Et pulchrè tempora correspondent, erat enim tunc hora quasi sexta cùm fatigatus ex itinere sedisset ad fontem Ioan: 4. v. 6. Quod considerat Iuglaris elogio 69. *In meridie charitatis suæ circa horam 6tam fatigatus, iterum ex itinere sitit. Qui tamen stagnantes illi in corde aquas attendat; suis il-*

lum discet sitire, non sibi. Tantalus alter in ærumnarum Oceano &c. Sed revertor ad abruptum S. Laur: Iustin: textum: *Sitis hæc de ardore dilectionis, de amoris fonte, de latitudine nascitur charitatis. Sitiebat, & dare se nobis desiderabat.* Hoc & S. Aug: in Ps: 61. asseruit. *In Cruce positus sitio dixit. Quamvis illi non dederunt, quod sitiebat. Ipsos enim ille sitiebat, at illi acetum dederunt non vinum novum.* Sitiebat Dominus vinum novum ipsos nempe suos interfectores & crucifixores, ut eos ad salutem adduceret. Idem innuitur Psal: 109. *De torrente in via bibet.* Si bibet, cur non de limpido potius crystallinoq; fonte, vel de fluvio inundante? sed de torrente. Respondet S. Hieron. *Torrens nunquam mundam habet aquam, sed semper turbidam.* Bibit ergo Dominus in siti aquam turbidam, peccatores turbidos & fædatos maculis suorum criminum, hos sitit maxime, ut purificet ac sanctificet. Plinius perhibet quendam piscem dictum fascinum esse in mari, in cujus gutture salsa alioqui amaraq; aqua maris dulcescit: unde ad illum alij pisces confluunt de ejus liquore participaturi. Ejusmodi piscis IESVS noster dulces reddit ærumnas, quas prægustavit: aufert omnem amaritudinem & fel iniquitatis ex eis, qui se ori ejus siticuloso non subtrahunt. Pensat adhuc istam sitim S. Aug: in Ps: 61. *Quid tibi deest ô Corpus Christi? impletur de te quod prædictum est: adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes gentes servient ei. Quid ergo sitis? tantis populis non satiaris?* ait adhuc apud Psaltem, ibi *cucurri in siti.* Currit in siti unius peccatoris fugientis ac terga vertentis. Et si omnes Reges terræ & gentes ad eum veniant, si unus peccator ab eo fugit, sic præ illius siti currit, ac si omnino nil refrigerij sit expertus. Vnde addit S. Aug: loco citato. *Multos bibit, sed nunquam erit*

sine

fine siti. Significat ergo tropicè sitis Domini insatiabile desiderium plura pro nobis patiendi, nobisq́; debitas ærumnas exhauriendi: significat & ardentissimum zelum convertendi peccatores, eosq́; salvandi: & ut S. Nazian: in tetrastichis canit, *sitiri sitit Deus.* Genuinè tamen exprimit verum & realem appetitum humidi & frigidi. Verè sitiebat Dominus, quia omnem humorem cum sangvine effuderat; exsiccata erat caro illa sanctissima humido naturali effusione totius sangvinis consumpto: tum etiam quia totâ nocte in vigilijs transactâ nihil manducaverat, nihil biberat à cæna pridiana; & tandem, quia acerrimi cruciatus ac dolores ingentem sitim excitabant. Vt loquitur S Cyril: Alex: *dolores innatum calorem exagitant, vel quod in profunditate est humidum, consumunt; & igneis ardoribus viscera urunt.* Ex quo fauces exsiccantur & ardenti siti discruciantur, & tunc impletum est de Christo illud Ps: 21. *Aruit tanquam testa virtus mea & lingva mea adhæsit faucibus meis.* Sive ut Tertull: contra Marcion: c. 92. citat. *Agglutinata est gutturi meo,* ut scilicet defectu humidi moveri non posset. Vt igitur vera fuit sitis Domini, sic vero & congruo refrigerio placari debebat; verùm perversitas tortorum & hoc illi invidit, & pro eo tormentum substituit. Quanquam potiùs ipse amantissimus fellis nostri, illud vel moriens spongiâ collegit in delicias sitis suæ. Suxit illa spongia fellea ori Dominico admota liquidas voluptates in fonte suo; relictâq́; ibi acrimoniâ ipsum acetum factum est amabile. Dedicavit IESVS acidissimam potionem, ut hominibus servaret: quos dulcedine depravatos fortunæ aut voluptatis, amara solùm corrigunt; calamitas nempe & pænitentia non secùs ac ventriculus corruptus dulcibus, amaris restauratur, quæ illum mirificè confortant. Aiunt

fasciculum ruthæ è funiculo in antra venenosorum animalium immissum, omne ex illis venenum extrahere: En IESVS meus myrrhæ fasciculus è Cruce pendens, omnem acorem & amaritudinem ex mundo extrahit. Meritò illum grano sinapis comparat S Chrysol: serm: 98, amaritudinem enim sibi vendicat. *Christus, (ait ille,) velut granum sinapis in horto Corporis Virginei missus, orbe toto Crucis in arborem crevit, ac tantùm dedit fructus sui saporem cùm teritur in Passione, ut quidquid est vitale, suo saporaret & condiret attactu.*

Ad 2dam partem quæstionis pono pro fundamento verba S. Ambrosij. *Acetum bibitur, vinum cum felle non bibitur*, quem sequitur Caietanus & alij verôsimiliùs opinantes, quòd Christus acetum biberit; quàm Titelmanus secutus D. Antoninum 1. part: tract: de Pass. *Cùm accepisset acetum non quidem bibendo, sed gustando.* Germana enim significatio verbi *cùm accepisset*, haustum potiùs quàm degustationem significat. Non accepit ergo Christus potionem vini myrrhati, & accepit potionem aceti cum hyssopo: Cur?

1. Respondet Sylveira, hausit acetum, quia erat merum acetum, labia verò amyrrhato*fellitove vino avertit, quia erat permixtum, in quo denotabatur admixtio bonitatis ac malitiæ. Plùs Domino, quàm fel, displicet fellis & vini permixtio. Ita & S. Ambrosius ait. *Acetum bibitur, vinum cum felle mixtum non bibitur: non quia fel, sed quia admixtæ vino amaritudines recusantur.* Non aliam ob causam in paradyso omnis ligni fructus ad vescendum permittitur, lignum tantùm scientiæ boni & mali prohibetur, quia in eo scientia boni & mali sive bonum & malum coniungebatur. Ita horret IESVS palliatam pietate hypocrysim, ut apertam malit malignitatem

2. Idem

2. Idem Rdet. Myrrham respuit, quia ipsa eripiebat sensus ad dolores perferendos, (nam ut notat Escobar torquendis ut membra obstupescerent, minùsq; doloribus afficerentur, hoc genus vini solitum propinari.) Christus verò sensum dolorum sibi nullo modo volebat imminui, utpote quos unicè sitiebat. Acetum è contra libenter accepit, nam hoc vehementer acuit sensus ad cruciatus sustinendos: ideoq; solet deliquia patientibus suffundi. Myrrham impedientem dolores reijcit, acetum excitans sensus ad sensum cruciatuum sitit & bibit. Ne dixeris vinum illud myrrhatum non fuisse quale alijs reis propinabatur generosum & bene conditum, sed vappam evanidam felle subactam. Adeòq; expediens fuisse, ut biberet, ex quo potu seu confortatio, seu sensuum stupor ac insensibilitas secutura non erat, sed loco ejus tormentum palati atq; gutturis. Concedo Antecedens, sed nego consequentiam. Nam licèt tam depravatus fuit potus à tortoribus; depravatus tamen fuisse nesciebatur à spectatoribus, qui tantam patientissimi IESV in Crucis supplicio perferendo constantiam, vino utiq; myrrhato hausto facilè adscripsissent. Quod Dominus nolebat, cùm adhuc per Isaiam diceret. *Indignatio mea auxiliata est mihi.* c. 63. Tigurina legit. *Æstus meus fulciebat me*, hoc est nullo alio medicamento, nullo fomento externo indigeo, ad acerbam Crucis mortem perferendam, cùm ab interno æstu mei amoris ad multò graviora sustinenda fulciar. In aceti verò propinatione nulla fuit spectatorum deceptio, sciebant vas adesse plenum aceto, videbant hyssopum; adeòq; acceptavit hunc alterum potum, cujus ut manifesta malignitas, ita propiùs erat effectus languentium sensuum excitatio, sangvinis profluentis inhibitio, &c.

3. Po-

3. Poteſt dici. Non acceptavit IESVS vinum myrrhatum in gratiam ſuæ veracitatis, dixerat enim in ultima Cœna: *Dico autem vobis, non bibam de hoc genimine vitis usq; in diem illum, cùm illud bibam vobiscum novum in Regno Patris mei.* Matth: 26. Quamvis nempe & myrrhâ & felle alteratum fuerit: vinum tamen erat, cujus uſu ſibi Chriſtus usq; ad Reſurrectionem interdixerat, ut feriam illam ſextam totam ieiunus ac ſiccus à vino traduceret. Adeòq; non ob debilitatas ac fractas vires, imò nec ob ipſas doloris ac acerbitatis illecebras in felleo poculo natantes, quas alioqui ſitiebat, in propoſiti ſui rigore ſecum diſpenſavit: acetum verò, quòd degenerando à vino, ſpecie diverſum liquorem faciat, & appetentiſſimo patiendi guſtui Domini ſatisfacere potuerit, & ſitivit, & potavit. Diſcenda hîc propoſitorum bonorum, multò magis votorum Deo factorum, ſacroſancta & nunquam violanda religio.

4. Addi poteſt. Quia potum ante crucifixionem dabant pro more tortores: acetum autem cum hyſſopo non tam pro more, quàm pro illuſione. Illuſio & inſultatio condivit Domino acetum, invitavitque, ut biberet; qui priùs vinum absq; hac urbanitate oblatum recuſarât. *Perverſa mens carnalium ſancto ori amaritudinem applicat, & fonti miſericordiæ venena propinat.* Ait Arnold: Carnot: acceptatur tamen propinatio, quia ſuperadditur illuſio. Non enim ſecùs Chriſto patienti acetum tortorum inſultatio, quàm alijs combibonibus hilaris propinatoris comitas ac feſtiva humanitas pocula commendat. Bibitur ſapidè etiam acetum ab hilari geſtienteq; porrectum propinatore: bibit IESVS ab illuſore.

Deniq; audiamus S. Cyrillum Alex: l. 12. in Ioan: c. 35. *Pro iucundo & iuvante potu nocentem & acerbum at-*

tu-

tulerunt, & humanitatem, quâ moveri videbantur in impietatem convertunt. Inter cætera igitur, quæ crudeliter in Christum facta sunt, hoc quoq; poculum iudicamus, ex quo non parùm utilitatis consequi possumus. Discimus enim hinc, non posse satiari adversariorum animos in persequendis amicis Christi, sed usq; ad ultimum spiritum, magnum undiq; tentationum commovent æstum. Pendebat IESVS in Cruce mille tormentis ac doloribus confectus, & ultimum spiritum agebat: & en! pro svavi potu, vel simplici saltem aqua, acre ministratur acetum. Vnde tanta ferocia? cur non miseremini? cur tantis tormentis inflictis non lentescit vestri cordis rigor? Nesciunt mitescere Christi hostes, nec in sua rabie sistere; sed in persequendis Dei amicis nova semper meditantur, nec iam iam ultimum spiritum agentibus parcunt. Quid ergo? tantæ persecutorum pertinaciæ, par opponenda patiendi constantia: non recusandum cum Christo etiam morientibus labris oblatum acetum. Te verò potatorem mi IESV, si Iudæi iterum dixerint, ut olim Matth: 11. v. 19. quâ dilues excusatione calumniam? paucas intra horas calicem exhausisti: quem in horto Gethsemani à Patre plenum acceperas. Sed nimirum Te de genere dipsadum serpens momordit, (cùm scilicet Iudas osculatus est,) qui quos affecerit, vel si illis flumina de ventre fluxerint, siti necat. Ejusmodi serpentûm meminit Lucanus in Pharsalia. *In medijs sitiebant Dipsades undis.*

XCVI.

Latus Christi quare post expirationem apertum? & an sinistrum? an dextrum?

Pascitur in vivis livor, post fata quiescit:
Tunc suus ex merito quemq; tuetur honor.

Omnino consonè ad rationem & veritatem canebat Ovidius lib: 1. eleg. Verùm ne maiorem pöeticâ fide carmen suum mereretur; effecit, qui contra sanam rationem non exaturato livore viventis IESV supplicijs, in mortuum quoq; sævire præsumpsit. Ille inquam, contra quem nec exangvis corporis innata reverentia, nec mortem immeritam comitata prodigia tueri crucifixum potuerunt. Amplissima corporum vita functorum privilegia recitat Cassiodorus. *Corpus* (inquit) *quod semel reliquit molestias mundanas, humanas iterum pati non debet insidias. Nam etsi cadavera non sentiant, ab omni tamen pietate alienus dignoscitur, qui aliquid mortuis abrogâsse monstratur.* Et Plato l. 5. de Rep. *Mortui corpus hostem putare, cùm hostis ipse obierit, eo relicto quo pugnabat: quid putas eos, qui ita se gerunt differre à canibus in lapides sævientibus eo, qui recessit, prætermisso?* His dictaminibus freti generosissimi bellatores, non modò corpora peremptorum hostium ad honores sepulchri suis remittebant, verùm ipsimet splendidis funeribus, monumentisq; dignabantur. Talium quidam, cùm insigni pompa suo hosti iusta persolveret, admonitus fortè priorum inimicitiarum, festivè respondit: *Ego nulli meorum hostium ejusmodi triumphos invideo.* Procul ab hac simulata saltem humanitate interfectores IESV. Pepercerunt quidem crurifragio, sed ut maiori barbarie in viscera corq; ipsum ferro grassarentur. *Ad IESVM autem cùm venissent, ut viderunt eum iam mortuum, non fregerunt ejus crura; sed unus militum lanceâ latus ejus aperuit.* Ioan: 19. ad quem locum meritò succlamat S. Chrysost. *O pessimam voluntatem & sceleratissimam! &c.* Tanta in defunctum iam Dominum sævities vel fidem non inveniebat, vel defensionem nescio quo iure nacta est apud Petrum Ioannem quendam hæ-

resiar-

resiarcham: qui testibus Prateolo, Sixto Senensi, & Alphonso à Castro, docere ausus est contra manifestam sacræ historiæ authoritatem; Christum Dominum cùm lancea perfossus est, adhuc viventem fuisse. Tuebaturq; suum errorem authoritate S. Chrysostomi hom: 89. in Matth: ubi priùs Dominus lanceâ transfixus, tum clamans expirâsse ponitur. Verùm loco illo error, incuriâ scriptorum haud dubium, obrepsit. S. enim Chrysost: nunquam in hac sententia Evangelio contraria fuisse constat, tum ex hom: 84. in Ioan. *Non Christi sed ad Iudæorum gratiam conciliandam latus ejus lanceâ aperuerunt, & mortuo adhuc insultant.* Quin etiam in ipsa homilia, quæ ab Hæretico perperam citatur, inferiùs subiungit. *Alius autem accedens, lanceâ latus ejus aperuit. Quid his omnibus iniquius excogitari potest, qui eò iniquitatis devenerunt, ut mortuum iam corpus vexarent?* Quæ autem vexatio nisi lateris perfossio? 2. Citat pro se Hæreticus Evangelium Nicodemi, planè apposité 5tum Evangelium, qui 4. legitimis atq; Canonicis discredens 5tum sectatur, vel condit. Evangelium certè illud, quod sub nomine Nicodemi circumfertur apocryphum est, multis erroribus scatet, rerum ordinem gestarum pervertit, ab Ecclesia reijcitur; adeòq; nullam facit authoritatem rei, pro qua citatur. 3. Conatur evincere suum assertum rationibus. Verùm nulla ratio quantùmvis probabilissima robur habet, ubi contra clara & expressa Divini verbi authoritas militat, ut in nostra quæstione. Referam infrà sectarij argumenta, & diluam, (ne cuiquam aliquid roboris habere videantur.) ubi priùs ad primam partem quæstionis respondero.

℟. ergo 1mo. cum S. Cyrillo, & eum citantibus Cornel: Sylve: &c. Apertum est latus Christi post expira-

tionem propter certitudinem habendam, an? vel faciendam, quòd obijsset. Nempe, ut lanceâ tactus, daret signum vitæ, si quid adhuc ejus superesset, idq; ipsum tam vasto per loca maximè vitalia vulnere eriperetur. Militum enim horum, utpote custodum officium erat, efficere, ut sententia Iudicis Pilati compleretur, neu vivus adhuc JESVS de Cruce deponeretur, alioqui si non omnes, certè antesignanus eorum periculum capitis adijsset. Quisquis autem ille percussor erat, vulnus, quod inflixit, (ut observat Doct: Vinc: Moles in Philos: nat: corp: Chr:) inflixit omnino mortale; ut ex ipso moreretur, si fortè non esset mortuus. Tum, quia magnum fuit secundùm trinam dimensionem in longum, latum & profundum; fuit enim tantùm, ut manus ei posset imponi. (Colligit hoc Cornel: & Bourg: ex illo Ioan: 20. *Affer manum tuam, & mitte in latus meum.* Constat ejus magnitudo ex instrumento vulnerante, nempe ex lancea militari, cujus quidem cuspis dono Imp: Græci obtigit S. Ludovico Regi Galliæ; ferrum autem ipsum dono Baiazethis Magni Turcæ Innocentio VIII. transmissum asservatur Romæ ad S. Petrum. Lancea vulnus parvum infigere non potuit: Sed magnum, ex quo quàm plurimi exolvantur spiritus vitales & magna sangvinis fit effusio, propter venarum magnam solutionem. Vnde aliqui ex magno vulnere in brachio vel crure moriuntur. Ergo si in pectore magna fiat apertio, per quam præter spirituum vitalium dictam exolutionem, magna ingreditur aëris frigidi portio ipsas cavitatis vitalis partes refrigeratione offendens. Tum etiam mortale adhuc vulnus illud fuisset, quia vulnerabat partem magni usûs, quæ pericardium est. Non est quidem illa pars princeps corporis humani, usus tamen ejus est maximus; hoc enim cordis involu-

crum est, deservitq; ad refrigerium cordis mediante aquâ in ipso contenta, & inde vulnus pericardij est mortale. Vulneratum autem fuisse pericardium, docet aquæ effusio in illo contentæ, quæ secuta est lanceæ infixionem. Ex duplici hoc capite citatus de Moles evincit, vulnus hoc Christi futurum fuisse lethale, si viventi fuisset inflictum, negat tamen eo cor Domini fuisse læsum, atq; adeò ex hac ratione ait non fuisse lethale. Verùm S. Brigittæ contrarium est revelatum l. 4. c. 40. *Aperto latere & extractâ lanceâ sangvis in lancea quasi brunei coloris apparuit, ut ex hoc intelligeretur cor esse transfixum.* Et lib: 2. c. 25. *In corde punctus erat tam amarè & immisericorditer, quòd pungens non destitit, donec lancea attigit costam, & ambæ partes cordis essent in lancea.* S. quoq; Cyprianus de dupl: Martyr: *Christus amiserat quidquid in corde resederat sangvinis.*

2*dò.* Patravit iam in defunctum hanc immanitatem miles, (ut suprà innui) gratiâ placendi Iudæis. Hìc tantùm addo nihil esse tam absurdum, tam barbarum, tam impium: nihil in alios tam crudele & inhumanum, quod non adulator committere audeat, dum se posse placere ejusmodi actione sperat. *Ad Iudæorum gratiam latus ejus lanceâ aperuerunt, & mortuo adhuc insultant.* S. Chrysost: hom: 84. in Ioan:

3*tiò.* Ad mysticam significationem Ecclesiæ de ejus latere dormientis in Cruce efformandæ, quemadmodum Eva de latere & costa Adami dormientis ædificata est. In hunc sensum loquitur Tertullianus lib: de ani: c. 43. *Si Adam de Christo figurabat, somnus Adæ mors erat Christi dormituri in mortem, ut de iniuria perinde lateris ejus vera Mater viventium figuraretur Ecclesia.* Et S. Chrysost: hom: ad Neophyt. *Ex latere suo Christus ædificavit*

vit Ecclesiam, sicut de latere Adam ejus coniunx prolata est. Nam hac de causa Paulus quoq; testatur dicens: de corpore ejus & de ossibus ejus sumus, latus videlicet ejus significans. Nam sicut Deus de illo latere fecit fœminam procreari, sic & de suo latere Christus aquam & sangvinem dedit, unde repararetur Ecclesia. Et sicut in sopore quiescentis Adæ Deus lateris membra patefecit; sic modò post mortem aquam nobis donavit & sangvinem. Et sopor ille nunc mors est. &c. &c. Quadrat huc mirabilis ille eventus, quem ex Lucio Marindæ refert Wäël in corona vulnerum, & alij. Vrracam scilicet Garsiæ Ennici Arragoniæ Ducis coniugem & in bello contra Mauros sui mariti individuam comitem, lanceâ in latere grandi vulnere ab hoste percussam, fuso exercitu & Ennico occiso in Navarræ montibus concidisse. Ibi fortè à Nobili quodam dicto Gwevarra deprehensa & agnita, cùm infantulus, quem utero gestabat, per vulnus manum exereret, eum ex utero matris excidit; adhibitisq; fide dignis testibus in spem ditionis paternæ curavit educari. Gestabamur omnes intra viscera misericordiæ Dei ac Salvatoris nostri; (ut est Isai: c. 46. v. 3.) apertum est lanceâ latus ejus, per quod ad vitam æternam sumus regenerati. Subtiliùs adhuc & ingeniosiùs rationem hanc suo more tractat Sylveira. Aqua, inquit, quæ profluxura erat à latere, homines designabat iuxta illud Apoc: 17. *Aquæ, quas vidisti, populi sunt & gentes.* Cùm ergo aquæ illæ intra præcordia Domini inclusæ homines designarent, non permisit lateris vulnus adhuc vivens, veritus adhuc in typo ab hominibus separari. Tanto amore erga nos flagrabat, ut nec adumbratam hominum absentiam pateretur. Post mortem verò anima ad inferos ad sinum Patrum descendit, ac in visceribus terræ triduo habitavit. Tunc per-

cuſſo pectore aquæ homines adumbrantes defluunt in terram, in qua anima Chriſti morabatur, ut nec ad breve tempus ab hominibus abeſſet, quos in finem dilexerat. Ex quo diſcurſu liquet, quòd licèt ex latere Chriſti Eccleſia prognata eſt, à latere tamen ejus & corde ſit inſeparabilis, tam enim impenſè ab IESV amatur.

4*tò*. Vt ex aperto latere ſangvis & aqua ſymbola Sacramentorum Baptiſmi & Euchariſtiæ, ad quæ cætera omnia referuntur, quæ vim omnem ſuam ex Chriſti morte conſequuntur, profluerent. Ratio eſt in terminis Bourghesij, in ſenſu plerorumq; omnium Scriptorum. Et hâc ratione ſuperior, ſive immediatè præcedens explicatur atq; roboratur. Scilicet Sacramenta ſunt Eccleſia cauſaliter, ſive, ſunt cauſa Eccleſiæ aut efficiens, aut formalis; ſicut materiale Eccleſiæ eſt collectio hominum credentium. Sed Sacramenta ex latere Domini prodierunt, ergo prodijt Eccleſia ipſa. Quòd ex latere profluxerint Domini, probo authoritate S. Aug. *Non dixit, inquit, Evangeliſta, percuſſit aut vulneravit, ſed lanceâ latus ejus aperuit, ut illic quodammodo oſtium vitæ panderetur, unde Sacramenta Eccleſiæ manarent, ſine quibus ad veram vitam non intratur.* Confirmatur idem cæleſti viſione S. Gertrudis, quæ communicatura, ex Chriſti latere vidit Sacram Hoſtiam prodire, *lib:* 3. *inſtit: Spir: c.* 10. Sanctia quoq; Carillia, (ut ſcribit Roas in ejus vita;) pari prodigio baptizatos infantes, ex eodem corde & latere Salvatoris vidit prodeuntes veluti ex fonte Sacramentorum omnium. Nam ut docent Card: Toletus & Suarez. Baptiſmus eſt ianua Sacramentorum, eorum verò finis & conſummatio Euchariſtia: ſicut enim per Baptiſmum capaces ſimus aliorum Sacramentorum: ita per omnia, gratiam conſequendo, tendimus ad unionem myſticam cum

Christo, quæ specialiter perficitur in Eucharistia. Cùm ergo in aqua & sangvine hæc duo principalia Sacramenta profluxerint, per consequens omnia profluxisse dicuntur. *Non casu*, ait S. Chrysost: *& simpliciter hi fontes scaturiunt; sed quoniam ex ambobus Ecclesia constituta est, sciunt hoc initiati, per aquam regenerati; sangvine nutriti.* Et alio loco. *Priùs diluimur, postea mysterio dedicamur.* Quod hic de duobus principibus Sacramentorum diximus, dixit Cyprianus de omnibus Sacramentis notanter pœnitentiam specificando. *De latere tuo fons egreditur in vitam æternam prosiliens, Sacramenta in perpetuum duratura, & fontis illius ubertas perenni lapsu universam Ecclesiam rigat & fæcundat. Ex hoc fonte non solùm ablutionis primæ undas haurimus, sed & compunctionis & lacrymarum perennes effluunt rivi, misericordiarum svavitas, & totius pietas affectûs.* Iam, quòd Sacramenta sint formale quoddam Ecclesiæ, quo scilicet ejus materia sive cætus fidelium informatur & animatur, constat expensâ singulorum efficaciâ. Vtiq; *Baptismo* Ecclesia nascitur, *Confirmatione* roboratur, *Eucharistiâ* pascitur & perficitur; *Pœnitentiâ* sanatur. *Extremâ unctione* munitur, *Ordine* gubernatur; *Matrimonio* propagatur. Sed hæc omnia iam reductivè ad duo principalia, iam verè & propriè ex latere Domini fluxerunt. Ergo & Ecclesia, ut ait S. Aug: de Symb: c. 6. *Ascendat Sponsus thalami sui lectum; dormiat moriendo, aperiatur latus ejus, & Ecclesia prodeat Virgo, ut quemadmodum Eva facta est ex latere Adam dormientis, ita Ecclesia formetur ex latere Christi in Cruce pendentis.* Et S. Maximus Taurin. *Tunc regenerationis potentiam sanxit, quando de latere ejus fluxit sangvis redemptionis & aqua Baptismatis.* S. quoq; Ambros. *Ex illo incorrupto corpore sed defuncto continuò vi-*

ta manavit, aqua enim & ſangvis exivit illa, quæ abluat; ille, qui redimat: quare de latere? quia unde culpa, inde gratia, culpa per fœminam, gratia per Dominum IESVM Christum. Hoc ſenſu accipiendus obſcurus cæteroqui textus Euthymij in Ioan: 19. *Foditur lanceâ in latere Salvator, quia peccato vulneratum eſt latus Adæ: ſive ut Evam lateris ſui vulnere à plagâ lateris ſanaret.* Quaſi diceret: per latus Adam, (quòd utiq; fuit Eva illinc ſumpta;) hoſtis interemerat genus humanum, per latus idem Chriſti vivificatur. Non omittendus & Ruffinus in expos: Symb. *Cur non ex alio membro, ſed ex latere potiùs produxiſſe dicatur aquam & ſangvinem? videtur mihi per coſtam mulier indicari; quia ergo fons peccati & mortis de muliere prima, (quæ fuit primi Adami coſta,) proceſſit; fons redemptionis ac vitæ de ſecundi Adami coſta producitur.* Nec antiquiſſimus Scriptor S. Hypolytus M. citatus à Theodoreto dial: 3. *Atq; etiam cùm ſit corpus mortuum humano more, magnam vitæ in ſe habet facultatem. Quæ enim ex mortuis corporibus non profluunt, ea ex ipſo profluxerunt ſangvis & aqua. Vt ſciamus quantùm ad vitam valeat poteſtas, quæ in corpore habitavit, ut nec ipſum corpus alijs ſimile appareat, nobis autem ea, quæ ſunt vitæ cauſa poſſit profundere.* Sed iam ſtabilitâ ratione præſenti poſſet quiſpiam dicere, quare non potiùs in corpore vivo hoc oſtium vitæ ſanctioris ſive Sacramentorum apertum eſt, ſed in mortuo? Reſpondet S. Ambroſius. *Vt voluntarius magìs, quàm neceſſarius ejus exitus videretur:* ideoq; nec crurifragium cum ſocijs latronibus ſubire voluit, tum propter myſticas rationes, ut integrum ſcilicet corpus proximæ reſurrectioni ſervaretur; ut nihil imminutam animi firmitatem ac fortitudinem, quæ oſſibus ſignificatur, indicaret: Tum maximè, ut non ſemper qua-

si necessariò voluntati Iudæorum obsecundare debuisse agnosceretur; sed tantùm, quantùm ipse satis ad abundantem redemptionem dispoſuerat, & per Prophetas prædixerat.

5tò. Apertio lateris, indicat apertam Regni Cælestis ianuam, quæ ante Christi mortem nemini patuerat. *Bourg.* Hinc S. Chrysost: lanceam hanc *Cæli clavem* appellavit. Aureum Oratorem secutus P. Hieronym: Petruccius in allocutione ad Vrbanum VIII. *Mucro ille diræ lanceæ Pontificalem mutatus in clavem ad apertum vitæ ostium nos invitat. &c.* Et S. Aug: in Ioan: serm: 120. *Vigilanti verbo usus est Evangelista, ut non diceret, latus ejus percussit, aut vulneravit, sed aperuit, ut illic quodammodo vitæ ostium panderetur &c.* Vberiùs hanc rationem exequitur Franciscus Collius Sacr: Theol: & Colleg: Ambrosiani Mediolani Doctor. Lateris apertione aliud adumbratum esse & significatum mysterium autumo, quod commodè in cælorum ianuam quadrat; hæc enim quæ diu protoparentis Adæ peccato clausa fuerat, rursus Passionis Christi tempore, quàm diræ lanceæ vulnus consummavit aperta est, hoc siquidem in sensu rectè intelligi potest ea, quàm S. Ioan: memorat Apoc: 4. *Post hæc vidi, & ecce ostium apertum in cælo.* Nullum enim latere posse arbitror, quin ad apertionem ostij lateris Christi, statim pariter serie quâdam Divinæ præordinationis cæleste ostium multis iam antè sæculis mortalitati clausum patuerit. Patuit aperto hoc latere Aurea porta Magni Iubilæi: & lancea percussoris ignitam Rhomphæam Cherubini excubantis, ab aditu paradysi removit. Lobbetius hoc ostium in latere IESV, ut ostium vitæ duplicis considerat. Vitæ, inquit, tum gratiæ in hac ora mortali, tum gloriæ in cæli regia & beatitatis sede.

Hâc intratur ad cæli gloriam: ſed hâc priùs ad Chriſti gratiam, imò ad cor ipſum. Igitur.

6tò. *Non dicit Evang: latus ejus percuſſit aut vulneravit, ſed aperuit, ut per vulneris magnitudinem non tam vulnus fuiſſe, quàm oſtium apertum ad cor ſuperbenedictum putaretur & eſſet.* S. Aug: in c. 19. Ioan. Idem lib: de Civ: Dei c. 26. *Oſtium in latere, quod arca accepit, profectò illud eſt vulnus, quandò latus Crucifixi lanceâ vulneratum eſt.* Sequitur Theodidacti Doctoris ſenſum, dignus eò diſcipulus Simon de Caſſia. *Vnus (inquit) militum lanceâ latus ejus aperuit, ut aperto latere agnoſcamus dilectionem cordis usq; ad mortem, & ad illum ineffabilem ejus amorem ingrediamur, quo ille proceſſit ad nos: & accedamus ad cor ejus, cor altum, cor ſecretum, cor omnia cogitans, cor omnia ſciens, cor diligens, & per apertam portam ſiamus, ſaltem in amoris vehementia cordiformes & mente intremus ad ſecretum ab æterno abſconditum, nunc in morte quaſi aperto latere revelatum. Sibi ad negligentiam imputet, quisquis non ingreditur, ſi apertum videt introitum.* Eundem uſum aperti lateris exiſtimavit S. Bernardus cùm diceret. *Ad hoc eſt perforatum latus tuum Domine IESV, ut nobis pateat introitus: ad hoc vulneratum eſt cor tuum, ut per vulnus viſibile vulnus inviſibile videamus.* Et alio loco. *Vulneratur lanceâ furoris, qui priùs vulneratus erat lanceâ amoris.* Quaſi diceret. Amor ſuus noſtri, pectoris ejus arcana pandebat, ſed nos hoc videre agnoſcereq; non poteramus, niſi furor ſacrilegorum hoc in corpore exhiberet, quod Chriſtus faciebat in animo & affectu. S. Franc: Borgia cùm aliquot varias aperti lateris cauſas attuliſſet, hanc maximè amplecti videtur. Ait enim l. 1. pag: 41. *Apertum latus ipſius poſt mortem, ut clarior fieret inde dulcedinis ejus effluentia &*

efficacia, ut etiam efflatâ animâ quasi pati videretur. Non possunt iure queri Adam filij clausam sibi paradysi portam, ad cujus aditum tantâ dulcedine, comitate, fructu, invitantur. Etenim divisum est pectus Salvatoris, ut inde sumerent vires haurirentq; salutem, cujus pretium inexplicabile, cujus pulchritudo æterna, cujus fructus sine rugis, cujus flores nunquam marcescent, nec latrones timent, nec feritatem mortis. Huc semper accurre si te videris lacessitum tentationibus, dum ejus iucundissimo favore leniatur tempestas. Asylum tentatis & afflictis, portum naufragis, quietem solicitis atq; turbatis, intimum cubiculum Dominus aperuit in suo latere amantibus. Vnde S. Gregorius ad illa verba Cant: 2. *Columba mea in foraminibus petræ, in caverna maceriæ*, ait. *Cavernam verò maceriæ vulnus lateris, quod lanceâ factum est, eodem sensu dixerim.* Huc invitabat Isaias c. 2. *Ingredere in petram, & abscondere in fossa humo.* Huc intrâsse gaudebat, qui aperturam tantis encomijs celebrarât, S. Augustinus. *Longinus*, inquit, *aperuit mihi latus Christi lanceâ & ego intravi, hìc fidenter habito, hìc me iucundè reficio, hìc quiesco securus.* B. Margaritæ de Cortona Christus aliquando specie Crucifixi apparens, etiam vulnus lateris aperuit, & per illud cor ipsum ostendit, ad quod animo & votis evaderet, ceu casti amoris habitaculum, in quo quiesceret ipsa, & Divini amoris pateretur incendia. Sic & B. Gertrudi se visendum dedit; suum illi latus aperuit, & in illud manum immitti voluit, ut in cor ipsum amoris sedem, officinam charitatis, eam immitteret, hauriretq; inde & lucem & ignem Divini amoris. Et certè hausit. Vidit enim sensitq; radios à corde Christi in cor suum evibrari, & hinc transfigi se totam, totam uri se sensit. Vt & tu ô anima mea sic felici lanceâ transfigaris.

eoq; ardeas igne; per illud patulum latus Christi, cor ejus tange. *Tanges* autem, inquit ipsa Gertrudis, *si amorem Christi ponderes. Magnum*, (ait Bernardus,) *illud pietatis Sacramentum: Patent viscera misericordiæ Dei nostri, quibus visitavit nos oriens ex alto. Quidni viscera per vulnera pateant? in quo enim clariùs quàm in visceribus tuis eluxisset, quòd tu Domine IESV svavis es, & mitis, & multæ misericordiæ.* Vulnus hoc ingens os Leonis de Tribu Iuda interempti dixerim, in quo rationalium apum examina favos & per gratiam inveniunt, & per sanctam meditationem conficiunt. Vbi porrò attentâ meditatione hunc amorem ponderaveris, in ipsum ejus cor intrabis, per lateris vulnus ceu per ostium admissus. Sic intravit aliquando B. Angelæ de Fulgino anima etiam adhuc corpori immersa, intravit inquam in Christi latus & cor ipsum, & ibi miros concepit Divini amoris ignes, admiranda lumina & ea gaudia, quæ nec mens capere, nec lingva valeret eloqui. Ioannes de Incontris nobilissimus iuvenis, tyro Ordinis Augustiniani cum incommodis vitæ monasticæ afflictus, retro ad delicias domus paternæ respectaret: id neutiquam ferens D. IESVS visendum se illi obtulit, detectoq; lateris vulnere *Fili*, inquit, *ubi cibus tibi aridior, lectus durior, molestiores fuerint vigiliæ, ingredere vulnus hoc, & intinge illa in sangvine lateris mei, & illico dulcescent omnia.* Monenti obtemperavit iuvenis, & tantis abundare cæpit solatijs, ut vitam planè cælestem in terris degeret. Gradiebantur veteres Romani per templum virtutis ad templum honoris: modò Romani Catholici per apertum templum lateris & cordis IESV ad templum honoris æterni sive Regnum Cæleste progredimur; interim in ipsa mortali vita adhuc, qui devotè cavernam lateris Dominici incolit, non tam

ad

ad cælos illac transitum apertum, quàm cælum ipsum in illa apertura experitur. Diviné ad rem nostram disserit S. Augustin. *Si Petrus antequam Christus pro omnibus crucifigeretur Regni Cælorum claves non accepit, quà illuc intravit Latro ille iam non reus, nisi per latus, quod aperuit Iudæus? & nunc veniant omnes quicunq; amant paradysum locum quietis, locum perpetuæ felicitatis: Venite omnes, intrate omnes: est, quà possitis intrare, patet latus Redemptoris. Ostendit ille Latro, quà debeant omnes intrare, neminem suo exemplo docuit desperare. Vt contendamus intrare per angustam portam. Per has angustias iam totus pené mundus intravit. Hæc porta Domini iusti, intrabunt in eam.* Ps. 117. Si hanc materiam copiosiùs tractatam velles ô Lector, adi R. P. Gvilelmi de Waël Coronam SS. Vulnerum à pag: 353. consid: 3. *Vulnus lateris domicilium animarum*, & R. P. Adriani Lyræi de Imit: IESV patientis lib: 5. c. 6. Mihi ad alia festinanti sufficiat præsentem quæstionem doctissimi Sylveiræ reflexione obsignare: Cur non permisit hoc vulnus sibi inferri vivo, sed mortuo? Vulnus, quód infertur in corpore vivo potest callum obducere, conglutinari, coalescere, minimé veró in corpore mortuo. Et Christus voluit lateris vulnus nobis semper esse patens & apertum, ut in illo nosmetipsos recipiamus, ut ibi subsidium ac subterfugium in cunctis habeamus.

7mò. Nec cordi suo pepercit Deus, illud quoq; in salutem nostram impendere voluit. Voluit inquam mortuo sibi latus aperiri, ut cor suum nobis traderet ac patefaceret, & quasi legaret ijs post mortem, quos in vita amaverat. Haberent cor exanime, quorum causâ exanimatum est. Cederet ijs, quos amabat dum viveret; & siquidem emortuum vitalem amoris actionem exercere iam

non

non posset, in contestationem saltem voluntatis ardentissimæ ipsum organum amoris in hominum manus veniret. Item, ut hoc pacto charitatis intimæ præcordia & misericordiæ viscera exhiberet. Verbo, Ad immensum & inexhaustum suum in nos amorem prodendum, quod reliquum erat sangvinis, & cor ipsum membrorum tenerrimum atq; carissimum impendit. Hanc rationem maxima ex parte desumpsi ex Bourghesio; illustro eam ex Lyræo. Cùm se Dominus Pelicano solitudinis similem factum non ignoraret, disposuit sic aperiri pectus suum, quo velut pullos suos cordis proprij sangvine omnes enutriret. Residebat quoq; vel in emortuo corde magnes ille paradysi Amor; & is ad se lanceam attraxit, quò desiderium etiam plura patiendi monstraret. *Cor*, (ait S. Augu*st*:) *amore ignitum ad se traxit lanceæ ferrum.* Durum quidem ferrum, quod ultra vitam extensum, (unde & S. Chrysost: crudelem hanc illusionem demortui *ipso Crucis supplicio peiorem* dixit hom: 84. in Ioan: & Ecclesia, cùm dulce lignum, dulces clavos Christi cum gustu recolit; *lanceæ dirum mucronem* deplorat,) durum inquam ferrum, sed ferro & morte fortior dilectio, quæ etiam trans mortem evadit: ut, qui occisus ab origine mundi vulnera ferre cæpit propè antequam viveret; etiam posteaquam vivere desijt, vulneretur. Magna tamen huic lanceæ habenda gratia est, quòd brevis mortis noctem dormiente Domino cor ejus vigilare monstrarît; patefacto enim latere, Divinum ejus cor aquâ & sangvine rorans, id est beatam regionem lacte & melle manantem reseravit, quando cùm oris labia Dominus clausisset, labra cordis aperuit, ut nobis amanter corde ad cor loqueretur. Hæc est illa fenestra cordis aperta, qualem frustra Momus *ad pravum & inscrutabile* cor hominis optavit

tavit. Candor & sinceritas IESV amicissimi nobis & hanc aperuit, ne quidquam in se clausum suis esset adamatis. Significat consequenter amorosum hoc vulnus certissimè nos Deo reconciliatos. Symbolum enim pacis est, cùm legatus Regis alicujus urbem subiturus, obversam in pectus lanceæ cuspidem, non verò urbi adversam gestat. O faustum fortunatumq; latus! verissimum Regis Achaz horologium, in quo militis lancea horam misericordiæ designat. *Non possum,* (meritò ait S. Aug:) *terreri multitudine peccatorum, si mors Domini mei in mentem meam venerit; quoniam peccata mea illum vincere non possunt. Clavi & lancea clamant mihi, quòd reconciliatus sum Christo, cùm amavero.* P. Caspar Thausch S. I. in SS. Matre dolorosa c. 9. § 2. In Christo crucifixo absolutissimum Amoris schema delineat, cujus partes plures licèt ad quæstionem XC. magis pertineant propter connexionem tamen cum delineatione lateris aperti ad absolvendam iustam effigiem Amoris, hìc non incongruè appono. Expandit (ait ille,) brachia, quantùm potest Amor: quorsum? ut te totum arctissimè amplectatur. Vt, quasi arcum tendens ex corde sagittas amoris in te ejaculetur. Vt seipsum tibi demonstret, qualis sit. *Ego sum frater vester Ioseph, quem vendidistis.* Vt offerat Patri pretium redemptionis tuæ. Vt pro te oret velut alter Moyses manibus extensis. Extendit manus ad Crucem, ut ex ea capiat thesauros repositos à Patre, quos in te effundat. Vt tibi ostendat ac significet, *quòd labores manuum suarum manducabis.* Vt à terra ad cælum te elevet & transportet. *Vt sicut aquila expansis alis super te volitet, & ad volandum provocet. Vt quemadmodum gallina congreget pullos sub alas suas. Vt in velamento alarum ejus speres sub umbra ejus, qui desiderabilis est, sedens &*

quie-

quiescens protectus ab æstu meridiano, ibiq; decidentes *fructus colligas dulces gutturi tuo.* Vt, qui antea tribus digitis creavit omnia, (*nam opera digitorum ejus sunt cæli, & tribus digitis appendit molem terræ*; nunc *in manu forti & brachio extenso atq; excelso operetur salutem tuam in medio terræ.* Vt se tibi *revelet*, qui est *brachium Domini.* Simulq; magnitudinem amoris *secundum magnitudinem brachij sui*, *quod annuncies generationi omni*, *quæ ventura est*; ac dicas, *fecit potentiam in brachio suo*, *fecit mihi magna, qui potens est, & sanctum nomen ejus*, & charitas ac misericordia ejus à progenie in progenies, quas extensis brachijs disponit ac disterminat. &c. &c. Pedes transfixos habet Amor, ut de ejus possessione securus sis, neq; effugiturum avolaturumve suspiceris; sed cùm sponsa dicas, Cant: 3. *Inveni, quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam.* Vt eis cum Magdalena te advolvas, & Magdalenæis delicijs potiaris. Vt haurias ex his apertis fontibus tibi in terra posito proximis aquam omnium gratiarum ac donorum cælestium, & præcipuè vinum charitatis, quo te inebries. Vt sint tibi instar altaris super quod imponas peccata tua comburenda igne charitatis & misericordiæ ejus. Vt eos amplexando recogites iter Ducis tui à cælo ad stabulum, à stabulo ad Crucem, à Cruce ad cælum, quò te ducere & præire gestit. Vt sicut eos ille ad Crucem amore tui fixit, ita tu vicissim ad eos affigas atq; alliges omnes affectus tuos, ut captivos Crucifixi ejusq; amori & obsequio mancipatos. *Hæc ex P. Casparo exscripta bene spectarent ad quæstionem.* Cur supplicium Crucis potiùs, quàm aliud Christus elegerit? *in quo scilicet manus pedesq; extendebantur ob tot rationes Deo dignas & nobis proficuas, quale vix aliquid in alio mortis genere invenitur. Verùm nec in Authorem opportu-*

 nè

nè incidi: & à præsenti tractatu non absonant tanquàm antecedentia, & ad unam Amoris imaginem relata. Quod sequitur pressè quæstioni præsenti respondet. Neq; verò solum dum vivit in habitu suo & schemate se prodit Amor noster, sed & iam mortuus aliud idq; evidentiùs assumit. Nam illi amplo latoq; vulnere hiat pectus, ut declaret charitatis excessum, quæ interiùs se continere nequijt, quin foras quasi disrupto latere exiliret. Vt ostenderet inclusus ille in præcordijs amor se fuisse causam omnium, quæ Dominus ille Deusq; noster fecit & passus est pro nobis. Vt tibi domicilium hoc in foramine petræ & caverna maceriæ colloces. Vt faciliorem aditum habeas ad cor ejus. Vt ex illo sagittis amoris continenter configaris. Vt cor tuum liberiùs cordi ejus coniungas. Vt ex illo tibi fluant aromata gratiarum. Iuxta illud, *vulnus est; quod excepit, sed unguentum, quod effudit.* Vt inde spiritus vitales, qui ex corde generantur desumas ad vitæ opera exercenda, *Spiritumq;* illum *principalem,* quo David confirmari postulabat. Imò, ut cor ipsum inde accipias; ut sicut Christus Amor tuus tibi mortuus est, ita tu non tibi sed illi vivas, idq; ejus corde, quod est principium vitæ. Profundè more suo hanc Amoris sculpturam pensat Sylveira in verbis Zach: 3. *Ecce ego cælabo sculpturam ejus, ait Dominus Exercituum.* Christus Dominus quasi lapis cælatus fuit in Passione, tum clavis, spinis, flagellis, activè: tum vulneribus & plagis passivè, quibus totum corpus suum fodi & aperiri voluit, ut immensam suam in nos charitatem intus latentem, per has quasi rimas ostenderet ac declararet iuxta illud. *Cernis, ut in toto corpore sculptus Amor*, textum Zachariæ Hebr: legit. *Ecce ego aperiam apertionem ejus*. Syrus & Arabs. *Ecce ego aperiam portas ejus*. In latere ergo Christi iam

à Divi-

à Divino amore apertio ac porta facta erat, inde lancea non effodit nec intulit vulnus, sed apertionem ac portam tanquam clavis aperuit. Hinc S. Chrysost: *lanceâ tanquam clavi in arcam iniectâ dedisti pretium ex paterno thesauro.* Et S. Aug: apud Lyraeum. *Christus in sacco ferebat pretium nostrum, percussus est lanceâ, fossus est saccus, manavit pretium orbis terrarum.* O facilem dare summa Deum! & hoc ad absolutam imaginem Amoris pertinebat, ut liberalitas ejus exprimeretur. Parùm est dicere Deum manum habere perforatam, nisi dicatur fons esse perennis beneficij. *Haurite ex me tanquam ex Nilo,* dicebat Ægyptijs Vespasianus in primo ad eos accessu; dicere debebat tanquam ex nihilo, nihil enim respectu Christi erat. Dicere id melius Christus potest, cujus heroicum symbolum est, *dat omnibus affluenter.* Habemus hunc fontem inter 5. fontes Salvatoris à S. Bernardo expressos serm: 1. in Nativ: D. 1. fons Misericordiae unde lavemur. 2. Sapientiae, qui sitim extingvat & potet;(Eccles: 4. v. 3.) fons Devotionis, fons Gratiae, qui irriget hortum conversationis, 4. fons aemulationis & sancti zeli, fons ad decoquendos cibos. *Haurientis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris*, de his praedictum est. Ex his *1mus* convenit omnibus: *In multis enim offendimus omnes*, ad Rom: 3. Huc properant Noë, Daniel, & Iob. Tamen Iob ad secundum magis, quia inter medios laqueos ambulat. Daniel magis ad tertium, &c. *Hos fontes Christus adhuc in carne viventibus nobis in semetipso exhibuit. 5tum, qui est fons vitae post hoc saeculum repromittens, ad quem sitiebat Propheta, cùm diceret: sitivit anima mea ad Deum fontem vivum. Fortassis etiam propter hos 4. fontes, 4. in locis vulneratus est Christus adhuc vivens in Cruce; propter 5tum, cùm iam tradidisset spiritum, transforatus est in*

 la-

latere. Vivebat adhuc, cùm fodiebantur ei manus & pedes, ut nobis adhuc viventibus 4. fontes ex se ipso proferret. 5tum protulit vulnus lateris, cùm iam expirâsset, ut in se nihilominùs 5tum nobis fontem aperiret. Non erat absoluta imago amoris, nisi sculpto latere: non ejus perfectè contestata liberalitas, nisi 5to fonte producto. *Deniq; vulnera Redemptoris 5. sunt, quia nos eramus 5. sensuum vulneribus sauciati, & per has 5. plagas saluti perpetuæ restituti,* ait S. Petrus Damiani.

8vò. *Vt non credituris fieret Fidei argumentum, sicuti Thomæ, & qui cum eo erant.* Ratio est S. Chrysost. O quantùm amavit Thomam IESVS, cujus prævisam incredulitatem ut curaret, latus suum voluit lanceari. Explicat hanc rationem Bourg: ut testatissima mors evaderet Salvatoris, neq; iam contendere quisquam posset vivum corpus illatum sepulchro: ut contendi non potest quemquam perfosso corde vivere posse. Vtq; Resurrectio eò foret admirabilior ac gloriosior, quòd in corpore, non manibus modò & pedibus, sed & pectore ac corde sauciato perfecta est. Atq; adeò in apertura lateris Dominici non soli Thomæ, sed omnibus tardis & duris corde ad credendum parabatur medela. Parabatur inquam medela, sed & obstinatis ibidem damnationis promptuarium. Do exemplum ex vita S. Franc: Borgiæ scripta per Nirembergium. Erat ex Hispana nobilitate vir amplissimus, qui etiamnum in extremo vitæ nil minùs, quàm de æterna salute ob inveteratam peccandi consvetudinem cogitabat. Nullâ viâ ei persvaderi poterat, ut pænitentiam ageret. B. Franciscus, ut par erat, rei miseratione ad Crucifixi pedes in suo recessu se abijcit, ardentissimè orans, ut respiceret animam miseri illius. Dum in hunc modum oraret; vidit sublevari caput Crucifixi, sibiq;

biq; loqui. Adito infirmum, mone ad pænitentiam, ego ipse sub specie Medici utriq; assistam. His munitus præsidijs accessit ægrotum Pater, movere eum contendit incredibili svavitate & efficaciâ, subministrante inspirationes & auxilia Dulcissimo IESV, qui sub condicta forma aderat; sed contumacior peccator de silice aut marmore excisus videbatur tam barbarè à se repellebat remedium. Tum Sanctissimus Deus blandè valedicens Patri, eumq; relinquens in suis colloquijs è conspectu abivit. Quo viso, iterum Franciscus redit ad suum recessum, orat iterum ardentiùs coram Crucifixo: Iterum fert ab eodem responsum, ut videas quàm vehementer optem salutem illius miseri, fer me illuc tecum. Accipit eum, venerabundè Borgia, convolat ad ægrotum, dimittit foras turbam, solusq; cum solo agit de æternitate, de ipsius periculo, de impænitentium pænis, de facilitate pænitentiæ, de amore & magnitudine Dei misericordiæ: sed haud quidquam æger de sua remittit pertinacia. Cæterùm (ô Dei mirabilia!) omnibus vulneribus cæpit manare sangvine affixus Redemptor, loquelâ & signo insinuare, quanto eum redemisset pretio in sua Cruce; sed etiamnum surdescente illo peccatore solvit è ligno alteram manum, ad lateris vulnus eam ducit, implet manante sangvine atq; in faciem obstinati conijcit cruorem, adiungens condemnationis sententiam. *Et sit*, inquit, *sangvis meus in perditionem, siquidem ad salutem eum tibi esse noluisti.* Tum prorumpens in horribiles blasphemias maledictus reus, tradidit perpetuis flammis immundam animam executricibus Divinæ sententiæ. En! ut idem vulnus lateris est, unde credens Thomas promeret vitam, & hic incredulus ac impænitens depromptam sibi caperet damnationem. Potest dici de ipso latere, quod de ejus pro-

fluvio ſcripſit Ruffin: in ſymb. *Produxit aquam, quæ credentes diluat, produxit etiam ſangvinem, qui condemnet incredulos.* S. Auguſtinus quinimò diſertè Chriſtum ſequentia aliquando malis exprobraturum comminatur. *Vide latus, quod transfixiſti; quoniam per te & propter te apertum eſt, & tamen intrare noluiſti.* Vnde & Bloſius inquit, *Chriſtus Dominus in iudicio oſtendet vulnera ſua ineffabili decore fulgentia, quæ iuſtis quidem dulciſſimam conſolationem, impijs verò horribilem confuſionem adferent.*

9nam omiſſis alijs do ex Lyræo cauſam confixi lateris poſt mortem. Vt gravitas ſcelerum olim à Chriſtianis patrandorum exprimeretur, qui vel poſt mortem tanti Benefactoris ac Patris cor eò maiori flagitio ſauciaturi eſſent, quàm fuerit vulneratus in vita. Plùs namq; S. Gregorio teſte peccant ii, qui Chriſtum triumphantem in cælis blaſphemant, quàm qui lugentem in terris crucifixerunt. Libet te ô peccator profani quoq; vatis alloquio increpare. *Quid miſerum!* (culpis) *laceras iam parce ſepulto,* non tantum in Cruce extincto. Quid, quòd transfoſſor hic etiam pietatis excuſationem invenit apud Sylveiram? Cum Centurio militesq; inquit territi fuiſſent viſis miraculis in Chriſti morte, clamâſſentquè, *verè hic Filius Dei erat,* inde fortè reverentia quâdam ducti, ejus crura non fregerunt. Ne tamen vivus fortè deponeretur, unus lanceam intorſit in latus, ut transverberato corde, ſi nondum obierat, obiret ſtatim abſq; dolore crurifragij, & apud Iudæos defenſionem haberent ipſi crurifragij omiſſi. Te verò ô peccator, cum ſceleribus cor IESV fodicas, nulla omnino excuſatio, nullus prætextus poteſt defendere.

Summæ Reſponſorum. Fodit iam extincti IESV latus miles, ut certitudinem de morte ejus haberet; aut fa-

ceret. Vt placeret gratificareturq́; tantâ immanitate Iudæis. Aperiri verò suum latus Dominus voluit, ut ex latere novi Adæ felicior Eva Ecclesia produceretur. Vt indidem sangvis Eucharisticus & aqua baptismatis, imò cuncta Sacramenta Ecclesiæ profluerent. Vt per mortem IESV cælum reseratum esse constaret: imò, ut cælum novum viventibus in terra, eo in latere panderetur. Ad amoris item immensi contestationem. Ad medelam incredulo Thomæ faciendam & damnationem confusionemq́; indidem in obstinatos promendam ac vibrandam. Ad significandam deniq́; gravitatem peccatorum, quæ post crudelitates tortorum in vivum, in mortuum veluti à Christianis committuntur. Sunt & aliæ complures rationes, quas istis novem principalibus intextas reperies: Procedo iam ad dissolvendas obiectiones Petri Ioannis Hæretici.

Obijcit 1. vulnus illatum mortuo nullius esset meriti, ubi enim non est sensus, non est meritum. Ergo vulnus in latere Christus non post mortem, sed in vivis adhuc pertulit. Christus enim omnibus actionibus & perpessionibus suis volebat mereri, ut pro humano genere quàm amplissimè satisfaceret. Aliàs verò tantum vulnus tantaq́; sangvinis profusio in cassum cederet, unde thesaurus Ecclesiæ mirificè poterat ditari. ℞. imò. Misso antecedente, negando consequentiam. Demus enim, quòd nihil de novo Dominus hoc vulnere mereretur, adhuc otiosum & incassum non esset. Esset enim, ut ait Cornel: ad mysterium, si non ad meritum. Quæ mysteria significaverit? iam expressi in responsionibus ad quæstionem: Hic addo ex Angelico Doctore. Iam tum occursum esse Manichæis negaturis aliquando veritatem corporis Dominici. *Fuit autem aqua pura miraculosè egrediens à corpore*

pore mortuo, ſicut & ſangvis ad comprobandam veritatem Dominici corporis contra Manichæorum errorem, ut ſcilicet per aquam, quæ eſt unum 4. elementorum corpus Chriſti oſtenderetur verè compoſitum ex 4. elementis, per ſangvinem verò oſtenderetur eſſe ex 4. humoribus. ℟. 2dò. Nego antecedens. Diſtingvo ejus probationem, *ubi non eſt ſenſus, non eſt meritum.* Loquendo abſolutè, concedo; loquendo conditionatè, hoc eſt ſi præſente ſenſu aderat efficax voluntas merendi etiam per ea, quæ abſente ſenſu eventura ſunt: Nego. prob. & conſeq. Non caruit magno merito & ſummâ laude ſacri pectoris vulnus, ſi minùs in ſe & abſolutè; at ſaltem in cauſa & antecedenti voluntate, ut diſtinxit Collius lib: 4. diſp: 1. c. 4. Idem ſenſit Bourghefius. Etſi corpori mortuo magìs, quàm Chriſto fuit hoc vulnus illatum, tamen à Chriſto prævisum fuerat & acceptatum ſummâ charitate, ideoq; Patri cum cæteris meritis & ſatisfactionibus oblatum. Adeòq; vulnus hoc etiam abſq; actuali ſenſu doloris fuit meritorium. Sicut *vg.* dormiente quid morti ſimiliùs, & ad merendum ineptiùs? ut ait Plato 3. de leg. *Nemo dum dormit alicujus eſt pretij, nihilò magìs, quàm qui non vivit,* & tamen quidam etiam in ſomno & ſomno ipſo merentur vi bonæ voluntatis ac ſanctæ intentionis vigilando elicitæ, ſicut è contra, quidam vi pravæ voluntatis etiam in ſomno demerentur & peccant. Certè de B. V. M. S. Albertus Magn: & S. Antoninus, & alij, (quos citat ſequiturq; Suarez,) explicant illud Cant: 5. *Ego dormio & cor meum vigilat;* aiuntq; in ſomnis quoq; ſanctè operatam actus meritorios amoris Dei. Non igitur negandum eſt ipſi Filio, (per quem tanta potuit Mater,) etiam mortuo, potuiſſe mereri: licèt alioqui extra ſtatum viæ meritiq; fuerit. Hoc autem poſito negantur meritò

cæ-

cæteræ consectanea. Dicendumq; est etiam posthumo isto vulnere satisfactum ardentissimæ voluntati Domini, merendi in satisfactionem abundantem pro nobis; nec incassum cessisse tam liberalem sangvinis profusionem, sed thesaurum Ecclesiæ mirificè locupletâsse. Meritum porrò istius transfixionis, creduntur communiter esse Sacramenta, ac proinde è latere Domini effluxisse. Sed quomodo fluxerunt? Rdet Sylveira. Fluxerunt primò symbolicè ac significativè, illo enim sangvine & illâ aquâ significabantur: non fluxerunt meritoriè, quia cùm corpus esset mortuum, carebat animâ & vitâ, à qua est principium & radix meriti. Potest tamen dici, quòd Sacramenta fluxerint etiam meritoriè è latere Christi ex acceptatione prævisa, quia Dominus adhuc vivens cùm prævìderit illud vulnus post mortem lateri suo infligendum esse, illud cum multa obedientia erga Patrem, multaq; conformitate ad ejus voluntatem acceptavit, quod ita disposuit & ordinavit: ergo illo sic præviso meruit & operatus est in negotio nostræ salutis, hæc Sylveira. Nec dixeris alia quoq; & isto vulnere maiora Christum prævidisse supplicia, quæ itidem cælesti Patri re ipsa quidem præsentavit vivens, adeòq; illis adscribendam potiùs virtutem Sacramentorum, quàm huic supplicio, quòad ortum ac tolerantiam postremò; SS. enim PP. vulneri lateris hoc meritum adscribunt, ut significetur bello hostes suos devicisse, sibiq; ac nobis præliando bona spiritualia promeruisse. Lancea siquidem inter arma militis non clavi, flagella, spinæve censeri solent. *Ita solvit instantiam Lyræus.* Tantundem acceptio meriti significat apud S. Bonav: 1. par: stim: c. 12. *Per apertionem lateris meruit Sanctis visionem apertam.* Morale, quod hinc elici possit, est, quòd maxima alioqui ex natura sua bona

opera, nisi fiant in vita gratiæ, nihil mereantur. Sicut nil mereretur vulnus lateris, nisi Christus ad illud excipiendum in ipsa morte vivus quodammodo fuisset secundùm præcedentem voluntatem & acceptationem. Item opera meritoria ut sint, vivam requiri intentionem, ob quam in anteceſſum factam mortui IESV vulnus ad vitam meriti computatum est. Absq; autem intentione, etiamsi bona alioqui operamur, nihil lucramur. Hoc quoq; discrimen est inter opera bona ferventium ac tepidorum; illi etiam dormiendo vigilant ad meritum: hi etiam vigilando dormiunt, & nihil inveniunt in manibus suis.

Objicit 2dô. Christus, quæ ad mortui corporis statum pertinebant, honorifica atq; præclara esse voluit. Vt tot prodigia post suum obitum ab Evangelistis memorata, sindonem præterea mundam, ungventa pretiosa, tumulum novum. Idq; ex duplici causa 1. in vim compensationis pro ærumnis ac contumelijs, quas in Sanctissima Carne sua per 33. A: & ultrà sustinuit, tum ad copiosam humani generis redemptionem, tum ad certissimum susceptæ mortalitatis experimentum, suisq; sequacibus ad exemplum. Vt scilicet transacto miseræ mortalitatis statu, amplissimo quovis honoris & reverentiæ gradu augeretur latensq; priùs in suscepta carne Verbi maiestas effulgeret, velut confractâ laternâ lumen. 2. Ad ostendendum discrimen exitûs sui ab exitu Principum hujus mundi, quod observavit S. Chrysost. *Et erit requies ejus honor. &c. Licèt diverso modo in rebus humanis contingere solet. Nam cùm hi, qui hîc in magna gloria rebusq; florentibus agunt, moriuntur: pereunt cum illis simul omnia alia. Leges eorum irritantur, statuæ obscurantur, memoria extingvitur, nomen eorum in oblivionem venit, à cognatis despiciuntur. Licèt priùs moverint arma,*

con-

concitarint seditiones populorum & urbium, revocaverint proscriptos, occiderint Dominos, simul tamen conciderunt hæc omnia, quamvis gloriosa priùs fuerint. At secùs in Cruce evenit. Ante Crucem in luctu res erant; Iudas prodidit, Petrus negavit, reliqui profugerunt, IESVS solus inter amicos comprehensus est; multi, qui crediderant retrorsum abiêrunt. Cæterùm ubi occisus est & mortuus, ut discas, quòd non sit purus homo, non solùm res ejus non interciderunt, sed multò clariores sunt redditæ &c. Atqui si post mortem adhuc vulneraretur, non esset ejus corpus in honorificentiore statu, quàm in vita; adeóq; neq; compensationem priorum contumeliarum ærumnarumq; saltem adæquatum acciperet: Neq; discrimen inter exitum Christi Principumq; sæculi in propatulo fieret. Adhuc enim post mortem tam gravem perferret contumeliam ac iniuriam. Ergo non post, sed ante mortem in corpore contumeliis obnoxio vulnus illud debuit suscipere. ℞. Admitto antecedens cum suis probationibus, sed nego subsumptum. Quòd scilicet hæc transfixio corporis Christum inhonoraverit. Licèt enim ejus despectum intenderit malignorum perversitas, Divinâ tamen dispositione lateris dilaceratio in magnum honorem non verò in contumeliam Christo cessit, ut patet ex prodigioso sanguinis & aquæ profluvio, de quo S. Ambrosius. *Licèt corporis hujus fuerit natura mortalis, licèt qualitas similis, dissimilis tamen gratia: Nam utiq; post mortem sangvis in nostris corporibus congelascit: de illo verò Ioannes inquit, continuò exivit sangvis & aqua.* Ingenti gloriæ Domino fuit illa confixio, quia ingens subsecutum miraculum, in cujus pompam crediderim omnem naturam horrifico plausu quodam conspirâsse. Ingens gloria, sangvinis & aquæ rivi; ingens, adsignificata per illos Sacramenta, cæ-

teraq; mysteria aperti lateris, quæ iam suprà recensuimus. Negato verò subsumpto manifestè patet falsa consequentia.

Nullam ergo vim habent adversa veritati argumenta, et si quam habere viderentur, universam evertit ac profligat textus Evangelij, contra quem nullæ argutiæ sapiunt, nullæ rationes valent. Sed Hæreticus ait Evangelistam per recapitulationem sicut alia multa, ita hoc dixisse, apertum nempe latus morti subiunxisse, cùm antè fuerit apertum, ut Ly *aperuit* ponatur pro *aperuerat*. Sed violenta est hæc clarissimi textûs tortura, qui nullo modo patitur recapitulationem. Deniq; Clemens V. in Concilio Viennensi hunc errorem damnavit, ut habetur in Clementina de sum: Trin: & Fid: Cath. *Nos igitur ad tam præclarum Evangelistæ testimonium & SS. Patrum ac Doctorum sententiam Apostolicæ considerationis faciem convertentes Sacro Concilio approbante declaramus prædictum Apostolum & Evangelistam Ioannem in præmissis factæ rei ordinem tenuisse narrando, quòd Christo iam mortuo unus militum lanceâ latus ejus aperuit.* Ibidemq; non tacet vulneris mysterium. *Emisso spiritu Christus sustinuit lanceâ perforari latus suum, ut exinde profluentibus undis aquæ & sangvinis, formaretur unica immaculata ac Virgo Sancta Mater Ecclesia Coniunx Christi, sicut de latere primi hominis soporati, Eva sibi in coniugium est formata.*

ALTERA PARS QUÆSTIONIS.

Dextrum, an sinistrum latus Christi perfossum est?

P*Ectus est habitaculum cordis & animæ*, Clem: Alex: 5. Strom: sed quâ sui parte in Christo patuit, ut cor in

sua domo confoderetur, & eodem ostio reliquum animæ sive vitæ exiret? Franciscus Lucas Audomarensis Ecclesiæ Decanus & Theologus sinistro lateri adhæret, Franciscus item Suarius magnum inter Theologos nomen, & alij, quos *plerosq;* aiunt Collius & Lyræus, cum quibus Corn: à Lapid: hanc sententiam probabilem satis existimat. Probabilitates ejus sunt. 1. quòd latus tam apud Sacros quàm profanos authores pro sinistra non pro dextra parte usurpatur, ut Virgil: 2. Æneid. *Lateriq; Argivum accommodat ensem.* hoc est sinistro fæmori. Et Ps: 90. *Cadent à latere tuo mille & decem millia à dextris tuis.* Vbi vides dextris opponi latus, id est sinistram. Hunc locum Psalmi & S. Bernardus explicans latus pro sinistro latere accipiendum tradit. 2. Quia sic figura & figuratum strictiùs & aptiùs correspondent. Figura fuit Eva producta ex latere Adæ; figuratum Ecclesia ex latere Christi aperto, prognata Sponsa ejus carissima. *Mysterium hoc magnum est, ego autem dico in Christo & Ecclesia,* ad Eph: 5. Atqui Eva ab omnibus ex latere sinistro effecta creditur, propterea (suis verbis exscribo Collium) quòd in latus sinistrum cor vergat, ubi fons & origo amoris, qui ferventissimus inter coniuges esse solet. Ergo à simili, Ecclesia quoq; ex latere Christi sinistro: & in hunc finem sinistrum fuit apertum. 3. Si cor Salvatoris cuspidis ictu sauciatum est, quod ex S. Brigitta suprà docuimus, & idem docent S. Cyprianus, S. Vincent: Ferr: Gabriel Biel tract: de Passione; quidquid in contrarium disputet Moles: eam proculdubio pectoris Christi partem petere lancea debuit, in qua cor residet, qualis sola corporis humani est pars sinistra. Cor enim quod pericardio proximè & deinde pulmone obvelatur tametsi in medio corporis est situm, magis tamen ad si-

nistram vergit quàm ad dextram, quod vel ex ipso ejus motu constat. Ad hæc, vulnus à milite lateri inflictum fuit ad explorandam Christi mortem; hoc autem experimentum in solo sinistro latere peragi potuit, cùm in eo duntaxat fons vitæ cor quiescat. Hoc petebat miles, cùm vitæ sit principium; si fortè non obijsset Salvator, ut Iudæis gratificaretur, qui in tota Passionis serie nonnisi ad mortem anhelabant. Ad extremùm si morem eorum, qui dextrâ suâ manu alios vulneribus petunt meditemur, ad sinistrum solùmmodo latus devolutum vulnus fatebimur; quandoquidem naturali motu ad sinistram tantùm percussoris ictus diriguntur. Connaturaliùs est illam cædere partem, quæ dextræ magis obviat, obviat autem sinistra. Confirmo exemplo S. Christophori M. octennis pueruli, qui Gvardiæ propè Toletum à Mauris in despectum Christi omnia ejus supplicia perpessus, dum ad columnam cæditur crudeliter, nec vocem, nec signum ullum doloris dedit, nisi in ultimis 5. plagis, quod illæ supra numerum plagarum Christi adijcerentur. Deinceps quoq; exclamavit, cùm sibi lanceâ latus foderetur. *Si cor quæris, alterum latus effodias.* Riccius in triumph: Crucis. His & similibus argumentis inducuntur pleriq; interpretes, ut latus sinistrum in Christo vulneratum suspiciant & tueantur: & eò quidem liberiùs, quia nullis adhuc S. Matris Ecclesiæ legibus cautum est quodnam illud fuerit è duobus? Quare tutò citra omnem hæresis labem quæstio in utramq; partem agitari ac decidi potest. Nimis ergo rigidè Lucas Tudensis apud Waddhingum inter Albingensium errores numerat sententiam lateris sinistri assertricem eiq; refellendæ S. Franciscum in latere dextro telo Divini amoris fuisse confixum. *Locum authoris recitavi suprà quæst: 89. ubi de numero clavorum.*

Ve-

Verùm 2da ſententia & multitudine & magnitudine authorum præſtat, eamq; ſequuntur libenter etiam ii, qui ſuperiorem ſatis probabilem dixerunt, ut Collius, Corn: à Lap: Lyræus, Sylveira, &c. Ex SS. PP. S. Greg: Naz: in trag. *Adegit ille lanceam in dexterum latus.* Bernardus ſerm: 7. in Pſal: qui habitat. *Et quidem Dominus IESVS poſt cætera inæſtimabilis ſuæ erga nos beneficia pietatis etiam dextrum propter me paſſus eſt latus fodi, quòd videlicet non niſi de dextra mihi propinare vellet, non niſi in dextra locum ponere refugij.* Et ſerm: 30. in Cant. *Dexterum mihi latus effodi permiſit, ut à ſiniſtris ad dexteram tranſeamus.* Iſid: Peluſiota l. 1. epl: 139. *Quia nihil iam hædinum ac ſiniſtro latere dignum in natura reliquit.* S. Rupertus ad 3. Reg: c. 6. *Dominici,* inquit, *corporis de latere dextro iuxta Ezechielem aquæ viventes, aquæ ſalubres egreſſæ ſunt, & omnes, ad quos pervenit aqua iſta ſalvi facti ſunt.* Porrò textus Ezechielis eſt ex c. 42. v. 2. *Et ecce aquæ redundantes à latere dextro cùm egrederetur vir ad orientem.* Et mox. *Aquæ autem deſcendebant in latus templi dextrum ad meridiem.* S. Bonavent: lib: Meditationum. *Vnus autem Longinus nomine, tunc impius & ſuperbus, ſed poſtea converſus & Martyr, & Sanctus, porrigens lanceam delongè, eorum preces & rogamina contemnens.* (Nempe B. V. S. Ioannis & Magdalenæ Cruci aſſiſtentium) *latus Domini IESV dextrum vulnere grandi aperuit &c.* Innocentius III. lib: de myſt: Miſ: c. 58. *Ponitur, ait, calix ad dextrum latus oblatæ quaſi ſangvinem ſuſcepturus, qui de latere Chriſti dextro creditur vel cernitur profluxiſſe.* Veniam & ad revelationes. Certè S. Brigitta lib: 7. à Matre Salvatoris didiciſſe teſtatur. *Venit unus accurrens cum furia maxima, & infixit lanceam in latere ejus dextero tam vehementer & validè, quòd*

quaſi

quasi per aliam partem corporis lancea voluerit pertransire. Idem revelatum S. Franciscæ Romanæ testatur V. Caraffa de deu: erga Pasl: Dom: dubio 19. Cui insuper manifestatum est adeò patuisse hoc lateris vulnus, ut commodè 5. digitos unà capere potuerit. Collius enim, qui Mediolani sæpe inspexit lanceam ad normam & mensuram vulneratricis illius, (quam Romæ asservari suprà dixi) factam curâ Federici Borromæi Archiep: Mediol: testatur eam esse longitudine palmari, semipalmari latitudine. Stipant latus dextrum unanimiter Ludolphus Saxo, Petrus Comestor, Gabriel Biel, Ioannes Maior & recentiores passim. Solent pro eadem sententia citari S. Augustinus l. 15. de civ: & Athanasius in eo tractatu, quem de Passione imaginis Berytensis scripsit, verùm Collius postquam scrupulosè allegata loca examinâsset, *Ly dextrum* nusquam reperit. In ejusdem rei figuram Levitic: 1. Mandarât Deus Isrâëlitis vitulum Deo in odorem svavitatis cremandum sistere in dextro latere Altaris. *Immolabit ad latus Altaris, quod respicit ad aquilonem*; illud verò cornu dextrum Altaris latus erat. Quare autem priùs in figura, deinde in figuræ hujus adimpletione aquilonis quandam solicitudinem gerit Dominus? Rdet Mallonius, ubi discutit. *Cur Christus ex lateris maluerit, quàm ex manuum pedumve vulnere Sacramenta prodire?* Quia inquit Christus, ex ea parte occasionem desumpsit Ecclesiam fabricandi & roborandi, à qua magis Ecclesiæ suæ timebat, iuxta illud Ierem: 1. *Ab Aquilone pandetur omne malum.* Inde enim venturus timetur Antichristus. Christus verò in Cruce positus respiciebat occidentem, (ut dictum sub quæst: 89.) latus igitur dextrum extendebat ad Aquilonem; ab eo latere vulnus accepit, ut contra Aquilonis malum muniretur Ec-

clesia. Et ulteriùs deducit sequentia. Cùm Christus omne malum ab Aquilone (cujus nempe latera ab initio Luciper adamavit ac insidere destinavit) contra Ecclesiam suam patere prospiceret, primum ictum in se suscipere voluit, ut minùs læderetur Ecclesia. Clypeum se IESVS pro Ecclesia obiecit, non secùs ac Edvinum Angliæ Regem à Sicario, interiectu proprij corporis, miles suus tutatus est. De quo vide Baron: ad An: 626. n. 14. pulchrè Ioan: Thaulerus huc figuram Saulis advocat. Hic spiritu malo agitatus, Davidem lanceâ confodere voluit: sed David per quem Christi animam accipimus, effugit, & lancea perlata est in parietem, id est in latus corporis. Seu, Ecclesia vulnus declinavit, Christus lanceam excepit. Opportunus hic locus videtur dissolvendi illius argumenti. *Eva ex latere Adami lævo, ergo & Ecclesia ex sinistro latere Christi prodijt, ergo sinistrum potiùs quàm dextrum lanceâ confixum.* Dissolvitur autem præmisso antecedente negando consequentiam. Præterquam enim quòd non in omni rigore figuratum figuræ teneatur respondere, & satis esset ad figuram implendam, si ex quocunq; latere produceretur Ecclesia. Adhuc insuper disparitas est magna inter Evam & Ecclesiam, Eva mulier quasi mollior: Ecclesia *Virgo* seu per anagramma *Vigor* merus. aut si mulier; mulier fortis & *virago* sive virum agens. Ergo par hanc fuit produci ex latere non lævo, quod debilius, sed dextro; quod fortius est. Eva famula, Ecclesia Regina, de qua Psal: 44. *Astitit Regina à dextris tuis.* Ergo ex latere honoratiore, id est dextro prodivit. Quid quòd latus absolutè & simpliciter dictum, (ut notat Collius,) nobiliorem dextramq; hominis partem significat; à nobiliori autem fit denominatio. Pulchra ratio ad eandem sententiam est Salmeronis.

 Non

Non in ſiniſtro ſed in dextro latere Chriſtus accepit vulnus, ut nos IESVM Chriſtum amplexantes, cor noſtrum in ſiniſtra ſitum, ei aperturæ admoveamus, ut in quam cor noſtrum vulneri lateris occurrat ac in illud incurrat, quod eſt porta paradyſi. Si Chriſtus in lævo eſſet percuſſus, vulnus illud à noſtro corde eſſet remotius. Satis ingenioſè & Leopoldus Mancinus de hoc poſthumo vulnere, ſicut magnorum, inquit, Regum conclavia dum ipſi adſunt, velo defendi oportet, ne cujusquam oculis pateant: ubi verò illi exceſſère, velo reducto patentibusq; foribus Regiam ſupellectilem ſpectatum, qui volunt, admittuntur. Pari modo cor Chriſti Domini aperiri non debuit dum ibi Anima illa auguſtiſſima reſideret; ſed poſt ejus exceſſum. *Pectus illud, in quo ſunt omnes theſauri Sapientiæ & Scientiæ Dei abſconditi, lanceâ militari perfoſſum eſt. Vt pectus tuum à pravis cogitationibus mundaretur, mundatum ſanctificaretur, conſervaretur ſanctificatum.* S. Bonav. Sed mortuum animæ palatum habet, qui guſtare cunctatur ſvaviſſimam inciſuram, quæ delicatis etiam guſtibus delicias facere poteſt. Senſit hoc magno animæ ſuæ bono miles, qui Ciſtercienſibus adſcriptus, lapſu temporis in ſuo ordine omnia ſibi inſipida experiebatur, atq; adeò fugæ conſilia agitabat, quæ dum nocte quâdam exequi molitur, adfuit IESVS formâ gravi & venerabili. Tum exquiſitâ intellectâque ægritudine animi & cauſâ illius, obtulit fugitivo panem groſſum hordeaceum. Recuſabat Monachus, & quomodo atrum furfuraceumq; comedam? qui ſimilagineum non poſſum. Hic Dominus detecto latere, vulneri pectoris dextro ſangvine mananti panem illum admovit, & hoc iam condimento ſubactum mandere iuſſit. Exhorruit primùm homo, ſed Dei indignantis vultu ac impe-

rio permotus, panem trepidâ manu admovit ori. Et illico inopinâ metamorphosi sensit ad miraculum usq; svavem: ut iam toto illo vesci posse pro beneficio habuerit singulari. Sed ex digressione ad filum quæstionis. Magnum pro latere dextro facit argumentum constans omnibus locis ac temporibus pingendi vulnus lateris consvetudo, quam Ecclesia semper acceptavit, improbavit nunquam. Sindon item sive linteum sacrum, quo exanime Christi corpus fuit involutum, & etiamnum Taurini ostenditur. Huic sangvineis notis ac lineamentis Divini illius corporis imago Divinitùs impressa mansit, eâ prorsus formâ & figurâ, quâ præditum erat, cùm de Cruce deponeretur. Ibi perspicitur dextrum non sinistrum latus perfossum. Siquidem imago eidem linteo impressa, illius vulneris cicatricem in sinistro latere exhibet typorum in morem, qui quod in dextro habent, imprimunt in sinistro. Vivæ quoq; illæ ac veræ Christi imagines S. Franciscus Seraphicus, & S. Clara de monte Falco hanc posteriorem sententiam confirmant. De S. Francisco S. Bonav: scribit *dextrum quoq; latus quasi lanceâ transfixum, rubrâ cicatrice obductum erat.* B. Claræ perhibet Mosconus in vita, in dextro latere, cordis vulnus illud Sculptorem Amorem impressisse. Ergo non debet dubitari in prototypo ita se habuisse, siquidem in ectypis authenticis peritissimus æquè ac fidelissimus artifex sic expressit.

Est & media inter duas agitatas sententia, lanceam scilicet in dextrum Christi latus adactam transîsse per cor & pericardium, cuspidemq; ejus per latus sinistrum ad papillam transivisse. Atq; ita utrumq; latus transfossum. Ita cecinit Prudentius

Traiectus per utrumq; latus laticem atq; cruorem

Christus agit: sangvis,victoria:lympha,lavacrum est.
Citatur pro eadem sententia S. Cyprianus, à nobis sequenti quæstione citandus, sed an meritò citetur? ibi videbimus. Theophylactus vulnus non lateris in singulari sed in plurali vocat. B: quoq; V. M. S. Brigittæ revelavit, *infixit in latus hastam tam validè, ut pene per aliud latus transiret.* Quanquam *pene* non significat defactò transîsse, sed parùm absuisse; quin transiret. In hanc sententiam inclinare videtur etiam Cornel: à Lap. Qui eum Lyræo & alijs obiectioni, quæ contrà opponi posset, nempe non iam quinque sed sex maiora vulnera hoc pacto in corpore Christi extitisse; sic obviat. Quia hoc lateris sinistri vulnus exiguum fuit; hinc non computatur, Christusq; non sex sed quinque habuisse vulnera dicitur.

Quo autem loco lateris,hasta impacta fuerit? controversum pariter est. S. Vincentius Ferrerius serm: de Pass: iuxta doctrinam Alexandri Alensis statuit vulnus lateris Christi non inter ossa pectoris sive costas,(ut communiter pingi solet,)cùm sine ossium diminutione non potuisset lancea penetrare; sed mollem inter carnem, quæ inter ossa femoris & pectoris est; unde sursum ad cor usq; penetrarît. Idem tradit Anton: Gislandus serm: 75. de Parasc: Pipinus de Christo patiente. Ducuntur autem hi omnes uno eodemq; argumento, quia cùm Christus in Cruce sublimis penderet, miles autem in terra staret, si inter costas vulnus fuisset illatum, præ lanceæ magnitudine Christi ossa diffracta fuissent, quod admitti salvâ Scripturâ non potest. Alius quidam eidem sententiæ momentum conficiebat ex Iob c. 16. *Concidit me lanceis suis, convulneravit lumbos meos.* Verùm, quorsum hæc verba respexerint? sequentia demonstrant. *Conscidit me vulnere supra vulnus.* Vnde liquet & priora ver-

ba de flagellatione Domini intelligenda, de aculeatis flagellis, quibus ceu lanceolis Christi corpus dissectum. Ad communem pingendi modum vulneris inter costas, respondet S. Vincentius dicto loco. *Quare verò sic pingitur? dicendum, quòd pictura est laicorum scriptura. ideo, ut expressiùs laicis pateret, quòd lancea cor Christi penetraverit in signum, quòd ex corde dimissa est nobis culpa per suam mortem.*

At satiùs est id ipsum nudè fateri, (ait Collius lib: 4.) quòd & sacer Ioannis contextus, & piæ Salvatoris imagines exprimunt, nempe adactum esse cuspidis ferrum, quà transversis ossibus ac planis, id est costis in diversum porrectis conglobatur, nam cùm Salvatoris pectus non ex uno perpetuoq; osse, sed varijs & discretis ossibus invicem leni carnis operculo colligatis constaret; utiq; potuit aperiri cuspide ferreâ illæsis ossibus: quandoquidem amplam satis & ad ferrum recipiendum capacem viam inter costas aperire sibi potuit militari ferociâ adacta cuspis. Præcipuè in sacro IESV corpore, quod tetris flagellorum verberumq; ictibus pene fuerat dissolutum, nimiâq; totius corporis & immani per Crucem distensione luxatum. Sicq; truci plagæ cesserunt, atq; loco dimotæ sunt costæ Dominici pectoris nullâ subsecutâ ossium fractione. Addit Lyræus. Vulnus hoc tenendum est incussum esse in ea parte, quâ vulgò pingi solet; scilicet infra mamillam inter costas, propter communem Doctorum sententiam, quam Sancta quoq; Taurinensis sindon apertè confirmat. Deniq; figuræ adimplendæ intererat, ut sicut ex costa lateris non carne femoris Eva creata fuit; ita de medio costarum Christi apertarum Ecclesia produceretur. *Mactatus IESVS est non alibi, quàm in latere ad costas, ut quoniam priùs per mulierem è costa formatam*

tam profluxerat deceptio, ita nunc per costam secundi Adæ redemptio & emundatio prioris Adæ dimanaret. S. Athanasius serm: de Passione. Adstipulatur Antiochus Ptolomaidensis in Catena Græca. *IESVS vulnus Adæ curare volens opponit latus lateri, ut unde vulnus promanaverat, inde salus exiret.*

Refert adhuc piæ curiositatis nôsse, quis ille miles ferrum in viscera demortui IESV strinxerit? 1mò. Respondet Drogo Ostiensis. *Quis est ille unus militum nisi fortè qui tunicam tuam inconsutilem sorte accepit? Ipsa est enim unitas fidelium, quæ tibi soli militat.* Admitto mysticam interpretationem: sed supposito, quod sic res habeat; vehementer militis ingratitudinem admiror: quod nempe de cujus velleribus calescere cœpisset, ac pro eo deberent ei latera sua benedicere; ille è contra latera, quæ in suam utilitatem nudaverat, ferro ausus est vulnerare! Nobilitavit & insignivit IESVS hunc militem suâ tunicâ; ille nobilis ingratitudine, Christum vulnere immanissimo insignivit. Certè ex tanto dono accepto conijcit Ostiensis vulneratorem. Sic enim magna beneficia paribus iniurijs pensare hominibus est frequentissimum: qui pro collato beneficio vulnus inferre soleant. Ita, ut beneficium sit iniuriæ auctoramentum; & iniuria accepti aliquando beneficij index ac argumentum. Neminem ingratiorem experieris, quàm in quem immeritò plura contuleris, dixit Philosophus quidam, *& beneficijs peiores sumus.* 2dò. Quidam tacito nomine apud Cornelium & Sylveiram citati putant hunc militem vulneratorem lateris ipsum Centurionem fuisse, qui executionis inspector pro Pilato aderat, & sententiæ ad amussim implendæ attendebat. Hunc, qui Marci 15. visis prodigijs sub mortem Domini dixerat. *Verè hic homo Filius Dei erat.*

vel

vel ut Luc. 23. dicitur. *Videns autem Centurio quòd factum fuerat, glorificavit Deum, dicens, verè hic homo iustus erat.* Ita mutatum in animo Centurionem potuisse audere quidpiam crudele in IESVM (qualis est lateris transfossio,) esset profectò ingens humanæ instabilitatis argumentum: quòd scilicet nunc, ut iustum & Dei Filium agnosceret, nunc rursus, ut vel morte dignum lethali ictu conficeret, vel iam defunctum ceu vilissimæ bestiæ cadaver lancinaret. Cautè proinde hujus authores sententiæ vulnus illud non ex barbarie crudelitateve inflictum asserunt: sed gratiâ tantùm ostendendi, quòd iam Christus obiêrit, & quòd iuxta demandatum sibi munus satis diligenter attenderit, ut sententia mortis executioni mandaretur, nec ullatenùs viventem ac spirantem de Cruce deponendum. Verùm hæc ratio minimè satisfacit Cornelio, ut credat hoc ausurum fuisse in eum, quem iam Filium Dei proclamarât. Si tamen ullo pacto idem ipse fuit lanceator & Centurio. Meritò, cùm profitetur Christum Iustum ac Filium Dei ab Evangelistis Centurio vocatur nomine honorifico, quia honesta tum & sensit, & dixit: cùm verò latus Domini lancinat, vocatur tantùm miles, unus militum: ac ex gradu honoris in ordinem turbæ illius redigitur, de qua vulgus canit. *Nulla fides pietasq; viris, qui castra sequuntur.* Cùm IESVM confitetur, Centurio est; cùm transfigit, unus militum, se scilicet ipse de honore suo degradat actione tam abhorrente à dignitate sua. Metaphrastes 15. Martij Sanctum Centurionem tantùm Passioni Domini additum inspectorem, & deinceps illi cohortiq; ejus Dominici sepulchri custodiam commissam scribit: nullam verò facit mentionem, quòd ille Domini latus attigerit: Quinimò cùm Resurrectioni Dominicæ testis interfuisset, laudat eum, quòd

nul-

nullis Iudæorum pecunijs ad falsum testimonium se emi permiserit, palam quinimò mortis Victorem Dominum prædicaverit, ob quod testimonium veritatis, ejusdem Pilati iussu, qui in IESVM decretum tulerat, Martyrio sit gloriosissimo affectus. Digna profectò lectu est historia, quam invenies apud Surium tomo 2. 15. Martij titulo *Martyrium S. Longini Centurionis &c.* Nomen hoc Longini occasionem errandi plerisq; præbuit, ut Centurio Longinus latus Domini confodisse existimaretur, cùm eodem nomine miles ex cohorte cognominis sibi Centurionis hujus in D. IESVM immanitatis incusatur. Absolvunt omnino Centurionem IESV *veri Filij Dei* Confessorem. Baronius tom: 1. Annal: ad An: Ch: 34. & Collius lib: 4. toto capite 13. 3tiò. Alij communiùs asserunt Longinum simplicem militem ex manipulo S. Centurionis auctorem vulneris in latere Domini extitisse, ita V. Beda in Martyr: idibus Martij. *In Cappadocia passio S. Longini M. de quo in libello ejus narratur, quòd aliquando militans sub centurione Romano in Passione Domini latus ejus cum lancea in Cruce aperuit, & viso terræ motu ac signis, quæ fiebant, credidit in Christum pænitentiam agens de operibus pristinis, postea Monachus factus, per 38. annos Christo militavit, multos convertens ad Fidem Dei, ad extremùm verò martyrium complevit in Cappadocia sub Octavio Præside, quem propter infidelitatem suam Divino iudicio percussum cæcitate, post martyrium suum illuminavit.* Consentit Ado Trevirensis in Martyrol. *Natale B. Longini M. quem tradunt illum esse, qui lanceâ latus Christi in Cruce pendentis aperuit.* Et Petrus Calesinus ad Martyrol: Romanum. *Cæsareæ in Cappadocia S. Longini M. qui IESVM Christum crucifixum hastâ percussit, ob signa & prodigia subsecuta Christianus factus est &c.*

&c. S. quoq; Bonaventura. *Vnus autem Longinus nomine (tunc impius & superbus, sed postea conversus & M. & Sanctus) porrigens lanceam de longè &c. &c.* ut suprà citavi. Citatur pro hac sententia S. Isidorus & quidem à Salmerone satis accurato scriptore. *Lanceâ* inquit, *Longinus latus Salvatoris aperuit, & non tantùm veniam invenit, sed Episcopatûs honorem & Martyrij coronam promeruit.* Sanctum Augustinum in manuali c. 23. suprà citavi. *Longinus mihi aperuit latus Christi.* &c. Quanquam præter testimonium V. Bedæ omnia alia sunt indifferentia, quæ sive militem sive Centurionem significent. Nicodemi Evangelium militem Longinum specificat: sed authoritatem non habet, est enim apocryphum. De hoc Longino insuper memorandum reperitur apud varios, quòd, cùm Christi latus foderet, cæcus erat, postquam verò confodisset, eodem theandrico liquore tinctis oculis visum receperit. ita Gregorius Nazianz: in tragædia. Seu Appollinaris Laodicenus, cui mavult Baronius cum alijs illud poëma adscribere. *Fixit hastam defluentis sangvinis tinctam liquore. Et ecce ut utraq; è manu haurit, oculosq; hoc ungit: hinc, ut scilicet detergat oculum nocte, quæ cæca obtigit.* Accinit illi par Heliconis & Carmeli gloria Bapt: Mantuanus.

Tu cæcus non mente minùs quàm corpore, Sanctum
Lanceâ & admoto pectus mucrone petîsti,
Inde cruor confusus aquis hostilia circum
In digitos lapsus tetigit cùm lumina, morbum
sustulit. &c. &c.

Isidorus citatus paulò antè *Longinus* ait *latus Salvatoris aperuit, & tactu sangvinis Christi, cùm esset altero oculo privatus, illuminatus est extrà, & intus lumine Fidei, & per Apostolos baptisatus fuit, & post longum tempus in ere-*

mo Episcopatûs honorem & Martyrij coronam invenit. Collius tamen & Sylveira textum hunc in Isidoro à se diligenter evoluto nusquam inveniri potuisse fatentur. S. Vinc: Ferrerius serm: de Passione, (cujus testimonium non est controversum) *Longinus* ait, *videre non poterat, an mortuus esset IESVS, quia caligatos habuit oculos: & accepit lanceam suam, & inflixit eam in corde Christi, & continuò exivit sangvis & aqua miraculosè, & per hastam decurrens pervenit ad manum militis, & ex contactu visum accepit.* Iisdem planè verbis Vincentio subscribit Ludolphus Saxo p. 2. c. 64. nisi quòd addit oculos militis *præ senectute caligâsse, casuve aut nutu Divino licèt nescientem pectus lanceâsse &c. &c.* in quibus cum V. Beda coincidit. Accedit Petrus Comestor historiæ scholasticæ cap: 179. Quidam ut magìs opinionem stabilirent; illa verba Evangelistæ *& qui vidit testimonium perhibuit &c.* ad Longinum militem torquent: qui (inquiunt,) cùm antea cæcus esset; beneficio sangvinis Domini è latere ejus eliciti vidit, sive visum recepit: & aquam sangvinemq; profluxisse testatus est. Quo sensu (ait Collius,) nihil magìs alienum à Catholica veritate excogitari potest. Et ego assentior Collio, aioq; verba illa S. Ioannem de seipso non de Longini cæci subitanea visione scripsisse. Non multùm tamen æstimo ulteriorem Collij consequentiam, quâ scilicet levem corde esse infert, *qui sibi persvaderet sub centurione Romano militaris disciplinæ apprimè tenaci militem caligine & cæcitate affectos oculos habentem potuisse reperiri.* Numquid enim cæcitatis vocabulo vel alterutrius oculi defectus altero salvo; (ut S. Vincentius arbitratur,) vel utriusq; lippitudo aliudve vitium intelligi non potest? aut lusciosus Longinus significari? Audax ergo nimis videtur mihi Collij sen-

tentia. *Omnino indubitatum eſſe debet militem lateris Chriſti percuſſorem, neq́; Martyrem, neq́; cæcum fuiſſe.* Quamvis enim, quòd cæcitatem ejus concernit, non adeò ſit certùm apocryphisq́; ſcriptis,(ut notat Baronius,)nitatur: Martyrem tamen eſſe ex Martyrologio Romano ad 15. Martij conſtat, ubi expreſſè ponitur. *Cæſareæ paſſio S. Longini militis, qui lanceâ latus Domini perforâſſe perhibetur.* Contra tam claſſici in Eccleſia codicis authoritatem quidquid conetur Collius, nihil efficit. Quidquid dicat Franc: Lucas Brugenſis ad illa verba. *Vnus militum:* dicit autem. *Nequaquam iſte Longinus eſt appellatus, quanquam ita illum appellet auctor Manualis,*(nos ſuprà paulò S. Auguſtinum cum alijs diximus.) *Sed Centurio ille &c.* Audax theſis! ſed quod ejus fundamentum? Metaphraſte ſcilicet nituntur, qui Longinum Centurionem nominat, ejusq́; agonem ad 15. Martij deſcribit. Quaſiverò non potuerint & Centurio & miles, quidam ejus, eodem nomine dici: Quaſi non potuerint eodem die menſis Martyrij certamen obire. Maximè cùm Metaphraſtes Longinum Centurionem dicat occiſum iuſſu Pilati per milites ab Ieruſalem usq́; Cæſaream Cappadociæ patriam ejus citatis itineribus miſſos, quòd aliquot poſt Domini Paſſionem annis ad ſummùm fieri oportuit. Baronius recenſet accidiſſe ſub Anno Chriſti 38. id eſt à morte ejus anno circiter 4to. Quo & ipſe Pilatus ob cædem Samaritanorum per immiſſos milites patratam à Magiſtratibus Samariæ apud Vitellium Syriæ Præſidem accuſatus, in ordinemq́; ab eodem redactus ſucceſſorem in Iudææ procuratione accepit Marcellum amicum ſuum. Quanquam aliorum præterea criminum Pilatum Philo accuſat, ſolitum videlicet ſententias vendere, cuncta rapere, iniurias inferre, innocentes punire,

tormentis cruciare, ac demùm morte afficere, atq; id genus alia patrare. Ejusdem crudelitate, ut ex Metaphraste notum est, Longinus Centurio unà cum duobus militibus, quòd Christum liberè confiterentur, truncatus est, ac etiam post mortem ignominiâ affectus. Porrò Vitellio Præsidi visum est Pilatum Romam mittere, ut ibi coram Imperatore causam suam ageret, obiectaq; sibi dilueret. Contigit ejus profectio anno sequenti &c. Hæc Baronius tomo I. pag: *266*. Miles autem Longinus è contrà, tum 38. ipsos annos Monasticam vitam egisse à V. Beda & Ludolpho Saxone sat idoneis Scriptoribus memoratur: tum juxta Isidorum, & Infulas Episcopales & Martyrij coronas adeptus. Discrepant præterea aliæ circumstantiæ, ut socij coronæ & Tyrannus. Centurio enim sub Pilato, miles sub Octavio Præside; Centurio cum duobus militibus socijs, miles solus decertâsse proditur. Quòd verò eâdem die & in eadem civitate Cæsarea Cappadociæ obiêrint, nihil Fidei opinioni nostræ detrahit. Numquid enim quia Genesius ex Mimio M. 25. Augusti Romæ, & alius Genesius priùs exceptor eodem die Arelate occisus legitur: illico ex duobus unus vel mimus tantùm vel tantùm exceptor conficietur. Nec desunt plura exempla SS. eodem die obeuntium. Ergo similiter frustra Collius alijq; duos SS. Longinos in unum conflant, contenduntquê solùm Longinum Centurionem fuisse Martyrio affectum 15. Martij. Militem verò lateris Dominici perfossorem nec Longinum esse, nec Martyrem. Cum Romanum Martyrologium & Martyrem & Longinum esse doceat. Vsvardus quoq; ad eundem diem. Et Mutius Iustinopolitanus c. 57. Quanquam solius Martyrologij authoritas sufficeret, quòd cùm ad *Ecclesiasticæ Historiæ veritatem restitutum, iussuq; Gregorij XIII. editum*

tum

tum prænotetur. Non possum capere, quomodò quis audeat inficiari, quòd in eo expressè asseritur? & cum ibi ponatur. S. Longinus miles lateris Dominici scrutator Martyr: aliquis contra nitatur. Centurionem persossi lateris minimè conscium in illum locum restituere excluso tam legitimo possessore? Admirationi mihi est & ipse Baronius, qui ceu spreto tam claro textu, in notis illum tantùm Centurionem memorat, cujus agonem exequitur Metaphrastes, ejusq; Interpretes Lipomanus ac Surius. Nisi fortè ex occasione S. Longini militis Martyris, Centurionem quoq; memorare voluit, qui eodem die licèt 34. circiter annis antè occubuerat. Accurati tamen annotatoris erat alterum ab altero distingvere ne in unum confunderentur. Quod verò S. Longini venerandum corpus refert asservari in Ecclesia S. Augustini Romæ; illud quoq; scitu dignum erat, eccujus Longini? militis an Centurionis? Longini nomen (ne hoc quoq; inobservatum transeam) potuit non modò à longitudine seu proceritate corporis, sed etiam ab hasta ex græco, quæ in illo idiomate Loghi vocatur, deduci: ut Centurio quidem Longinus nomine gentilitio, miles Longinus, vel quòd immanis longurio in medium ad immanem ictum prosilierit: vel Lonchinus Longinusve ab hasta inquam surrexit, fortuitò cognominaretur.

Quanquam de contentione remittendo, utiq; qui Centurio est, miles quoq; est: proinde cùm dicit Evang. Vnus militum, potuit primipilum eundem militum Centurionem designare. Quare autem nomen hujus militis Evangelista non expresserit? dat rationem Sylveira. 1. Sanctis Evangelistis morem esse in bonis operibus, quæ nobilitant auctores eorum, adscribere; in malis verò & quæ dedecorant tacere ac occultare. Sicut recensentur

no-

nominatim MARIÆ, quæ Crucifixo adſtabant; Ioſeph & Nicodemus, qui depoſitionem & ſepulturam procurârunt. Contrà tacetur de nomine adoleſcens, qui relictâ ſindone profugit, cùm IESVS caperetur: tacetur ſervus, qui alapam infregerat: ſic tacetur & miles lanceæ vibrator. Docemur enimverò famæ proximorum etiam minùs bonorum conſulere & tacere ſaltem, quos cum honore non poſſumus meminiſſe. Quid? quòd ingens pæna eſt improbis nomina eorum taceri oblivioneq; hoc modo damnari; illi enim ut olim Heroſtratus per templi Dianæ buſta; per atrocia ſcelera ad nominis perennitatem graſſantur. Vt verò Græcia exquiſitiſſimo ſupplicio mactavit Heroſtratum, cùm nomen quoq; ejus execrabile unquam pronunciari vetuiſſet: ita ſimilium in Chriſtum criminum patratores punivere Sacri Hiſtorici dum nomine tenùs tacuerunt. 2. Hic ſive miles, ſive Centurio prodigijs ſub mortem Chriſti evenientibus, ejus clamore valido ac præternaturali, non dubium quin & interceſſione ad Patrem converſus, in magnum Sanctum Chriſtiq; præconem evaſit. Expediebat ergo ejus homini conſuli, ne prædicatio detrimentum ex infamia anterioris immanitatis pateretur; maximè cùm iam ipſe præteritum facinus pænitentiâ ac amore obliterâſſet. 3. Iuxta Sylveiram cùm idem Longinus reſtituti viſùs beneficium (ut nonnullis placet,) in ipſa crudelis auſùs executione accepiſſet: Ne ejus deinceps prædicatio ut beneficiarij, hoc eſt tantâ largitione obſtricti, teſtimoniumq; in dubium vocaretur, aut ſuſpicionem gratitudinis contra rerum ipſarum veritatem: præſtabat nomen lanceatoris ſupprimi. Non quia transfixit, ſed quia tantam gratiam externi interniq; luminis accepit. Priùsquam ab hac quæſtione recedam Corollaria quædam ſubnecte-

re visum est ex auctoribus, quorum non ita obvia est copia: idq; ob singulares illorum sensus, licèt nonnunquam non omnino cum nostra resolutione conveniant.

Corollarium Imum.

Ex P. Gvilelmo Gumpemberg in IESV Viro dolorum, parte 2dâ paginâ 218.

LONGINVS. Ecce vim patitur Regnum Cælorum, & violentus Centurio Longinus rapit illud. Verè violentus quia fortior, quàm ipse sciret. Nescivit enim uno ictu vulnera se infligere duo, credebat se mortuum vulnerare, cùm tamen & vivum tangeret: destinabat ferire corpus, & animam pertransibat, lanceâ in doloris gladium versâ, prævidente & prædicente præsago iam olim Simeone. Hæc peccatorum fæcunditas est, ut plùs noceant; quàm præseferant. Carnificis fuit ictus non militis. Merebatur baltheo privari & exauctorari, quòd servo & svadenti & lanceam dirigenti Centurio obtemperâsset, (*Quid innuit? Longinum Centurionem ad hoc vulnus inferendum incitatum à milite quodam, quia verò ipse non satis oculis valeret ab eodem directum,*) fecissetq; scelus, quod vel servum dedeceret. Maledictus qui facit cæcum errare in itinere.

Sed ecce Dei iudicia abyssus multa! hinc terra tremit pavente cælo. Oza Arcam tangit & percutitur; Longinus latus Domini sui ferit, & permittitur. Osculatur IESVM Iudas, & de ore ad os, de facie ad faciem loquitur, excæcatur tamen & induratur: ferro cor ferit Longinus; & mollitur ac illuminatur. Reparare IESVS in Longino destinat lubricam oculorum facultatem, quâ homo tam malus est, sine qua tam miser. Sancti cruoris gutta è latere Christi baptizat oculos peccatores: Ecce

Ba-

Baptiſmum fluminis & ſangvinis, quin & flaminis. Sic IESVS Sol oriens cæcos illuminat ne deſperent, qui ſedent in tenebris.

Magnus es tu ô Longine & verè faciens mirabilia! eſt Hieroſolymis piſcina, quam deſcendens de cælo Angelus movet, & ad motum aquæ ſanatur unus de multitudine langventium magno miraculo, quod vel Angelo glorioſum eſt. Ad motum aquæ, quem tu in Crucifixi latere feciſti, de multitudine langventium nemo non ſanatur. Tu ipſe rei fidem facis experimento tuo. Paulò minor Angelo Moyſes virgâ ſuâ mare rubrum diviſerat, levi ictu, per quod populus tranſiens, iterum periret in deſerto: quam tu nobis viam feciſti per apertum lanceâ cor IESV, ea maris rubri via eſt, & ſecura quidem, in qua nemo perire poteſt, niſi qui vult; tantæ inſuper amplitudinis, ut non iam populus unus nocte unâ, ſed omnes tribus terræ momento quovis & pede ſicco transmeare, ſi velint, poſſint. Tu gazophylacium theſaurorum Dei aperuiſti, unde nemo recederet pauper. Et verò, ut facilius intraremus hæc tanta amoris adyta, clavis conſignanda erat militi.

Labora nunc Longine ſicut bonus miles Chriſti, & ſtipendium ſpera. Promoveberis & mutaberis in virum alterum. Diſpenſator factus ſangvinis Chriſti, Sacerdotio dignus es & mitrâ. Cæcus à nativitate, in latere IESV velut natatoria ſiloë laviſti & vidiſti, & in hoc cognoviſti quoniam vir Dei, imò filius Dei erat iſte. Pectus tuum percute, quòd cor ejus percuſſeris; cujus nec pedes oſculari dignus eras. Revertere, & quia ex ore laudantis probatur homo, eum glorifica, quem alij ſpernunt. Eum time, ut ab eo ameris: quia & ipſe ſuos in finem dilexit. Nam & caput inclinavit ad oſculum, & manus perfora-

foravit ad liberalitatem, & brachia extendit ad amplexum, & pedes fixit, ut maneret: & latus aperuit, ut diligeret: & totum se pro nobis extendit & expendit, ut sciremus nobis datum, nobis natum.

Corollarium 2dum.

Ex eodem Authore pag: 219.

L*Atus apertum.* Sic ô anima mea! sic oportuit Christum pati, & sic intrare in gloriam suam, uti ferrum intravit in cor ejus. Nam Regnum Cælorum vim patitur, & non nisi violenti rapiunt illud. Venales sunt tituli honoratiores: sed sine sangvine non habentur. Nec nomen quidem acquisivit sine vulnere, quantùmvis à Deo datum super omne nomen. Oportuit sangvine scribi nomen &c.

Latus Christi, si nescis, habitatio nostra est. Extraneum puta, quem hic non reperies. Et quod mireris, habitatio est nulli non conveniens statui. Columba es? nidus tibi est. Passer solitarius? tectum habes. Sponsa es? en thalamum. Turtur es? en locum requietionis. Rex es? ecce palatium. Pauper es? cavernam maceriæ habes & foramen petræ, nam Petra Christus est. Esuris? hinc manna collige. Sitis? bibe ex paradysi fonte. Cherubini gladius in Longini lanceam versus est: hæc in clavim, quæ ostium paradysi aperiat. *Hæc author mutuatus ex Lanspergio.* Hic ô anima mea sacrificium pro reconciliatione generis humani consummatum est: hic sigillatum; ubi Sacerdos Christus, templum pectus, altare cor, victima voluntas, ignis charitas, thus gratiarum actio. Hic, hic IESVS meus cum clamore valido & lacrymis & gemitibus inenarrabilibus pro nobis orans, pro sua reverentia exauditus est. Scisso templi velo, scisso Christi latere nihil in veteri, nihil in novo testamento hominibus

clausum est. Aperiuntur sepulchra, scinduntur petræ, finditur terra, ruptoq; in partes velo, ipsa templi adyta & Sancta Sanctorum etiam profanis patent. Solus homo oculos tunc claudit, cùm minimè deberet. Indignus solatio, quo perfunderetur; si chirographum redemptionis suæ legeret, quod Deus tribus illis, quibus mundum appendit, digitis scripsit; vulnere pro atramentario, sangvine suo pro rubrica, lanceâ pro calamo usus.

Errant ô Domine! & ipsi se decipiunt, qui putant cor tuum vulnus primùm accepisse à Longino. Iam olim ab amore vulneratum, nunc tantùm apertum est. Lancea Longini doloris gladius fuit, qui Matris tuæ & cor & animam pertransivit. Tunc illa te non sentiente doluit. Laborârunt Judæi in aperiendo latere Christi, & nos Christiani in eorum labores intravimus. Habes hìc ô anima mea bona plurima in annos plurimos, quiesce, fruere. Signum magnum in cælo est, & sidus novum hoc vulnus. Gaude Aquilo, quòd te respiciat. &c.

Nec scio an ægris piscina alia probatica quinque porticus habens quærenda sit, exquo 5tam nunc aperuit Longinus. Et si hominem non habes qui te immergat: Ecce homo qui sit adjutor tuus. Necessaria fuit in Arca Nöëtica lateris fenestra, per quam Nöë videri & videre posset. Si absq; hac lateris apertura fuisset, nec videre ampliùs IESVS nos clausis oculis poterat, nec à nobis videri in se, & causâ mortis ejus, quam in scrinio pectoris clausam habebat, ignorante Pilato. Per aliam fenestram amor videri non potuit, certè noluit.

Si nervi & venæ IESV mei chordæ sunt, & corpus ejus pro corpore testudinis; nec clavi desunt, quibus chordæ tendantur. Lateris hoc vulnus rosa erit, quâ sonus, qui clamore valido, suspirijs & gemitibus inenarrabili-

bus

bus fit, amoris dulcedine temperatus ſvavior ad aures Patris veniat, conceptamq; iram mitiget. Non eſt hîc aliud niſi domus Dei & porta cæli: per hanc ſi quis introierit, ſalvabitur. Per hanc ad ſecretam cæleſtis Regis audientiam intratur, ſed non niſi amicis patet. His Agni Paſchalis ea pars reſervata eſt de induſtria, longè ſapidior illo armo, quem Samuel videns Sauli de induſtria ſervaverat. Hinc iuge in cæli Solario convivium, unde poſtquam in terris vincula ſoluta ſunt, nemo ampliùs ligatis manibus pedibusq; eijci foras poterit. Fixit hoc in latere Longinus terminum tam doloroſæ viæ. Plus ultrà ut Deus eat, homo petere non poteſt: poſtquam habet iridem pacis & ſigillum decreti. Nec ſupereſt, niſi ut poſtquam ira Domini in tantam miſericordiam converſa eſt, homo paria referat Deo. Et facilè poteſt: quia porta Iubilæi aperta eſt, nunquam claudenda. Hinc indulgentiæ petuntur. Hâc iter ad cælum. Hæc porta illa arcta & anguſta. Per hoc oſtium, qui non intrat fur eſt & latro, Iudæ laqueo dignus. Inter alia monumenta aperta eſt etiam latus Dei, unde ſepultus Amor exivit. Cauſa mortis, quam nemo quantumvis lotus iudex in eo invenire poterat, iam inventa eſt. Doctrina Amoris hoc ore explicanda erat. Quare itaq; aggravatis corda veſtra filij hominum? redite prævaricatores ad cor &c.

IESVS meus mihi liber eſt, in quo omnis ſcientia ſalutis ſcriptus intus & foris; intus lanceâ, foris coronâ & flagellis. *Qui librum hunc novit nihil ultrà quærat, quia hic perfecta virtus & ſapientia eſt.* (Ait S. Ambroſius,) liber hic titulo præfixo Patri æterno efficaciſſimâ præfatione dedicatus, & in manus ipſius commendatus eſt: Scriptus digito Dei, pennâ Spiritûs Sancti in Incarnatione; editus in lucem in Nativitate; rubricatus in

Circumcisione, approbatus à Patre, quando in eo sibi complacuit: Inauratus charitate, sublatus furto & venditus 30. argenteis. Reprobatus & prohibitus, ut falsus ab inquisitione Sacerdotum, scissus in Passione, laceratus in Cruce: ut tempora illius impij Regis rediisse viderentur, à quo legi factum est, quod in Cruce sit legislatori.

Corollarium 3tium.

Ex varijs, de perfosso latere IESV.

SAnctus Philippus Nerius considerando hoc vulnus SSmum dicere solebat. *Vulnus lateris Christi magnum est, sed nisi me Deus teneret, maius infligerem.*

S. Bonaventura orabat. *Transfige dulcissime IESV medullas animæ meæ svavissimo ac saluberrimo amoris tui vulnere, &c.* Part: 1. stimuli prol: 2.

S. Gertrudis sociam suam pientissimam Virginem rogabat, ut pro se identidem sequentia oraret. *Domine IESV per tuum cor lanceâ transfixum, transfige cor Gertrudis Divini amoris tui iaculo, ut quæ mundi sunt exuat, teq; solum diligat, non verbo, neq; lingvâ, sed opere & veritate.*

Sidronius Hoschius devotissimus Pöeta simile quid optat

Me pete Amor telis in Christi vulnere tinctis;
Quem læsi toties sic ego læsus amem.

V. Blosius Abbas Marg: spir: c. 19. prædicat. *Beatos illos, qui hujus sunt vulneris participes! quorum corda sic configit amoris Christi lancea, ut deinceps perenni ferveant charitatis ardore.*

Hortatur ergo S. Ambrosius l. 2. Apol: David: c. 18. *Nudemus corda nostra bono vulneri, nudemus sagittæ ele-*

Eta, quæ Christi charitas est. Bona vulnera, quæ non sunt timenda, sed optanda; cùm in illis sit vera salus & vita.

Nam *Quid tibi ô dulcor unice debet gratiarum actionis offerri pro illo amoris vulnere, quod in Cruce accepisti pro homine? cùm priùs quàm lancea amor tuus invisibili sagittâ cor tuum mellifluum vulneraverit.* Vt considerabat S. Mechtildis lib: 1. Grat: Sp: c. 23.

Aspicis ut pateant & se tibi vulnera pandant
Præcipuè quòd sub pectore vulnus hiat.
Fixit in hoc sedem & solium regale locavit
Hic aulam voluit Rex Amor esse suam.
Hic sedet & valvis quemvis admittit apertis
Noctes atq; dies omnibus aula patet.
Quò veniunt plures, plures agit ille triumphos
Nec nisi non omnes velle venire dolet.
Hic ego sim felix hac degam lætus in aula
Pulchra sit hæc oculis Regia sola meis *canit Hoschius*

Consentit devoto Enthusiasmo V. Abb: Blosius Marg: sp: c. 19. *Apertum est Christi latus, ut nobis accessum aditumq; pius IESVS ad cor suum patefaceret. Vnde declaravit suum erga nos incomprehensibilem amorem, & quid ultrà nobis potuit facere quàm fecit? Ipsum cor suum tanquam secretissimum cubiculum nobis reseravit. Sunt namq; deliciæ ejus nobiscum, & in silenti tranquillitate & tranquillo silentio voluit apud nos quiescere. Dedit nobis cor suum dirè vulneratum, ut in eo commoraremur donec penitùs expurgati & mundati suoq; cordi conformes, idonei, ac digni simus unà cum ipso in æterni Patris cor abduci. Nobis præbet cor suum ceu lectulum purpurei sangvinis sui rubentibus rosis adornatum, reposcitq; cor nostrum ceu lectulum candidis mundorum operum condecoratum liliis.*

S. Catharina Senensis Confessarium suum ad illud taberna-

bernaculum admirabile invitat sequentibus. *Rogo, ut te concludas in aperto Filij Dei latere, quod bonorum omnium odorum patens est officina, in qua peccator, Christi bonus odor fit in omni loco. Ibi pia anima requiescit in lecto ignis & sangvinis; ibi manifestantur secreta cordis Filij Dei; ibi satiatur omne desiderium; ibi impletur omnis memoria, illuminatur intellectus, inflammatur voluntas. Ibi labor, non alterius recordari, non alium intelligere, non alium diligere, quàm dulcem & bonum* IESVM, *sangvinem & ignem, inæstimabilem amorem &c.*

S. Comes Elzearius cùm à coniuge Dalphina ex Regia domum revocaretur, unde pridem abiîerat tædio absentiæ suæ coniugi relicto, nec se ab aula expedire posset; invenit sanctiorem quemdam modum, quo absens licèt præstò tamen esse Delphinæ suæ posset. *Require me in vulneribus Crucifixi; ibi lætus vivo, nec in terris aliud domicilium requiro.* Similiter Maria Claudia Pontaliers è cælestinarum Congregatione ex Patria sua aliò avecta, ut novas deduceret Ordinis sui colonias, interrogata an ab amicis & notis discedens mæroris quidpiam sentiret? Respondit. Ex quo sacrum Domini latus elegisset in domicilium, in illo se Patriam, amicos, & notos reperisse. Nec tacendus hic nobilis Iuvenis, quem cùm à proposito vitæ religiosæ vetula mater his similibusve abduceret.

Saltem, dure tibi nil prohibet brevem
Indulgere moram, tota senilibus
Dum labris anima hæc extat & in tuos
transfundi properat sinus:

Heroicus inquam iuvenis sanctiorem cantilenam recinuit.

Christi vulneribus quam meliùs piam
transfundas animam: sic animæ queat

Iungi fortè meæ: me ſterilem Deus
Indulgere moram vetat.

Eleonora Inceſtroſa nobilis Matrona Magniq́; in ſpiritu Magiſtri Ioannis de Avila diſcipula, reiectis Illuſtriſſimæ Familiæ ſuæ titulis ac nomine, non aliter deinceps compellari ſcribiq́; voluit, quàm Eleonora *de latere IESV*. ô titulum eminentiſſimum!

Margareta verò Sarisberienſis Comitiſſa Edvardi IV. & Henrici VIII. Regum Angliæ hujus affinis, illius neptis, inſculpta gemmæ 5. Domini vulnera appenſa collo ſupra pectus conſpicua ferebat, omni regio monili pretioſiora, ob quod apud Henricum tunc in Catholicos ſævientem accuſata, in carcerem rapi iuſſa, ob hanc tandem ſanctam cauſam capite plexa, plagarum Domini Proto-martyr appellanda.

Hei mihi! quare natus ſum niſi Dominum meum IESVM in Cruce complectar & in ſacris vulneribus requievero. Exclamat S. Bonaventura. In mortis præcipuè hora omnium debet eſſe votum ac oratio, quæ fuit S. Eligij Epiſcopi. *Aperi mihi Domine IESV latus tuum & cor Divinum lanceâ olim apertum, ut tenebrarum principes non occurrant mihi, nec poteſtates hujus àëris conturbent, ſed hoc me vulnus protegat atq; defendat.*

De ſacratiſſimo hoc lateris vulnere, (ut obſervat Wäël,) ſolus Ioannes Evangeliſta meminit: *ille ſcilicet diſcipulus, quem diligebat IESVS; qui & ſupra pectus Domini in Cœna recubuit.* Cui proinde conveniebat acceptum â Salvatore vulnus cordis atq́; amoris præ reliquis poſteritati tradere. Quinimò Divinus ille atq́; æternus Legislator iuxta ſtylum Cæleſtis Curiæ æterniq́; Patris voluntatem teſtamentum condidit conſcriptum â 4. Evangeliſtis totidem velut Notarijs, teſtatum ab Apoſtolis

lis, quo præter ingentes gratiarum ac meritorum suorum thesauros sacra 4. sua vulnera nobis reliquerat. Verùm cùm apud plurimos in more sit, ut morti proximi codicillum scribant; voluit optimus Salvator & Pater in filios suos pientissimus non iam morti proximus sed mortuus, Divinam benedicti lateris sui arcam lanceâ aperiri; ut per codicillum à S. Ioanne Evangelista teste SSma ejus Matre alijsq; conscriptum, cor suum, supremum ac reconditissimum scilicet omnium thesaurorum suorum pignus nobis legaret. Vt videatur Dominus sui lateris aperturâ indicare, nihil se æquè optare, quàm ut cor nostrum cum suo corde permutemus: ut sicut ipse in corde suo à nobis vulneratus illud perdidit ac nobis dedit: ita vicissim nos cor nostrum amoris ejus vulnere sauciatum in illum transferamus. Facta ejusmodi permutatio cordium cum Christo à S. Catharina Senensi & Seraphica Matre Theressia. Vtinam à nobis & in nobis fiat.

XCVII.

An sangvis & aqua separatim an mixtim fluxerint?

NOn mel, ut olim de petra, neq; lac, ut S. Paulus Apostolus Catharinaq; M. è collo, Dominus IESVS ex aperto latere suo profudit; verùm sangvinem & aquam. Humano enim generi sangvis ad redemptionem, aqua ad ablutionem magis erant necessaria, quàm illæ gustûs illecebræ. Solida magis quàm sapida ex illo charitatis promptuario fluxêre. Quanquam nec in sangvine mel svavissimum(quod oculos aperiat)Ionathas Longinusve; nec in aqua lactis delicias infantia Christiana desideraverit. Gustabat utrumq; cùm gestiebat S. Agnes Martyr, dicendo. *Mel & lac ex ore ejus suscepi, & sangvis ejus ornavit*

navit genas meas. De his posthumis liquoribus lateris Dominici priusquam propositam quæstionem solvam, aliqua prævia expendo.

Quæ: 1. *Cur Christus ex omnibus quotquot pertulit vulneribus ac plagis sangvinem solum fudit cùm viveret; è latere mortuus aquam sangvini adiunxerit.* ℟. 1. ex Sylveira. Etsi omnia Christi vulnera amorem declarent, peculiariùs tamen hic lateris hiatus. Cor enim ipsum pandit, quod est proprium amoris habitaculum, ubi amor nascitur & nutritur, unde hoc vulnus proprium est Amoris; proinde per illud ampliùs quiddam IESVS largiri voluit, quàm per manuum pedumq; plagas. Per illas solum sangvinem; per hoc insuper aquam.

Et genuit (quisnam crederet?) ignis aquas.

Chymicen suam hic laborator cælestis aperuit, spiritum quendam effudit sangvini gemellum & effectu suparem. Vberiùs eandem rationem tractat idem author tom: 6. pag: 641. E manuum vulneribus sangvis effunditur; è latere verò *exivit sangvis & aqua.* In manibus erat potestas, *omnia dedit mihi Pater in manus.* Ioan: 13. In latere est Amor: nam in eo est cor quod sedes est amoris, & plùs dedit amor quàm potestas. In manibus erat potestas & sangvinem dederunt: in corde erat amor, & sangvinem & aquam dedit. Bene Salvian: lib: 3. de guber. *Quis loquetur potentias Domini, & auditas faciet laudes ejus? Deus omnipotens, cujus voluntas potentia est, universa condidit, tradiditq; homini dicens.* Replete terram & subijcite eam &c. Gen: 1. *Et quia homo ex sua nequitia ciciderat; ex sua pietate & misericordia redemit, ut nos faceret sui cohæredes in cælo.* Deus, ut omnipotens creavit mundum, tradiditq; homini: Ipsum verò hominem ut misericors ex suo amore infinito redemit; fecitq;

cohæredem cæleſtis gloriæ. Vt omnipotens dedit terram; ut amans dedit cælum. Et quantùm diſtat cælum à terra, tantùm plùs dedit amor quàm potentia. Porrò aqua cæli ſymbolum eſſe poteſt, quia cæli ex aquea quadam materia putantur creati.

2. Vt oſtenderet inſeparabilitatem aquæ à ſangvine in negotio noſtræ ſalutis. *Aqua*, (inquit Rupertus,) *quæ de latere IESV fluxit, lavit nos: ſed de ſocio ſangvine hanc aqua virtutem, ut poſſit lavare, obtinuit. Nam ſine ſangvine aqua prodeſſe non poterat.* Confirmatur ratio ingenioſâ obſervatione Petri Cellenſis c. 15. de panib. Vbi adducit epulonis infernalibus in tormentis conſtituti preces, quibus ad refrigerium lingvæ ſuæ petit, ut Lazarus intingat extremitatem digiti in aqua, guttamq; aliquam in ſuam lingvam deſtillet. *Parùm petiît purpuratus ille in flammis, & ideo non impetravit; quia non in aqua, ſed & in ſangvine flamma infernalis extingvitur. Plenam itaq; manum de ſangvine Redemptoris non extremum digitum in aqua tinctum expoſcat conſcientia de gravibus confitentis. Tingat digitum in locum clavorum, & mittat manum ſuam in latus Salvatoris.* 3. ratio ex Lyræo. Homini vivo nil ſuo ſangvine carius; aquâ autem nil eſt vilius. Vivus ergo ſangvinem fudit, ut daret quod chariſſimum habuit, mortuus etiam aquam. Vt innoteſceret nihil eum in ſe pretioſum aut vile reliquiſſe quod amore noſtri non expenderit. Videtur hic Dominus ita ſe geſſiſſe, ut aliquando in Cana Galilææ dixerat. *Omnis homo primùm bonum vinum ponit, cùm autem inebriati fuerint tunc quod eſt deterius.* Fudit in Paſſione merum ſangvinem; quo poſtquam helluones illos hoſtes ſuos inebriâſſet; in extremo Paſſionis myſterio aquâ dilutum appoſuit. Quanquam non tam propter illos ebrios hanc dilutio-

lutionem fecit, quàm suam inopiam est contestatus; ad quam summâ in nos prodigalitate pervenerat, ut scilicet effuso universo sangvine, aquam deniq;(quæ adhuc reliqua erat,) propinaret. Fudit aquam cum sangvine; quia & sangvinem ut aquam sine ulla parsimonia profuderat. Fudit autem ex latere quia tanta liberalitas ex amore procedebat. Nullius cæteroqui pretij aqua, defectu sui pretium acquirit. Sic & Christi aquam sitis illa moribundi fecerat pretiosam; ad cor enim ipsum retinebatur velut in intima cella vinaria, idq; tantâ tenacitate, ut extremæ suæ siti levandæ eam vivens IESVS depromere noluerit. Postquam obijt,rupta violento ictu cellæ repagula patuere, effusa est incomparabilis aqua. Nonne voluit Dominus & hominum quorundam tenacitatem carpere? qui dum vivunt, solicitè, opes remq; suam recondunt, ita, ut non modò indigentibus verùm sibi ipsis fruendam negent; postquam verò obiêrint omnia promptuaria patefieri, omnia per luxum dilapidari, & multos per annos asservato Opimiano Cæcubo per discinctum hæredem tandem pavimenta tingi. At hæc doctrina arcanior & hieroglyphica. Planior ista, quòd Dominus aquam de pectore maluit post mortem effundere, quàm eâdem moribundus gravissimam sitim lenire; ut figuram Progenitoris sui secundùm Carnem Davidis impleret. David, (ut est paral: 1. c. 11.) *Dixit, ô si quis mihi daret aquam de cisterna Bethleem, quæ est in porta. Tres ergo isti*(Ioab, Gesbaam, Eleazar,) *per media castra Philistinorum perrexerunt & hauserunt aquam de cisterna Bethleem, quæ erat in porta, & attulerunt ad David ut biberet: qui noluit, sed magis libavit eam Domino, dicens: absit, ut in conspectu Dei mei hoc faciam, & sangvinem istorum virorum bibam &c.* Nonne idem, imò quiddam longè perfectiùs ac nobili-

bilius præstitit IESVS? cisterna aquæ, præcordia ejus sanctissima: porta cisternæ vulnus lateris ejus, ibi non aliunde à quoquam allatam sed in fonte suo scatentem habebat aquam: sitire tamen maluit ac effundere quàm sitim suam refrigerare, ut eo merito pretium redemptionis nostræ augeret. Profudit ergo aquam unà cum sangvine, ut nossemus eum non tantùm cruentorum vulnerum dolore, sed siti quoq; quam non placavit tam præsenti apud se remedio, nobis meruisse. *Absit, ut sangvinem istorum virorum bibam.* En, ut David aquam gerit manu & sangvinem eam vocat! numquid non figura erat sangvinis IESV cum aqua iungendi tam ad simultaneam profusionem, quàm ad consortium pretij nostri & totius generis humani *sangvinem virorum istorum.* Pulchrum hoc exemplum abstinentiæ sive de vehementissimo refrigerij appetitu victoriæ æmulatus Rudolphus I. Familiæ & Monarchiæ Austriacæ conditor. Reducebat is devicto Ottocaro Bòemiæ Rege triumphatorem exercitum, cùm æstivi solis ardor fontes ubiq; siccâsset. Torrebatur cum toto exercitu. At en quidam sui equites ereptum cuidam colono in agro cyathum aquæ apportant. Renuit tamen siticulosissimus alioqui Princeps potum, *Sitio,* inquiens, *ego pro toto exercitu, aquam reddite viro aut alij bibant.* Docuerit olim Isocrates. *Maximè Regium putato si nulli voluptati servias, si cupiditates magis in potestate habeas quàm tui cives.* Praxim hujus doctrinæ vivaciùs ex IESV Magistro didicit optimus Imperator. Fuit etiam umbra hujus virtutis olim in Romanis. Vt inter laudes Catonis Pòeta recenset. *Stat dum lixa bibat,* hoc est non priùs levat sitim quàm vilissimus quisq; gregariorum suam sitim diluisset. De Scipione quoq; Affricano (ni fallor) scribitur, quòd in torrida illa

Re-

Regione allatum unicum de aqua pluvia in concavo Saxo collecta poculum intactum effuderit in terram aiens. Omnes isti commilitones mei *si sitio biberint, si bibero siti-ent.* 4. Ex eadem aqua cum sangvine effusa conjicit Lyræus ingentem vim tormentorum ac dolorum IESV, quorum scilicet atrocitate ejus præcordia in elementa fuerint resoluta, ut Innocentius III. scriptum reliquit l. 3. Decret: in cap: quodam de celebr: Miss: t. 41. c. 8. 5. Vt ostenderet ubi sit verus puteus aquarum viventium. Ne duo mala unquam populus suus committeret. Ne se videlicet relinqueret fontem aquæ vivæ, neu cisternas sibi foderet dissipatas, quæ continere non valent aquas. 6. Fudit ex præcordijs sangvinem, ut sibi cordi fuisse in opere redemptionis Hebræos sangvinem suum testaretur: fudit & aquam, ut testaretur non minùs cordi fuisse & *gentes*. Nam aquæ multæ, populi multi. Et gentes sicut stilla situlæ coram eo, ut ait Iob. Interim tamen commonet ac minatur, non minùs gentes quàm Hebræos irrevocabiliter se in terram profusurum, si cordi suo adhærere noluerint. 7. Vt novissima Passionis responderent primis. Fudit Salvator in horto sangvinem cum sudore; sudor autem utiq; humor quidam est aqueus? & sic primam calicis acerbissimi promulsidem aquâ temperavit. Fudit & in ultimo Passionis mysterio aquam cum sangvine, eodemq; extremum calicem diluit elemento; ut discamus bonis initijs congruum semper finem subnectere. Cæterùm ad memoriam illius sangvinis & aquæ è latere Dominico profluentis, Ecclesia in Altaris mysterio aquam vino admiscet, damnatq; detestabilem Armenorum errorem, qui eam misturam non adhibent, malè utiq; de Articulis Fidei contra apertam Scripturam sentiendo.

Quæ: 2dò. *Fluxus aquæ & sangvinis ex latere demortui IESV fuitne naturalis an supernaturalis seu miraculosus?*

℞. 1mò. *De Sangvine* duplicem esse sententiam. Altera affirmat, altera negat. Affirmantem docent S. Ambros: in Luc: l. 10. c. 23. *Licèt corporis ejus fuerit natura mortalis, licèt qualitas similis: dissimilis tamen gratia, nam utiq; sangvis post mortem in nostris corporibus congelascit, de illo vero inquit Ioannes continuò, exivit sangvis & aqua.* S. Cyprian: l. de 2pl: Mart. *Erat & illud præter naturæ cursum quòd è latere exanimati corporis sangvis & aqua profluxit. Vt absolveretur triplex testimonium, totum effudit spiritum: quidquid erat humoris aquæ, reliquum expressit ut nos ablueremur; quidquid in corde resederat sangvinis, exivit, ut nos confirmaremur.* Euthymius in Matth: ad verba citata S. Ioan. *Res supra naturam ac manifestè docens, quòd maior quàm homo esset qui fuerat vulneratus, siquidem à mortuo homine etiamsi eum quis millies pupugerit, non exibit sangvis.* S. Thomas Angelicus in Ioan: lect: 5. *Valde miraculosum est, ut de corpore mortui, in quo est congelatus sangvis, exeat.* Et p. 3. q. 66. a. 4. ad 3tium, quem locum suprà citavi. Subscribit Theophylactus. *Sangvinem ex mortuo corpore prodiisse mirabile est.* Præterea S. Chrysost: S. August: S. Leo, S. Gregor: Mag: V. Beda, S. Cyrill: Ieros: S. Ioan: Damasc: Tertullianus, Nicephorus, Ruffinus, & communiter SS. PP. in hanc sententiam abire videntur, cùm ex hoc lateris vulnere Divina nonnisi arcana colligunt. In Patrum doctrinam pedibus (ut aiunt,) itur ab interpretibus aliisq; Scriptoribus, ut sunt Maldonat: Franc: Brugensis, Hesselius, Toletus, Barradius, Ludolphus Saxo, Suarez, &c. Nec abnuunt Abulensis, Càetanus, Salmeron. Fru-

ſtra quinimò eſt omnium nomina proſequi, cùm vix ullus diſſentiat. Rationem aſſerti dat *Collius lib: 4. diſp: 2. c. 3.* Quatuor humani corporis humores ab innato duntaxat calore vim fluendi atq; labendi mutuantur, quo fovente quidquid fluidæ ſubſtantiæ in corporibus reperitur, liberè manat atq; liqueſcit, niſi obex illi per accidens interponatur. At verò ſive extrinſecùs ſive intrinſecùs adhibitâ vi calor ille humani corporis deficiat, (ut neceſſariâ quâdam inevitabiliq; connexione in obitu corporis contingere ſolet.) Longè eſt alia rerum facies; tunc enim humores, qui calore adiuti liqueſcebant, frigore circumventi hærent, coagulantur, concreſcuntq; adeò tenaciter, ut inſtar glutinis ijs adhæreant vaſculis, in quibus reperiuntur. Ea enim frigoris eſt conditio, ut quæcumq; ſuo morſu afficit, ea dura, rigida, & ad labendum inepta reddat. Quia igitur innati caloris & humanæ vitæ defectum nullâ interiectâ morâ comitatur frigus, quod mutuas inimicitias cum calore gerit, propterea in eadem materia conſurgens frigus non humores duntaxat, verùm etiam carnis, venarum, ac totius corporis foramina ita coarctat ac conſtipat, ut omnem liquoribus fluidis diſcurrendi erumpendiq; adimat facultatem. Algent enim protinùs omnia cadaveris membra, quæ licèt acutiſſimis ferri ictibus pungantur, nullum liquorem effundere valent. Porrò peculiaria hæc caloris ac frigoris munia ita naturali vivorum mortuorumve corporum conſtitutioni conveniunt, ut nequeant citra miraculoſam Dei virtutem tolli aut impediri; quin ad vivum calor, frigus ad mortuum corpus conſequatur &c. Ergo ex mortuo Chriſti corpore utpote congelato non poterat ſangvis profluere ipſe pariter glaciatus; ergo nonniſi per miraculum fluxit. De Moles et ſi contrariæ ſententiæ magis faveat tam

quòad

quoad sangvinem, quam quoad aquam; (ut infrà patebit,) affirmativam tamen ex mente adversariorum duplici fulcit ratione, pag: 266. 1. Contusum Christi corpus rivos sangvinis effudit in prætorio & alias; quidquid superfuit, guttatim ab spinea corona & perforatis manibus pedibusq; fluxit. Ergo ex pectore naturaliter fluere non potuit, quod videlicet ibi non erat. 2. Quia vitales & animales spiritus deficiunt absente animâ à corpore, & manet corpus frigidum & horridum, & sangvis veluti glacies condensatur. Ergo cùm ex Christi mortui latere fluor visus fuerit sangvinis, illud non naturaliter sed miraculosè contigisse existimandum. Confirmatur deniq; S. Ioan: verbis, qui postquam scripsisset, *continuò exivit sangvis & aqua:* addit statim, *& qui vidit testimonium, perhibuit, & verum est testimonium ejus.* Quasi diceret. Nemo discredat narrationi quamvis videatur cursum consvetudinemve naturæ excedere. Meis ipsemet oculis illam emanationem percepi. Neu testium pluralitatem desideret: unus instar multorum sim: qui nonnisi vera narrare & certissima prodere soleo. Quorsum peto S. Evang: cùm cætera Christi supplicia ac miracula quæ in morte evenerunt nudâ ac simplici narratione prodidisset, in hac una sangvinis effusione ita singularis & seipso accuratior esset? ut putaret huic veritati non satis provisum nisi fidem & authoritatem sui ipsius testis incorrupti ac integerrimi subiunxisset. Certè cum facili negotio inducantur homines, ut credant ea, quæ naturaliter fieri possunt: inanis & supervacanea est tanta solicitudo in persvadenda satis obvia & communi veritate videretur. Debuit ergo sangvis è defuncti latere contrà aut saltem præter naturæ vires Divinâ omnipotentiâ iuvante fluxisse, qui ut fluxisse crederetur, tantâ verborum ener-

giâ tam fidele teſtimonium advocatur.

Sententiam negativam qui ex profeſſo tradiderint, compertos non habeo. Collius eorum fundamenta refert ſat latè. Debile, (aiunt illi,) ac infirmum à prudentibus ſemper iudicatum eſt, ad miracula tanquam ad aſylum urgente quâvis difficultate explicandi confugere, cum re meliùs perſpectâ naturalis ejus cauſa poſſit inveſtigari. Porrò in præſenti caſu rationem naturalem profluî ſangvinis aſſignant. 1*mò*. Non rarò ex mortuis marcidis, corruptioniq; proximis corporibus ſangvis erumpit. Et viſitur hoc in ijs maximè, qui dum cædes ac minas adverſus inimicum ſpirant, crudeliter obtruncantur. Imò etiam conſpicitur in ijs, qui dolis ac fraudibus circumventi, mortis ſupplicium ab inimicis illatum luere coguntur. Horum, inquam, cadavera ad præſentiam inimicorum ſangvinare notiſſimum eſt plurimis exemplis. Affert aliquot Collius, & aliquot de Moles; profluo ſcilicet ſangvine ex cadaveribus refoſſis plurimos ante dies ſepultorum patefactos homicidij authores. Vnde ſumptâ occaſione feſtivè quidam iocabatur in medicos. Non fruſtra ſcilicet eos paſſim funeribus exequijsq; etiam amicorum obeundis abſtinere: ne fortaſſis ad eorum præſentiam ex aliquo cadavere ſangvis erumpat, necisq; humanæ reos atteſtetur. Atqui talis eruptio ſangvinis non eſt ſupra vires naturæ, nec enim conveniens eſt eò cæleſte numen deducere, ut interfectorum ſæpe reproborum ſangvinem miraculis illuſtrare ſtudeat. Ergo etiam ex emortuo Domini latere potuit ſangvis viribus naturæ effundi. 2*dò*. Sangvis lateris Dominici non è quovis membro profluxit, ſed ex nobiliſſimo ac totius corporis principe, hoc eſt corde: quod ſicut in vita primas ſibi innati caloris partes ſic & in interitu poſtremas efflagitat,

utpote *primum vivens & ultimum moriens.* Ardentissimo præterea caloris humani æstu fervere solet. Cui succurrens natura intra pericardium, hoc est aquei quoddam humoris vasculum cor refrigerij gratiâ inclusit, ne suomet calore solveretur. Ergo hic fluxus sangvinis potuit produci virtute & efficaciâ caloris residui cor ambientis, maximè in Christo, cujus cor præter nativum calorem eminentem ob temperamentum perfectissimæ complexionis, immenso insuper amoris æstu flagrabat. Scimus Apostolum Indorum Xaverium, Seraphinum nostri Septemtrionis Kostkam, S. Philippum Nerium, S. Petrum Alcantaram, S. Theressiam, ita Divino amore corripi solitos, ut ignis ille spiritualis ipsam cordis corporisq; materiam pervaderet, & ardore quodam intensissimo pene dissolveret, ut refrigeria ab extrinseco applicari debuerint. Quid iam dicendum de ipso sancti amoris fonte ac fomite? quibus ille flammis in eo summo atq; supremo benevolentiæ erga homines exercitio arserit? tantus igitur calor subitò evanescere non potuit. Ad hæc brevissimo post mortem temporis intervallo è Cruce pendens Salvator in latere sauciatus est, quemadmodum ex sacris literis non obscurè habetur, ubi Præsidem ceu subitam ac festinatam Christi mortem demirari dicunt. *Pilatus autem mirabatur si iam obijsset,* Marc: 15. v. 44. Mortem autem vulnus lateris illico subsecutum est. Quod confirmatur vulgari tetrasticho de horis canonicis.

Matutina ligat Christum, qui crimina purgat:
Prima replet sputis, dat causam Tertia mortis.
Sexta Cruci nectit, latus ejus Nona bipertit.

Et alio, quod Hostiensis Ioan: Andreæ, Albertus de Ferrarijs, cæteriq; iuris Pontificij interpretes allegant

Sextâ sunt tenebræ per mundi climata factæ

Emis-

Emiſſus nonâ Divinus Spiritus horâ.

In quibus verſibus adverte in eandem horam, aut ſaltem in idem trihorium tam obitum Domini quàm lateris perfoſſionem conijci. Sicut defacto longiori intervallo abeſſe non potuerunt. Cùm enim circa ſolis occaſum corpus Domini de Cruce ſit depoſitum, (ut colligitur ex Evangelio,) & nonâ Dominus obierit; perfoſſio lateris diutiùs dilata non eſt. Fieri ergo nequit, ut tam brevi temporis ſpatio Salvatoris membra maximè interiora obrigeſcerent; quo fluxus ſangvinis impediretur, maximè transfoſſo corde & portâ emanationi patefactâ. Naturali igitur virtute potuit elabi, cùm violentè detineretur ibi, ubi erat; quare ſtatim ac aperti lateris anguſtiæ patuere, & obices, quibus profluere vetabatur, ſunt remoti, naturali motu ob inſitam gravitatem deorſum erupit. *Tertium fundamentum* conſtruitur evertendo rationes affirmantium quod ut faciant, videbis infrà.

Nunc affirmãtes ad inſtantiã de ſangvinatione cadaverum interfectorum reſpondent. Non dum Philoſophiam ad cauſam naturalem ejus eruptionis perveniſſe; demus enim, quòd ſubinde per accidens erumpat ex aliquo cadavere non dum rigefacto accedente aliquâ commotione extrinſecâ: communiùs cenſentur ejusmodi emanationes fieri ſupernaturaliter vel per præſtigias dæmonum, per quas aliquando inſontibus creare ſatagunt ſuſpicionem criminis & ſupplicij periculum: vel Divinæ Iuſtitiæ omnipotenti nutu, quæ rarò antecedentem ſceleſtum deſeruit pede claudo. Et huic potiſſimùm adſcribenda eſt ejusmodi ſangvinatio. Nam, ut ad meritas pænas manifeſtarentur homicidæ non modò cadavera, ſed manus alicubi ſola procul à trunco inventa, poſt plurimos menſes ſicca, arida, inſuper toſta, ad præſentiam tamen homici-

dæ ſangvinem exſudavit; ut teſtatur Nirembergius apud de Moles. Et aliàs in Alemannia anno 1503. (ijsdem teſtibus,) cùm quispiam Mercenarium proprio ejusdem gladio peremiſſet; invenerunt fortè gladium, iuſtitiæ miniſtri; acceſſit caſu ignotus ille & ignoratus gladiator: & ſangvis rubeus ex gladio effluxit. Cujus profectò fluxûs ratio in tota natura inveniri non poteſt. Longum eſſet prodigioſas iſtas reorum innoxij præſertim ſangvinis manifeſtationes recenſere. Vnam tamen alteramve referre non gravabor. Peregrinus quispiam ex vagorum erronum tribu domum civis cujusdam ſubiecto clanculum igne combuſſerat; ſuſpicio tangebat infenſum quendam vicinum; cogitur ergo ille inſons alioqui vicinus (receptâ tunc temporis purgatione) ferrum candens inſtar manûs humanæ fabricatum, nudis manibus ad certum ſpatium loci deferre: & detulit ſine ulla noxa omnemq; à ſe depulit ſuſpicionem. Redit ſubinde uno alterove anno vertente peregrinus ad eum, cujus ædes exuſſerat, miratur quaſi ignarus novam ædium faciem, reiq; familiaris inopiam: percunctatur cauſam, diſcit incendio domûs fortunam omnem conflagrâſſe. Inter ſermocinandum verò manum illam ferream quopiam angulo iacentem animadvertit, & hujus uſûs ecquinam ſit? interrogat: docet Paterfamilias manum illam probatricem eſſe; alter eam temerè apprehendit, ſed non impunè, nam non aliter quàm candente ferro amburitur: auctor incendij deprehenditur: meritas pænas luit. Alius cùm notabilem pecuniæ ſummam cuipiam furto abſtuliſſet: diu crimen illud latuit: cùm fur decoctâ pecuniâ, ingraveſcente deinceps ætate planè repueraſceret, interq; pueros in foro luſitaret. Accidit quâdam vice, ut in foro neſcio quid per luſum ſcribillarent pueri: arripuit gypſum

etiam collusor senex, ignarusq; penitùs cùm esset literarum, neq; sciret quid exararet, expressit in tabula. *Ego sum fur.* Irriserunt pueri Scriptorem: sed res evulgata ad iudices ac vindices defertur, meritoq; laqueo senile guttur frangitur. Assidebat & templi cujusdam postibus vetulus quidam sed clancularius homicida; adest aliquando canis mortuiq; hominis calvam in ejus sinum ceu stipem deponit. Excutit senex invisum munus: at cùm largitor canis iterum iterumq; cum eadem calva redit; rapitur ad quæstionem silicernius, fatetur pene oblivione obliteratum crimen, & plectitur. Sed multò admirabiliorem instigatorem canem lego apud Gvilel: Vander Bossche Histor: medicæ l. 2. ex Blondo relatam. Memini (inquit Blondus,) in Gallia non procul Parisijs adolescentem à socio rivali traiectum gladio expirâsse. Canis, (qui cædi aderat,) diu locum servavit; in quo Dominus erat occultatus, & cùm famuli adolescentem perquirerent, solum canem iuxta sepulchrum invenerunt, quòd tamen non agnoscebatur, quia tumulus terræ fuerat. Socius, (cædis author,) de adolescente interrogatus ignorare profitebatur. Sed prodidit eum canis irruens in eum tanquam hostem proprium. Itaq; ad rectores urbis adductus est, & cùm causam proferre non posset, cur canem tantopere sibi infensum haberet, cui haud aliter antea quàm Domino abblandiri solebat: iussus est duellum (*purgando crimini duellum olim suscipere licuit*) cum cane experiri; ergo caninâ pelle & ipse induitur, decætero ad carnem lineâ tantùm veste intectus, cum mucrone in canem prodit. Verùm canis homicidæ gulam mordicus apprehendit, priùsquam is gladium stringeret, eumq; prosternit. Exclamat miser miseremini ô Patres! cane avulso fatebor omnia. Confessus igitur patratum scelus

mor-

morte mulctatus est. Ad similium eventuum classem proculdubio cadaverum sangvinatio pertinet, quidquid conentur eam in ordinem naturæ redigere Philosophi, quorum opiniones cum suis probationibus latè refert Collius lib: 4. totâ disp: 3. Nec indecorum indignumve est miraculorum effectrice omnipotentiæ ad cadavera hominum fortè etiam damnatorum se demittere, non enim eo miraculo reprobos honestat, sed suæ iustitiæ vindicativæ obsecundat. Nemo utiq; ob ejusmodi sangvinatione cadaver interfecti ceu sancta lipsana coluit: sufficit hoc indicio innotescere homicidam. Quinimò Sancti iuxta Christi doctrinam ad parcendum hostibus interfectoribusq; suis sunt proniores, ab omniq; ultionis cupidine longissimè distant, ut etiam cùm adhuc verbo aliove indicio eos prodere possent, ad hoc tamen nunquam induci queant, ut ex multorum vitis constat. Lege exempli gratiâ apud Matthiam Tannerum in Societate militante obitus primorum duorum in Europa Martyrum Emmanuelis Fernandij & Petri Venusti: uterq; istorum de lethalium suorum vulnerum illatore solicitè requisitus, nunquam etiam terminis universalibus innuere voluit. Tum ne de suo merito quidquam deperderent; tum ne eos, quos pro summis benefactoribus habuerunt, ceu hostes læderent. Non est Sanctorum indoles posthumo sangvine vindictam expetere, quam illi etiam viventes aversantur. Furialis iste Genius reproborum est cupidinem vindictæ ne cum vita quidem deponere velle, qualem Virgilius exhibet cùm Didonis in profugum à se contempta Æneam intemperias describit 4. Æneid:

Sequar atris ignibus absens
Et cùm frigida mors animâ seduxerit artus
Omnibus umbra locis ero. &c.

Nihil

Nihil igitur conciliat altioris opinionis cadaveribus ea ſangvinatio, licèt miraculoſè fiat.

Verùm contrà dicta obijciet aliquis illud Gen: 4. *Vox ſangvinis fratris tui*(Abel)*clamat ad me de terra.* Imò Apoc: c. 6. ſcribit S. Ioan: ſe vidiſſe *ſubtus Altare animas interfectorum propter verbum Dei & propter teſtimonium quod habebant & clamabant voce magnâ dicentes. Vsquequo Domine*(*Sanctus & verus*)*non iudicas & non vindicas ſangvinem noſtrum de ijs, qui habitant in terra.* Sed cùm ex cadavere ſangvis erumpit, videtur vindictam exigere: Ergo ſicut clamor ſangvinis Abelis innocentiam MMq́; in Apoc: honeſtabat: honeſtaret pariter improborum cadavera ſi ſupernaturalis eſſet eruptio. ℞. præſentē obiectionem noſtri propoſiti quidem parùm intereſſe; nam ſic emanatio ſangvinis ex cadavere ſancto multô magis miraculoſa cenſenda eſſet: ſicut cùm ſangvis S. Ianuarij M. aut S. Ioan: Baptiſtæ in ampulla vitrea ceu vivus bullit: aut brachium S. Nicolai Tolentinatis imminente gravi aliquâ in Eccleſiam calamitate ſangvinem exſudat: interim tamen ad tollendum omnem ſcrupulum aio cadavera ſicut non ſuâ ſponte (nec enim vivunt, nec ſentiunt, adeòq́; nec vindictam volunt,) verùm Dei nutu ſangvinem ex ſe profundere, ita neq́; ultionem de interfectoribus expetere, verùm Divinam iuſtitiam nolle impunita crimina, adeòq́; hoc indicio ad manifeſtationem reorum ſubinde uti. Pariter de facundo illo Abelis ſangvine cenſendum. Scio quidem Chaldæum Rabbinosq́; per clamorem ſangvinis intellexiſſe filios, totamq́; poſteritatem, quam habiturus erat Abel niſi fuiſſet necatus. Quòd ſcilicet Cain tantùm ſangvinis effudit, quantùm per propagationem ſufficere multis poterat. Verùm extorta interpretatio. Meliùs & in rem noſtram explicat

S. Am-

S. Ambros: l. 2. de Cain. *Non accusat vox Abelis, non anima ejus, sed vox sangvinis accusat quem ipse fudisti: tuum ergo te facinus non frater accusat. Est tamen terra testis, quæ cæpit sangvinem. Si frater parcit, terra non parcit: si frater tacet, terra condemnat. Ipsa est in te & testis & iudex. Non est ergo dubium, quòd eum & superiora (Cælum, Sol, Luna, Stellæ, Throni, Dominationes, Principatus, Potestates, Cherubim & Seraphim) damnaverint, quem inferiora damnarunt. Non quomodo absolvitur puræ illi cælestiq; sententiæ, quem nec terræ potuerunt absolvere.* Sive, (ut Cornelius ait.) Reatus homicidij ita voluntarij in conspectu meo comparet atq; â me celerem & atrocem vindictam exposcit. Vox tamen Abelis sangvini tribuitur per prosopopæiam iuxta S. Hieronymum. Effusio activa sangvinis est peccatum in cælum clamans, non sangvis passivè effusus: hic innocuus & sanctus. Locum deinde allegatum Apocalypséos Cornelius explicat. Animæ Sanctorum vindictam inclamant, id est orant; *Imò*, ut Deus sangvinem eorum iniustè fusum, & corpora iniustè occisa, quæ adhuc in hac iniusta occisione & morte manent & detinentur sibi restituat, ijsq; rursum animæ spoliatæ nuditatem tegat & vestiat; ut suscitet ex pulvere terræ ad capiendum commune cum anima prœmium. Vnde responsum â Deo accipiunt, ut accipiant interea pro corporibus stolas candidas, quibus se tegant ac vestiant, donec impleatur numerus conservorum eorum: tunc enim planè eos corpore glorioso vestiendos. Hinc S. Greg: l. 2. mor: c. 4. *Quid*, (ait,) *est animas vindictæ petitionem dicere nisi diem extremum iudicij & resurrectionem extinctorum corporum desiderare?* 2dò, optant vindictam, id est liberationem Ecclesiæ ab infidelium & persecutorum tyrannide, ut scilicet eam

Deus

Deus inhibeat & ſiſtat. Reddatq; Eccleſiæ pacem & quietem. Quibus pariter reſpondet Deus ſe id brevi præſtiturum, ſed oportere adhuc modicùm expectare, donec compleatur Martyrum & electorum numerus. Liberatio & últio ut idem ſignificet, vide apud Cornelium in Apoc: c. 7. v. 10. pag: 128. Secundariò tamen & conſequenter optant quoq; vindictam propriè dictam ex zelo iuſtitiæ quaſi dicant. Vsquequo Domine iuſte non facis iuſtitiam, ut nos & Eccleſiam inſontem liberes, perſecutores verò punias, ut omnes laudent & celebrent tuam in utroq; iuſtitiam. Hanc enim poſtulat Martyrum ſangvis. Sicut & 4. Eſdr: 15. *Ecce ſangvis innoxius & iuſtus clamat ad me, & animæ iuſtorum clamant perſeveranter.* Vnde S. Aug: ſerm: 59. de temp: docet animas has petere, ut evertatur regnum peccati. 3*tiò.* Indirectè & quaſi eminus orant accelerari diem extremi iudicij illo enim die facienda eſt plena hæc *vindicta in nationibus & increpationes in populis ad alligandos Reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis. Vt faciant in eis iudicium conſcriptum. Gloria hæc eſt omnibus Sanctis ejus.* Pſ: 149. Neq; gravior ultio in tyrannos cogitari poteſt, quàm quòd oppreſſos olim à ſe in magna videbunt gloria interq; palmas triumphales ſe verò in æternum damnatos & abiectos. Hoc innuitur Pſal: 110. *Peccator videbit & iraſcetur, dentibus ſuis fremet & tabeſcet, deſiderium peccatorum peribit.* Et Sap: 5. toto capite. Ex quibus colligi facilè poteſt Sanctos & iuſtos non expetere ultionem de ſuis tyrannis, ut bonum ſibi, ut ſolatium amoris proprij læſam ſuam famam, incolumitatem, vitam ereptam vindicantis, talis enim amor ſui eſt in hominibus malis & mundo deditis: Sed ut bonum Iuſtitiæ & Gloriæ Dei, quæ elicitur ex pænis ac ſuppli-

cijs improborum. Proinde si quando etiam ex cadaveribus Sanctorum sangvis ille posthumus ad præsentiam interfectoris bulliret, non esset imputandus appetitui vindictæ, sed tantùm Divinæ iustitiæ eo signo homicidam manifestantis ac condemnantis miraculosè. Vt verò solutio argumenti pro parte negante miraculum allati magis in conspectu fit; eam in aliquot verba redigo. Sangvis ex cadavere interfecti ad præsentiam interfectoris fluit naturaliter; nec enim decet Deum miraculo honestare corpora occisorum in statu plerumq; peccati, ut *vg.* in duello vel in alio actuali peccato, in quibus circumstantijs occisi sangvinâsse post mortem produntur. Ergo etiam ex latere Christi iam mortui sangvis naturaliter fluere potuit. Hoc est argumentum. Respondeo ad illud, nego antecedens, & quòd supponitur in probatione, nempe eo miraculo honestari cadavera. Vt paulò suprà dixi. Iam ex falso antecedente nihil infertur. Dato, imò non concesso antecedente adhuc consequentia manifestè est falsa. Magna enim utrobiq; intercedit disparitas. Effundunt cadavera defunctorum sangvinem, sed ad præsentiam interfectoris: Miles verò lateris vulnerator duntaxat fuit non interfector. Nec dicas illum animo interficiendi latus scrutatum, ut residuum si quod superesset vitæ eriperet. Sic enim non solùm miles, sed pleriq; adstantium Iudæorum scribæ maximè & seniores populi, qui instigabant; qui in IESVM animo cruento fuerant, interfectores essent dicendi. Aderant quin etiam illi, qui physicè & realiter Dominum occiderant. Vel igitur ob præsentiam omnium istorum sangvis è defuncti Domini latere erupisse dicendus, vel non est ratio, cur potiùs ob præsentiam militis istius quàm aliorum parricidarum eruperit. Deinde sangvis ad præsentiam

inter-

interfectoris erumpit ex cadavere nullo novo inflicto vulnere: Christo autem miles novum inflixit vulnus, quâ datâ portâ sangvis erupit. Ergo nulla est paritas. 2dum fundamentum sententiæ negantis ipse Divus Thomas non levi pendit lect: 5. in Ioan. *Si dicas fuisse hoc propter calorem qui adhuc in corpore remanserat, fluxus aquæ inficiari non potest, quin miraculosus existat, cum aqua exiens purissima sit.* En, ut S. Doctor huic argumento adversari non audet? & quamvis sententiæ affirmanti miraculum in sangvine profluo faverit, quia tamen etiam negantem sustineri posse vidit, noluit esse in hoc negotio litigiosus. Proinde ex hoc altero fundamento maneat suæ neganti sententiæ probabilitas. Maximè cùm neq; ex Divinis, neque ex naturalibus principijs erutæ rationes pro sententia affirmante adeò sint validæ, ut ad assensum cogant. Quæ enim sumitur ratio ex subita congelatione sangvinis in cadavere exanimi ac ex torpore ipsius corporis facilè refellitur per calorem residuum superstitem. Altera ratio, quæ desumitur ex inopia sangvinis effusi per tot plagas & vulnera; refellitur pariter dicendo superfuisse nonnihil sangvinis in præcordijs ac ipso corde: allatorum verò S. Ioannis verborum energia. *Qui vidit testimonium perhibuit, & verum est testimonium ejus.* Bene salvatur dicendo S. Ioannem tam emphaticis verbis non substantiam sed modum effusi sangvinis miraculo adscripsisse. Similiter intelligendos SS. Patres, qui in illa effusione fatentur admiranturve prodigium; modum scilicet non ipsam substantiam sangvinis eos demirari. Vbi autem ijdem SS. Patres ex eodem sangvine lateris Divina mysteria colligunt; non illico inferri potest sangvis ille fuisse miraculosus; quia minimè novum est Divinæ omnipotentiæ rebus naturalibus ad effectus supernatu-

rales uti. Sicut naturale quid,est elementum aquæ, ejus tamen perfusio in Baptismo causat gratiam, quæ est quiddam supernaturale ac Divinum. Quâ eâdem agendi ratione sub materialibus Eucharistiæ accidentibus incorpoream spiritualis vitæ refectionem Dominus reliquit. Idem dic de alijs Sacramentis. Ergo non sequitur sangvinem supernaturaliter fluxisse, quia ad effectus supernaturales ordinabatur. Liberum igitur est in utramq; partem opinari sive cum affirmantibus sive cum negantibus, idq; non tantùm ob solidas utrinq; rationes verùm etiam per authoritatem Innocentij III. Summi Pontificis, qui hac de re olim interrogatus unicuiq; plenam facultatem sentiendi quòd placeret largitus est: eâ tamen lege, ut nullus auderet inficiari veram naturalis sangvinis & aquæ elementaris substantiam è latere Domini effluxisse lib: 3. decret: t. 41. cap: 8. de celebratione Missarum. Hinc Caietanus in Comm: ad cap: Ioan: 19. de miraculoso aquæ Dominici lateris exitu certus: de sangvinis fluxione incertus ac dubius in negantem quàm affirmantem sententiam propensior videtur. Dionysius etiam Carthusianus & Nicolaus de Lyra & complures alij nobilissimi Scriptores cùm aquam è latere Domini scaturientem uti miraculosam celebrant; nihil tale de sangvine scribunt. Malim tamen cum Doctore Vincentio de Moles asserere effusionem sangvinis miraculosam non fuisse quòad substantiam: fuisse tamen miraculosam quòad modum. Ratio asserti quòad priorem partem, est ipsum fundamentum 2dum sententiæ negantis, & expugnatio fundamentorum sententiæ affirmantis proximè allata. Quòad partem verò posteriorem ratio est 3plex. 1. Francisci Lucæ Brugensis, licèt ob superstitem calorem in præcordijs Domini, apertoq; per lanceam ada-

ctam latere naturaliter ſangvis fluere potuerit, quia tamen nullâ interiectâ morâ, ut ait S. Ioannes. *Continuò exivit ſangvis & aqua.* Cùm tamen inter extimam lateris cutem & cor non mediocre intervallum iaceat, ob hanc ergo tam celerem eruptionem cenſenda effluxio ſupernaturalis. Naturaliter enim aliquâ morâ interiectâ profluere debuiſſet. Hæc ratio debilis videtur Collio, ut enim in momento ſit traiectio lateris, ita quid mirùm eodem momento ſangvinem erumpere? 2. Ratio fortior ipſius Collij eſt. Sangvis è corde præcordijsve Domini ſi naturaliter flueret, ſuâ gravitate intra ipſum cavum pectoris Dominici delabi debuiſſet, ergo quia non in cavum delapſus, ut naturalis gravitas exigebat, ſed erupit extra latus. 3. Ratio, quia ſangvis non ſolus ſed ſimul cum aqua effluxit. Quam rationem accuratiùs ſub Reſponſione 2da expendam.

℞. 2dò. *De Aqua.* Supponendum in primis eſt veram ac elementarem aquam fluxiſſe cum ſangvine de latere Salvatoris. Ita cenſent omnes nullo excepto Sancti Patres, quorum loca citata deſignatave invenies apud Collium lib: 4. diſp: 4. c. 1. Vnum do ex antiquiſſimis Scriptorem Tertullianum lib: 1. contr: Marcion: c. 4.

- - De latere ligno pendentis in alto
Corporis exanimi ſangvis manavit & humor.
Famen ſangvis erat: aqua erant nova dona lavacri
Hæc populi vera eſt viventis Eccleſia Mater
De Chriſti nova carne caro deq; oſſibus oſſum.

Nec mirùm eſt omnes conſenſiſſe, cùm ducem ita ſentiendi habeant S. Evangeliſtam diſertè locutum, *exivit ſangvis & aqua.* Poſt quæ tam expreſſa verba nullus ambigendi diſſentiendive locus relinquitur. Dubitavit tamen diſſenſitq; etiam, impius hæreſiarcha Calvinus locò

aquæ

aquæ elementaris ferum quoddam ſangvinis, ſive phlegmaticum humorem à ſangvine ſecretum per compreſſionem, (quæ utiq; nulla fuit in Cruce,) ſubſtituere auſus. Vtq; in Sacramento Altaris, ubi dixerat Dominus maniſeſtè Corpus ſuum eſſe: ille nihilominùs figuram tantùm umbramve quandam; ſic & in verbis Evangeliſtæ. *Exivit ſangvis & aqua,* non aquam ſed quandam aquæ ſimilitudinem reliquit. Quo auſu regulam Sacras Scripturas interpretandi à S. Auguſtino præſcriptam impiè tranſilijt. Scilicet *verba Divini eloquij in propria ac ſtrictâ ſignificatione intelligenda ſunt, ubi id commodè fieri poteſt.* Sicut de facto in præſenti textu nullis premimur incommodis, quò minùs verba ut ſonant genuinè accipiamus. Et ratio ſvadet idem. Aqua enim lateris Dominici iuxta SS. PP. propria & illuſtris fuit figura aquæ baptiſmalis, quo fonte culpa originalis eluitur. Atqui aqua baptiſmalis propria eſſe debet & elementaris, adeò ut omnes deſtillatitiæ aqulæ ab hoc myſterio proſcribantur, ergo etiam aqua quæ Baptiſmum figurabat verè fuit elementaris, & non aliquis humor tantùm ſimilis aquæ. Præterea illa aqua lateris verum corpus Chriſti & ex 4. veris elementis compoſitum atteſtabatur: quòd quo modo præſtaret niſi elementaris eſſet? aliàs illuderet tantùm oculis quòd à Veritate increata qualis eſt Chriſtus alieniſſimum eſt. Demùm ſi tam expreſſa S. Ioannis verba *ſangvis & aqua &c,* admitterent impropriam explicationem, quid tandem in tota Scriptura tam liquidum eſſet, quòd in alienum ſenſum torqueri non poſſet? Quin ipſe Evangeliſta qui ſe vidiſſe oculis ſuis rem conteſtatur ſtipulatâ veluti Fide, aut hoc quòd proprio experimento cognovit ſcribere voluit afflante Spiritu Sancto; aut aliquid diverſum: ſi diverſum ut Calvinus cen-

cenſet,eſſet mendax; quòd cogitare etiam ſacrilegum eſt: Si hoc, quod experimento cognovit: ergo vera & elementaris aqua fluxit: nam Ly aqua non aliud propriè ſignificat. Sed hoc ſcilicet hæreticorum acumen eſt, in ſcirpo nodum in ovo pilum quærere, manifeſtaq́; in dubium vocare. Præiverat Calvino in hac ſententia Pſeudo-concionator Petrus Ioannis ſæculo decimotertio pro aqua lateris humorem quendam ſuperfluum commentus: ſed illum Clemens V. in Concilio Viennenſi cum ſuo dogmate condemnavit. Ante hunc etiam Hugo Ferrarienſis Epiſcopus ſæculo duodecimo idem ſenſerat: verùm nulla hæreſeos labe aſpergitur. Per modum enim quæſtionis Innocentio III. argumenta ſua propoſuerat, & ab eo acceptâ reſolùtione non ampliùs pertinaciâ ad hæreſim requiſitâ opinioni ſuæ adhæſit. Porrò Innoc: III. l. 3. decr: in cap: quadam de celeb: Miſſ: t. 41. cap: 8. quid conſtanter ab omnibus fidelibus hoc in re ſit credendum, definivit. *Reſtat igitur ut qualiscunq́; fuerit illa aqua ſive naturalis ſive miraculoſa, ſive de novo Divinâ virtute creata, ſive de componentibus ex parte aliqua reſoluta: proculdubio vera fuit, cùm naturaliter poſſit & compoſitum in componentia, & mixtum in elementa reſolvi.* In quo textu Pontificis adverte duplicem eſſe ſententiam, & utramq́; permiſſam, omniq́; erroris ſuſpicione vacuam. Aliam ſcilicet, quæ aquam lateris Dominici aſſerit naturalem;aliam, quæ negat naturalem dicitq́; miraculoſam; deinde varias rationes explicandi naturalitatem miraculumve iſtius aquæ affert. Potuiſſe ſcilicet illam aquam vel naturaliter haberi, vel de novo virtute Divinâ produci, vel ex partibus aliquibus corporis reſolvi, ſicut mixta in ſua elementa reſolvuntur.

Expendo 1*mò* ſententiam affirmantem, quæ dicit aquam

quam lateris Dominici vires naturæ non excessisse. Hanc profitentur Benedictus Arias Montanus celebris Scripturista elucid: in Ioan. *Vidit* inquit, *illum mortuum & lanceâ perfossum usq; ad interna præcordia, in quibus aqua continetur &c.* Andreas præterea Laurentius hist: anatom: c. 9. de Organ: vital: & Vinc: de Moles ambo Medici nobiles. Rationes illorum in argumentum sic disponi possunt. Christus Dominus fuit verus homo. Sed verus homo in corpore suo continet aquam: ergo & Christus continebat, ergo aqua illa fuit iuxta naturam hominis, ergo vires naturæ non excedebat. Maior est de Fide. Minor: prob: Veri hominis corpus componitur ex quatuor elementis: sed unum elementorum est aqua; ergo continet in se aquam. Aquam verò sicut & alia elementa permanere formaliter in quovis corpore mixto. Docent Avicenna & S. Alb: Magnus: de quo accuratiùs tractent Philosophi. Sed demus nec aquam nec alia elementa formaliter in mixto corpore permanere, adhuc asserunt Medici in corpore humano dari aquam; vas ejus esse *pericardium*, hoc est involucrum sive capsulam arculamq; cordis figurâ turbinata sicut & cor ipsum ex latiore basi in mucronem acutum desinente. Substantia tota est membranosa, dura, crassaq; inter ossium & pulmonis substantiam media. Ejus basis thoracis medium exquisitè occupat, mucro autem in sinistrum latus magis inclinat & in anteriora protenditur, ut externas attingat cartilagines, quin etiam draphragmatis nerveo circulo validè alligatur. Generalis ejus usus ut cor ab externis tueatur iniurijs velut clypeus & propugnaculum ipsi circumseptum. Immediatè cordi non adhærescit sed tantùm ab eo distat, quantùm cordis motus postulat, ne scilicet inter palpitandum ex tactu membranæ cor incur-

rat

rat offendiculum, quo & ab opere ducendi ſpiritus vitales impediretur, & certum homini ipſi immineret exitium. Quare ſpatium illud quod interiacet inter cordis ſubſtantiam & ejusdem involucrum,(quoniam omni conatu vacuitatem natura refugit,) Deus Conditor naturæ voluit eſſe receptaculum aquæ; cujus virtute & ab externis iniurijs cor munitum ſecurè degit; & vitalem ſuccum ex eodem pericardij humore bibit; & calorem innatum ſibi temperat, cujus ardentiſſimo æſtu per aſſiduos motus inflammari ſolito, aliàs aduri deberet: & ſuo pondere corpori humano oneri non eſt. Vt enim prima mundi elementa ſuis locis diſpoſita, nec pondus, nec ponderi oppoſitam levitatem contrahunt: ita cordis humani materies in eo pericardij liquore tanquam in connaturali ſede innatans nullam gravitatis moleſtiam homini infert. His rationibus Laurentius apud Collium ſuum aſſertum probat. De Moles idem confirmat authoritate Hippocratis lib: de corde. *Cor tunicam circumdantem habet, & in ipſa aqueus eſt humor, ut putari poſſit in veſica cordis verſari, facta autem eſt ea gratia, ut ſanum & in cuſtodia effloreſcat, habet autem humiditatem tantam quanta ſatis eſt æſtuanti in medelam.* Avicenna etiam morbos cordis ad circumfluum pericardij aqueum humorem refert. Valleſius l. 6. de fabr: corp: hum: fatetur ſe aquam inveniſſe in cordis involucro animalium non ſolùm mortuorum ſed viventium. Signum igitur erat lanceâ militari non ſolùm thoracem Domini penetratum eſſe, ſed ipſum pericardium vulneratum cum aqua effluxerit, quæ in illo continebatur. Verùm contra Medicorum argumenta inſurgit Collius, aitq; S. Ioannes, cùm ſcribit fluxiſſe ſangvinem & aquam; non pericardij illum humorem intellexiſſe. Nam pericardij humor

Gggg non

non eſt aqua elementaris, ut ait Hippocrates, *adeſt in ipſa tunica humor modicus velut urina, & videtur cor in veſica diverſari.* Gulielmus Tolitus præſtantiſſimus Medicus non aquam, ſed phlegmaticum homorem pericardij liquorem appellat. Et meritò, cùm neq; colore, neq; guſtu ullam aquæ elementaris partem imitetur; ſed potiùs in flavum colorem vergat, & triſtes palato ſuccos exhibeat, quemadmodum ſe millies guſtu viſuq; expertum eſſe aſſerit Tolitus. Quin ipſe Moles, *natura*, inquit, *in hoc ſpatio humorem ſero & urinæ per ſimilem coniecit, ut ſuâ frigiditate & humiditate cor ipſum refrigeraret attemperaretq;, ne ob perennes motus invaleſceret æſtus, tum, ut in eo veluti innatans cor minùs grave eſſet animanti.* Si ergo hic tantùm pericardij liquor cum ſangvine ex Domini latere effluxiſſe diceretur; idem ſentiremus, quòd dicentem Calvinum ſuprà damnavimus. Certùm quidem eſt, ut læderetur cor Domini, læſum quoq; pericardium, læſo autem pericardio humorem illius non potuiſſe non effluere; ſed hic forſan vel in cavum thoracis influxit, vel à ſangvine indiſcretus: exivit: aqua autem elementaris ita effluxit, ut effluxiſſe notaretur. *Exivit ſangvis & aqua,* aqua, inquam, pura.

Alij eandem aquam lateris Domini aliâ viâ naturalem fuiſſe demonſtrare conantur. Viegas enim ultimo conatu caloris qui in corde eſt, putat generari aquam in præcordijs, quæ ſcilicet in quovis corpore extincto reperiatur: eamq; ipſam generationem varij variè explicant explicentq; Medici, illis hanc ſpartham relinquo. Vi caloris productam aquam (ni fallor) innuere volebant veteres Græci, qui teſte Novarino de Agno Euchariſtico l. 5. c. 80. n. 35. calici conſecrato ſub ipſum communionis tempus aquam calidam infundebant, ut patet in Li-

turgia

turgia S. Chrysostomi & Theoria rerum Ecclesiastica-rum Germani. Quod ipsum expressis verbis refert Citrius apud Novarinum loco memorato. *Camisati, inquit, ferendis ad Altare carbonibus & sacris lebetibus calefaciendis occupati sunt, ut illic more solito aqua fervens sacris calicibus tempestivè infundatur.*

Alij productionem ejusdem aquæ adscribunt rigori & frigori mortali, quo non secùs à corde præcordijsq; profecti altiùs calidi vapores in aquam, sicut connaturaliter calidi vapores à terra in aërem sublati illius frigore in guttas pluviæ rorisve resolvuntur. Sed hanc opinionem reijcit Collius aiens, sicut neq; ex tepefactis agris terræ halitus deficiente solis virtute, ita neq; ex præcordijs vapores perdito eorum calore naturali elici posse. Supposito tamen, (ut suprà diximus,) calorem omnem naturalem cordis non illico deficere sed aliquamdiu in extincto perdurare, non omnino esset improbabilis sententia. Verùm si non consistat suppositum, tota quoq; assertio ruit.

Daniel Mallonius in Comment: super Sindonem Sacram Paleotti ex inaudita quadam magnitudine doloris, quo cor Salvatoris angebatur aquam elementarem ortam esse autumat, docens præ doloris gravitate tot fuisse excitatos humores, ut hi facilè per resolutionem in elementa immediatè converti potuerint. Horribilem autem dolorem cordis fuisse probant Revel: S. Brigittæ l. 1. c. 10. & lib: 4. c. 70. ubi cor Domini vi doloris scissum Deipara ipseq; IESVS contestatus est. Ex hac etiam opinione addit Mallon: mirè veritatem naturalis corporis Christi comprobari. Pia sententia est & ab Innocentio Papa superius non censurata, sed permissa. Verùm hinc sequitur in quolibet alio corpore hoc modo aquam

effici posse, si quando gravissimis doloribus homo afficeretur, quòd tamen accidere non solet. Imò nulla ratio fuisset cur tantùm admiraretur Evangelista, cùm naturalem aquam vidit fluere ex latere Domini, si tam facili ac naturali via aquæ generatio in humanis corporibus metu ac dolore agitatis effici posset. Deinde quis sapiens ita subitò concedat ex distinctis atq; diversissimis omnino liquoribus elementarem aquam progenerari potuisse, quæ vix in corruptis corporibus nonnisi per varios alterationis motus peragi aliquando solet. Nec facilè induci possum, ut credam temperatissimos corporis Christi humores in aquam abire potuisse. Censet quidem & Tostatus vi scilicet corruptionis cui obnoxium fuit corpus Christi per ea tempora, quibus in terræ sinu iacuit mortuum. Causam verò istius corruptionis esse ipsam compositionem ex elementis, ex quibus corpus Domini ut veri hominis constabat. Lege si placet ipsum Tostatum paradoxo 2. c. 30. Cujus opinio firmamentum capit & ex fine Passionis ac tormentorum Domini. Etenim sicut Dominus non propter se sed propter nos mori ac pati voluit, ut nos à mortis tyrannide inferniq; supplicijs eriperet; ita pariter aliquæ saltem Dominici corporis partes resolutioni & corruptioni addictæ esse debuerunt, quò putredinem & humanæ naturæ corruptionem procul à nobis esse propulsandam hoc exemplo commonstraret, quod nobis accidet cùm redintegratis mortalitatis nostræ partibus redivivi Maiestatem Divini vultûs intuebimur. Et hæc sententia permissione Innocentij se tueri potest. Verùm omnem putrefactioni corruptionive locum præcludit in corpore suo Dominus locutus per Psalten: Psal: 15. *Nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Quod S. Petrus explicat Act: 2.

Provi-

Providens, inquit, *locutus est de Resurrectione Christi, quia neq; derelictus est in inferno, neq; caro ejus vidit corruptionem.* Ne autem quis per vocem corruptionis absolutam tantùm corruptionem, quali solvuntur corpora hominum mortuorum, excludi hìc putaret, non excludi autem partialem & exiguam qualis est particularum intestinorumve liquorum in elementum aquæ: huic tali distinctioni obviat S. Damascenus lib: Fid: Orth: 3. c. 28. *At secundo corruptionis significatu*, (id est molliori isto de quo sermo) *incorruptibile, hoc est interitûs expers Domini corpus confitemur, quemadmodum pij Patres tradiderunt.* Corpus inquam non modo collectivè sed etiam distributivè sumptum, ut seriem capitis consideranti patere potest. Congruum quoq; fuit ut sicut per providentiam Dei nullum os Christi fractionem passum est, (ut S. Ioan: testatur,) ita corporis ejus nullam partem corruptio attingeret. Congruum iterum, ut corpus Christi, quod vivum nullis non iniurijs contumelijsve pessimè fuit exceptum: idem iam defunctum immarcescibilitatis gloriâ præ cæteris floreret, cui immarcescibilitati derogaret ista resolutio. Intererat prorsùs virtutis Divinæ omnem etiam minimam corruptionem à corpore suo propulsare, si eam à corpore Matris suæ, & quorundam etiam servorum suorum, quorum defuncta corpora diu post mortem vivis simillima visa sunt, propulsavit. Certè B. Catharina Clarissa aliquot iam sæcula vivæ persimillima Bononiæ sedere perhibetur ac visitur, nulla compositi in componentia sive elementa solutione subsecuta. Quid? quòd si iuxta Tostatum tribus fermè horis (tot enim inter mortem & lateris Dominici apertionem fluxerunt, tota, quæ profluxit aqua ex resolutis naturæ Christi partibus progenita est: sequeretur multò abundantiorem

rem aquam futuram fuisse si temporis intervallum longius fuisset: adeòq; corpus Domini vel omnino vel maiori ex parte per tridui spatium, quo vitali spiritus caruit in aquam fuisse reducendum vi influxionis orbium cælestium, (quibus activitatem hoc in casu Tostatus tribuit,) perpetuò enim in extinctum Christi exanime corpus necessario motu operabantur. Quòd quis vel irreligiosus suspicari potest? cum nec communia mortalium corpora extincta, quæ ad corruptionem incitatissimo cursu feruntur simili resolutionis specie urgeri soleant. Quis enim ex cadaveribus limpidos aquæ rivos aut vidisse, aut cognovisse memoriæ prodidit, nisi fortè miraculosè profluos (de qualibus multa recenset Bonifacius Bagatta tomo 2. lib: 6. appendice 3. ad cap: 3.) quamvis articulatim dissectum & minutatim per arterias venasq; incisum fuerit corpus. Apage istas novas Acys aut Arethusæ in flumina metamorphoses adeòq; fabulas. Adhuc si elementaris aquæ generatio iuxta Tostati sententiam necessaria fuerat, utpote à causa necessariò operante, hoc est cælestibus corporibus incepta & propagata: cur, amabo, idem in alijs membris Domini non operabatur, quod in latere effecerat? Quare cum æquali motione circa omnes corporis Domini partes idem agens detinebatur, neq; ex manibus, neq; ex pedibus terebratis stilla elementaris aquæ prodivit? quamvis paterent vulnera maximè per depositionem exemptis clavis, quare neq; ex incisis flagellorum sævitia costis aquei humoris quidquam apparuit. Ergo in aliam longè diversam causam producticem referendum erit totum istud aquæ ex latere fluentis opificium. Certè S. Thomas huic resolutioni maximè adversatur. *Si corpus ejus*, ait q. 50. ar: 1. *fuisset putrefactum vel resolutum, magis hoc fuisset in detrimentum*

salu-

salutis humanæ, dum non crederetur in eo esse virtus Divina, unde in persona ejus Ps: 29. dicitur. Quæ utilitas in sangvine meo dum descendero in corruptionem. Non fuit proinde æquum Christi corpus vel ex minima parte corrumpi in arrham nostræ resurrectionis, sicut oportuit mori in effectum nostræ vivificationis secundùm gratiam. Eodem enim Salvatoris obitu absoluta humanæ naturæ immarcescibilitas obtenta est, cùm mors ejus infiniti valoris ac meriti esset, quæ absq; corporis sui corruptione, pro mortalium putredine in vivam carnem reparanda, Deo cumulatissimè satisfecit. Innocentij Papæ allegata authoritas non premit, quæ de eo, quod fieri potuit, non autem de eo, quod re ipsâ contigit, militat, si attentiùs consideretur. Siquidem absolutè loquendo in cineres & aquam redigi potuit corpus Dominicum; quippe quod mixtum erat, ac proinde etiam dissolutioni obnoxium, ut solius naturæ virtutem ponderans Aristoteles, de alijs hominum corporibus docuit. An verò re ipsâ aqua ex partium resolutione contigerit, colligi non potest ex verbis Innocentij istis: *sive naturalis fuerit illa aqua, sive miraculosa: sive de novo Divinâ virtute creata, sive de componentibus ex parte aliqua resoluta, proculdubio vera fuit.* Ex his liquet Papæ definitionem id duntaxat respexisse, de quo tunc apud Catholicos orta fuit dubitatio, utrum videlicet vera & naturalis aqua, an phlegmaticus humor esset ille liquor, qui ex latere Christi processit. Statuit enim veram fuisse aquam à quocunq; fluxerit principio, quod definire Innoc: non curavit. Cæterùm, quod permittit sentire Pontifex, nec reijcit: non illico asserit & laudat. Si pro asserto quis vellet habere aquam lateris per resolutionem partium corporis quarundam factam naturaliter ex hoc textu Innocentij: Non

minùs

minùs pro aſſerto agnoſcat oportet aquæ illius miraculoſam productionem, nam & hanc allegato textu ſimili terminorum tenore ac energiâ exprimit.

De Moles ut ſangvinem ſic aquam naturalem omnino fuiſſe, modum tantùm ſupernaturalem fluendi acceſſiſſe. Sed iam dicta hactenus oſtendunt ſubſtantiam aquæ naturalem nullatenus fuiſſe. Neq; enim aquam illam fuiſſe, cui cor innatat, nec vi caloris extremi, nec vi frigoris mortualis, nec dolorum acerbitate corruptioneve ullâ ex partibus corporis aliquibus in elementum reſolutis productam. Cùm igitur non poſſit naturalitas quòad ſubſtantiam oſtendi; fruſtra conceditur ſupernaturalitas tantùm quòad modum.

Dico igitur aquam de latere Chriſti profluam cum ſangvine, miraculoſam omnino fuiſſe & ſupernaturaliter productam, ita Collius accuratiſſimus Scriptor hujus argumenti. Ratio 1ma, quia nulla cauſa hujus aquæ in natura aſſignari poteſt, ergo ſupernaturaliter fuit producta. Antecedens patet ex confutatione opinionum contrariarum; conſequentia eſt legitima. Ergo Divinæ Omnipotentiæ adſcribenda eſt hæc aqua, quæ teſte Apoſtolo vocat in lucem ea, quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt. Ratio 2da, quia SS. Doctores in ſangvine & aqua miraculum agnoverunt. Et in ſangvine tantùm quòad modum, ut ſuperiùs declaravimus. In aqua autem etiam quòad ſubſtantiam agnoviſſe dicendi ſunt, unum pro omnibus repeto S. Thomam Doctorem Angelicum. *Valde miraculoſum eſt, ut de corpore mortui in quo eſt coagulatus ſangvis exeat. Sed ſi dicas fuiſſe hoc propter calorem qui adhuc in corpore remanſerat; fluxus aquæ inficiari non poteſt, quin miraculoſus exſtat, cùm aqua exiens puriſſima ſit.* Ergo abſolutè miraculum agnovit S. Thomas & SS.

Pa-

Patres alij, quorum ille semper vestigijs inhæret. Sequuntur Divum Thomam. Titelmanus *Sangvis & aqua Divinæ virtutis miraculo ex corpore illo exangvi & prorsus omni virtute exhausto profluxerunt in mysterium redemptionis & regenerationis.* Dionys: Carthus: *Communiter dicitur, quia vera exivit aqua de latere Christi non utiq; naturaliter, sed miraculosè propter mysticas rationes* Lyranus. *Sciendum est, quòd ista aqua miraculosè exivit, &c.* Sed quid plura? an non ii etiam qui de sangvinis miraculo nonnihil dubitarûnt, ii de aquæ miraculo disertè pronunciant? Vt Caetanus in c. 19. Ioan. *Quidquid sit de sangvine quòad miraculum, quoniam de corpore nuper mortuo non apparet esse miraculum exire sangvinem. Ex eo tamen quòd aqua simul exivit insinuatur, & quòd sangvis miraculosè exivit.* Subscribunt huic sententiæ Suarez, Toletus, Franc: Lucas, Salmeron, Barradas, Maldonatus, & alij agminatim. Porrò Divinitùs ista è latere Domini fusa aqua sit ne in corpore ejus cieata an ex subiecto producta? item an ante cuspidis ictum? an in ipso lanceæ ictu? disputat adhuc fusè Collius, ad quem remitto, si quis curiosior hæc etiam disquirere voluerit. Hoc non intermittendum videtur, quæ nam sedes ac domicilium fuerit prodigiosi laticis? cùm enim complura sacri corporis membra lancea appetierit antequam in alterum pene latus evaderet; incertum est, in quo eorum venam aquæ vivæ repererit? cùm æquè in suprema ac infima lateris parte Dominus eam condere potuerit. Pronuncio ergo cum Collio circa ipsam substantiam cordis creatam illam aquam. Eundem enim locum sortita est, quem sangvis; uti indicabat concors utriusq; fluendi modus, quo simul eodemq; tempore sangvis & aqua defluebant. Atqui sangvis ex intima cordis sede

profectus est, ut ait S. Cyprian. *Quidquid resederat in corde sangvinis emisit &c.* & aliàs ex S. Brigitta iam diximus. Breviarium quoq; Ordinis Prædicatorij in festo Plagæ Sacri lateris quod octavo die post Octavam Corporis Christi celebratur in Ordine, hymno quodam canit

Dulcis hasta latus Dei
Te replevit sangvine
Dulcis mucro per cor Dei
Volvitur in flumine
Sic salvantur omnes rei
Secreto Dei munere

Et in officio Vulnerum Christi
Si cor habes maculatum
Inspice vulnus tam latum
Cordis ejus: illinc fluit
Vnda quæ sordes abluit.

Et Lectione 9nâ ejusdem officij. Ideo quoq; aperiri sibi latus voluit, ut ad intima usq; nobis faceret ingressum. Dum enim apertum fuit latus, usq; ad cor Domini penetravit accessus. Accedat ergo homo ad cor altum & exaltetur Deus. Sed quis ascendet? quis in eo requiescet? innocens manibus & mundo corde. Non differat autem peccator. Si promptus statim non pateat accessus: Lugeat ad ianuam unde sangvis fluit & aqua manat. Fores apertæ sunt, facilè penetrabit usq; ad cor Domini lugentium clamor. Si pergit ad ianuam peccator lugere, aspergetur pretioso sangvine de fonte lateris super peccatores effluente; lavabitur purpureo cruore & exardescet in vero sangvine de intimis visceribus emanante &c. &c. Sed allegata testimonia probant sangvinem ex corde præcordijsve fluxisse, ergo & aqua indidem emanavit.

Iam stabilita aquæ supernaturalitate quòad substantiam nullum dubium restat quòd eadem fuerit supernaturalis quòad modum, non quidem in eo quod deorsum decurrerit per lateris aperturam, hic enim decursus elemento est connaturalis: sed quòd eadem præter naturam in eo observari possunt, quæ in decursu sangvinis suprà

obser-

obſervavimus. 1. quòd licèt inter cor & ultimam ſuperficiem lateris interiectum eſſet vacuum intervallum, non tamen in illud deciderit nativâ gravitate ſed extra latus eruperit. Affirmatè hoc tradit S. Ioan: illis verbis. *Continuò exivit ſangvis & aqua.* Si namq; continuò, id eſt ſtatim ac perfoſſum Domini latus patuit ſangvis & aqua exivit, evidenti conſecutione colligitur non cecidiſſe aquam in concavitatem pectoris, unde non ita facilè ſe promere potuiſſet. 2. Illud etiam planè opus Divinum fuit intueri diverſos ſangvinis & aquæ fontes unà profluere & alterum ab altero neq; colorem neq; ſubſtantiam mutuari, quod tamen evenire ſolet his liquoribus, qui ſimul ex eodem oſtio erumpunt, planèq; eâdem viâ gradiuntur. Præterea cùm clariſſimus aquæ lateralis rivus ex ſauciatis rubroq; ſangvinis colore imbutis membris ſcateret, cogimur opinari fortiorem naturali agente cauſam ad fluxum peragendum concurriſſe, quæ patrocinium ſuſciperet, ne cryſtallinus aquæ fons alieno colore tingeretur. Et ſic tota ſupernaturalitas hujus profluі liquoris utriusq; ſi etiam cæteræ deeſſent rationes, hâc ſolâ diſtinctione rivorum ex eadem ſcaturigine ortorum poterat niti. De qua diſtinctione principaliter quæritur. Sit igitur.

Reſolutio propoſitæ quæſtionis.

DIco 1mò. Sangvis & aqua fluxerunt ſimul ſimultate temporis. Eodem ſcilicet temporis ſpatio non priùs unus liquor, alter poſtea. Vt theſim probem, referam & refellam contrarias opiniones, quod ipſum pro ſtabilimentis noſtræ ſententiæ militabit. Aquam priùs fluxiſſe tum ſangvinem exiſtimat. S. Hieronymus epl: 83. ad Oceanum, ordinem myſteriorum quæ de percuſſo Chriſti

latere fluxerunt recensens, primo loco baptisma, quod per aquam figuratum statuit: altero martyrium, quod per sangvinem. *Latus Christi percutitur lanceâ, Baptismi atq; Martyrij Sacramenta fundantur.* Consentit Ruffinus in exp: symb: *Duplicem etiam Baptismi gratiam figuravit, unam quæ datur per aquæ Baptismum, aliam quæ per Martyrium profusione sangvinis.* Tertull: l. de Baptis: adv: Quintillam. *Est quidem nobis secundùm lavacrum unum, & ipsum sangvinis scilicet, de quo Dominus, habeo inquit intingi, cùm iam tinctus fuisset, venerat enim per aquam & sangvinem sicut Ioan: scripsit, ut aqua tingeretur; sangvine glorificaretur. Proinde ut nos faceret aquâ vocatos sangvine electos, hos duos Baptismos de vulnere perfossi lateris emisit.* Et S. Ambros: lib: 5. de Sacram: *Vnus de militibus lanceâ tetigit latus ejus, & aqua fluxit & sangvis. Quare aqua? quare sangvis? aqua ut emundaret, sangvis ut redimeret.* S. Ioan: Damascen: valde clarè. *Idcirco pro sua indulgentia & misericordia ad suos servos se demittens atq; instar nostri affectus passione suâ nos à corruptione vindicavit. Ac nobis ex sancto & immaculato suo latere veniæ fontem emisit, aquam nempe ad regenerationem peccati & corruptionis ablutionem, sangvinem autem in potum sempiternam vitam afferentem.* Tandem ne in similibus PP. testimonijs longiùs vagetur oratio, ultimum sit S. Chrysostomi idq; prægnantissimum. S. Chrysost: hom: ad Neo-phytos. *Exinde aqua fluxit & sangvis. Vnum Baptismatis symbolum, alterum Sacramenti: & ideo non ait exijt sangvis & aqua: sed exijt aqua primùm & sangvis: quia priùs Baptismate diluimur, & postea mysterio dedicamur.* Adverte hoc loco S. Chrysostomum inhærere Arabicæ versioni, quæ & latus dextrum perforatum specificat, & aquam sangvini præ-

ponit

ponit. Sed, ut ex dictis colligitur, Baptiſmus prior quàm Martyrium. (Loquendo regulariter & præſcindendo à ſolo Baptiſmo ſangvinis,) prior item redemptione emundatio iuxta S. Ambros: & iterum Baptiſmus prior Euchariſtiâ: Baptiſmus enim eſt ianua aliorum Sacramentorum. Elementum igitur aquæ quod deſignabat Baptiſmum, & in quo peragitur Baptiſmus priùs fluxit quàm ſangvis è latere, quò poſteriora Baptiſmo myſteria deſignabantur. Argumentum alterum ſumitur ex ratione. Quò remotior ſedes eſt ſive aquæ ſive ſangvinis, eò tardior & in erumpendo eadem in ſede detentus liquor; atqui locus aquæ ſeu pericardion, ſeu aliud præcordium, ſangvinis autem ipſum cor. Aqua igitur priùs erumpere debuit quàm eandem dimandi facultatem ſangvis obtinere poſſet, ſiquidem externæ cuti propius eſt pericardium, cor autem remotius, ſicut propiùs tactui cortex nucis quàm nucleus. Aliàs per aquam deberet ſangvis perrumpere, quod ipſum ſine novo miraculo non eſſet aut penetrationis, aut incommixtionis. Veròſimiliùs ergo eſt, quòd ſangvis utpote gravior, aquam ad egreſſum priorem impulerit, quam ipſe efflueret. R. imò. ad argumentum ab authoritate. Hieronymum & Ruffinum haud ſolicitos fuiſſe de ordine, quo ſangvis & aqua fluxerint; ſed duntaxat annotare ſymbolum ſive figuram, quam hi liquores gerebant: & hinc priùs de aqua ratiocinati ſunt, non quòd primas ei in fluendo cenſerent eſſe adſcribendas, ſed quia inſtituto ſermoni priùs de aqua quàm de ſangvine loqui congruens fuerat. Tertullianus quid ſenſerit verbis quæ ſtatim allegato textui ſubnectit, explicat. *Quia qui ſangvinem ejus crederent, aquâ lavarentur; qui aquâ laviſſent, etiam ſangvinem potarent.* Vnde liquet eum ſangvini locum, quem in ſuperioribus

aquæ

aquæ concesserat, mox nulla habita prioris exitûs ratione sangvini tribuisse. Ergo non intendebat certum quid in hac re definire. Quod verò addit Tertullian: in aqua vocationem, in sangvine electionem intelligi; debiliter infertur, ergo sicut electionem præcedit vocatio, ita sangvinem præcessit aqua. Nam, ut aliàs dixi, figura non in omni proportione debet respondere figurato: sufficit si in ea ratione respondeant, in qua ipsa vis est. Significet sanè vocationem aqua, electionem sangvis; non requiritur rigorosè ille ordo prioritatis inter hæc duo. Præterea licèt electio sit posterior tempore & prior vocatio; est duntaxat talis in ordine executionis: in ordine verò intentionis prior est electio quàm vocatio, sicut prior est in hac ratione finis quàm media ad finem, ergo non potest inferri ex hac mystica significatione prioritas aquæ. S. Ambrosij testimonium ita accipiendum est, sicut prius S. Hieronymi, in quo illud etiam nota & emundationem redemptionem non ita accipi siicut quid prius & posterius, sed sicut res simultaneas sive unum idemqué. Non enim ii, quibus redemptionis beneficium confertur à sordibus peccatorum iam antea emundati existimandi sunt, sed potiùs virtute Divinæ redemptionis ab omni inquinamento purgantur. S. Damasceni testimonio alium ejusdem Patris locum oppono, qui extat lib: 2. Paral: c. 14. *Christus de latere Ecclesiam condidit quemadmodum antiquitùs Evam de latere procrearât. Vnde & Paulus dicebat ex carne ejus sumus, latus videlicet subindicans. Quemadmodum enim tunc Deus costam suppressit ac fœminam effinxit: sic nobis sangvinem & aquam ex ipsius latere dedit, & Ecclesiam formavit. Et quemadmodum tunc costam in sopore accepit, Adam videlicet dormiente, ita nunc etiam post mortem sangvinem &*

aquam

aquam dedit. Cùm ergo variet ordinem horum liquorum de latere profluorum aquam nunc præponendo nunc ſangvinem, apparet eum nihil voluiſſe concludere de præſenti quæſtione. S. Chryſoſtomus Arabicam verſionem ſecutus eſt ad explicandum ingenioſè Sacramentorum ſeriem: inde tamen minimè infertur ipſe in hac ſententia fuiſſe. Sicut non illico quis verſionem aliquam bibliorum particularem vulgatæ ab univerſali Eccleſia acceptæ præfert, quia ad aliquid ingenioſè eruendum eam adduxit. Tam S. Chryſoſt: quàm Damaſcenus non eo ipſo definiunt aquam præiviſſe ſangvini, quia per illam Sacramentum Baptiſmi, ſicut per ſangvinem Sacramentum Euchariſtiæ deſignant. Hæ enim ſigni rationes penes liquorum ſubſtantiam & qualitates non autem penes fluendi ordinem conſiderandæ ſunt. Quinimò licèt Baptiſmus, qui eſt ianua Sacramentorum & vitæ æternæ, deſignetur per aquam, non ideo prior erit aqua ad fluendum, quia Baptiſmus prior alijs Sacramentis deſignatis per ſangvinem. Sit enim prior tempore, non eſt tamen prior dignitate; *v.g.* Sacramento Euchariſtiæ. Quantùmq; libet per aquam deſignetur Baptiſmus, ipſe tamen non ab aqua ſed à ſangvine Chriſti vim totam accipit. In quo merita omnia totusq; valor redemptionis noſtræ conſummatur. Ergo ex Baptiſmi prævia neceſſitate ad alia Sacramenta non infertur prioritas aquæ ante ſangvinem. Cæterùm ſi aliæ obiectorum ex SS. PP. textuum non occurrerent rationes, poſſent quinque citatis pro aqua Patribus longè plures opponi (ſicut defacto paulò poſt recenſebuntur,) præeunte maximè S. Evangeliſtæ authoritate, qui expreſſè aquam ſangvini poſtponit. ℞. 2dò. ad argumentum ex ratione. Aquam etiam æquè ac ſangvinem ex perfoſſò corde ſcaturiviſſe: ergo

go gratis excogitatur illa prioritas. Sed demus non ex corde, verùm ex præcordijs fluxisse aquam, ex corde sangvinem: non est fingenda tanta distantia inter cor & præcordia, quin sicut uno instanti reali poterant transverberari, eodem quoq; instanti utrumq; fuderint liquorem.

E contrà, sangvinem in emanando præponit aquæ ipse primùm S. Evangelista, *exivit sangvis & aqua.* Ad quæ verba Gabriel Biel lect: 53. in Canonem. *Primò scilicet sangvis, quo toto diffuso secuta fuit aqua in testimonium totius effusi sangvinis.* Alphonsus Salmeron de Pass: Domini tract: 48. *Post sangvinem fluxit aqua ad significandum quòd Christus totum sangvinem profuderat, quo nos ad bibendum de aqua vitæ æternæ invitaremur.* Simon de Cassia super 4. Evang: de Pass: lib: 13. *Illico aperto latere exivit sangvis in mensura determinata soli Deo nota, sed non nobis. An fortè totus sangvis effluxit ex illo Divino corpore in signum totius amoris effusi, post quem humor aqueus est egressus, &c. &c. Sed priùs sangvis, deinde aqua distinctè destillavit, quo alto miroq; mysterio factum est, ut priùs egrederetur ex eodem corpore redimens pretium, deinde aqua, ut redempta signaretur multitudo populorum.* Accinit Nonnus Pöeta vetus Evangeliorum Paraphrastes græcus. *Geminis liquoribus ex percusso latere primùm quidem sangvis effusus est, deinde verò Divina aqua.* Præiverunt hoc tramite SS. PP. Cyprianus, Augustinus, Athanasius, Gregorius Magnus, quorum loca designat Collius l. 4. disp: 5. c. 11. Quin & Tertullianus ac Damascen: cùm aquæ prioritati favissent priùs, deinceps in partem sangvinis transiverunt, ut suprà exhibui. Horum omnium suffragijs esse subscribendum arbitratus est Franc: Suarez in 3. p. q. 51. a. 3. sect: 1. disp: 4. & alij plures. Baptista Novatus tomo 1. c. 18.

q. 31. probat assertum verisimile esse duplici ratione. 1. Valde accommodatum ordini Divinæ Sapientiæ videtur quòd priùs opus redemptionis humanæ ex parte Christi perficeretur per completam ejus sangvinis effusionem, & mox aqua ex ipsius Christi latere promanaret, quâ significabatur Baptismus à fidelibus suscipiendus, ut ab illis redemptionis fructus percipiatur. 2. Quia homines priùs debent credere virtutem sangvinis Christi, quàm aquâ baptismali lustrentur, ut Tertull: *qui sangvinem crederent, aquâ lavarentur; &c.* Ergo congruum erat, ut priùs effunderetur sangvis quàm aqua. Attulit pro eadem sententia & Collius firmamenta varia. Nulla inquit planior via humanis mentibus occurrere potest explicandi sangvinis & aquæ fluxiones, quàm sit præsens sententia: quandoquidem unita cum sangvine aqua decurrere non potuit sine novo miraculo, non sunt autem miracula multiplicanda ubi humana ratio præbet documentum. Præterea sangvis Xti non modò fuit prævaricationis medela Adæ, sed etiam infinitum pretium, à quo virtutem peccata omnia relaxandi S. Ecclesiæ Sacramenta mutuantur, ergo necessarium fuit ut sangvis ante aquam prodiret, quæ vim abstergendi originalem labem ab effuso sangvine erat habitura. 3. S. Hieronym: epl: ad Oceanum observat. *Qui ab aquis cæperat, finivit in aquis.* Ab aquis inquam Dominus orsus est, cùm Iordanis undâ tinctus; cùm in Cana Galilææ primum edidit miraculum in aqua, quam in vinum mutavit. Ergo & finem miraculis posuit in aqua, cùm extincto vitali halitu cadentem ex latere fontem emisit. Ergo sangvis prior effluxit, aliàs non in aqua finivisset. 4. Aquæ & sangvinis substantia clarè discerni oculis non potuit nisi inter geminos liquores detur successio temporis. 5. Aquæ in

S. Scriptura fidelem populum significat, ut Apoc: 17. *Aquæ populi sunt & gentes & regna.* Atqui electio, vocatio, sanctificatio gentium, effuso Salvatoris sangvini adscribenda est. *Iustificati sumus in sangvine ejus*, ad Hebr: 9. *Sangvis Christi emundavit conscientiam nostram ab operibus mortuis*, ad Rom: 5. Ergo priùs ordine naturæ reddi debuit redemptionis & sanctitatis humanæ pretium, quàm in populum Dei fidelem reciperemur: quod accuratè fuit observatum si effusum sangvinem mox lateris aqua subsecuta est.

Ad argumenta istius sententiæ ℞. 1mò. ad authoritates. S. Ioannis authoritas æquè bene probat successionem ac simultatem temporis in fluxu sangvinis & aquæ, imò magìs particula copulativa & simultatem importat, quàm successionem; nempe exivit sangvis & aqua simul eodem tempore. quin & particula *Continuò* simultatem adstruit. Si autem voluisset S. Evangelista successionem fluxûs exprimere, scripsisset forsan *exivit sangvis & postea aqua.* Gabriel frustra requirit successivum fluxum ad demonstrandam inopiam sangvinis: æquè inopiam exhibet, qui post merum vinum reliquias vini aqua dilutas, ac qui meram aquam proponit. Similiter congruentiæ Salmeronis & Simonis Cassiani subsistere possunt dato simultaneo ac successivo egressu sangvinis & aquæ. SS. quoq; Patrum loca eandem explicationem admittunt, nec enim illi ex proposito nostram quæstionem decidebant, sed mysteria explicabant, in quibus explicandis magìs ante oculos habebant qualitatem liquorum quàm ordinem, *ut suprà dixi cum Collio.*

℞. 2dò. Ad congruentias Novati. Non omnino temporis successionem requiri inter aquam & sangvinem in ordine ad effectus significationesve sangvinis & aquæ implendas

plendas: posse æquè bene significari significanda simultaneo fluxu. Collius, quæ attulit, ipse refellit. Ad 1mum concedit non caruisse miraculo simultaneum quòad tempus fluxum utriusq; liquoris, nec frustra sic multiplicari miracula. Sive enim aqua illa lateris fuit naturalis quòad substantiam, ut quibusdam suprà relatis visum: & sic fuit necesse, ut saltem modus fluendi esset miraculosus, haberetq; rationem S. Ioannes, cur tanta energiâ verborum fluxum illum miraretur. Vel fuit aqua supernaturalis, ut latè probavi, & sic nihil absurdum est si miraculum miraculo cumuletur: & quòd est supernaturale quòad substantiam, sit etiam tale quòad modum. Ad 2dum Reponit quamlibet vel minimam Christi liberè operantis actionem infiniti valoris fuisse ad abolendas noxas hominum in quo perinde ac in sangvine Divina Sacramentorum efficacia altis defixa radicibus tenebatur; quocirca licèt singulari privilegio meritum in effusum sangvinem conijciatur; attamen re ipsâ meritum non solius sangvinis ex latere proflui peculiare fuit, sed omnibus & singulis sangvinis IESV guttis conveniebat. Hinc cùm Salvator totum profluvium sangvinis necdum accepto lateris vulnere fudisset, non est cur ad tribuendam aquæ laterali virtutem remittendi peccata, in exitu priorem esse sangvinem asseramus. Iam enim virtus illa cælestis ab effusa ante lateris vulnus sangvinis copia peti poterat. Vti re ipsa virtus Baptismi petebatur, cujus hieroglyphicum duntaxat aqua lateris erat. Imò si Tostatum Episcopum Abilensem audimus, sangvis è latere Christi demortui fusus, nullius erat meriti ad nostram mortalitatem reparandam, quia conditionem à Theologis ad rationem meriti requisitam, nempe *statum viatoris* in Christo non habebat. Christus enim cùm in vivis esse desiîsset,

isset, extra statum meriti erat constitutus. Ergo ad Sacramentorum valorem non fuit necessaria sangvinis prioritas in egressu. Eâdem responsione ad 5tum responderi debet. Addito quod gentium electio vocatio &c. æquè bene simultaneo sacrorum humorum fluxu potuit significari. Ad 3tium ex S. Hieronymo sumptum dicit. Christum finivisse in aquis, licèt sangvine posteriùs aquam non fudisset, quia inter ultimos liquores, quos ex mortali corpore fudit, aqua fuit lateris eodem tempore quo & sangvis post mortem profluens: post quod profluvium nullum deinceps secutum est. Ad 4tum Responsio patebit ex sequentibus conclusionibus. In præsentiarum non contendo stabilire aqua ne an sangvis ex orificio lateris prior prosilierit: satis est ostensum quòd simul tempore latex uterq; manaverit. Nec enim aqua sangvinem, nec sangvis aquam præcessit. Ad confirmanda dicta audiamus S. Bernard: serm: 1. de Pasch. *Non in aqua solùm, sed in aqua & sangvine ad Moysi differentiam. Moyses quidem in aqua venit à qua & nomen accepit, ut Moyses vocaretur. Recolant, quibus nota est historia veteris testamenti &c. Manifestè tamen plùs quàm Moyses hic utpote qui venerit non in aqua tantùm, sed in aqua & sangvine. Aquæ enim multæ populi multi. Venit ergo in aqua tantùm, qui congregavit populum; sed non redemit. Nam ipsa quoq; de servitute Ægyptiaca liberatio non Moysi sed Agni sangvine facta est, liberandos nos præfigurans à vana nostra conversatione hujus sæculi, sangvine Agni immaculati Christi IESV. Hic est verus legifer noster, apud quem copiosa est redemptio. Mortuus enim non tantùm pro gente sed ut filios Dei qui dispersi erant congregaret in unum. Memento sanè hunc esse Ioannem*(locum enim ejus citarât ex epl: 1. c. 5. Hic est, qui venit non

in aqua tantùm, ſed in aqua & ſangvine;) *qui vidit & teſtimonium perhibuit, & ſcimus quia verum eſt teſtimonium ejus, exiſſe de latere Domini dormientis in Cruce ſangvinem ſimul & aquam, quo videlicet dormienti novo Adæ nova de latere ſuo proferretur & redimeretur Eccleſia.* Deniq; ſangvis ut ſuprà innui Iudæos de quorum ſangvine ſecundùm carnem proceſſit Dominus, ſignabat: ſignabat aquâ gentes ob idolorum cultum viliſſimas apud Deum, per totum orbem diffuſas. Sed unâ eâdemq; redemptione Dominus tam Iudæos quàm gentes redimebat. Ergo ſignificationem utrorumq; nempe aquam & ſangvinem ſimul eodem tempore fundi oportuit. Si verò quis obijciat Reſponſum Chriſti ad Chananæum Matth: 15. *Non ſum miſſus niſi ad oves quæ perierunt domûs Iſraël.* Et oraculum S. Pauli & Barnabæ Act: 13. *Vobis* (ô Iudæi!) *oportebat primùm loqui verbum Dei, ſed quoniam repellitis illud & indignos vos iudicatis vitæ æternæ, ecce convertimur ad gentes ſicut præcepit nobis Dominus &c.* Hi textus docent primariò & primò ſalutis annunciationem, adeòq; ſalutem genti ſuæ attuliſſe. Ergo ſangvis ſignificator gentis conſangvineæ prior, poſterior aqua gentium deſignatrix fluxit. ℞. cum Cornelio à Lapide explicando textum Evang: *ſolis Iſraëlitis* quaſi ovibus paſcendis à Deo promiſſus & miſſus Meſſias quaſi Paſtor per corporalem ſui præſentiam. ac per conſequens Evangelij & miraculorum gratiam, unde à S. Paulo ad Rom: 15. Vocatur Miniſter circumciſionis, id eſt circumciſorum ſeu Iudæorum Doctor iuxta SS. Hilarium & Auguſtinum. Similiter de annunciatione Evangelij per Apoſtolos intellige, propiores ad illud Iudæos fuiſſe loci propinquitate & quodam veluti iure ſangvinis. Vt primi ſcilicet eſſent, ſi vellent, participes effectuum ſan-

gvinis Domini, quorum ex ſangvine ipſum ſangvinem acceperat. Ad quod ſufficiebat eos deſignari per nobiliorem & concolorem ſangvinis liquorem, imò per ipſum ſangvinem, cùm gentes in aqua ſolùm ſignificarentur: minimè verò oportuit ſangvinem præire latici aquæ. Dominus enim ut ex uno homine omne genus Iudæos & gentes procrearât; ita omnes pariter amabat, ſalvos volebat, & redimebat ſimul, & utraq; unum, hoc eſt unam ſibi Eccleſiam faciebat.

Dico 2dò. Sangvis & aqua non fluxerunt ita ſeparatim, ut ex uno latere ſangvis, ex altero aqua deflueret. Contrarium quidem opinatus eſt Prudentius vetus Pòëta Chriſtianus Periſtephanon hym: 8.

Laterum cui vulnere utroq;
Hinc cruor effuſus fluxit & inde latex.

Et iterum Cathemerion hym: 9.

O novum ſtupendâ cæde vulneris prodigium
Hinc cruoris fluxit unda, lympha parte ex altera
Lympha nempe dat lavacrum, ſed corona ex ſangvine

Verùm authoritas iſta quia tantùm eſt Pòëtica, in re Theologica nil conficit. Et ratio contra illam in promptu. Quia ſextum aliàs grande vulnus in altero latere daremus, quod ex Scriptura non colligitur. Et licèt aliàs dixerimus haſtam usq; in alterum latus adactam eſſe credibile: non tamen conſtat penetrâſſe, alteramq; partem lateris aperuiſſe. Dato quin etiam quòd parvulum aliquod vulnus fecerit, quòd præ ſua exiguitate cum 5. primatibus plagis in numerum non veniat, nec ſextam plagam faciat; dandum etiam erit quòd tam exigua apertura fontem notabilem emittere non poſſet, qui ſcilicet & animadverteretur & admirationem mereretur. Præterea vulnus in altero latere ſi daretur, eſſet utiq; corde

etiam perfoſſo ſuperius, nempe ſub brachio proximè, infligebatur enim ab homine ſtante inferiùs quàm Dominus pendebat: quomodo igitur per illud aqua ſurſum erumperet? maximè cùm habebat meatum longè paratiorem defluendi connaturaliter inferiùs. Deniq; ſi utrumquè latus eſſet perfoſſum & ex altero ſangvis, ex altero fluxiſſet aqua: accidiſſet res admodum notabilis, qualem vix credo S. Evangeliſta non expreſſam diſſimulâſſet.

Dico 3tiò. Sangvis & aqua licèt fluerent ſimul ſimultate temporis & ex eodem latere eodemq; vulnere, non fluxerunt tamen ſimul ſimultate rivi. *Non mixtim ſed ſeparatim.* Si enim fluerent mixtim; vel ſangvinis eſſet quantitas notabilis vel non: ſi notabilis, tingeret illico aquam & decoloraret, atq; adeò ſpeciem ſuam exteriorem aqua deperderet & tantùm ſangvis fluere cerneretur. Si non notabilis: tunc ſangvis fluens non appareret, ſed tantùm aqua. Et ſic utroq; modo liquores illos oculus diſcernere non poſſet. Atqui S. Ioannes diſcernere ſangvinem ab aqua potuit, idq; non acie interiore intellectûs ac fidei, ſed oculis exterioribus ut verba ſonant. (Qui vidit teſtimonium perhibuit:)ergo non mixtim ſed diſtinctè fontes illi Salvatoris decurrerunt: aliàs licèt aquilino viſu pollebat, non diſcreviſſet; ſicut de facto liquores commiſti non diſcernuntur, ſed debilior in potentiore ſeu quòad vim, ſeu quòad quantitatem, ſpeciem nomenq; amittit, ſicut minor amnis in maiorem illapſus. Quin etiam ſi in tanta doſi liquores lateris Dominici defluerent, ut neuter alterum obrueret: ſed *vg.* & aqua non omnino dilueret ſangvinem, nec ſangvis omnino decoloraret aquam: novus quidam ex duobus conflaretur liquor. Et S. Ioannes dixiſſet effluxiſſe aliquem indeterminatum humorem, qui nec ſangvis eſſet

nec aqua, adeòq; non dixiſſet effluxit ſangvis & aqua. Dato verò tali miſcellaneo humore, O! quanta myſteria confunderentur ſignificationemq; ſuam non haberent, ſicuti conſideranti ſangvinis & aquæ varias ſignificationes patet. Confirmatur probatio authoritate S. Cypriani ſerm: de Paſſ: Chriſti. *De latere tuo fons egreditur in vitam æternam proſiliens & de eadem conſubſtantiali origine diviſis limitibus aqua & ſangvis emanant ad complementum perfectionemq; totius iuſtitiæ, Sacramenta in perpetuum duratura & fontis illius ubertas perenni lapſu univerſam Eccleſiam irrigat & fæcundat.* Inhæret S. Cypriano Franc: Lucas Brugenſis. *Quale igitur fuit ſpectaculum videre ſangvinem & aquam ex uno eodemq; vulnere ſimul abſq; commixtione & confuſione mutua ſcaturientes.*

Probatur aſſertum 2dò. à ſignificatione myſtica, quam geminus hic liquor continebat. Sangvis & aqua lateris Dominici diverſos ac diſtinctos effectus ac beneficia patientis Domini adſignificabant: ergo non uno ſed diverſis ac diſtinctis à ſe rivis defluebant. Explico antecedens. S. Auguſtinus l. 2. de ſymbolo per aquam purificationem; per ſangvinem dotationem intelligit. *Sangvis & aqua quæ ſunt Eccleſiæ gemina Sacramenta. Aqua, in qua eſt ſponſa purificata; ſangvis, in quo invenitur eſſe dotata. In iſto ſangvine SS. MM. amici ſponſi ſtolas ſuas laverunt, candidasq; eas effecerunt, ad nuptias Agni invitati venerunt, à Sponſo calicem acceperunt, biberunt, eiq; propinarunt.* Tertullianus ſuprà citatus in aqua lavacrum deſignat, in ſangvine poculum. SS. Ambroſius & Athanaſius in aqua lavacrum itidem, in ſangvine pretium. S. Hieronymus Baptiſmum in altera, in altero Martyrium. Cyrillus Ieroſ: Catech: 13. *Erant duo hæc de latere iudicanti aqua, clamantibus verò ſangvis.* Gentili

videlicet, (ut explicat Sylveira) iudici Pilato, in eoq́; omni gentili ac genti dedit ex latere aquam in ablutionem, at verò Iudæis insidiatoribus ex sangvine damnationem. Vt qui iniustè sangvinem clamarũnt ad mortem; iustissimè damnarentur. Quod etiam ad incredulos ac infideles extendit Ruffinus in symb: *Produxit aquam, quæ credentes diluat, sangvinem qui condemnet incredulos.* Richardus de S. Laurentio de Laud: B. V. lib: 5. *Ad animas nostras colorandas,* ait, *& quasi picturandas dedit Christus ex pretioso vase corporis sui sangvinem & aquam; sangvinem ad rubricandum, aquam ad dealbandum: ut ei assimilemur, qui candidus & rubicundus est. Sine hac coloratione pallida est & discolor anima & indigna Christo Domino.* Deniq́; S. Gregorius Nyssenus lib: de SS. Trinit: in duobus istis liquoribus lateris Dominici, Sacramenta novæ â purificationibus veteris legis distingvit. *Sangvinem & aquam ex Divino Dominicoq́ latere fluxisse ab Evangelio docemur, non simpliciter, sed primùm quidem. Ideo quòd purificationes legales ad figuram & adumbrationem horum duorum tum aspersiones sangvinis, tum lustrationes peragebant; deinde verò etiam quòd ubi veritas venit, summa nostræ salutis per aquam & spiritum mysticè perficitur, atq́ completur. Quoniam tum per Divinum baptisma, tum per sancti sangvinis participationem & usum consecrari nos ac Divinitatem induere credimus.* Sed hæc enumerata sunt distincta: ergo eorum significativa sangvis & aqua in effluxu fuerunt distincta.

Contra sententiam nostram obijci potest. 1mò. Authoritas S. Cypriani lib: de Sion & Sina. *Percussus in latere lanceâ; sangvis & aqua mixtus profusus fluebat, unde sibi Ecclesiam Sanctam fabricavit.* Sancti item Bernardi serm: 41. *Inspice lateris aperturam, quia nec illa caret*

rosâ, quamvis ipsa subrubea sit propter mixturam aquæ. Sicut narrat Evangelista. *&c. Ipse est enim, qui venit per aquam & non per aquam solùm, sed per aquam & sangvinem optimus IESVS Christus. O Svavissime universorum Domine & Salvator, Bone IESV quales tibi condignas gratiarum referre potero actiones, quia à principio ortûs tui usq; ad mortem durissimam, imò & post mortem pro me pretiosissimum tuum sangvinem fudisti.* Adverte in textu citato expressè notari mixturam. Ergo sangvis & aqua non distinctim sed mixtim ex latere Domini profluxerunt.

℟. Sanctum Cyprianum in textu allegato per voculam *mixtus* non plùs voluisse significare quàm eodem tempore & ex eodem vulnere profluxisse, quæ duo sufficientem dant causam, ut mixtus aquæ sangv.s esse dicatur, qui scilicet nisi miraculo divideret.r, naturaliter loquendo, commixtus effluxisset. Sive fluxisse uno tenore ac concordi fluxu non verò mutuò confusos. Porrò, quòd S. Cyprianus sic explicari debeat; locus ejusdem Patris allatus in confirmatione nostræ sententiæ indicat, ubi dicit de eodem latere divisis limitibus fluxisse aquam & sangvinem. Aliàs S. Pater sibi contradiceret si semel propriè mixtum, deinde divisis limitibus fluxisse diceret. Quoniam verò Ly *divisis limitibus* explicationem nullam admittit ob claritudinem & proprietatem vocum; sequitur voculam *mixtus* impropriè sumptam sic debuisse explicari. Eâdem explicatione accipe in S. Bernardo voculam *mixtura aquæ, &c.* Maximè cùm S. Abbas non aliter acceperit mixturam, quàm ex verbis S. Ioannis intellexit. At qui iam superiùs ostensum quomodo *sangvis & aqua* non dicant quandam ex duobus liquoribus conflatam miscellam, sed duos distinctos latices. Ergo non intellexit mixturam propriè

& in

& in rigore, ſed quòad tempus effluxionis ſimultaneum & commune orificium, potuitq; bene roſa lateris ſubrubea, id eſt ex parte albida dici ob aquam non modò mixtim, ſed etiam diſtinctim fluentem.

Obijci poteſt 2dô. Sangvis & aqua ex eadem vel quaſi eadem ſede vel receptaculo pectoris Dominici profluxerunt, ergo debebant & communi rivo fluere. Ergo non diviſim ſed mixtim. Probatur antecedens vel enim profluxerunt ambo liquores ex corde, vel ex pericardio; vel ex cava pericardij vena à Medicis dicta aſyagos, vel utrumq; ex locis ſibi viciniſſimis, nec enim remota notabiliter adeò eſſe in concavo pectoris humani eſſe poſſunt quin uno valido ictu penetrentur. Ergo ex eadem vel quaſi eadem ſede. ℟. Permitto antec: ſed diſſentior conſequentiæ: tot enim videmus flumina ex communi oculo terræ ſive fonte ſcaturire, qui modico proceſſu diviſi, & alveos & nomina diverſiſſima ſortiuntur. Quid igitur incongruum eſt, licèt illi vivifici latices ex communi ſede eruperint, diverſis deinde rivis in terram decurriſſe. Maximè, cùm (ne miraculorum effectricem omnipotentiam hoc caſu cooperantem attingam,) etiam loquendo naturaliter, aqua utpote levior ſuperiora, ſangvis utpote gravior inferiora tenere potuerit.

Obijcitur 3tiò. Liquores lateris Dominici fuerunt præfigurati in mari rubro, nam ſicut ille Pharao Ægyptius Iſraëlis perſecutor, ita his Pharao infernalis, generis humani tyrannus obrutus eſt ac demerſus. Sed mare rubrum unicus erat liquor rubore tinctus: Ergo ſangvis & aqua commiſceri debuerunt, ut unus liquor fierent; ergo mixtim fluxerunt. ℟. Fuerit ſanè mare Erythreum figura ſangvinis ſanctiſſimi quòad myſticam efficaciam, non ſequitur, quòd ſangvis & aqua debuerint eſ-

se similes mari, quoad omnimodam proportionem, aliàs enim & mare ingens ex latere Domini ceu cratere fundi debuisset, & aqua tantùm rubens non verò sangvis cum aqua: adeòq; liquores illi ex sanctissimo latere proflui non tantùm unus liquor confusione ac mixtione sed unus simplicitate esse debuissent, sicut mare simplex & incomposita erat aqua. Præterea iuxta SS. PP. noster quoq; Baptismus figuratus erat in mari rubro: ex quo salvatur Isràél, hoc est homines redempti sangvine Domini; in quo mergitur Pharao usq; hodie; id est dæmonis tyrannis, & peccatum originis: & tamen ad perfectam figuræ ac figurati harmoniam, quis in Baptismo rubentem aquam requisiêrit? Quinimò ut pro nostra sententia argumentum allatum militet. Rubrum mare duo habet, aquam scilicet elementarem simplicem, aquæ alteri similem, & fundum rubentem ab aqua distinctum, à quo ipsa aqua rubere videtur, nec tamen fundus miscetur aquæ, nec aqua fundo. Ergo ex latere Domini impermixti fluxerunt latices, ut duo essent. Cùm impermixtis liquoribus meliùs figuræ respondet figuratum.

Obijcitur 4tò. In sacrificio Altaris aqua miscetur vino. *Sed monet S. Synodus Tridentina præceptum esse ab Ecclesia Sacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo miscerent, tum, quòd Christum Dominum fecisse credatur, tum etiam quia ex latere ejus aqua simul cum sangvine exiêrit, quod Sacramentum hac mixtione recolitur. &c.* Ergo sicut à Christo miscebatur in calice aqua vino, & nunc in memoriam sangvinis & aquæ ex latere profluorum miscentur; aperto quoq; latere non distinctis rivis sed mixtim emanarûnt. ℟. Vera esse, quæ in antecedentibus afferuntur: ex ijs tamen intentum adversariorum minimè confici. Exijt aqua cum sangvine simul tempo-

re, non simul eodem rivo: & exijt per miraculum, cujus memoria ut innovetur, numquid toties, quoties miraculum est sensibiliter innovandum? Eucharistia est memoria mirabilium Dei, ut Mannæ, aquæ de petra, vini ex aqua, &c. & tamen sensibiliter illa miracula in pane ac vino sacro non reproducuntur. Sat eximia potestas Sacerdotibus à Christo est communicata, ut potentibus ejus verbis sangvinem sub speciebus vini ponant. Vt vinum & aquam in calicem fundant, nec tamen liquores permisceant; sicut impermixtim sangvis & aqua fluebant, hanc potentiam thaumaturgam illis non communicavit.

Obijcitur ultimò. Aperto Domini latere in ipso liquore sacro prodijt Ecclesia, ut ait Clemens V. in Clementina de Summa Trin: & Fide. *Emisso Spiritu Christus sustinuit lanceâ perforari latus suum, ut exinde profluentibus undis aquæ & sangvinis formaretur unica, immaculata, ac Virgo S. Mater Ecclesia, Coniunx Christi, sicut de latere primi hominis soporati Eva sibi in coniugium formata.* Et S. Cyprian: lib: de Sion & Sina. *Sangvis & aqua fluebant, unde sibi Ecclesiam Sanctam fabricabat.* Idem dicunt SS. Hieronymus, Augustinus, Leo, Eucherius, Rupertus. &c. apud Sylveiram designati, tomo 5. pag: 639. col: 1. Sed Ecclesia est una. Est inquam una ex Christo, quem designabat sangvis, & ex fidelibus, quos aqua denotabat, ut S. Conc: Trident: loco citato de mistione vini cum aqua in calice sacrificij ait. *Cùm aquæ in Apoc: B. Ioannis populi dicantur; ipsius populi fidelis cum capite Christo unio repræsentatur.* Item una ex populo Hebræorum & gentibus, ita, ut postquam hi & hæ in unam Ecclesiam coaluerunt, iam, (ut Apostolus inquit,) *non sit distinctio Iudæi neq; Græci.* Et hoc significaturus Dominus, teste S. Iacobo in Liturgia, teste inquam

quam

quam oculato. *Postquam cænavit accipiens calicem & permiscens ex aqua & vino, & aspiciens in cælum & benedicens dedit.* Idem tradit S. Marcus edoctus à S. Petro primario Cænæ illius conviva. *Postquam cænavit factâ aquæ & vini commixtione.* Idem attestantur alij Liturgici Sanctiq; Patres. Prælusit his omnibus Sapientia, Prov: 9. *Miscuit vinum, & posuit mensam. Bibite vinum quod miscui vobis.* Enimverò licèt Salazarius & alij ad sobrietatem hæc meritò referant si corticem literæ attendas; tamen Sacrum Historicum nucleum spectâsse, & ad Eucharisticum Convivium quod Christus ipsa Sapientia exstruxit, respexisse nemo negat. Et Cæsarius Arelaten: Rabbi Samuel ac Scortia ab Hautino citati mistionem calicis præsignâsse arbitrantur. Accedit authoritas Florentini Tridentiniq; Conciliorum quæ sanxerunt aquam in sacrificio admiscendã vino. Quin ipse Deus hanc sanctionem miraculis ratam habuit. Sic S. Dunstano Archiepiscopo Cantuariensi ad sacra cum aqua deesset; Dei nutu ex silice profluxit, qui deinceps perpetuos atq; uberes rivos aquæ emisit. Sancto quoq; Austregisilo Ep: Bituricensi eâdem penuriâ ad Altare laboranti, crater aquâ plenus cælitus demissus est. Sed hæc omnia ostendunt cordi Christo fuisse ac esse debuisse istam misturam plenam mysterij, in qua & unionem populi fidelis secum, ut cum capite & ad unationem populorum in unam Ecclesiam demonstraret: Ergo rivus aquæ & sangvinis fluxit unus ac indistinctus. Ergo mixtim. Confirmatur ex S. Chrysost: hom: 24. in 1. Corinth: 10. *Quid est in calice? quod ex latere fluxit.* Sed in calice quòad species vinum est & aqua mixta ac indistincta: & significant Ecclesiam in unum cum Christo corpus ex diversitate gentium coalescere. Ergo quod fluxit ex latere, fuit indi-

stinctum

ſtinctum, hoc eſt mixtum. ℞. Veriſſimum eſſe quòd latere Domini aperto Eccleſia prognata ſit, eaq; una iuxta Cant: 6. *Vna eſt columba mea, perfecta mea; &c.* Verum iſta unitas excludit quidem omnem numerum pluralem; ſed non infert talem ſimplicitatem, quæ omni careat compoſitione. Sicut licèt homo ſit in ſe unus, nihil tamen obſtat quominus conſtet diſtinctis partibus eſſentialibus corpore & animâ. Quemadmodum ergo licèt Eccleſia adunetur moraliter & myſticè ex Chriſto & Fidelibus; Chriſtus tamen & Fideles ſunt res à ſe diſtinctæ & realiter diviſæ: Item licèt conflетur ex Gentibus ac Iudæis; Iudæi tamen ac gentes quantumcunq; ſint unum atq; idem unione Fidei ac charitatis, (intellige de Hebræis & Gentibus Fidem complexis.) Non ſunt nihilominùs unum ac idem ratione gentis & patriæ, ut videre eſt act: 6. ſed alij atq; alij. Imò quamvis multi Sancti exceſſivâ charitate Dei Patriæ generiſq; obliviſcantur, eaqué abnegent, ut interrogati etiam iuxta S. Cypriani doctrinam reſpondeant. *Nomen mihi Chriſtianus, cognomen Catholicus.* Quamvis, inquam ſic omni peſſumdata nationalitate omnes unius patriæ ſpiritualis, omnes unius matris & moris in una domo Dei fiant: in re tamen ipſa quâ quiſq; gente eſt, in quovis manet indelebiliter. Vnde in ipſis Martyrologijs gentes ac civitates divorum, quas illuſtrarûnt ſuo ortu, deſignantur, hic Romanus, ille Athenienſis, *v.g.* hic Polonus, ille Anglus, &c. Similiter ergo ſangvis & aqua utriuſq; iſtius rei ſignificatrix bene poterat unionem Eccleſiæ ſignificare quòd ex uno eodemq; lateris Dominici fonte eruperit: nec ob id ipſum oportebat fluere uno communi rivo ſive mixtim; quinimò diviſim ad Gentes Hebræoſq; ſignificandos; ad ſignificandum Sponſum ſangvinum IESVM, & ejus fidelem

lem populum. Ad confirmationem dico idem esse in calice sacro quod fluxit ex latere, idem inquam quòad substantiam, non quò ad modum. Nam quæ fluebant ex latere sangvis & aqua, per miraculum separata; eadem sunt in calice quò ad species naturaliter confusa ut aqua à vino discerni nequeat. Deniq; si *Ecclesia fit & consistit per Sacramenta*, ut ait Theophylactus ex S. Chrysostomo: et si Sacramenta ex latere Domini manarûnt: necesse foret non plura esse diversa, sed unum ex pluribus conflari Sacramentum, aut saltem Baptismum & Eucharistiam unum coniunctumq; esse Sacramentum. Si verùm esset (quòd quidam contendunt)mixtim fluxisse sangvinem Eucharistiæ, & aquam Baptismi significatricem. Siquidem,quia idem liquores figurabant unionem Christi cum Fidelibus & populorum fidelium invicem: adeò pertinaciter simultas horum liquorum infertur. Bene Ioan: Novatus c. 18. q. 31. tomo 1. ait. Ad prædicta distincta Sacramenta distinctiùs significanda magìs erant apta sangvis & aqua impermixta. Ergo rationabiliter asseritur à Divina Sapientia præscriptum esse, ut sangvis & aqua separatim fluerent ab aperto Christi latere.

Corollaria.

1mò. Si inter cæteras rationes ideo etiam aqua ex latere Domini fluxit, ut verum corpus & ex 4. elementis compactum testaretur; cur inquam non aliud quoddam elementum cum sangvine prodijt, sed aqua duntaxat? Nonne ad contestandum amorem ardentissimum posset maiore miraculo ebullire flamma? posset apparere terra, ut ostenderet se terræ nostræ originali consangvineum, eamq; cordi sibi adeò fuisse, ut sangvine suo ejus noxas dilueret. Posset & àërem ex eadem apertura expirare, ut ex corde suo spiraculum vitæ reviviscenti ad gratiam

tiam orbi inhalaret, ut Aura illa Divinissima aëreas potestates exsufflaret, elementumq; quo respiramus purificaret. Cur ergo his omissis aquam fundere placuit? ℞. Non aërem dedit ex latere, videri enim non posset: effectus verò quos ex hoc elemento desiderare possemus, præstitit ultimus halitus morientis in Cruce Salvatoris. Non terram, ut nihil cum terra cordi suo esse rebusq; terrenis ostenderet, aliàs professus *Regnum meum non est de hoc mundo.* Vtq; nos à terra quàm maximè in se abstraheret, *cùm exaltatus fuero omnia traham ad me.* Vtquè ex eo quàm minimùm negotij cum terra habere disceremus. Non etiam ignis ex eo clibano amoris ebullijt: quia hic licèt amorem significet, magis tamen & expressiùs designat iræ vindicis furorem Ps. 28. *Velut ignis zelus tuus.* Ne igitur iam olim fulminibus Divinæ maledictionis afflati, & ad rogum ignis æterni devoti præsens supplicium in nos effundi timeremus; igne abstinuit. Non effudit ignem velut Elias in suos comprehensores regios satellites, salvare enim venit non perdere. Ignem amoris, quem mittere venit in terram, ad amabile Pentecostes incendium; ad illam amoris Divini æstatem distulit salutarem æstum. In præsentiarum aquam profudit, ut ardentem in nos iram Patris æterni extingveret, ut æstus pravarum cupiditatum in nobis refrigeraret: ut copiosam & instar aquæ diffusam redemptionem protestaretur. Vide, ut Divinæ Personæ communia sibi alioqui ad extra opera, minimè tamen præripiant, nec altera alterius munia invadat, ut simili nos erga proximos officij disciplinâ imbuant. Amor proprius est Spiritui Sancto, qui procedit per voluntatem Patris & Filij: Sapientia propria Filio, qui gignitur per intellectum Patris. Ignem igitur spargendum in orbem, qui amorem

significat iuxta illud Cant: 8. *Lampades ejus lampades ignis atq; flammarum:* relinquit Spiritui Sancto. Aquâ verò quæ Sapientiæ symbolum est, *aquâ* inquam *Sapientiæ salutaris potat mundum,* Eccli: 15. *tanquam imbres mittit eloquia* (ex ipso corde) *Sapientiæ suæ,* Eccli: 39. Prodigium erat, quòd in Martyre Dei P. Rocho Gozalez ab Indis Americanis interempto ipsum cor post mortem loqueretur: maius longè prodigium amoris ubi ex corde Dei totum flumen tacitæ quidem sed potentis orationis evolvitur. O Domine! ô Verbum aperto latere! ô! Sapientia ipso corde loquens. Funditur in terram eloquium tuum, liquores tui: *sed & de terra loqueris, & de humo audietur eloquium tuum: & de humo eloquium tuum mussitabit.* Isai: 29. Si aqua non persvadet, convincit adiunctus sangvis. Si nec sangvis proficit, aquâ cor illud amoris plenum lacrymatur, quod olim iustas in iras cogitur exardescere. Prodit aqua de latere tuo studiosissime incrementorum nostrorum Operarie, ut terra nostra det fructum suum

Non (*enim*) tantum sacri fontes incendia sistunt
Illi hortos virides & sata læta rigant

Deniq; Testamentum vetus cùm in Sina Moysi traderetur, concrepabant tonitrua; micabant fulgura; detonabant fulmina; ignesq; cælestes velut una se acie metuendos præbuerunt. Quid hoc? audiamus S. Cyrill: Alex: *Descendit Dominus universorum in specie ignis, cur quæso? sanè, quando promulgaturus illis erat legem, tunc salubriter admodum in ignis specie descendisse visus est, nempe quò tunc transgressores legis intelligerent rem sibi cum igne fore.* Sangvis novi Testamenti fluxit è latere Domini, ignem comitem non habuit, non minacem satellitem: sed aquam elementum clementius, quia legem clementiæ &

gra-

gratiæ comitabatur. 2dò. Pectus IESV est templum Sanctissimum mirabile in æquitate, in quo cor ara iugis sacrificij. *Latus miles aperuit & templi Sancti parietem patefecit: & ego thesaurum præclarum inveni, & fulgentes divitias me gratulor reperire.* S. Chrysost: hom: ad Neoph. Moris fuit semper estq; ante templa fontes publicos poni, Turcæ quoq; impurissimi teste Georgevitzio, dum fana precaturi adeunt, pedes manusq; lavant aliasq; corporis partes ac postremo ter aquâ caput aspergunt, rati hoc ritu abstergi maculas mentis, quas templo inferre nefas arbitrantur. Hebræi quoq; dum se ad orandum comparant, manus emundant. De Christianis loquitur Orator aureus S. Chrysost: cum ingeniosa allusione. *Quemadmodum solenne est ut fontes præstò sint ante oratoria, ut adoraturi Deum, manus priùs lotas inter precandum attollant: ita pauperes fontium vice ante templa collocarũnt maiores nostri, ut non aliter quàm manus abluimus aquâ, priùs per beneficentiam abstersâ animâ, tum demum preces nostras offeramus.* Cæterùm alia quædam consvetudo ad fores templorum ab Alexandro Papa M. sub Adriano Imp: inducta ponendi aquam hodieq; perseverat, non ad abluendas manus, sed animos emaculandos. Habet enim propter Ecclesiæ preces ac benedictionem vim quandam noxas abluendi. Iam ante templum pectoris Dominici, quod Sanctuarium ut intremus apertum stat, qui fontes? en aquam, en sangvinem, ex cornu Altaris ipsius dextro, id est cordis, effluentem: his emundemur, ut casti & puri iuxta adyti sanctitatem intremus.

3*tiò*. Aqua lateris Dominici non tantùm Baptismum, sed etiam lacrymas piorum & sudores Confessorum denotat. Nam ex Domini sangvine uterq; hic latex efficaci-

am sortitur. De lacrymis pulchrè Hautinus in Sacramento amoris l. 1. c. 4. art: 2. dist: 1. Aqua manavit, ut Baptismum significaret, non eum duntaxat qui ianua Ecclesiæ & primum Sacramentum est, sed & illum lacrymarum quibus mens Sanctorum hominum ad Eucharistici mysterij contemplationem perfusa est &c. Aqua sanctarum lacrymarum effusionem Eucharistici sangvinis ejusq; contemplationem sequitur. Porrò totus sangvis effusus ex latere in signum totius effusi amoris: lacrymæ verò ideo fluunt, quòd in Eucharistiam totus Christi amor ipsiusq; dona simul cum amore effusa sunt. Hinc illæ Sanctorum lacrymæ. Hinc S. Ignatius inter sacrificandum totus madebat illis aquis quæ ex corde IESV scaturientes illius primò animum, deinde corpus persplu-ebant. S. Philippus Nerius inter operandum ad Aram præ vi hinorum ex oculis torrentium interquiescere cogebatur. S. Lydvina Virgo totos: 15. dies ab accepta communione continenter in lacrymas liquescebat. Arnoldus Kaërmanus Carthusianus dum litaret Sacra Hostiâ perennibus infundebatur lacrymis, quâ de re in capitulo generali correptus à Patribus veritis ne fluxio tanta oculis perniciem adferret, reposuit humiliter S. Francisci dictum. Ob vilem ac brevem luminis usuram, quæ nobis cum muscis communis est, non oportet gratiam Salvatoris abijcere. P. Paulus Ioseph de Arriaga S. I. cùm in sacrificio pijs motibus Divinisq; sensis à bono Christo continenter recrearetur; perennes aquæ suâ copiâ sulcos in ejus facie duxerunt. *O! Domine da mihi hanc aquam*, Ioan: 4. De sudore laborioso nihil quoq; dubium est, quòd non nisi adiunctus sangvini Domini mereatur præmia. Et quidem tam aqua lacrymarum, quàm sudoris cum ipso Martyrij sangvine passu æquali in-

incedunt, cùm in corde IESV, hoc eſt ejus amore oriuntur & ex eo profluunt. Certè Franciſco Suario temporis ſui Auguſtino in Theologicis (hunc ei titulum dedit Præſul Conimbricenſis haudimmeritò) dum ſummopere in animo angeretur, quòd non ſe totum effunderet in mortificationes & crucem etiam exteriorem, conſultiſſimus quidam Aſceta reſpondit. Deum ab eo non ſangvinis ſed atramenti vectigal exigere, ne igitur alterum pro altero ſacrificium ſupponeret, nec immodicâ vexatione conficeret iumentum, à quo Chriſtus in triumpho geſtandus. Literaria (aiebat ille,) Crux ſenſim inſtar limæ vitam atterit; quo ſenſu & Eccli: 1. dicitur hæc *occupatio peſſima*, & à S. Bernardo *aſperitate mitius, ſed diuturnitate moleſtius martyrium*. Cui non contigit pro Domino fundere ſangvinem, ab eo acceptat atramentum: ſed præſertim fundat aquam doloris ac amoris, fundat ſudorem laboris. Non vilior Chriſto aqua ſangvine: ſimul fluunt, cùm ſimul oriuntur. E contrà non modò aqua, ſed etiam ſangvis ipſe martyrij niſi ex corde Chriſti ſcaturiat, in eodemq; perſeveret; in terra diſperit: iuxta Ierem 17. *Omnes qui te derelinquunt confundentur & recedentes à te in terra ſcribentur.* Et iuxta imprecationem Iacobi in filium ſuum Ruben vibratam. *Effuſus es ſicut aqua non creſcas.* Deniq; iuxta Apoſtolum 1. Cor: 13. *Si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil ſum.* In quem locum Cornel: plura & eximia. Ex illo hæc excerpo. Martyrium quidem, ut martyrium eſt; verè & propriè non poteſt eſſe ſine charitate. Actus enim hic nobiliſſimus elicitur quidem à fortitudine, ſed imperatur à charitate ſeu ab alia virtute manante ex generali dilectione Dei. Verùm (conditionatè loquendo) ſi martyrium eſſe poſſet ſine charitate, nihil

hil mereretur ad salutem. Talia profectò erant materialia & impropria maximè martyria. Vt corporum illæ traditiones in mortem pro patria apud Ethnicos, cùm *vg.* Curtius pro patria se devovens, in terræ hiatum se conijceret placaturus Deos infernales, ne scilicet ampliùs pestilente halitu Romam inficerent. Talis & Scævola, qui aberrantem in cæde Porsennæ Regis manum suam igne spontaneo castigabat, dictans. *Vt scias quàm vile sit nobis corpus gloriam spectantibus.* Ejusdem gloriæ honestæ causa multa perpessum Philippum Macedonem Demosthenes meminit, quanquam in illo imperij quoq; se miscuit cupido. *Videbam,* inquit, *ipsum Philippum quò cùm certamus pro imperio principatuq;, oculo effossum, humero fractum, manu crureq; oblæsum, omne deniq; corporis membrum quod fortuna auferre voluisset, id ultrò offerentem ut de cætero vitam cum gloria & honore ageret.* Mitto sexcenta ejusmodi exempla, & qui pro amicis aliave honestâ causâ vulnera mortesq; sustinerunt: (Nam, qui vanam gloriam commodúve suum spectarũnt, in hunc censum non veniunt) omnes isti, quia caruerunt supernaturali charitate Dei, martyrijs ejusmodi nihil ad salutem promeruerunt. Sed neq; Christianis ipsis plùs prodesset martyrium, si in statu peccati mortalis *vg.* in hæresi, schismate, odio proximi implacabili, aut quâcunqué mortaliter peccandi voluntate ad martyrium procederent: nisi in ipso supplicio charitatem prævio dolore de peccatis recuperarent. Nihil ergo ipsum martyrium prodest nisi vel antecedat, vel adsit, vel sequatur charitas, sive ut principium, sive ut terminus & effectus martyrij. *Sine charitate nihil, licèt excellens prodest, cum charitate omnia, licèt vilia prosunt, fiuntq; aurea & Divina,* ait S. Anselm. Cum charitate etiam aqua sangvinem

nem æquat merito, ſine charitate nec ſangvis aquam. *Tanta eſt charitas, quæ ſi deſit, fruſtra habentur cætera. Si adſit, habentur omnia.* Pronuntiat S. Auguſtinus.

4tò. Per ſangvinem virtus quæ animarum Chriſtianarum ſuccus melior & ſangvis eſt: per aquam literatura eruditioq́; poteſt intelligi. Quæ licèt vita quoq́; ſit quædam mentium; *nam ſine doctrina quid homo niſi mortis imago?* reſpectivè tamen ad pietatem ac virtutem ita ſe habet, ut aqua ad ſangvinem. Vt igitur ſit alicujus momenti apud Deum; ex corde Chriſti procedat, & unanimi cum ſangvine paſſu incedat. Vnde & Petrarcha. *Majus tutiusq́ʒ eſt virtute quàm literis clarum fieri: itaq́ʒ ſemper illud optabile, & illud formidabile res oſtendit. Quòd ſi ad virtutem animi, lumen literarum acceſſerit: tum demum conſummatum atq́ʒ perfectum eſt, eâ quidem ſi qua in rebus humanis perfectio eſſe poteſt.* Poteſt eodem tenore per ſangvinem generis claritas: per aquam, vulgare & plebeium genus deſignari. O! felices hi liquores ſi unanimiter è corde IESV ſcaturiant. Ceſſaret omnis faſtus, omnis rebelilo. Humana quidem apprehenſio natales diſtingvit; Chriſto autem cordi ſunt æqualiter: & utinam abiectis noxijs contentionibus de præſtantia, æqualiter eſſe cordi adlaborent. Non alius ſangvis illuſtris quàm qui cordis & lateris IESV conſcius eſt, unde ſi & aqua ſcaturiat, ſangvini illuſtriſſimo cuivis non decedit. At verò ſangvis à latere cordeq́; IESV alienus, quantavis claritate originis ſe iactet, aquâ ipsâ eſt ignobilior.

5tò. Elicitur à quibusdam violentis identidem è latere Chriſti ſangvis & aqua. Recito horribile exemplum deſcriptum à Rogerio Hovedem Annal: Angl: part: poſt: in Richardo 7. Eodem anno Haymo de Volonis & cæteri cuſtodes Hiberniæ homines Comitis Ioannis Fratris

Ri-

Richardi Regis Angliæ, iniurias maximas fecerunt Ioanni Cymin Dublinensi Archiepiscopo: unde idem Archiepiscopus malens exulare, quàm enormitates illas sibi & Ecclesiæ suæ factas diutiùs sustinere impunitas, excommunicavit prædictos præsumptores & interdicti sententiam dedit in Archiepiscopatum suum, & abijt; præcepitq́; cruces & imagines Cathedralis Ecclesiæ in terram deponi & spinis circumdari, ut sic malefactores illi terrerentur, & à voluntate sæviendi in bona Ecclesiæ revocarentur. Sed dum adhuc in proposito malignandi perseverarent, contigit miraculum nostris temporibus inauditum. Erat siquidem in Cathedrali Ecclesia de Divelin quædam Crux in qua imago Christi expressiùs incisa, quam omnes tam Hibernienses quam cæteri in maxima veneratione habebant. Cùm autem hæc imago esset prostrata & spinis circumsepta; feria sexta facta est in agone, & apparuit facies ejus suffusa rubore vehementi velut esset in camino ardenti; & sudor magnus exivit à facie ejus, & ab oculis ejus cadebant guttulæ acsi fleret: horâ autem diei illius sexta à dextro illius latere, & à dextra illius mamilla exivit sangvis & aqua. Quæ Ministri Ecclesiæ diligenter colligentes, miserunt legationem post Ioannem Cymin Archiepiscopum suum, mandantes ei hujus rei eventum sub sigillorum venerabilium virorum testimonio, Domino Papæ insinuandum &c. &c. Hæc formalia citatus historicus, ex quibus constat quid patiatur IESVS cùm Sponsa ejus affligitur Ecclesia. Similes enimverò natales Ecclesiæ ex Christi latere natalibus Verbi Divini ex Patris ore. Prodivit ante omnia sæcula ab æterno ex ore Altissimi Sapientia; in eodem tamen ore in sæcula residet, quia semper prodit ac prodibit. Eodem modo nata est Ecclesia ex latere Christi,

& in eodem latere cordeq; semper manet, quia semper illinc nascitur, illic fovetur. Vtq; Eva sumpta de Adæ latere aliquid ejus esse non cessavit, sed duo in una carne manserunt: ita hæc melior Eva Mater viventium in latere ex quo orta est, nunquam esse desinit desinetve. Adeòq; nunquam potest Ecclesia impeti nisi per latus, per cor Christi, intra quod residet: non potest vulnerari nisi latus corq; Domini iterum convulneretur. Non potest militaribus lanceis substantia ejus extrahi; nisi sangvis & aqua renovato Longini sacrilegio rursus ex ipso Christo eliciatur. Pecuniam homines sangvinem suum reputare & appellare solent, quâ de re pulcherrimum S. Augustini locum hic interfero. *Clamas quantùm potes & cælum invidiosis pulsas vocibus sangvinem meum pro te dedi serve nequam, & omnes qui audiunt inquiunt, verum dicit. Si tibi autem respondere sic invehenti & clamanti ipse tuus servus non erubesceret, si tibi diceret, quem rogo te sangvinem pro me dedisti, quando me emisti; nec saltem te phlebotomâsti. Sed sangvinem tuum pecuniam vocas, tantùm amas pecuniam tuam, ut eam appelles sangvinem tuum. De voce tua te convincit Dominus tuus, vocas pecuniam tuam sangvinem tuum, & ideo exigis à servo tuo fidem, quia pro eo dedisti non utiq; sangvinem tuum, sed nummos aut aurum. Ego quid dederim recolis? tabulas tuas lege si non recolis, lege pro te mortem Salvatoris, lanceam percussoris, pretium redemptionis. Potest & homo vivens venâ percussâ dare sangvinem suum, & tamen vivere. Plùs est quod tibi dicit Dominus tuus, non de me vivente sangvis expressus est, sangvine meo te emi. Addo morte mea te emi, quid habes quod dicas? redde fidem Domino tuo, quam exigis à servo tuo.* Serm: 5. ex 40. noviter repertis. Ex allegato textu constat sangvi-

nis locò pecuniam hominibus esse. Pecunia autem & substantia Ecclesiæ, sangvis sunt ipsius Christi; sunt quoddam Sacramentum profana manu non attrectandum, maximè invito Domino. Sunt pretia ac redemptio peccatorum. Si igitur pretium illud quo Dominus ad redemptionem nostram venditus est, quod etiam sangvis Domini quodammodo dici potuit, non sivit nisi in pios usus expendi: quomodo licebit fortunas Ecclesiarum, sangvinem itidem Christi temerè ex latere ejus profundi in terram, hoc est usus terrenos ac pessumdari? Addo huc spectantia S. Maximi Taurinensis verba hom: de Iuda. *Videte quanta vis Dominicæ sit pecuniæ, quam inde Iudas reijcit, hinc Pharisæi in loculos non recludunt. Iusti enim sangvinis pretium pertimescit iniquitas possidere. Concilium tamen ineunt Pharisæi ut ex ea ager figuli comparetur, in quo peregrinorum corpora collocentur. Quòd quidem Dei providentiâ factum puto, ut pretium Salvatoris non peccatoribus sumptum præbeat, sed peregrinis requiem subministret. Non sacrilegis sit ad lusum, sed defunctis ad sepulchrum.* Quanta ergo eorum impietas, qui & cum Longino sangvinem è latere Domini eliciunt, cùm Ecclesiarum bona exactionibus vastant: & Iudam Pharisæosq; ipsos malitiâ superant, cùm sumptus illos in causas pias destinatos postquam vi Ecclesijs rapuerint, profanis & plerumq; malis usibus consumunt.

6tò. Baptista Novatus tom: 1. c. 18. q. 31. Probabilissimum esse putat, quòd B. V. MARIA sangvinem ab aqua separatum è latere Christi effusum collegerit ne scilicet in terra conculcarentur illæ gemmæ inæstimabiles. Idq; ut cooperaretur rectæ dispositioni Divinæ Sapientiæ, quæ ex latere Domini sangvinem aquâ impermixtum profudit. Hoc est B. V. collegit sangvinem,

hunc

hunc enim terra non combiberat: non collegit aquam, hæc enim in terram penetraverat. Vnde infer negligi demum à B. V. MARIA quantumvis peccatorum ſalvandorum ſtudioſiſſima, eos, qui cum terra ſe inſeparabili affectu penetrant. Æſtimari ab ea ſangvinem Filij ſui etiam in terra, hoc eſt in hominibus terrenis; ſed qui tamen à terra ſe avelli permittant. At verò aquam diffuſam exareſcere ſinit in terra, in quam intimè deſcendit. Servit huc energia illa Scripturæ 2. Reg: c. 14. *Sicut aquæ dilabimur in terram quæ non revertuntur*. Cave homo, ita humus te ſorbeat, ut ne Virgo potens, poſſit recolligere.

XCVIII.

Cur Velum templi ſciſſum?

ERupit rubrum pelagus copioſæ propitiationis è latere Domini: Vela quoq; pelago deeſſe non debent. Progredimur itaq; à diſciſſo latere IESV ad ſciſſum velum templi Salomonici. Quanquam ſi *plùs quàm Salomon hic*, Matth: 12. Si pectus ejus templum *mirabile in æquitate*, ſi præcordia *Sancta Sanctorum*, ſi cor *altare incenſi* amoris; latus quoq; ejus extimum his omnibus prætextum velum templi dici poterat. Hoc ubi crudelis rupiſſet lancea, quid mirùm ſi alterum minùs utiq; ſanctum vi compaſſionis rumperetur. De hoc velo prænoto imò. duplex fuiſſe Hieroſolymis velum templi. Exteriùs unum ante *Sancta*, interiùs alterum ante Sancta Sanctorum prætenſum. Primi illius expreſſam mentionem facit S. Paulus Hebr: 9. *Poſt velamentum autem ſecundùm tabernaculum, quod dicitur Sancta Sanctorum*. Ariſteas legatus à Ptolomæo Philadelpho Ægypti Rege ad Pontificem Eleazarum Sacræ Scripturæ impenetrandæ gratiâ, Fratri Philocrati iter ſuum deſcribens, hoc velum vo-

cat spectaculum iucundissimum, quo nunquam facilè satiari possis, præsertim cùm illud undante vento crispatur. Iosephus quoq; Iudæus Solymæum templum unà cum hoc velamine(quod aulæum vocat,)depingens. *Fores habebat*(inquit)*aureas quinq; cubitis altas, sedecim latas, ad hæc aulæum longitudine pari, hoc est velum Babylonicum hyacintho & bysso & cocco & purpura variatum, mirabili opere factum, neq; contemplationis expers colorum permixtione, sed velut omnium rerum imaginem præferens. Cocco enim videbatur ignem imitari, & abysso terram, & hyacintho äerem ac mare purpurâ, partim quidem coloribus, bysso autem & purpurâ origine, quoniam byssum quidem terra, mare autem purpuram gignit. Eratq; in eo perscripta omnis cæli ratio, præter signa. Introgressos autem inferior pars excipiebat, cujus altitudo quidem habebat 60. cubitos, & longitudo totidem, latitudo 20. &c.*

Prænoto 2dò. quòd nam ex his duobus velis scissum sit? variare Scriptores. Origenes & S. Hieronymus epl: 150. ad Hedibiam de velo exteriori scisso Evangelistas interpretatur. *Mihi videtur in Passione Domini illud velum esse conscissum, quod in tabernaculo & in templo foris positum erat, & appellabatur exterius. Quia nunc ex parte videmus & ex parte cognoscimus: Cùm autem venerit, quòd perfectum est; tunc & velum interius disrumpendum est, ut omnia quæ nunc nobis abscondita sunt, domûs Dei Sacramenta videamus. Videamus quid significent duo Cherubim? quid oraculum? quid vas aureum in quo manna reconditum fuerat? Nunc enim per speculum videmus in ænigmate: & cùm historiæ nobis velum scissum sit ut ingrediamur atrium Dei; tamen secreta ejus & universa mysteria quæ in cælesti Hierusalem clausa tenentur, scire non possumus.* S. verò Leo serm: 1. de Pass: D. c. 5. interius

ve-

velum disruptum opinatur. *Vocibus* inquit, *vestris stultis* (ô Iudæi) *atq; blasphemis reddunt omnia elementa responsum, & unam in vos ferunt sententiam cælum, terra, sol, sideraq; indignos vos esse suo ministerio protestantes terribili motu insolitoq; defectu tenebras mundo vestræ cæcitatis ostendunt. Quòdsi ad arguendum vos nec cælestia nec terrena sufficiunt, & Crucem Christi magis potuerunt petræ atq; monumenta, quàm corda vestra sentire; saltem quòd in templo actum est, scienter advertite. Velum, cujus obiectu includebantur Sancta Sanctorum, à summo usq; ad ima diruptum est, & sacrum illud mysticumq; secretum, quod solus Summus Pontifex iussus erat intrare reseratum est, ut iam nihil esset discretionis, ubi nihil resederat sanctitatis. Repudiatos itaq; vos debuistis agnoscere & omne ius Sacerdotij perdidisse &c.* Eandem opinionem repetit S. Papa serm: 17. & suprà innuerat serm: 2. & 8. Idem sentiunt S. Cyrill: Alex: Euthymius, Caetanus, & communiter, recentiores. Nam hoc velum ante Sancta Sanctorum erat Sanctissimum, absolutèq; velum dicebatur, quia semper velabat Sanctum Sanctorum; hoc enim semper clausum erat excepto die expiationis semel in anno quo solus Pontifex illud expiaturus ingrediebatur. De quo lege Levitici cap: 16. Quòd autem hoc velum scissum esset per medium in duas partes, magno miraculo factum est: nam hoc velum ut tradunt Hebræi tam densum ac grossum erat, ut densitas ejus 4. digitorum esset, nec ullo modo transluceret & intextas figuras commodè repræsentaret. Habebat hoc velum intextos Cherubinos, ut aliqui observant apud Sylveiram, ex quo istas periodos mutuati sumus. Addit Bourghesius. *Fortè unicum tunc velum erat*, nutante iam scilicet religione veteri ac intepescente circa decorem domûs Dei soli-

citudine

citudine Pontificum. *Et sumitur pro præcipuo.* Alij nihilominùs quibus consentit Salmeron utrumq; velum laceratum affirmant. Quidquid sit de velorum numero.

Ratio scissionis 1. Humanitas Christi (ut ait doctissimus Raynaudus in Christo Deo-Homine l. 2. sec: 5. c. 3. pag: 167.) & Caro ejus, quæ receptissima phrasi *Velamen Divinitatis* dicitur; violenta morte fuit discissa: solutâ scilicet unione inter corpus & animam, & caro ipsa concisa plagis, nervorumq; compage pene dissoluta. Vt ergo hoc significaretur, velum quoq; templi discissum est. Explico rationem ejusdem authoris cogitationibus. Ait ille §260. loco citato Anastasium Sinaitam lib: 9. & 10. præter alias plerasq; inter Christum Adamumq; antitheses ac similitudines hanc etiam adferre. Adamum scilicet dupliciter considerari posse, 1*mò* nudum, qualis erat ante peccatum: 2*dò* vestitum, qualis fuit posito peccato. Deus enim miseratus hominis iam obnoxij tot incommodis sortem deterrimam, vestivit eum tunicâ pelliceâ. Priorem statum ait fuisse verbi ante Incarnationem. At ubi propter peccatum facta est Incarnatio, ventum est ad vestimentum & posteriorem statum Adæ. Verba ipsius Anastasij sunt. *Quomodo nulla alia natura à Deo facta nuda opus habuit tegumento, nisi solus homo? Nam & Angeli, & feræ, & iumenta, & volucres, & quadrupedes, & maximè reptilia à Deo creata sunt nuda: Neque ullum ex his fuit indutum nisi solus homo. In ipsis ergo protoplastis nudationem intelligis, idq; simul & typicè & præfigurativè à Deo factum esse in Christo & Ecclesia in initijs. Non enim qui omnem essentiam tam ratione præditam, quàm expertem rationis est fabricatus per se indutam; non poterat facilè efficere hominem non egentem in tegumentis: Sed quoniam Deus Verbum, qui erat ab initio*

nudus

nudus & incompositus, à Deo erat componendus & induendus pelliceam nostræ carnis tunicam Caro factus & habitans in nobis; ideo Deus Adam hominem secundi Adami prototypum nudum condidit &c. In eandem sententiam loquentem adi(si placet)S. Bernardum serm: 28. in Cantica. Quidni huc referre liceat quòd Deus circumdatâ Adamo veste pelliceâ dixisse fertur. *Ecce Adam factus sicut unus ex nobis.* Nam quamvis sarcasmum sive amaram derisionem humanæ insaniæ. S. Prosper hic agnoscat l. cont: Collatorem c. 21. tamen Tertullianus lib: 2. in Marcion: c. 25. & Richard: Victorin: l. 1. de Emman: cap: 19. accipiunt verba tanquam seriò dicta ad prænunciationem & expressionem Incarnationis, quâ posita Adam futurus erat similis Verbo incarnato, uni Personæ ex tribus Divinis. Quâ de re vide fusiùs tractantem Raynaudum. Ad rem nostram hoc facit, quòd Dei Filius sumendo humanitatem nostram Divinitati suæ tam vestem circumdederit, quàm velum prætexuerit: ut enim vestis velum est corporis; ita corpus in Christo velum fuit Divinitatis. Cùm ergo velum templi scinderetur, scissum Velamen Divinitatis nempe Sanctissimam Humanitatem sublatâ passim unione integrali inter artus vulneratos, sublata unione essentiali inter animam & corpus testabatur. Confirmatur ratio connexione verborum S. Matthæi, qui cùm dixisset IESVM clamantem voce magnâ emisisse Spiritum, continuò subiecit. *Et ecce velum templi scissum est*, satis expressè(ut observat De-la Haye)tunc esse scissum innuens cùm IESVS emisit Spiritum. Ipsa particula *ecce* significans & emphatica est valde. Sicut enim in mortibus virorum illustrium quædam prodigia eveniunt: ita *ecce* particula admirandi ac demonstrandi, hoc prodigium veli scissi ad scissam humani-

tatem Domini pertinuiſſe indigitat. Acſi diceret magnum prodigium erat ſubitò & nulla vi extrinſeca urgente velum templi tam groſſum ac firmum ſcindi, malus longè Humanitatem Chriſti operâ Spiritûs Sancti alligatam diſſolvi.

Ratio 2da. Siquidem velum templi ut ſuprà ex Ioſepho retuli totius univerſi ejusq; elementorum gerebat figuram, ut ergo totum mundum lugere, conſternariq; evidens eſſet, velum illud lacerari ſenſumq; doloris & graviſſimæ conſternationis præbere oportuit. Quidni enim in imagine ſua mundus acerbiſſimi doloris præſeferret ſenſum; ſi etiam in ſe ipſo illum defactò conteſtabatur ſole pullam induto, ſquallente cælo, tremente ſolo, gemente ſalo, ruptis rupibus, concuſſis tumulis, defunctis quin etiam corporibus ad communionem luctus, (quem viventes præfractè inficiabantur) excitatis. Audiamus de hoc mundi luctuoſo tumultu S. Leonem ſer: 6. de Paſſ. *Pendente in patibulo Creatore univerſa creatura congemuit, & Crucis clavos omnia ſimul elementa ſenſerunt, nihil ab illo ſupplicio liberum fuit. Hoc in communionem ſui & terram traxit & cælum, hoc petras rupit, monumenta aperuit, inferna reſeravit, & denſarum horrore tenebrarum radios ſolis abſcondit. Debebat hoc teſtimonium ſuo mundus authori, ut in occaſu Conditoris ſui vellent univerſa finiri.* Similia habet ſerm: 2. c. 2. & ſer: 4. c. 4. item ſerm: 8. c. 7. S. Bernard: ſerm: in fer: 4. Dom: pænoſæ. S. Hieronym: epl: 150. quæſt: 8. Non igitur fallebatur Dionyſius Areopagita tunc adhuc ethnicus cum Apollophane prodigioſam illam Ecclipſim Heliopoli contemplando cùm exclamaret, *aut mundi machina ſolvitur, aut Deus naturæ patitur.* Vtraq; fermè pars iſtius disiunctivæ propoſitionis vera fuit.

Ratio 3tia. Iudæorum mos erat auditis in Deum maledictionibus non tantùm diloricare vestem, sed scindere. Vt observant Procopius in Isai: c. 37. & Oleaster in c. 36. Quem ritum observavit etiam Caiphas zelum Dei mentitus, cùm revera calumniam blasphemiæ innocentissimo Domino impegisset. Addit Oleaster idem facere Hebræos, *gratiâ luctûs magni: idq; facere exemplo Iacob, qui scidit vestimenta sua cùm audiret mortem Ioseph ut habetur in Genesi. Cavent tamen ne pretiosum sit vestimentum quod scindunt.* Addunt huic ritui quasdam superstitiones nempe non aliter scidunt quàm stando, si fecerint hoc sedendo, actum irritum credunt. Habent quoq; inter deliras suas observantias, ut vestes ab anteriori parte scindant supra pectus, non retro aut à latere. Ob matris patrisve mortem scindere omnes vestes tenentur usq; ad cor longiorq; scissura esse debet quàm cæterorum. Porrò ad cor usq; vestium fit scissura tam in blasphemiæ auditæ horrore quàm in luctu, ut hoc signo cor intimo dolore tangi ac veluti discindi non autem superficie tenus lugere se testentur. Iudices ipsi qui de crimine blasphemiæ cognoscunt, stant erecti; *vestesq; discerpunt non resarciendas* nempe textu. Vt scilicet vestis dissuta, aut malè consuta semper mæroris indignationisquè ob oculos ponat memoriam. Hæc ex Novarino Sched: l. 9. c. 26. & lib: 2. n. 8. refert superstitiosæ gentis præceptum. *Si quis Hebræorum videret librum legis flammis consumi, tenetur vestimenta bis discindere, semel ob corium, semel ob legem, quæ in ea scripta est.* Præmissa hac prothasi faciamus apodosim. Templum Ierosolymorum locus mundi totius Sanctissimus prisca religione Patrum, veluti sentiret blasphemias in Deum-Hominem & verbales & reales: velut sentiret mortem ejusdem; ita

zelo conculcati honoris Divini Deiq; perempti; dolore quoq; & luctu intimo, velorum suorum tunicas discidit. *Sicut erat mos Iudæorum in blasphemijs contra Deum scindere vestes, ita nunc quoq; Divinum templum quasi ægreferens Christi mortem disrupit vestem suam, hoc est velum.* Theophylactus. Spectabat enim obiisse Patrem primumqué Authorem suum; Doctorem Magistrumq; suum Divinissimum, (nam & in Magistrorum suorum obitu scindere solent vestes Hebræi usq; ad pectus & cor.) Cujus Sanctissimâ concione toties non modò personabat ac erudiebatur, sed etiam consecrabatur. Sedebat quidem altissimis fundamentis illa Basilica, sed succussione terræ ad vestium suarum scissionem consurgebat; scidit vestimenta sua pretiosissima nunquam ampliùs resarcienda. Scidit inquam utrumq; velum cùm librum vivæ legis videret igne amoris dolorisq; acutissimi exuri; alterum velum scidit propter pellem & carnem Sanctissimam concerptam crudelibus supplicijs: alteram interiùs propter dissolutam animam à corpore; quæ non minùs erat anima sui corporis quàm totius legis ac sanctitatis. *Nam Rex est viva lex.* Quid adhuc erat sacrum corpus IESV nisi templum quoddam? ipse enim aiebat Ioan: 2. *Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* Quid templum Salomonicum respectivè ad Corpus IESV nisi exiguum quoddam sacellum? Cùm igitur templum corporis Dominici solvissent impij & crucis ariete diruissent: debuit & sacellum lugere, debuit imò templi ruinam sequi. Sicut defactò S. Hieronymus epl: 150. ex Hebraico Evangelio à se lecto testatur eodem tempore superliminare templi corruisse. Et in Matth: 27. *In Evangelio, cujus sæpe facimus mentionem superliminare templi infinitæ magnitudinis fractum esse atq; divisum legimus.*

Quin-

Quinimò ipſe Deus velo templi tegebatur, poſtq; illud latebat; intra illud enim velum & placabatur incenſo Summi Pontificis alijsq; hoſtimentis: & illinc oracula dabat. Æternus ergo Pater (ut ait Drexelius.) Vnigenam ſuum in Cruce mortuum cernens velarium ſacrum veluti veſtem ſuam diſcidit, teſtatus hunc eſſe filium ſuum, ſeq; ob cædem illius iratum deteſtari facinus in eo iugulando commiſſum. Nam ſi David audita Saulis & Ionathæ Regum morte veſtem ſcidit; quantò magis Pater obedientiſſimi Filij mortem quodammodo perhorreſcens id fecit? *Nunquam res talis facta eſt in Iſràël*, Iudic: 19. v. 30.

Ratio 4ta. Vt patefierent omnia quæ illo denſiſſimo velo arcana tegebantur. *Velum templi quo priorum myſteria ulterius non erant obumbranda, diſciſſum eſt*; S. Leo. Significabat ſcilicet veli ſciſſio iuxta Bourgheſium per Filij mortem conſummata omnia quæ in templi ejus myſterijs prædicta erant atq; promiſſa; abolenda legis veteris Sacramenta, nec ampliùs umbris & figuris obtegenda. Synagogam in Eccleſiam tranſituram. Videtur mihi non aliter Dominus Deus arcana ſua cognoſcenda ſubiecisse, quàm ſubinde pictores penicilli ſui opera proponunt. Hi enim dum rude adhuc opus eſt, nec omnibus numeris abſolutum, velum ſibi operiq; ſuo prætexunt: cùm verò imago perfectè adolevit, velum reducitur, & publicæ luci exponitur. Ita & Dominus Deus in lege veteri operabatur ſalutem noſtram per figuras futurorum præſignificativas, per oracula, ſacrificia, &c. quorum pars maxima ſub velo templi latitabat: Veluti ſub velo pingebat. Cùm autem Chriſtus Filius & Imago Dei Patris, ille inquam *Candor lucis æternæ & ſpeculum ſine macula Dei Majeſtatis & imago bonitatis ejus* Sap: 7. coloribus ſuæ Paſſionis, omnibus numeris ab æterno aſſi-

gnatis perfecta est; ſcindi auferriq; velum debuit. Ad maiorem explicationem hujus rationis do inſignium Scriptorum verba ad propoſitum, Drexelij nempe & Sylveiræ. Priùs omnia erant ænigmata, nunc evoluta ſunt & in luce poſita. Nimirum Moyſes vultum tegebat, aliter à Iudæis non aſpiciendum (vide Exod: 34.) Tot cæremoniæ, ritus, obſervationes, ſacrificia & ſacrificiorum differentiæ velum erant, quo Chriſtianorum ſpiritualis vita tegebatur. *Omnia in figuris contingebant illis*, id eſt Hebræis 1. ad Cor: 10. Deſiêrunt hæc omnia. *Venit hora & nunc eſt, quando veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu & veritate* Ioan: 4. Nunc patent Chriſtianis quæ tecta fuerunt Iudæis. Evanuerunt illi. *Velum templi ſciſſum eſt & omnia ſacramenta legis quæ priùs tegebantur prodita ſunt atq; ad gentium populum tranſierunt.* S. Hieron: in Matth: Et in Iſai: c. 52. *Velum templi ſciſſum eſt in duas partes, ut omnes Iudæorum ceremoniæ panderentur, & eo tempore impleretur, ex Sion egredietur lex, & verbum Domini de Ieruſalem.* Et epl: 150. *Omnia legis revelata myſteria ut quæ priùs recondita tenebantur, univerſis gentibus proderentur.* Coruſcat Chriſti Evangelium omnibus exponendum: priſcæ legis cultus & ſacrificia ſunt abolita: ſalutis myſteria nemini ampliùs velanda. Conſummata ſunt hæc omnia. Patet iam arca, quæ continebat Manna, Cæna Chriſti omnibus expoſita; patent tabulæ, Prophetarum vaticinia; patet Aaronis virga, Crux Dominica. Non iam ampliùs in atrio ſtandum, admittimur in conſpectum Dei. Sciſſum eſt velum, Caro mutavit in Spiritum. Hæc Drexelius. Conſonat Sylveira. Denotatur ſciſſo velo omnia myſteria antiqua & figuras eſſe patefacta; ut in ipſum Sanctuarium in ipſaq; legis veteris penetralia, iam apertiſſimè omnes

poſ-

possint intueri. Idem senserunt Origenes, S. Ambros: Euthym: Theophylactus. Meritò igitur S. Paulus & exprobrat Iudæis quòd scissum illud velum super oculos suos pertinaciter integrum retineant: & Christianis liberum in sancta prospectum gratulatur 2. Cor: 3. *Habentes igitur talem spem multâ fiducia utimur, & non sicut Moyses ponebat velamen super faciem suam, ut non intenderent filij Israël in faciem ejus quòd evacuatur, sed obtusi sunt sensus eorum usq; in hodiernum enim diem id ipsum velamen in lectione veteris Testamenti manet non revelatum, (quoniam in Christo evacuatur,) sed usq; in hodiernum diem cùm legitur Moyses, velamen positum est super cor eorum. Cùm autem conversus fuerit ad Dominum, auferetur velamen. Dominus autem Spiritus est: ubi autem Spiritus Domini, ibi libertas. Nos verò revelatâ facie gloriam Domini speculantes in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem, tanquam à Domini Spiritu.* Inhæret S. Paulo Divus Paulinus epl: 11. ad Severum & ex mysterio cohortationem ad nos format. *Reputemus & velum templi eodem Crucis mysterio scissum, & intelligamus illius veli scissuram eò fuisse prætentam ut audires vocem Domini & mysterium pietatis immensæ, non obduremus corda nostra, sed à carnalibus dividamur & scindamus infidelitatis velamina, ut revelatâ cordis facie salutarium Dei munerum sacramenta videamus.* Pensat adhuc S. Hieronymus istam scissionem veli, & ait. *In duas autem partes in vetus & novum Testamentum, & à summò usq; deorsum, ab initio mundi, quando homo conditus est, & reliqua quæ facta sunt in medio, sacra narrat historia usq; ad consummationem mundi.* Quasi diceret, cùm solum vetus Testamentum erat, integrum velum fuit; & sub eo plurima arcana latebant: Christo autem

mor-

mortuo velum illud in duo ſciſſum, manſit enim vetus Teſtamentum ad noſtram notitiam; & acceſſit novum non tantùm ad notitiam, ſed etiam ad obſervationem; per quod veteres omnes legales cæremoniæ caſſatæ ſunt. Reducta una parte veli patuit nobis hiſtoria ab initio mundi usq; ad Chriſtum: reductâ alterâ parte, patet à Chriſto hiſtoria, patentq; ea quæ ad finem mundi eventura ſunt: quod utiq; latebat veteres. Profectò ut ait S. Cyrillus in Ioan: *pulcherrimus Fidei nucleus ariditate terræ literalis perfractâ denudatus eſt, non enim trunca aut manca, ſed perfecta eſt Fidei illuminatio.*

Ratio 5ta. Quia per Chriſtum Domini obitum omnis ſanctitas ex adyto templi Salomonici in novam Eccleſiam transferebatur. Scindebatur ergo velum illud venerabile, poſt quod nihil deinceps ſanctitatis reliquum erat iuxta illud *ceſſante fine ceſſant media.* Sit *vg.* in aliquo Altari imago venerabilis; meritò ob finem venerationis ut non omnibus nec ſemper pateat, velo obnubitur. At ſi imago ex eo Altari efferatur, imò ipſum Altare in alium locum reconcinnandum meliorandumq; deportetur: velum quoq; quod prius prætendebatur, aufertur: ceſſat enim in eo loco finis, hoc eſt veneratio. Hoc intellexit S. Leo cùm diceret. *Sciſſo templi velo Sancta Sanctorum ab indignis receſſerunt, ut figura in venerationem, Prophetia in manifeſtationem, lex in Evangelium verteretur.* Tractat hanc rationem Sylveira ſequentibus verbis. Sciſſio veli ſignificat in Iudæis iam omnia ſciſſa eſſe & ablata (ſicut *vg.* vaſa linteaminaq; Altaris per lacerationem diſruptionemve execrantur, & ſanctitatem omnem amittunt.) Nam velum erat quid ſacratiſſimum apud Iudæos, cùm igitur ſcinderetur; ſignum erat ſanctitatem à Synagoga auferri, Eccleſiæ deinceps

con-

conferendam. *Per veli scissionem repudiatos vos ô Iudæi debuistis agnoscere, & omne ius Sacerdotij perdidisse,* ait S. Leo. Et serm: 17. *Adeò tunc à lege ad Evangelium, à Synagoga ad Ecclesiam, à multis sacrificijs ad unam Hostiam, quæ Deus est, facta translatio: ut emittente Domino Spiritum, velum subitâ vi scinderetur.* S. Ephrem asserit velo scisso columbam candidam ex adyto evolare visam. Quod quidem ostentum spectare poterat ad Sanctissimam animam Christi è corpore evolantem. Si enim S. Potiti M. S. Spei Abbatis, SS. Scholasticæ & Theresiæ Virginum, SS. Euphrasiæ & Iuliæ Partheno-martyrum cùm hæc in rogo, illa in Cruce obiret, animæ specie columbæ in cælos proficisci sunt visæ: & quidem duarum ultimarum eò maiore prodigio, quòd anniversario earum triumphi die, arbores sacris adsitæ lipsanis, tempore anni maximè alieno flores edere fragrantissimos & columbarum specie insignes solebant: multò iustiùs animam Christi è corpore suo evolantem columba potuit designare; ut sicut olim Baptismo fluminis in Iordane, ita nunc etiam Baptismo sangvinis adesset. Cæterùm evolabant animæ prænominatorum cælitum, sicut aves ex cavea in liberum evolant àërem, aut sicut columba ex arca Nòë dimissa; utpote quibus cælum & æquor, sed æquor svavissimæ voluptatis pateret: at anima Domini IESV Nòëticam columbam in hoc maximè referebat, quòd ramum olivæ, hoc est felicem ac lætam salutis pacisq; annunciationem SS. Patribus adeòq; ipsi Nòëmo in limbo ceu arca quâdam conclusis adferebat. Verùmtamen magìs propriè columba ex templo Salomonico evolans adsignificabat spiritum gratiæ & sanctitatis ex illo adyto evolâsse, ut deinceps ferretur super aquas populorum multorum, fieretq; ales Baptismo familiaris (ut ait Petra-

sancta

ſancta) poſtquam Iordanem Chriſti luſtralem ſupervolitarât. Accinit huic transvolationi à Synagoga ad Eccleſiam ethnici Pöëtæ diſtichon

Aſpicis ut veniant ad candida tecta columbæ
Accipiat nullas ſordida turnis aves.

Sciſſum velum (in rem noſtram Theophylactus) *per hoc manifeſtante Deo quòd gratia Spiritûs è templo evolet, quòd Sancta Sanctorum omnibus conſpicua & manifeſta fiant.* Migravit columba ex Synagoga in Eccleſiam, quam cæleſtis Sponſus *unicam ſuam columbam formoſam & electam* Cant: 2. deperiret. Significabat ergo ſciſſio veli templum illud deinceps profanandum ac ſuis cum ritibus cæremonijsq; ſcindendum ac diſſolvendum, imò iam tunc à gratia ſanctificante deſeri. Quòd ut S. Hieronymus exprimeret, ſcribens in illa Iſaiæ 52. *Recedite, recedite, exite inde, pollutum nolite tangere, exite de medio eius &c.* portentum quoddam ex Ioſepho Iudæo in idem tempus veli ſciſſi confert. *Aut certè* inquit *ad Angelicas virtutes præſidesq; templi Angelos loquitur Deus. Quid hìc facitis? cur non relinquitis populum blaſphemantem, quòd & Ioſephus refert apertis repente ianuis templi & ſponte reſeratis, quas multi homines claudere vix poterant, vocem de adytis templi exiſſe dicentium tranſeamus ex his ſedibus. In quo conſideranda ſermonum proprietas, quia non dicunt recedamus, ſed tranſeamus ad populum gentium.* Eadem repetit S. Doctor in c. Matth: 27. Porrò Ioſephus rem hanc ſcribit lib: 7. de bell: Iud: c. 12. Vbi & voces illas à Sacerdotibus noctu in intimo templo auditas, prævio quodam horrifico motu ac ſtrepitu. Tranſibat iam tunc Spiritus Dei à Iudæis ad gentes, à Synagoga ad Eccleſiam, à tot ſacrificijs ad unum idq; ſanctiſſimum, à ſexcentis tredecim legibus ad unam eamq; ſva-

vissimam Evangelij legem. Hunc transitum prædicebat Dominus Matth: 21. *Auferetur à vobis Regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus ejus.* Iterum Matth: 23. *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta &c.* Prosequitur verba Domini Drexelius. Quandoquidem Messiam vestrum non modò abijcitis, sed eum insuper crucifigitis, auferetur à vobis etiam Messiæ Regnum. Cælum perdetis & terram non retinebitis. Irruet Romanus exercitus & templo sacrificijsq; subversis innumeros ferro trucidabit, cæteros in omnes orbis partes disperget. Satis diu invitati estis ad pænitentiam, sed quia bonitati Dei pertinaciter obstitistis, en transitum ad gentes struimus. Hoc ipsum Apostolus illis Act: 13. v. 46. opprobrat. Quisq; videat ne idem sibi deniq; dicatur. Vocatus es diu satis & renuisti, tuam ipse salutem pervicax repulisti, spes emendationis tuæ nulla est. Peribis ergo, sed volens; coronam tibi destinatam alter accipiet. Cælum tibi obserabitur æternùm, frustra pulsabis ianuâ iam clausâ. Væ homini quem talis fulminaverit sententia. Hæc Drexelius. Verùm ad maiorem huius rationis quintæ exaggerationem sciendum est cultum aliquando fuisse mulierum prostitutarum, vultum obvelare: ut colligitur ex Gen: c. 38. Quid erat vetus Synagoga nisi quædam prostituta & multoties deprehensa, fideiq; erga Sponsum suum Deum verum violatæ convicta? quòd ei exprobrat in oculos per Ieremiam, Ezechielem, Oseam, &c. Prophetas suos. Obnubebat tamen exteriori quodam religionis & legalium cæremoniarum velamine faciem suam. Comminabatur proinde Dominus Isaiæ c. 47. *Revelabitur ignominia tua, & videbitur opprobrium tuum, ultionem capiam, & non resistet mihi homo.* Ingeminabat minas Ezech: 23 v. 29. & Naum 3. v. 5. verùm

ubi tam severæ comminationes ad meliorem illi frugem nihil proficerent, & sub velo suo satis sibi tuta, quia tecta videbatur, imò suis lascivijs cruentum deniq; Sponsi sui Dei incarnati parricidium addidisset; scidit vindex iustitia velamen quo se improba peccatrix contegebat, patuerunt omnia scelera & probra ejus omni velamine sanctitatis ablato. Quanquam si Victorem Antiochenum audimus, *scidit velum Dominus non in templi contumeliam, sed in Sacerdotum notam; illi enim qui d utiùs in templo versarentur, indigni erant.* Sacerdotum profanorum pœnas, ipsa demùm Sancta Sanctorum luunt.

Ratio 6ta. S. Ambrosij lib: de Ioseph c. 5. *Velum templi scissum est, ut divisum regnum talibus indicijs manifestaretur destruendum. Quia omne regnum divisum destruetur. Et verè divisum quando hoc quod erat Christi, cæpit esse etiam diaboli. Neq; enim poterant indivisi manere, qui à Patre Filium separaverant.* Scinditur velum, (addit Sylveira,) ut denotaretur quòd post Christum mortuum Iudæi essent dividendi ac scindendi per totum orbem: qui enim à Deo dividebantur, dividendi erant. Vsitata pridem Vindici Deo ista puniendi praxis. Cùm olim filij Adam turrim Babel adverso Deo molirentur: *divisit eos Deus ex isto loco in universas terras.* Gen: 11. Qui enim divisi sunt à Deo, divisi sunt in varias partes. Similiter 3. Reg: 11. Quia Salomon diviso corde suo inter gentilium deos, à Domino Deo Isràël se separaverat; misit Dominus ad Ieroboam Quæstorem Salomonis Prophetam suum Ahiam Silonitem, qui scissionem Regni Isràël ei denunciaret. *Apprehendensq; Ahias pallium suum novum quo coopertus erat, scidit in duodecim partes &c.* Scindebatur igitur velum ut scindendum adeòq; desiturum portenderetur regnum. Omne quidem

re-

regnum velum templi eſt, toto enim ſuo ſplendore atq; potentiâ templo, hoc eſt Religioni ac Deo militare debet. Verùm quod templo decus & protectionem negat, à templo utiq; & Deo ſe divellit & meritò ſcinditur ac perit. Sicut verò ſciſſa per totum veſtis, veſtis eſſe deſinit; diſciſſum velum non eſt velum: ita ſciſſum regnum non eſt amplius regnum. Porrò quàm iuſta talione regnum Iudæorum ſciſſum ac diſſolutum eſt, vel inde patet, quia in multas hæreſes ac factiones ut Phariſæorum, Sadducæorum, Herodianorum, &c. erant regnicolæ diſciſſi, in eo ſolùm unanimes erant quòd omnes pariter Chriſto Meſſiæ coniungi nollent per fidem & cultum. Ipſum quinimò Meſſiam Chriſtum ſolvere, unionem ſubſtantialem corporis & animæ per illatam ei mortem ſcindendo procurarunt. Et Chriſto quidem ſua unio poſt triduum in reſurrectione redijt: Regnum autem parricidale ita diſciſſum eſt, ut illa ſciſſura nunquam amplius reſarciri poſſit. Sed potiùs ſicut ſciſſæ veſtis partes inter vilia ſcruta abijciuntur, ſic & lacinijs regni illius per orbem ſparſis nihil vilius, nihil abiectius.

Ratio 7ma. Poſt triſtes amænior: Superiores enim rationes vel indicabant luctum ſuper obitum Domini, ſciſſoq; velo ceu reducto ſipario aut proſcenio horrenda concuſſæ telluris cæliq; ſquallentis producta memorabant ſpectacula: & quia intexti Cherub (2. Paral: 3.) unà cum velo dilacerati erant, ipſos etiam Angelos tactos dolore innuebant: vel extremos Synagogæ portendebant interitus. Præſens ratio nil non fauſtum orbi, maximè Chriſtiano pollicetur. *Sciſſum velum*, ait Dela Haye, *ut ſignificaretur ira Dei iam placata, aditusq; iam patefactus hominibus ad conſvetudinem, familiaritatem filiationemq; Dei.* Velata hactenus erat erga nos facies Dei, & ſicut

Chinarum Imperatores teſte Trigautio tabulas eburneas vultui ſuo prætendebant: ſicut Perſæ alijq́; Orientis Reges faciem ſuam ad ſubditos velabant: ita & Deus velo quodam ſe ab hominibus diſcriminaverat, idq́; quia erat iratus eis, nec reputabat eos dignos qui ſe conſpicerent. Quin & Iudices (ut habet Novarinus l. 5. n. 90.) dicturi ſententiam intra velum ſe continebant: unde l. 1. de off: Rect: Prov: cod: Theod: ſancitur, *Non ſit venale iudicis velum non ingreſſus redempti non infame licitationibus ſecretarium, non viſio ipſa præſidis cum pretio.* Deus quoq́; intra velum ſententiam cudebat. *Nunc iudicium eſt mundi.* Ioan: 12. Scinditur deinde velum. Quid fit? Pateſcit vultus Regis irati vindicis incredulis; credentibus ac credituris ſerenus, placidus, qui ad ſe non modò admittat, ſed etiam advocet ac alliciat. Pateſcit Iudex fulminat condemnationem in infideles, abſolutionem Fidelibus indulgentiſſimè impertit iuxta illud Ioan: 3. *qui credit in eum non iudicatur,* puta ad condemnationem, *qui autem non credit iam iudicatus eſt.* Reos etiam facie velari ſolitos cognovimus. *Mos erat* (inquit Aben-Ezra) *Perſarum ut ſervi Regis tegerent faciem ejus, cui Rex ſuccenſebat ne ampliùs eum Rex videret.* Velum quoddam ſuper faciem omnium hominum erat; omnes enim rei læſæ fuimus maieſtatis. Scinditur aufertur & hoc velum, licèt ſpectare, licèt accedere & affari Regem clementiæ: Quis non exultet cum Davide? *Conſcidiſti ſaccum meum & circumdediſti me lætitiâ* Pſ: 29.

Ratio 8va ſive dilucidatio 7mæ ex Dela Haye. Argumentum ex velo ſciſſo manifeſtum exurgit, quòd Sancta quorum aditus populo olim negatus erat, iam paterent omnibus ingredi cupientibus & ſtudentibus, idq́; per velamen, id eſt carnem Chriſti ſive Humanitatem diſſo-

dissoli tam. Consvetudo, familiaritas, filiatio Dei in Sacrosancta Ecclesia militante super terram inchoatur: consummatur in Ecclesia triumphante. Ad utramq; adi-tum per mortem Christi patere veli illius discissio ostendit. *Iter ad Sancta quod in templo occultabatur ac velo intercipiebatur, illud subindicabat nondum sanctificationem datam esse; ut quæ ad Domini nostri adventum ac præsentiam servaretur. Quo scilicet tempore cùm velum infregisset ac sanctioris adyti arcana quæ Iudæis ut ingrati animi notâ laborantibus operta fuerant, gentilibus patefecisset; ad cælestem cognationem nobis iter munivit.* Isidor: Pelusiota epl: 252. Addamus antiquo Scriptori recentiorem Isidoro Drexelium. Nova (ait) ad cælum via per Christi mortem patefacta. Hanc Paulus digito monstrat, ad Hebr: 20. *Habentes itaq; fratres fiduciam in introitu Sanctorum in sangvine Christi, quam initiavit nobis viam novam & viventem per velamen, id est carnem suam.* Et c. 9. *propalata est via Sanctorum.* Noctes atq; dies patet ampli ianua regni, reseratus est omnibus in cælum ingressus. Nemo excluditur qui ad illa Sancta Sanctorum per novam hanc viam contendit. Scissum est velum, apertum est cælum. Iam Stephanus etiamnum in terra stans solis oculis illuc penetrat Divinæ gloriæ spectator. Sicut autem eo prorsus momento quo Christus in Cruce obijt, Dei gloria se spectandam Patribus ceu velo sublato in limbo præbuit; ita cuivis hominum puncto mortis Deus se cernendum exhibet, nisi moriens adhuc in nebula peccati hæreat. Breviùs ista Bourghesius. Ideo scissum velum quod tabernaculo nunc amittente statum *propalata esset via Sanctorum*, pateretq; ingressus in cælum Christo reserante, præeunte, per sangvinem suum introeunte. Læta igitur nobis hæc veli conscissi ratio

tio. Contegunt se cognatæ in suorum mortibus, crudis & horridis velis ut luctum contestentur: nobis velum scinditur; ut non tam acerbè obitum Domini lugeamus; quin etiam ejus obitu vitam sanctiorem in terris, beatam verò in cælis adapertam lætemur.

Ratio ultima sit moralis. Scisso in morte sua velo monuit Dominus, in morte quoq; omnium vela discindi, omniaq; discooperiri & fieri manifesta iuxta illud Eccli: 11. *In fine hominis denudatio operum illius.* Alexander Geraldinus itinerarij sui lib: 3. narrat Agazenos Æthiopiæ populos, solos vultum, quem cæteri homines toto orbe detectum ferunt, & quem summi Philosophi apertum esse voluerunt; velatum portare. Morem autem hunc genti suæ induxisse Regem; quem quia deformissimæ faciei suæ puduit, fama est primum hoc velamine uti cæpisse, ut verò exempla regnantûm in vulgus facile dimanant, cultum hunc faciei ad universam gentem continuò propagatum: quo communem vultûs deformitatem omnes cælant, omnes enim sunt vultu deformissimo & monstrorum quàm hominum similiore. Enimverò deformitas Agazenorum est in vultu, plerorumq; Christianorum in anima: prætendit quòad usq; vivitur huic interno vultui animæ velum forma corporis; & merum lutum nivibus coopertum candescere videtur: Prætendit apud quosdam aulæa Babylonica, potentia & opulentia. Speciosaq; sunt(ut ait Neotericus)vitia quæ in purpura nutriuntur. Sæpe Dibaphæ strumas tegunt. Sed cùm mors venerit, sicut ipsa omnis veli expers ad ipsa usq; ossa nuda fingitur; ita omnia denudabit, omnia illa vela tam naturæ quàm fortunæ acutâ sua falce discindet. Prætexant suis sceleribus quàm operosissimè vela hypocritæ: prætexant non minùs solerter licèt longè sanctiore artificio

ficio humiles Dei servi quorum *vita abscondita est in Christo cum Deo* ad Coloss: 3. In fine hominis denudatio operum ejus. Quid non egit S. Alexius Conf: Romanus ut suam nobilitatem, ut virtutem absconderet? in domo paterna multis annis latuit propriosq; parentes peregrini mendici personâ fefellit: Patuit tandem in obitu suo velumq; illud conscissum est, cùm omnium templorum campanæ nullo pulsante funus ejus annunciarent. Simile campanarum officium absq; humana ope Divina vi præstitum lego SS. Geroldo Manfredo, Gvilelmo Eremitis &c. plurimis, ijs tamen præsertim qui à mundo submoti sub velo ignorationis contemptûsve humani Deo soli cogniti vixerunt: quorum longum cathálogum reperies apud Bonifacium Bagatta tom: 1. pag: 347. Consule & Sanctorum vitas, nominatim Ioannis Calybitæ 15. Ian: quemadmodum & hunc in sua humilitate involutum mors retexerit? S. Servuli ad 23. Decembris: ut & hunc paupertate extremâ morboq; paralysis obsitum, mors magnum Dei amicum revelaverit? quam Angelici cantus celebrarunt. *Homines circa se psallentes silere iussit, quoniam Angelos audire cœpit.* Marulus l. 6. c. 16. Quid memorem S. Vitalem Monachum! qui ubi omnes prostitutas urbis Alexandrinæ in cathalogum retulisset, singulas deinde labore suarum manuum partâ mercede diurnâ, & orationibus nocturnis ad pænitentiam Deo lucrabatur. Quoniam verò quod bonum agebat clam, assiduitas autem illius in lupanaribus palàm erat: pro mancipio luxuriæ, maior iam sexagenario habebatur. Hoc fuit sub velo turpissimo eximiam virtutem exercere. Sed & istud velum mors discerpsit, cùm sanctus ipse à morte, genibus, ut in orationem flexerat, nixus schedulam in manibus tenere inventus est his inscriptam. *Viri Alexandrini*

lexandrini nolite ante tempus iudicare donec veniat Dominus. Qui scilicet solus *revelabit abscondita tenebrarum* 1. ad Cor: 4. Quia verò in sanctum adhuc viventem arrogaverat sibi iudicium temerarius quidam, colaphoq; immiti eum mulctaverat, recepit longè graviorem colaphum æthyopis infernalis manu, adeò sonantem, ut universa civitas agnoverit tam Vitalem castum Deoq; fidelem sub deformi specie vivendi latuisse; quàm decipi facilè eos, qui ex prætenso velamine animum latentem præsumunt iudicare. Vide hujus Sancti vitam apud Skargam 31. *Ianuarij.* Quis scivit sub mentito viri habitu & Smaragdi nomine Euphrosynam, sub Marini Marinam, sub Eugenij Eugeniam, virtuti ac Deo in religiosorum castris militare? ita enim illæ viragines non magis veste sexum quàm fortitudine imbecillitatem agnatam sexui dissimulaverant. (Habes & harum memorias in Skarga 11. *Ian:* 28. *Febr: & 23. Xbris.*) Superinduxerat eis dæmonis malignitas per calumniam ejusmodi crimina, quorum ne capaces quidem erant: latuit sexus, latuit innocentia: uerùm ad terminos mortis duntaxat. Quæ forfice quâ telam vitæ præcidere fingitur, revera utrumquê velamen conscidit; sexumq; unà & innocentiam & ingenium haud vulgaris sanctimoniæ patefecit. *In fine denudatio.* Magno ista solatio calumniam passis sed non minori metui sint oportet larvam probitatis ostentantibus. *Erit enim tempus* (ut quidam Patrum ait ex Persona Domini ad afflictos) *quò & vestra tolerantia & illorum reveletur hipocrysis.* Baronius ad An: D. 389. ex Ruffino Alexandriæ fanum Serapidis olim ethnicis admodum venerabile ac sanctum edicto Theodosij Imperatoris dirutum narrat, in cujus ruinis *horret* inquit *animus dicere, qui miseris mortalibus laquei à dæmonibus præparati sint, quæ*

fune-

funera, quæ ſcelera in illis, quæ dicebant adyta, tegerentur: quot ibi infantium capita deſecta inauratis labris inventa ſunt, quot miſerorum cruciabiles mortes depictæ. Quæ cùm proderentur in lucem ac ſub auras prolata ferrentur, licèt confuſione ipſa Gentiles & Pagani diffugerent: tamen ſi quis adeſſe potuit, mirabatur tot ſæculis ſe illis tam nefariis & tam pudendis fraudibus irretitum. Simili ferè eventu in obitu quorundam graviſſima patefiunt crimina, quæ ſanctitatis affectatæve gravitatis ſpecie cælabantur. *Væ vobis* (interminatur Dominus Matth: 23.) *Scribæ & Phariſæi hipocrytæ quia ſimiles eſtis ſepulchris dealbatis, quæ à foris parent hominibus ſpecioſa, intus verò plena ſunt oſſibus mortuorum & omni ſpurcitiâ.* Nec ſine myſterio in morte Domini & velum ſciſſum & monumenta aperta: niſi quia in obitu cujusq; non modò omnia ceu velo rupto patefient: verùm etiam picturato illo operculo ſepulchri diffracto mortua viventis adhuc fuiſſe opera, mera oſſa atq; fæditates agnoſcentur. O! quot vela ſacrarum Veſtalium: cilicia, ſanctaq; ſchemata Religioſorum: Templorum vela, id eſt Sacerdotum Stolæ, Pontificum Vittæ, ubi mors communis diſciderit, profanitati & propudijs contegendis ſerviviſſe intelligentur? Cupiebat ſenior quidam videre animam iuſti & peccatoris quomodo abſtrahatur à corpore: & continuò à lupo quodam divinitùs ad ſe miſſo ductus in quandam civitatem intravit monaſterium, in quo magni nominis quidam ſolitarius animam agebat ingenti circa ſe cereorum & lampadum apparatu, quem populus devotus comportarât ingenti luctu conclamans unà cum illo ſervo Dei ſuam urbem interituram. Factâ autem horâ exitûs illius vidit ille Frater dæmonem deſcendentem ſuper ſolitarium illum habentem tridentem igneum, & audivit vocem. *Si-*

cut anima iſta me non fecit requieſcere vel una horâ in ſe, ſic nequaquam tu miſerearis evellens eam. Inſigens ergo tartareus ſatelles tridentem igneum in corde ſolitarij illius per multas horas torquens abſtraxit animam ejus. E contra invenit hominem peregrinum in platea ægrotantem non habentem qui ejus curam ſuſciperet, & manſit cum eo diem unum. Et cùm veniſſet hora dormitionis illius; conſpicit Frater ille Michaëlem & Gabrielem deſcendentes propter animam illius. *Ioan: Maior in ſpeculo exempl: tit: Angelus exempl: x.* & S. Gregorius geminum huic narrat l. 4. dialog: Monachum, qui bonis cernebatur moribus atq; in omni actione compoſitus. Is cùm ſuperveniente corporis moleſtia ad extrema deductus eſſet, Fratres ad ſe omnes ejus Monaſterij congregari fecit: Sperabant illi magnum quid ac delectabile à viro tanto ſe audituros. Quibus ille afflictus & tremens compulſus eſt prodere, cui hoſti traditus cogebatur exire. Nam dixit. Quando me ieiunare vobiſcum credebatis, occultè comedebam, & nunc ecce ad devorandum draconi ſum datus, qui caudâ ſuâ genua mea pedesq; colligavit, caput verò ſuum intra meum os mittens ſpiritum meum ebibens abſtrahit. Quibus dictis defunctus eſt. Tegebat, & Doctorali epomide ſceleratos mores Raymundus Diocres magnum inter Sorbonicos nomen ſuo tempore; ita diſſimulabat vitia, ſimulabat virtutes, ut non modò inculpatæ vitæ, verùm etiam probitatis exemplar videretur. Mors tandem fraudem detexit ubi pallium iſtud Pythagoricum dilaceravit. Iuſto enim Dei iudicio ſe accuſatum, iudicatum, condemnatum è ſarcophago faſſus, ſuam quidem deſperatam cauſam illa confeſſione non ampliùs reſtituit; ſed Eccleſiæ tamen magnum Patriarcham & Sanctiſſimum Carthuſiæ Ordinem ſua morte

te protulit. ut teſtatur ac evincit Raynaudus in Stylita myſtico S. Brunone. *Vsq; adeò nihil eſt opertum quod non revelabitur; & occultum quod non ſcietur* mortis proditione. Matth: 10. Et licèt forſan mors quoq; non omnia occulta noſtra mundo revelaverit; Deo certè quem nos latere & fallere ſubinde opinamur, omnia revelabit. *Iudex ille cùm ſedebit, quidquid latet apparebit, nil inultum remanebit.* Demùm ſecundùm hunc Iudicem in extremi die iudicij coram univerſo cælo ac mundo erubeſcendum erit, quòd hìc inconſultè etiam in foro interiore abſconditur.

Summa Rationum. Sciſſum eſt velum templi 1. ad ſignificandam diſciſſam Chriſti Humanitatem per vulnera & mortem. 2. ad conteſtandum ſuper obitum Chriſti luctum univerſi quòd velum illud repræſentabat. 3. ſciſſione illius veli ſuum luctum ſuper morte Domini templum, imò Deus ipſe Pater teſtabatur. 4. quia figuræ omnes quæ ſub velo erant, & ipſæ veritatem varijs ſymbolis ac ænigmatibus velabant per Domini mortem conſummatæ, adeòq; ſublatæ & conſciſſæ. Nihilq; ſupererat tam ſecretum quod adhuc tegeretur. 5. quia nihil ſanctum poſt illud velum ſupererat quòd velaretur ad venerationem, templo iam à gratia Dei deſtituto & ad profanationem ruinamq; per Romanos conſummandam deſtinato. 6. veli ſciſſio regni Iudaici ſciſſionem & conſequenter ultimum deſignabat interitum. 7. ſublato velo Divina Maieſtas familiariorem ſe mortalium generi profeſſa: diſcooperiuntur ad veniam, velati ad pænam reorum vultus. 8. ſciſſo illo obice via Sanctorum revelabatur, ſcilicet per Humanitatem Chriſti diſſolutam iter ad amicitiam Dei per Fidem & gratiam in Eccleſia militante incipiens & in Eccleſia triumphante in cælo deſinens

in Deum ut terminum & finem ultimum, quod iter ante mortem Christi erat interceptum. Vnde S. Chrysost: hom: 4. in Marc. *Totam legens Scripturam, nunquam Regnum cælorum audivi nisi in Evangelio.* 9 Deniq; quia mors omnia vela scindit. Latuit & Christi Divinitas, dum viveret Christus: cùm obijt, pro Deo agnoscitur. *Verè Filius Dei erat iste* Matth: 27.

Pro Corollario 1. quærit Sylveira. Quare velum templi per tot sæcula annorum illæsum rumpitur, nunc etiam vigilantibus Sacerdotibus, tunica verò Christi inconsutilis inter furentes manus conservata triumphat? & respondet ex D. Athanas: serm: de Pass: *Carnifices deterrebat ne tunicam scinderent, ut eâ manente maneret Iudæorum opprobrium, quòd non multò post accidit, nimirum cum velo scisso tunica Christi ne à carnificibus quidem divisa est, sed integra mansit. Manet enim semper Evangelium cùm umbræ dividantur.* Quid sanctius Iudæorum velo in templo? quid maiori custodiâ & curâ servatum per tot tempora? & vigilantibus etiamnum levitis, custodiente turbâ Sacerdotali scissum est. Nihil locus munitissimus, nihil profuerunt vigiliæ, ne velum illud ubi primùm desivit inservire Christi mysterijs, rueret & rumperetur. At verò tunica quæ maximè Christo Domino inservierât ejus altissima mysteria indicans, in carnificum manibus non timet scissuram, inter spicula, inter furentes gladios integra ac impartibilis consistit. Porrò sicut velum templi Synagogam, ita Christi tunica designat Ecclesiam. Certè S. Bernardus polymitam Iosephi (Gen: 37. n. 3.) & inconsutilem Christi tunicam in Ecclesia agnoscit. *Polymitam ob multorum ordinum qui in ea sunt multimodam distinctionem, inconsutilem verò propter indissolubilis charitatis individuam unitatem.*

Va-

Varietatem ejus attigit & S. Paulus 1. Cor: 12. & simul rationem unitatis indivisibilis. *Divisiones gratiarum sunt, idem autem spiritus: & divisiones ministrationum, idem autem Dominus: & divisiones operationum, idem autem Deus qui operatur omnia in omnibus.* Scissum ergo velum templi, quia scindendum & templum & regnum & religio, non enim lege amoris & gratiæ coaluerant. *Tunicam* verò *etiam milites dividere noluerunt, unitatem Ecclesiæ firmantes, à cujus sorte excluduntur hæretici; quoniam sorte provenit, ut eam unus id est unitus possideret.* ait S. Prosper. Et doctissimus Idiota lib: 1. de amore Div: c. 24. *Ista vestis ex pretiosis filis id est tuis beneficijs homini collatis contexta, & sutili magisterio facta, & decorata, quæ designatur per tuam tunicam inconsutilem, quæ nec scissa est nec divisa, quia amor neq; dividi debet nec scindi.* Adhuc velum significat corpus, tunica Christi animam. Mortale illud; hæc immortalis ut loquitur S. German: Constantinop: in Dom: 3. Quadragesimæ. *Discimus etiam hinc nihil morari si qui dividunt vestimenta ex quadruplici elementorum serie coagmentata: quid enim nocumenti afferre queant? si tunica superis in oris contexta, anima, inquam, salva & integra permaneat.*

2*dò.* licèt velo scisso & Humanitas Christi dissoluta, & Synagoga dissolvenda significabatur; tamen non eodem modo. Synagoga scindenda erat ut & scissa est ac discerpta sine ulla spe redintegrationis, scissa ut periret: Humanitas verò Christi longè meliùs & solidiùs erat post triduum redintegranda iuxta Apostolum. *Christus resurgens à mortuis iam non moritur, mors illi ultra non dominabitur.* Pulchrè hoc Bourghesius expressit mutuatâ figurâ Iudic: 6. Vt Samson inquit ambas columnas domûs utrâq; manu tenens disiunxit & unâ secum Phyli-

stæos

ſtæos interemit: ſic Divina Perſona retinens utramq; columnam Humanitatis ſuæ, inter ſe disiunxit, ut reſurgens easdem in æternùm coniungeret.

XCIX.

Quinam Sancti reſurrexerint? & an rurſum ſunt mortui?

NOctem hanc, nempe violentam, tenebris repentinis toti orbi offuſis, (ut ait Iuglaris,) ne ſomno, ad dormiendumq; natam putares; corpora quæ dormierant, ſurrexerunt. Circa reſurrectionem iſtam

Notandum imò cum Cornelio à Lap: Bourgheſio, Sylveira, Wittfelt. Monumenta quidem ſtatim à Chriſti morte aperta, ut pateret id fieri virtute Paſſionis, quâ & mors ſuperata, & vita hominum generi reſtituta. Iuxta S. Ambroſium. *Monumentorum reſeratio quid aliud niſi mortis clauſtris effractis reſurrectionem ſignificat mortuorum.* Et S. Hilar: *Illuminans mortis tenebras, & inferorum obſcura colluſtrans in Sanctorum ad præſens conſopitorum reſurrectionem mortis ipſius ſpolia detrahebat.* Et Hieron: *Monumenta aperta ſunt in ſignum futuræ reſurrectionis.* Idem dicunt Beda, Theophyl: &c. Porrò ſepulchra Iudæorum erant extra urbem & communia. Ijs terræ motu utiq; reſeratis viſa ſunt corpora plerorumq; integra condita & durata aromatibus more patrio, nullam ſpem ſignumve proximè ſecuturæ reſurrectionis oſtendentia. Verùm emortuus IESVS oſtendit ſe non tantùm cæli & terræ Dominum, ſed & inferni Domitorem; mortuorum æquè ac vivorum Redemptorem, Dominum ac Iudicem, qui mortuos educat non ſolùm è limbo quòad animas, verùm etiam quòad corpora. Nihilominùs ex apertis ſepulchris non prodierûnt Sancti, nec re-

resurrexerunt ante Christum: quem Apostolus vocat *primogenitum mortuorum ac primitias resurgentium* ad Coloss: 1. v. 18. Æquum scilicet erat ut ipse mortis Victor ac Triumphator primus resurgeret, tum cæteri ejusdem resurrectionis testes ac comites expergiscerentur. Æquum erat ut qui sibi & alijs meruit Passione ac morte resurrectionem. (Nam ordinata charitas ab ego incipit) primus quoq; sui meriti fructu frueretur. Ita sentit S. Hieron: *tamen cùm monumenta aperta sunt, non antea resurrexerunt quàm Dominus resurgeret, ut esset primogenitus resurrectionis ex mortuis.* Ita & Origenes, Chrysost: Eusebius Emiss: Beda, Ruffinus, &c. post Matth: apertè loquentem *exeuntes de monumentis post resurrectionem ejus.*

Notandum 2dô. Nullos nisi Sanctos hâc resurrectione experrectos, nempe nisi eos qui in vera fide ac charitate decesserant. Tales enim dormivisse dici poterant. *Qui dormierânt.* Nam solùm *Mors iustorum ob eorum quietem dicitur somnus* ait Sylveira. Impij verò non quiescunt post mortem sed lassantur & pervigilant in pænis: sicut epulo dives quiescente Lazaro in sinu Abrahæ, memoratur sepultus quidem in inferno nempe supplicijs obrutus, verùm extormentis *attollens etiamnum oculos* fastui dum viveret assvetos, idq; ad novam pænam quam ex Lazari conspecta felicitate(*peccator enim videbit & irascetur, dentibus suis fremet & tabescet;*) & ex negata sibi minima guttulâ refrigerij percepturus erat. Non igitur verò similiter pòëtabatur Sannazarius qui in Lamentatione de obitu Christi suscitatos mortuos ita describebat.

Nec minùs abruptis fama est exîsse sepulchris
Perq; vias errâsse novis simulacra figuris
Excitasq; umbras medias ululâsse per umbras
Sub noctem, & notos questu implevisse penates.

Non

Non decebant hujusmodi aut figuræ aut voces animas illas beatitudinis candidatas, horrificæq; tales apparitiones magis convenirent damnatis, quàm de proximo in cælos introitu deq; sua liberatione ex umbra mortis gaudentibus.

Prænoto 3tiò. Finem seu causam tam suscitationis mortuorum, quàm apparitionis. *Apparuerunt multis* Apostolis videlicet, Discipulis, multisq; Iudæis, etiam nondum ad Fidem Christi conversis;(ait Sylveira;)ut eis veram Christi Fidem ejusq; resurrectionem tanquam testes prædicarent ac affirmarent. *Vt ex eorum resurrectione alij certiores redderentur; & de resurrectione illius,* (scilicet Christi) *cogitantes quòd qui hos resuscitavit, multò magis seipsum resuscitavit.* Euthymius. Causam hanc bifariam dividit Cornelius. *1ma* quidem ut Christus fidem resurrectionis suæ per hos socios suos quasi præcones firmaret. Testabantur enim hi Sancti, dicebantq; Christus à mortuis resurrexit ac nos ab eadem resurgere fecit. Credite ergo eum resurrexisse, sicut nos videtis per eum à morte surrexisse, esseq; redivivos. *2da.* Vt in eis & per eos Christus ostenderet vim Passionis suæ, scilicet quòd per eam animæ Patrum ex inferno & limbo essent liberatæ. Ac quòd simili modo mysticè animæ hominum, quæ per peccata erant mortuæ; iam per Christi gratiam erant vivificandæ, & aliquando per gloriam tam in corpore quàm in anima resurrecturæ ad vitam beatam & æternam, & ita beandæ ac glorificandæ in æternum. In quam sententiam & Divus Hieronymus. *Hæc videntur typum ferre credentium, quòd pristinis errorum vitijs derelictis & cordis emollitâ duritie, qui priùs similes erant tumulis mortuorum, postea agnoverint Creatorem, & ad vitam gratiæ per pænitentiam resurrexerint.*

His

His prænotatis.

℟. *ad primum quæstionis membrum cum Cornelio à Lapide.* Quinam fuerint Sancti qui cum Christo resurrexerunt, non planè liquet. Verisimile est in primis eos fuisse qui peculiarem ad Christum relationem, vel parentelæ, vel promissionis sibi factæ, vel typi & figuræ, vel Fidei & Spei, vel sanctitatis ac castitatis habuêre uti fuêre Adam, Abraham, Isaac, Iacob, Melchisedech, David. Qui nonnisi in terra promissionis sepeliri voluerunt ut resurrectionis Christi forent participes. Item Iob & Ionas qui resurrectionem Domini in se adumbrarûnt. Ad hæc Moyses, Iosue, Samuel, Isaias, Ieremias, Ezechiel, alijq; Prophetæ. Vnde Pineda in Iob c. 9. v. 25. censet tunc pariter resurrexisse Danielem & tres ejus socios Ananiam, Azariam, Misaëlem. Sed his obstat quòd horum reliquiæ & corpora ostendantur Romæ in Ecclesia S. Adriani; ut observavit Lorinus in Act: c. 2. v. 29. Qui & addit. Nec Evam nec aliam fæminam tunc resurrexisse; quia decebat inquit B. V. MARIAM esse primogenitam inter mulieres & hâc benedictione primam, sicut Christus inter viros est. Verùm Evam cum Adamo quasi Matrem omnium resurrexisse opinatur Franc: Lucas cum aliis: qui & adijcit cum S. Epiphanio videri potiùs tunc resurrexisse eos, qui nuper obiêrant, erant enim testes noti Apostolis cæterisq; Iudæis, unde magis poterant eis persvadere Christum resurrexisse, & suæ resurrectionis authorem: uti fuêre Zacharias, Simeon, Ioannes Baptista. Verùm S. Baptistæ obstat quòd ejus caput Romæ & Ambiani, digitus Florentiæ, reliqui corporis cineres Genuæ ostenduntur. Raynaudus existimat etiam bonum Latronem surrexisse, unde & nullæ ejus reliquiæ extant. Obstare videtur S. Augustin: lib: contr:

Felician: c. 15. Cujus corpus ad futuram *resurrectionem mors communis conclusit.* Verùm S. Pater qui obiter & aliud agens hanc materiam attingebat, *per futuram resurrectionem* potuit illam ipsam quæ tunc contingebat intelligere. Præter iam dictos plures forsan resurrexerunt alij, præsertim ii quos celebrat Apostolus ad Hebr: c. 11. licèt extra Iudæam essent mortui & sepulti. Sanctus enim Matthæus minimè ad Iudæam hoc prodigium restringebat cùm diceret indeterminatè, *multa corpora Sanctorum qui dormierant surrexerunt.* Hoc etiam decebat liberalitatem & magnificentiam Christi ut suam resurrectionem & ascensionem in cælum, magnâ Sanctorum simul resurgentium copiâ & pompâ adornaret.

Ad 2dum punctum quæst: respondent S. Aug: epl: 99. ad Euod: Theophylact: Euthym: S. Th: Aq: 3. p. q. 53. art: 3. & eos consectantes Barradius Franc: Lucas Sanctos istos post resurrectionem rursus mortuos ad suos loculos rediviſſe, ut monumenta eorum priùs concussa ac adaperta in pristinum statum redierunt. Fundamentum ita sentiendi accipitur ex S. Paulo ad Hebr: 11. *Promissionem acceperunt ut non sine nobis consummarentur.* Accedit authoritas B. V. MARIÆ dicentis ad S. Brigittam. *Scias quòd nullum corpus humanum in cælo est nisi corpus gloriosi Filij mei & meum.*

Oppositum sentiunt, quibus accedo, Clemens Alexandr: str: l. 6. Origenes, Eusebius l. 4. demonst. Evang: S. Epiphanius, S. Hieronymus, S. Ambrosius, V. Beda, S. Anselmus: ex recentioribus Cornel: à Lapide & Sylveira &c. Sanctos hos nempe non ampliùs mortuos esse, sed resurrexisse ad vitam immortalem: vel ut ait Thyræus lib: de app: Spirituum c. 12. Illi qui post Christi mortem Ierosolymam ingressi, multis se spectandos præbuerunt

buerunt, non rurſus corpora quæ aſſumpſerant, depoſuerunt; ſed ad cælos ſecum tranſtulerunt. Probat 1. Thyræus. Quia conveniens non erat ut rurſus morerentur Chriſti Reſurrectionis teſtes; quomodo enim aliàs firmi ſatis probatiq; hujus teſtes eſſe poſſent? imò repetita morte illorum teſtimonium concideret, ſcenamq; potiùs quàm veritatem reſurrectionis exhiberent. Probant 2. Cornel: & Sylv: maximè conveniebat, ut & Dominus fructum ſuæ mortis ac Reſurrectionis ſtatim oſtenderet in beata hac Sanctorum reſurrectione. Probant ijdem 3. Cùm animæ horum Sanctorum iam eſſent beatæ, non decebat eas uniri niſi corporibus iam glorioſis ac immortalibus, in quibus multis apparuerunt. Premit Thyræus voculam *multis*, & addit ex S. Hieronymo. *Vt hi viderent qui cernere merebantur*, alioqui ſi reſurrexiſſent iterum morituri, reſurrexiſſent corporibus minimè glorioſis, atq; adeò paſſim quibuslibet ſine diſcrimine apparuiſſent. Probant 4. Quia valde exigua brevisq; iſta foret aliàs eorum felicitas, quin longè maior eſſet eorum miſeria atq; tormentum, ſi iterum eſſet moriendum, maluiſſent non reſurgere quàm rurſus tam citò mori. 5. Congruebat ut hi Sancti Chriſtum reſurgentem & ſcandentem in cælum ſtiparent, ejusq; triumphum ſuâ corporali præſentiâ decorarent quaſi captivi à Chriſto redempti & à morte liberati, ac quaſi ſpolia quæ Chriſtus morti & inferno eripuerat. 6. Addit Cornelius. Conveniebat ut Chriſtus in cælo habeat Beatos, quorum aſpectu & collocutione externâ ſe paſcat ejus Humanitas, ne alioqui ſolitaria ſit expersq; ad perfectionem beatitudinis, etiam humanæ coſolationis. 10. *Statum eſt omnibus hominibus ſemel mori* ad Hebr: 9. Sed SS. illi prima morte huic ſtatuo ſatis fecerunt: ergo nihil eos cogebat ut rurſus morerentur.

Objicitur 1mò. S. Paulus dicit. *Non acceperunt promissionem*(nempe SS. veteris Testamenti)*ut non sine nobis consummarentur* ad Hebr: 11. v. 39. Ergo si SS. Patres sine nobis non sunt consummati, sine nobis perfectâ animæ & corporis beatitudine non sunt donati. R. cum Caëtano illam particulam *sine nobis* non referri singulatim ad personas, sed ad statum legis gratiæ, sic enim Deus disposuit, ut illi SS. PP. non beatificarentur nisi adveniente statu legis gratiæ Evangelicæ. Et ideo hanc sententiam maximè sequuntur recentiores cum Caëtano Suario &c.

Objicitur 2dò. Multos à Christo, B. V. Sanctisq; Divina potestate resuscitatos legimus & audivimus. Vt in Evangelio Lazarum, Iairi filiam, filiumq; Naimitidis viduæ. Suscitavit S. Petrus Thabitam Act: 6. S Stanislaus Petrovinum à triennio mortuum, S. Maurilius Episc: Andeg: infantem absq; Baptismo defunctum, post annos 7. ex potestate mortis vindicavit, ac Renatum ab eventu nominavit (ejus vita 13. 7bris) & in Pontificatu habuit successorem. S. Beunous S. Venefridem Virginem ob constantiam in tuenda castitate decollatam vitæ restituit. (Vita ejus 3. 9bris.) S. Martinus Ep: Turonensis tres ad vitam revocavit, B. Stanislaus Kostka ad minimùm 9. S. Xaverius 20. S. Patritius 33. S. Raymundus 45. Iustus fermè populus coalesceret ex ijs qui redivivi fuerunt. Celebriores quosdam recensent Petrasancta. Thaum: part: 1. c. 52. & Bagatta tomo 2do l. 8. c. 2. 3. 4. Non possum quin referam quòd Æneas Gazæus Philosophus Platonicus adduxit probaturus Theophrasto catholicum dogma de resurrectione mortuorum. Vir agricola(scribit ex illo Petrasancta)ingenio simplici & probo senis cujusdam Sancti ædes frequentabat documenta

mo-

morum condiſcens ab eo & frugum ſuarum primitias ſubinde illi offerens. Accidit verò ut filius ei obierit tenerrimus puer: tum parens nihil de ſepulchro cogitans mortuum in ſportula frondibus tegit defertq; ad ſenem quaſi eſſent uvarum primitiæ. Adeſt,fruitur alloquio,audit monita ſalutis, abitq; cùm de filio deq; ſua ſpe omnino tacuiſſet. Senex ad horam conſvetam refectionis ſubmovet frondes, puerıq; cadaver pro uvis attrectans non tam rei novitatem quàm probi parentis in filij orbitate fidem demiratus, precibus tamdiu Deum fatigavit, donec puero vita redierit. Eum itaq; patri reſtituit, ſed ſibi exilium adlegit ſecedens in eremi ſolitudinem, cùm ſibi ab hominum plauſu & facti admiratione metueret. Præterea Petraſancta de perpetuis miraculis c. 2. ſcribit in Tyroli eſſe ædem S. MARIÆ de Luggau, ad quam ſi mortui fætus ſtatim à puerperio perferantur, ſuper aram depoſiti reviviſcunt donec luſtrali fonte abluantur, & mox rurſus moriuntur donati æternitate. Idem perenne miraculum refert Gumppemberg in Athlante Mariano ad imaginem B. V. Weiſſensteynij & Sporæ in Germania ſuperiore: De Libercourt,Geldoniæ,Bethuniæ in Germ: inferiore & Buſcij in Lotharingia. Buzelinus in Annal: Gallo-Flandricis lib: 1. idem perhibet frequentari ad ſtatuam Matris viventium quæ Fournis colitur. Sed quotquot ad vitam redijſſe unquam hiſt orijs memorantur, omnes iterum ſunt mortui, non ſuffragante utiq; ſibi illo ſtatuto. *Statutum eſt ſemel mori.* Ergo & illi qui poſt Chriſti mortem reſurrexerant, iterum obierunt. ℞. Admitto antecedens cum ſuis probationibus ex multiplici hiſtoria; reijcio conſequentiam. Habuit enim Chriſtus Dominus rationes quas ſub reſponſo ad 2dum punctum quæſiti retulimus, ob quas Sanctos

illos

illos ſuſcitatos morti iterum non redderet, quæ omnino non ſtabant pro ijs, quotquot alio tempore quàm Chriſto moriente ſuſcitati leguntur. Nil igitur mirum quòd ſe tueri non potuerint memorato ſtatuto ab iterato interitu. Porrò ipſum ſtatutum ſic intelligendum eſt. *Statutum eſt omnibus hominibus ſemel mori*, ſemel inquam curſu ordinario; non curſu extraordinario quem Deus ſupremus Legislator & Interpres pro placito ſuo ad altiſſimos fines ſuos poteſt præſcribere: alios quidem ſuſcitando à morte & iterum ei reſtituendo, quibus ſat beneficij erat propter ſuam lucrandam ſalutem vel ad modicum ad vitam rediviſſe, vel qui brevi illo tempore vitæ ſibi commodato ſatisfecerunt fini, ob quem ſuſcitati erant: alios verò ſecum aſſumendos ex mortis ditione irrevocabiliter eripiendo.

Objicitur 3tiò. In monte Thabor Dominus gloriam ſuam oſtenſurus, Moyſen cum Elia tribusq; Apoſtolis huic ſpectaculo voluit intereſſe. Sed Moyſes ad hoc ſpectaculum reſuſcitatus fuit verè, (ut probat Thyræus de Glorioſa Chriſti appar: c. 3. p. 2. n. 40. ſecutus authoritatem S. Hieronymi, Auguſtini, Damaſceni, orat: de Transfig:) qui hoc Moyſis exemplo communem reſurrectionem mortuorum infert) nihilominùs poſt ſpectaculum glorioſum obijt. Ergo & SS. PP. poſt mortem Chriſti reſuſcitati, licèt bearentur viſione corporis Chriſti glorificati, tamen obiêrunt. Sicut Moyſes, imò ſicut SS. Petrus Ioannes & Iacobus. ℟. 1. De ipſo apparitionis modo quonam apparuerit variare Doctores. Putant enim alij animam quidem Moyſi interfuiſſe ſed in corpore alieno operâ ſcilicet Angelorum ex àëre aliave materia formato, eoq; veluti veſtimento indutam, ſicut & ipſi Angeli corpora aliena induunt ſubinde. Ita S. Thom: Aq:

Abu-

Abulensis, & Strabus satis magni authores. Atq; in hoc casu nec resuscitatus Moyses, nec iterum obijt, adeòq; nihil concluditur. ℞. 2. Concedamus Thyræo verè Moysen tunc resurrexisse. Negandum est tamen eundem rursus obivisse, ad quam sententiam ipse Thyræus inclinat. Non obijt scilicet ampliùs Moyses post Christi Resurrectionem, sed cum Elia cum quo visionis gloriosæ particeps fuerat, in paradysum concessit, olim cum eodem iunctis viribus contra Antichristum pugnaturus. Temerè hoc non dicitur, nec hodie primùm excogitatur. Docuit hoc olim S. Hilarius vir SSmus & doctissimus in hunc locum, Ioan: Arboreus Theosophiæ l. 11. c. 11. Catharinus c. 3. Abbas Ioachim in 11. Apoc: Ianssenius, Maldonatus, Gagneius. Et sanè D. Ioann: loco citato Apoc: multa prædicit quæ in Moysen quadrant; ut enim *hi habent potestatem claudendi cælum ne pluat*, allusio est ad Eliam: ita *& potestatem habent super aquas convertendi eas in sangvinem & percutere terram omni plagâ quotiescunqué voluerint*, alluditur ad Moysen. Si ergo Moyses viso tantùmmodo specimine quodam gloriæ Christi idq; per transennam & obiter mori non debuit an non potuit? multò minùs SS. Patres suscitati qui longè pleniùs gloriam Christi resurgentis sunt contemplati. Verùm hanc de Moysis vita quæstionem si cui lubet, legat apud Thyræum loco citato & apud Bourghesium c. 87. q 3. pag. 517. Ego ℞. 3. Transeat quòd Moyses iterum fuerit mortuus. Non sequitur mortuos SS. Patres de quibus sermo. Aliud enim erat vidisse quoddam vestigium gloriæ Christi, aliud ipsam gloriam, nec habebat Moyses rationes iam tunc supervivendi, quemadmodum habuit deinceps fortè resuscitatus cum alijs SS. Patribus in morte Christi: quas rationes iam suprà recensui.

Corol-

1*mò*. Temerariè nimiùm ac protervè hæretici nostri temporis apparitionibus animarum beatarum de cælo, afflictarum ex purgatorio, damnatarum ex inferno derogant fidem, cùm adeò manifestum in Evangelio testimonium adstruit apparitiones. *Apparuerunt multis*. Nemo hoc negare potest nisi Evangelium neget. Iam si potuerunt esse & defactò fuerunt hujusmodi apparitiones semel; cur non possint esse iterum atq; iterum, cùm apparitionum causæ itidem gravissimæ esse possint. Non loquor de causa materiali, materia enim apparentium post mortem plerumq; est àër condensatus: nec de forma, quæ se sensibus offert. Causa efficiens, ministrativè solet esse Angelus nunc bonus nunc malus; efficiens imperativè ipse Deus. Porrò Deus quod potuit semel, cur non possit semper? numquid illa resuscitatione mortuorum lassata exhaustave est omnipotentia Dei? *IESVS Christus heri & hodie, ipse & in sæcula* ad Hebr: 13. Si igitur Christus post mortem suam potuit verè suscitatos à mortuis Sanctos visibiles exhibere; cur non possit subinde facere ut defuncti appareant in corporibus ad tempus ex àëre formatis? Causam finalem nullam esse aiunt diffidentes? sed falsò. Et plurimæ sunt, & gravissimæ. Nam præter peculiarem rationem cujusq; singularis apparitionis, cur scilicet vel Beatus quispiam è cælo, vel infelix ex orco, vel ex purgatorio viventibus appareant, sex fines omni apparitioni communes assignat Thyræus de spir: app: c. 13. 1*mò*. Apparitiones docent animam hominis non interire cum corpore brutorum more: ut impiè docuerunt Sadducæi Arabiciq; quidam hæretici teste S. Aug: de hæres: c. 25. sed corporis ergastulo solutam aliam vitam vivere longè diversam. 2*dò*. Docent possibilem cor-

porum

porum resurrectionem, cujus quædam similitudines sunt hæ spirituum apparitiones in assumptis corporibus, non enim difficilius Deo est proprium corpus restituere animæ, quàm accommodare alienum. Vtq; apparitio resurgentium Sanctorum resurrectioni Christi militabat & fidem faciebat, ita apparitiones spirituum futuræ nostrorum corporum resurrectioni. 3*tiò.* Docent Deum vivis simul atq; defunctis dominari, siquidem & defunctorum animæ in ejus negotijs occupantur. 4*tò.* Innotescit hoc modo ipsarum animarum natura & conditio, quòd nempe ad Angelicas creaturas accedat, nec eâ lege corporibus fuisse iunctas, ut sine ipsis nequeant subsistere, quòdve possint absq; phantasmatibus intelligere. 5*tò.* Cognoscitur & Dei omnipotentia quæ talem spiritum creavit, qui & à corpore non videatur posse separari, quamdiu corporis mole circumdatur: & corpore non egere simul ac ejus nexibus est exolutus. 6*tò.* Deniq; admonemur per apparitiones spirituum, societatis ac amicitiæ cum defunctis:ne idcirco eam deponamus, quia & illi corporis sarcinam posuerunt, sed potiùs ut eò studiosiùs foveamus augeamusqué,quò ipsi præter statûs sui conditionem plura nobis argumenta & servandæ & augendæ præbent erga se amicitiæ. Sunt ergo satis graves causæ apparitionum, & protervè nimiùm agunt qui ut universum genus apparitionum in dubium revocent; aut fabulas turpes comminiscuntur: aut præter eas quæ in Scriptura extant, omnes inficiantur: aut ad superstitionem omnia revocant & tanquam muliercularum somnia irrident. Meritò S. Hieron: tales perstringit, ubi primipilum eorum Vigilantium. *Tu Deo leges ponis? tu Apostolis vincula inijcis ut esse ad diem iudicij cogantur in custodia? eumq; diabolus & dæmones ubiq; toto orbe va-*

 gentur

gentur quare Martyres post effusionem sangvinis tenebuntur inclusi? Vide apud Thyræum lib: citato cap: 11. copiosum apparitionum cathalogum ex omni historia non modò sacra verùm etiam profana; quàm universim falsi damnare, non modò ingens protervia sed etiam est mera insania. Viderint protestantes an non, dum omni vivos commercivo cum mortuis per apparitiones, interdicunt; vivere demùm vitâ functorum animas dubitent ac per epicureismum sive vitam dissolutam ad atheismum viam sternant. Vt non frustra doctissimus Stanislaus Rescius Abbas librum de atheismis & phalarismis Evangelicorum conscripserit. Corruptissimos Romæ notabat mores Iuvenalis cùm scriberet

Esse aliquos manes & subterranea regna,
Et contum & stygio ranas in gurgite nigras
Atq; unâ transire vadum tot millia cymba
Nec pueri credunt, nisi qui nondum ære lavantur
Sed tu vera puta. &c.

2*dò.* Vide admiranda nimiùm antithera. Mortuo authore visæ animæ SS. defunctorum in corpora sua æternùm victura redeunt: anima verò Iudæ sub idem tempus è corpore suo infelicissimè extruditur. Scio multos asserere quòd ante mortem Domini ad laqueum properaverit, notanter in hac sententia sunt. S. Chrysost: *quòd,* inquit, *non valeret conscientiæ stimulos & flagella perferre* hom: 85. & hom: 10. *Audivit diabolus Iudam dicentem peccavi, agnovit in melius vitam capientem, & ad salutem tendentem; timuit mutationem.* Et hom: 3. de prodit. *Confugit ad laqueum ultimum capiens ex pane solatium.* Theophylactus. *Non ferens,* ait, *ignominias subsecuturas se ipsum è vita subduxit.* Euthymius. *Vt desperata tristitiâ, vitâ citius liberaretur.* S. Aug: serm: 128. de tem-

tempore. *Deniq; post redditum pretium laqueo se suspendit, ut qui se mulctaverat pecunia, mulctaret & vita.* Tam scilicet arcto nexu apud avaros pecunia & vita cohærent. *Videte*(addit S. Leo serm: 9.)*quæ germina & quales fructus de avaritiæ stirpe nascantur, hoc perfidus Iudas inebriatus veneno dum sitit lucrum, pervenit ad laqueum.* Et serm: 11. *Ad Christi indulgentiam proditor pervenire non potuit, quoniam perditionis filius priùs in desperationem transijt, quàm Sacramentum Christus generalis redemptionis implevit. Nam mortuo pro omnibus impijs Domino potuisset hîc etiam consequi remedium si non festinâsset ad laqueum. Impius traditor insurrexit in semetipsum non iudicio pænitentis sed furore pereuntis, ut qui auctorem vitæ interfectoribus vendidisset: in augmentum damnationis suæ, etiam moriendo peccaret.* Peccatum ei suum ceu stimulos quosdam ad accelerandam mortem addebat. Ne verò ullus existimaret Iudam ad maturandam Christi proditionem suamq; perniciem illis Domini impulsum verbis, *quod facis fac citò:* occurrit Simon de Cassia dicendo. *Festinabat Christus ex animo ad redemptionem omnium perditorum etiam ipsius Iudæ tradentis, nisi desperationem posuisset in obicem, quæ ut credimus, Divinum prævenit sangvinem nondum fusum.* Accedunt citatis SS. & Maximus Taurin: & Paschasius. S. Athanasius autem testatur Iudam inaudîsse de Latronis conversione, quàm tanta invidiâ exceperit ut ad remedium deniq; laqueum arripuerit. Vnde colligitur non esse certum (quod volunt multi) Iudæ catastrophen Sancti Latronis conversioni præivisse, qui scilicet Christo Discipuli iacturam suâ conversione resarciverit. Pro fabula & palmari errore explodendum quòd asseruit Origenes Iudam scilicet in morte voluisse prævenire Magistrum & occurrere ei

cum anima nuda ut confitens & deprecans misericordiam consequeretur. Nam qui non agit pænitentiam in corpore, animâ nudâ non obtinet veniam. OEcumenius ex Papia vetusto Scriptore & Apostolorum discipulo narrat Iudam rupto laqueo supervixisse ac postea crepuisse medium. Euthymius ait, cùm de laqueo penderet, à prætereuntibus agnitum & depositum vixisse in aliquo secreto loco, deinde intumuisse toto corpore ac capite, deinde ex edito loco cecidisse ac putrefactis visceribus medium crepuisse. Theophylactus hydrope mortuum, sed istorum trium Græcorum opiniones reijciunt interpretes & PP. Latini. S. Augustinus lib: contr: Fel: Manich: collum eum sibi alligâsse & deiectum in faciem disruptum esse medium, erumpente forsan ex ejus visceribus cacodæmone quo possidebatur (ut putat Bourg:) Sed quidquid sit de modo infelicissimi obitûs de quo satis constat ex Actorum cap: 1. Parùm refert scire & ex qua se arbore pensilem fecerit? an ex sycomoro sive ficu fatua, an ex ficu miti ex quali Hebræi putant primos parentes decerpsisse fructum vetitum: certè Iuvencus Poëta communem secutus opinionem de Iuda cecinit

Exorsusq; suas laqueo sibi sumere pænas
Informem rapuit ficus de vertice mortem.

Quidam ut Iudam Christo mortuo supervixisse probent, sumunt argumentum ex Act: 1. *Et hic quidem possedit agrum de mercede iniquitatis.* Si autem statim patratâ proditione interijsset: non possedisset. Confirmant hoc variâ lectione, Syrus enim legit, *acquisivit fundum.* Arabs, *possedit rus.* Æthiops, *emit vineam.* Quæ omnia significant Iudam habuisse tempus de pecunia malè parta disponendi & aliquid eâ comparandi, manuq; capiendi. Quin OEcumenius perhibet eum post multa gravissima

morborum tormenta in suo prædio illo defunctum morte illâ violentâ: quod præ fætore cadaveris desertum permanserit ut non habitetur usq; in præsentem diem. Verùm hoc argumentum vim non habet ex allegato textu. Iudas enim ut aiunt Bourgh: & Sylveira agrum propriè non possedit; possedisse tamen dicitur figuratè, quia possedit pretium, de eoq; dispofuit ut de suo illud nempe proijciendo, quo deinceps emptus est ager. Vnde & Glossa ex D. Gregorio annotat. *Possideri fecit agrum de mercede iniquitatis*. Salvis omnibus opinionibus relatis, ijs duntaxat quæ nihil absurdum involvunt: Non improbabiliter S. Anselmus ad illa verba Actor: *abiens laqueo se suspendit*, annotat. *Non statim, sed in die Resurrectionis, vulgatâ iam & prædicatâ ubiq; Domini Resurrectione*. Si ita res habet: ô! sacrilegum qui diem sanctissimum suo funere turpissimo ac sceleratissimo profanavit: ô! infelicem qui tot ad vitam resurgentibus beatam ac æternam, in utramq; mortem se præcipitavit. Non sinit scilicet peccatum impios Resurrectionis Dominicæ fructum percipere, non sinit imitationem expectare. Ah quid prodest tot Christo resurgenti honorarios comites surrexisse, si in meo lapsu persevero, si sponte in mortem animæ ruo nunquam particeps Resurrectionis futurus?

C.

Quare in horto & in novo monumento voluerit Christus sepeliri?

MIror admodùm, aiebat S. Borgia, *de mortua maiestate, de sepulto Deo, de silente eo corpore, quod venerabundè colebatur ab Angelis*. Eâdem suspensus admiratione D. Damascenus dicebat hom: in Sab: Sancto. *Qui hominem ut in terram converteretur, damnaverat in*

terra sepultis oblivioniq; damnatis annumeratur. Dederat olim Deus sententiam ut homines terræ mandarentur. Gen: 3. *Donec revertaris in terram de qua sumptus es, &c.* En ut ab hac sententia nec se ipsum exemit. Digna profectò res admiratione. Cùm verò admiratio omnis Philosophiæ sit initium, ex eaq; oriantur quæstiones: & ex hac oriuntur nobis plurimæ. Tres duntaxat dissolventur, reliquis in corollarium reiectis.

1mò. *Cur Dominus voluerit sepeliri.* R. 1. S. Chrysol: serm: 59. *Crucifixus est IESVS, ut quia per lignum mors venerat, rediret vita per lignum: & sepultus est ut officia tota mortis impleret.* Perfecta sunt opera Dei; etiam Dei-Hominis. Qui mortem subire voluit, nec ejus consectaneum nempe sepulturam omisit. 2dam & tres consequentes responsiones dat Wittfelt. Vt se verè probaret mortuum. 3. Vt sepultis faceret spem resurrectionis. 4. Vt mirabilior ejus esset Resurrectio. 5. Vt spiritualiter peccato mortuus daret exemplum spiritualis quietis, hoc est ut Christi crucifixi exemplo, crucifixi mundo, carni, peccato, disceremus nosmet sepelire. Non hìc ex professo memoro S. Athanasium qui persecutionem Arrianorum devitans in sepulchro Patris sui latuit annis quinque: Non Iacobum Eremitam qui gravia crimina expiaturus sepulchrum vivus subijt, ut in illo mortem animæ suæ toto decennio defleret, vix semel aut iterum herbas in hebdomada degustans, quæ ad ostium conditorij crevissent. *Vide ejus vitam 28. Ianuarij.* Illud sufficiet ad nostram instructionem quod Isaias ait c. 1. *Ingredere in petram, & abscondere in fossa humo à facie timoris Domini.* 6. Vt esset quædam proportio inter animam & corpus Domini. Anima descendit ad inferos, corpus quoq; terræ mandatum. Quæ duo Bourghe-

ſius ita penſat. Pæna quædam corporis fuit iacere in ſepulchro; animæ deſcendere in limbum, inibiq́; triduo morari. Vtramq́; ſubivit temporaneam; ut æternam à nobis averteret. 7. ℞det Sylveira. Dederat Deus ſententiam mortis & ſepulturæ in hominem; ipſe quoq́; Homo factus cùm voluiſſet mori, ſepeliri quoq́; corpus ſuum diſpoſuit. Eâdem menſurâ ſe & alios menſus eſt. Sua & aliena eidem ſententiæ ſubmiſit. Vt diſceremus non eſſe indulgentiores in nosmetipſos quàm in alios.

2dò. *Cur in horto?* ℞det Cornel: 1. Quia in horto Paradyſi peccarât Adam, ac mortis ſententiam incurrerat: hinc in horto Paſſionem orſus eſt Chriſtus, & in horto conſummavit dum ſepultus eſt, ut ſententiam hanc lueret & expiaret. Hæc reſponſio ſumpta eſt ex S. Thoma 3. p. q. 71. art: 2. ad 4tum. 2. Reſp: idem. Vt hortum amæniſſimum floribus & fructibus vernantem, puta Eccleſiam, inſtitueret ac plantaret. In quem ſenſum præiverat S. Ambr: l. 10. in Lucam. *Poſuerunt eum in horto cui frequenter Eccleſia comparatur, quæ diverſorum habet poma meritorum floresq́; virtutum.* 3. Reſp: Bourg. Quia ad hortum cæleſtis paradyſi Chriſti morte & ſepulturâ patefactus eſt nobis aditus. 4. Reſp: idem. Ad implendam veritatem proditam Ioann: 12. Granum frumenti cadens in terram multum fructum attulit gratiæ, gloriæ, felicitatisq́; æternæ. Porrò tam electum granum & frumentum electorum in horto ſeminari æquum fuit. 5. Reſp: Wittfelt. Vbi enim ſepeliretur omnis vigoris & viroris author. Illic debuit collocari fons hortorum ex quo omnium virtutum germina ſuccum bibunt, & ad immortalitatem irrigantur. 6. Præcinebat quidam ſibi Poëta. *Surdus & immemor iacebo pulvis, me tamen integræ lauri coronabunt iacentem & circum hederæ*

deræ violæq; serpent. Et mos erat tumulos vitâ functorum ab amicis & affinibus ſpargi floribus. Chriſto Domino hoſtilitas parricidarum hoc officium non præſtitit: Ergo Sancti veſpillones Nicodemus & Ioſeph non iam flores verùm totum hortum tumulo Chriſti ſuperimpoſuerunt.

3tiò. *Cur in monumento novo?* 1. Reſp: Sylv. Novum ſepulchrum elegit Dominus, quia non decebat Sanctiſſimum ipſius Corpus, quod ut unitum naturæ Divinæ ita corruptionem non erat ſubiturum miſceri putridis cadaveribus peccatorum. 2. Reſp: S. Chryſoſt. Ne quis alius in eo ſepultus reſurrexiſſe putaretur aut fingeretur ſub illam reſurrectionem mortuorum, de qua ſuperiore quæſtione. Idem & totidem fermè verbis aiunt SS. Ambroſius & Hieronym. 3. Reſp: S. Auguſt: *Sicut in MARIÆ Virginis utero nemo ante illum, nemo poſt illum conceptus: ita in hoc novo monumento nemo ante illum, nemo poſt illum ſepultus eſt.* Nempe quia tumulus fuit quoddam ſymbolon & paralellon uteri Virginalis. In utero mortalis ac moriturus; in tumulo mortuus iacuit Deus. Quemadmodum ergo ejus Nativitas omni nativitate fuit purior, ita ſepultura inſigni puritate conſtare debebat, infert Bourgh. Et Sylveira. Sepulchrum Chriſti corpus recipiens figurabat SSmam Virginem quæ ipſum recepit in utero ſuo, neceſſe igitur fuit ut eſſet mundum, purum, ac novum ſine ulla vetuſtatis, corruptionis, aut vermiculi nota, ac proinde ſepulchrum tanquam 2da Chriſti Mater, expediebat ut haberet analogiam cum prima, quæ omnino fuit aliena ab omni ſuſpicione maculæ. Porrò quòd tumulus altera ſit Mater Domini, aſſerit S. Chryſol. *Mutatur hic ordo rerum, mortem non mortuum devorat ſepulchrum. Domus mortis*

mansio fit vitalis. Vteri nova forma mortuum concipit, parit vivum, serm: 74. Accinit Ecclesia in hymno Paschali. *Qui natus olim è Virgine, nunc è sepulchro nasceris.* Pulchrè analogiam tumuli Dominici cum utero Virgineo tractat S. August: serm: 133. de temp. *Beatum corpus Domini IESV, quod cùm nascitur, ex utero Virginis gignitur: cùm recedit iusti tumulo*(scilicet Ioseph Arimathæi) *commendatur. Beatum planè corpus quod iustitia peperit, & iustitia custodivit. Custodivit enim illud Ioseph tumulo incorruptum sicut servavit MARIÆ uterus illibatum*(conscio utiq; altero Iusto Ioseph.)*Sicut pollutione illic non tangitur, sic mortis corruptione non læditur. Vbiq; sancto corpori defertur sanctitas atq; virginitas, novus illud venter concepit, novus tumulus conclusit. &c. &c.* Idem loquitur lib: 5. de Symb: ad Catechum: c. 5. & S. Hieronym. *Potest novum sepulchrum & Virginalem MARIÆ uterum demonstrare &c.* Idem contra Iovin: *Quod clausum est atq; signatum similitudinem habet Matris Domini. Matris & Virginis, unde & in sepulchro Salvatoris novo quod in petra purissima fuerat excisum, nec antea nec postea quisquam positus est.* 4. Resp: S. Th: Aquinas. *Vt per hoc detur intelligi quòd per Christi sepulturam omnes innovamur morte & corruptione destructâ.* 5. Resp: S. Ambr: in Luc. *Bene Christus in monumento ponitur Iusti ut habeat Filius hominis ubi caput suum reclinet, & iustitiæ habitatione acquiescat: bene autem novo, secundùm literam quidem, ne alius suscitatus à perfidis diceretur. Mysticè verò quid possimus intelligere nisi fortè quia legimus: sepulchrum patens est guttur eorum. Ergo sepulchrum patens est guttur hominis in quo perfidia lethalis & mortua verba conduntur, quòd per incursum bestiarum aliquam fatiscit & dis-*

dissolvitur. Est ergo è contrario monumentum in secretis hominum, quod sibi in pectoribus duritiæ gentilis, penetrabili verbo Iustus excidit, fidei atq; doctrinæ operibus expolitum ut prætenderet in nationibus virtus Christi. Adiungit ex eadem ratione erutam cohortationem S. Damascen: *Christus in novo sepulchro reponitur, expurgemus nosmetipsos à fermento veteri novaq; conspersio fiamus ut idoneum Christi simus habitaculum.* Quòd quidem licèt semper curandum est, maximè tamen cùm recipimus Christum in Eucharistia de Cruce Altaris in tumulum pectoris nostri, quando innovatur memoria Passionis ejus: Vetustatem omnem depellamus, vitamq; ac conscientiam & fervorem devotionis innovemus. 6. Resp: De la Haye ob significationem quòd citò erat suscitandum, ut mors illi velut somnus fuerit, non ut cæteris mortuis qui ad immortalem vitam ultimo nonnisi die resurgent. Sensus hic est S. Aug: *tridui tantùm temporis spatio non tam in sepulchro mortuus iacuit, quàm velut in lecto conquievit. Ipsa enim temporis brevitas declarat potiùs somnum fuisse quàm mortem.* Porrò si quis hospitem insignem apud se quiescere aliquamdiu volentem susciperet, esset ne tam barbarus ne dicam immanis, qui pro lectulo tumulum rancidis ossibus taboq; cadaveris squallentem ac fædum offerret? quin potiùs lectulum si quem novum nancisci posset, nulli adhuc adhibitum. Hoc præstitit & Iustus Ioseph, qui ut in Christum crediderat, ita eum resurrecturum à somno triduano sperare potuit. Quin etiam ipse Christus novum tumulum, quem pro se Ioseph paraverat videtur tantisper affectâsse, quem brevi post integrum ac illibatum suo possessori esset restituturus, utendum quoq; si reverentia ac religio permitteret. 7mam rationem desumunt Borgh: & Dela Ha-

ye ex Thalmud & Rabbinis, qui aiunt corpora damnatorum vetita esse inferri in sepulchra cæteris communia, sed in privatis seorsim ab alijs ponenda. Verùm hæc superstitio Iudæorum sublimioribus Divinæ Sapientiæ rationibus ancillabatur.

Summa quæstionis. Sepeliri Dominus voluit propter perfectionem mortis, imò & exemplum, præstandi quæ quisq; alijs imperat. Vt dicebat Cato, *pareto legi quàm quisq; sanxeris.* Legislator super legem est dignitate sua non contemptu ejus. ad interpretationem non ad violationem. Sepultus Deus ob fidem suæ mortis, ob spem nostræ resurrectionis, & maiorem suæ admirationem. Vt ex eo discamus nos in humilitate sepelire. Ob proportionem corporis & animæ separatorum invicem. *In Horto* ad proportionem delicti & satisfactionis ac instaurandæ ruinæ per delictum inductæ. Quia sua morte Hortum mysticum Ecclesiam plantabat. Quia ad Hortum Eden nos reducebat morte suâ. Vt sementem iaceret fructificaturam centuplum & ampliùs, ipse granum mysticum. Ad hortum pertinebat causa omnis viroris & floris, in sensu reali & morali. Causâ spei nostræ quam designant flores hortenses. Deniq; ut ex veteri ritu non iam floribus sed toto horto urna amabilissimi IESV spargeretur. *In monumento novo.* Ob reverentiam. Ad avertendam omnem suspicionem imposturæ & occasionem calumniæ. Ob analogiam cum Virginali Matris utero. Ob innovationem nostram designandam, & à nobis faciendam. Ob non longum usum tumuli & consvetudinem gentis suæ.

Corollaria.

I. Admiranda Dei providentia ut Ioseph homo iustus, fidelis, Christóq; devotus haberet hortum calvariæ pro-

proximum, diſtantem à loco defixæ Crucis 108. pedes (ut ait Bourgh:) & in eo monumentum exciſum quod ſibi paraverat. Qui ſcilicet hortus (ut Sylveira) prope ipſum montem ſeu ad radicem ipſius montis, ſeu quædam pars montis. Vnde infer duo, alterum, nunquam ita Deum in quenquam Crucem immittere, ut non ſtatim ſolatium quietemq́; provideat. Vti vides vicinum Crucis ſupplicio & hortum ad voluptatem, & tumulum ad quietem. Alterum, Fidelium poſſeſſiones, prædia iuſtorum, Crucem in ſuis terminis habere debere & ſolere. Debere ex pietate pro affectu erga IESVM; ſolere ex Dei permiſſione & pro patientiæ exercitio. Quin & hoc adverte. Mons Calvariæ ad radicem habet hortum: mons funeſtus locum deliciarum. Vt ſciamus Crucem fundari in veris paradyſi delicijs: ex delicijs verò ſæculi aſſurgere ingentem montem ſuppliciorum & miſeriarum. Vnde & Seneca dixit. *Morbi ſunt uſuræ voluptatum:* & compertiſſimum eſt plurima ſupplicia vindicis Iuſtitiæ tam in hoc quàm altero ſæculo ex voluptatibus in tantam molem conſurgere. Hortus ad radices calvariæ.

II. In horto Ioſeph ejusdem quoq́; monumentum fuit, quòd Chriſto Dominus & horti & tumuli conceſſit. 1mò. Iuxta S. Aug. *In aliena ſepultura ponitur, quia pro aliorum moriebatur ſalute. Mors enim iſta non illi accidit, ſed nobis proficit. Mors iſta non illi illata eſt, ſed nobis delata. Vt quid ergo illi propria ſepultura qui in ſe mortem propriam non habebat. Et quid illi tumulus in terris, cujus ſedes manebat in cælis. Neceſſarium non erat mortis habitaculum Chriſto qui Vita eſt: nec opus habebat ſemper vivens habitaculo defunctorum. Rectè autem hanc Vitam nos in noſtro ſepulchro condimus ut vivificet mortem noſtram, ut cum ipſo à mortuis reſurgamus.* Conſentit S.

Ambr: l. 3. de Virg. *Bene secundùm spiritum in monumento Iusti positus est: quia Christus à mortuis in novo iusti resurgit affectu. Bene etiam secundùm literam alienum monumentum fuit, quia suum monumentum Dominus non quæsivit. Habeant tumulum qui sub lege sunt mortis. Victor mortis suum tumulum non habebat. Non enim ille sepulchrum mortis desiderabat, qui de morte trophæa referebat.* Eadem habet l. 10. in Lucam & serm: 51. 2dò. Iuxta Theophylactum, *qui non habuit domum in vita, neq; sepulturam habet in morte, sed in alieno deponitur, & cùm sit nudus, à Ioseph vestitur.* Et Severianus Gabalitanus in cat: græc: ad c. 19. Ioan. *Propter nos egenus factus, cùm esset dives; ut illius inopiâ nos divites essemus, quinimò adeò pauper factus est ut clamaret.* Vulpes foveas habent & volucres cæli nidos, Filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet Luc: 9. *Hinc etiam post Crucem (de ultima loquor reclinatione,) non in proprium illatus est monumentum, sed Ioseph ab Arimathia in suum tanquam peregrinum suscepit.* Mortuum corpus viventis institutum sequitur. Non habuit vivens proprium locum, non habet moriens etiam loculum. Non suus sed commodatitius hic pauperrimi IESV loculus, ingentium tamen est divitiarum perennis vena atq; fodina, fovea vulpibus sanctè astutis. Vulpes dicitur quasi volans pes, quo scilicet volante pede ab insectatore dæmone atq; mundo animæ bonæ se recipiant. *Hic dulces latebroso in pumice nidi* volucribus gementibus columbis. In alieno conditus horto & tumulo qui in alieno natus stabulo ac præsepio. Melior tamen hortus quàm stabulum, & tumulus ex saxo vivo quàm salignum præsepe. Quanquam suâ vitâ stabula in hortos verterat, & brutales vitas morte damnaverat. Deniq; cujusnam fuerit natalitium Domini stabulum

bulum? ignoratur: cujus hortus ſepulchralis? bene ſcitur quòd fuerit Ioſeph. Nempe ſuâ vita erudijt Dominus ad iuſtitiam quæ tribuit unicuiq; ſuum, Deo autem & Chriſto omnia, ejus enim ſunt omnia. Iam innotuit iſta iuſtitia: notiq; ſunt facti imò & nobiles iuſti, qualis iſte Ioſeph *nobilis decurio.*

III. Requiſiêrat impijſſimus regum Achab Nabothem ſubditum ſuum 3. Reg: 21. *Da mihi vineam tuam ut faciam ex ea hortum olerum.* Quæ expendens B. Petrus Damiani ait. *Ille in hortum vineam conatur convertere, qui rigorem virtutis iucundâ carnalis illecebræ vult amænitate mutare. Vnde & ſuperbi comparantur oleribus,* Pſal: 36. *tanquam fænum velociter areſcent, & ſicut olera herbarum cadent.* Chriſti Paſſio Vinea fuit quædam, in qua ipſe Chriſtus & vitis & botrus, & calcans torcular & torculari oppreſſus. Ergo vinea migrat in hortum? Significari quidem poteſt quòd quantò quisq; fuerit duriùs in vita cum Chriſto tractatus, tantò molliùs inter delicias paradyſi cubaturum, inter roſas & violas. Aſperitates enim vitæ præſentis, molliorem in altera vita ſternunt lectulum iuxta illud Pſalmi *exultabunt Sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus ſuis.* Verùmtamen ne quis in præſenti vita ex vinea in hortum, ex auſteritate patientiæ in voluptatem degeneret; in ipſo horto non in roſis Sardanapali aut Myndiridæ, alijsve hortorum delicijs: ſed in duro ſaxo ſepelitur IESVS. Vt oſtendat illam eſſe exquiſitam virtutem, medijs in hortis ac floribus deliciarum, ſaxa & aſperitates ultro quæ ſibi quærat atq; complectatur. In ſaxo ſepelitur, ſcilicet in petra excavata. In vivo ac ſolido lapide ex quo conſtabat mons Calvarius. Imò. Ad ſignificationem myſticam. *Molles enim & quæ facilè in voluptates effunduntur animæ, Di-*

vinum verbum admittere non sustinent sed firmæ tantùm & masculo quodam robore ad virtutem amplectendam exercendamq; prædite. Ait S. Damascen: orat: Sab: Sanct. Non in arena, non in pulvere, sed in petra recipitur IESVS, hoc est non in illo qui in relapsu ac vitiorum est effusione: sed in eo qui habet firmitatem ac constantiam in virtute. Subiungit Sylveira. 2*dò*. Vt esset immobile nec unquam aboleretur, extaretq; perpetuum mortis ac resurrectionis monumentum

Monumentum ære perennius regaliq; situ pyramidum altius
Quod non imber edax non Aquilo impotens possint eruere

3*tiò*. Ad Christi honorem & reverentiam Divini corporis hypostaticè uniti Deitati. Non enim solent in ejusmodi sepulchris nisi magni & nobiles sepeliri. Vt notant post S. Chrysost: Bourgh: & Sylveira. Quanquam si ille tumulus non ex lapide sed ex obryzo adamanteq; fuisset, quid esset proportionis ad dignitatem Dei-Hominis? Exclamabat olim Varro

Marmoreo Licinus tumulo iacet! at Cato parvo!
Pompeius nullo! & credimus esse Deus.

Impiè Pöetaster hic ex improportione tumulorum ad corpora quæ continebant, Deum ac Providentiam inficiabatur. Nos ut nascentem in stabulo, ita sepultum in saxo vili *credimus esse Deum* perq; fidem sugimus mel de petra oleumq; de saxo durissimo. *In petra excisum dicitur, hoc est in fidei firmamento De qua veri Israëlitæ dulcedinem mellis & oleum spirituale suxerunt.* S. Ambros:

IV. Tumulus Christi fuit ex saxo uno id est continuo. 1*mò*. Ad adstruendam firmiùs resurrectionis veritatem. Ne quis calumniaretur per cuniculos ablatum corpus. *Ne si ex multis lapidibus ædificatum sepulchrum esset: suffossis tumuli fundamentis ablatus furto diceretur.*

Ait

Ait S. Hieron. 2dò. Sicut Christus in vita summè dilexit unitatem, sic & in morte voluit eam in suo sepulchro denotare, & inde disponit, ut non ex multiplici lapide, sed ex uno esset exstructum. Quia solum ubi est unio, ibi requies Christi. Quale porrò illud sepulchrum fuerit? iuvat scire.

V. Beda in c. 15. Marci. *De monumento* (inquit) *Domini ferunt qui nostra ætate de Hierosolymis in Britanniam venêre, quòd domus fuerit rotunda, de subiacente rupe excisa, tantæ altitudinis ut intro consistens homo vix manu extentâ posset culmen attingere. Habet introitum ab oriente, cui magnus ille lapis advolutus est. In cujus monumenti parte aquilonari sepulchrum ipsum hoc est corporis Dominici locus de eadem petra factus est, septem habens pedes longitudinis, trium verò palmorum mensura cætero pavimento altiùs eminet. Qui videlicet locus non desuper sed à latere meridiano per totum patulus est, unde corpus inferebatur.* Adrichomius quoq; in descriptione Ierusalem. *Sepulchrum Domini gloriosum monumentum erat novum octo pedes longum, quod à monte calvariæ* 108. *pedibus, à monte Sion* 1000. *passibus distabat in horto montis calvariæ propinquo quod in petra sibi Ioseph exciderat.* In hac descriptione præter cætera iam explicata considerandus etiam situs.

VI. Corpus Christi in sepulchro, sicut priùs in Cruce, ita collocatum fuit; ut capite & facie ab Oriente & Iudæa, aversa Occidentem, id est Italiam & Romam respiceret. *Cornel: a Lap.* Quòd etiam in aquilonari monumenti parte IESVS meus iacuerit, gratuletur sibi Aquilo seu Septemtrio noster, & ex tyrannide illius qui iam olim *aquilonis latera* usurpaverat, gaudeat esse in libertatem Christi assertum.

VII.

VII. Lapidem insuper ostio monumenti advolutum memorant Evangelistæ. Et hoc *imò* veritati mysterij Resurrectionis inserviebat: ostendebatq; *monumentum sine auxilio plurimorum non potuisse reserari*, ait S. Hieron. Ne quis causari posset Christum, cùm nondùm mortuus esset remoto lapide è sepulchro evasisse, aut Discipulos furatos, si facilè aperiri potuisset. Vide quot argumentis Dominus Resurrectionis suæ veritatem voluerit evincere ac stabilire. Volebant (ait Sylveira) IESVM Discipuli in alio digniore monumento longiùs à civitate collocare. Vel nominatim (ut Bourgh:) fortè in Bethaniam transferre. Sed noluit Dominus sepulturæ locum aut à Cruce, aut ab Ierusalem abesse. Divinâ providentiâ factum est ut non remotiùs ab Ierusalem corpus poneretur, (ut observat S. Chrysost.) Ne scilicet calumnia strui posset de corpore longiùs asportato & non sepulto, sed rapto ad fallendos homines rumore resurrectionis. Sic autem & prope sepulto Domino & sepulchro munito omnibus obiectionibus contrarijs est occursum. Vtq; mors Domini fuit manifesta, sic neq; obscurior resurrectio, ipsis etiam inimicis tam conscijs loci, non solùm Discipulis & amicis. In quorum gratiam maximè hæc loci electa vicinia, ut eo se facilè conferre & omnibus è propinquo in oculis esse possent quidquid agerent. Si autem de more Iudæorum, fæminæ fæminarum, viri virorum curabant funera; Magdalena & aliæ piæ mulieres spectarûnt quidem & planxerunt sed minimè funus curarûnt, quò respexisse videtur Matthæus c. 27. v. 61. *Erant autem ibi Maria Magdalena & altera Maria sedentes contra sepulchrum.* Marc: 15. v. 4. *aspiciebant ubi poneretur.* Lucæ 32. *Viderunt monumentum & quemadmodum positum erat corpus.* Vnde pulchra cautela innuitur

omnibus viventibus, quantùm alterius sexûs tactum horrere debeant; si Dominus ne quidem mortuus tam Sanctarum mulierum manibus attrectari voluerit. 2dò. Lapis ostio advolvitur, (ait S. Hilar: Can: 34.) *Quia nihil est quòd præter eum oporteat in pectora nostra penetrare.* Item. *Vt quia nullus antea in nos Divinæ cognitionis auctor fuerat illatus, nullus absq; eo postea inferatur metus.* Id est lapis olim durissimus quidam pectora nostra faciebat Christo inaccessa: postquam ea iam Christus subintravit, lapide quodam constantiæ eadem sunt munienda ne ullum peccatum illuc penetret. Certè quamdiu Christus est in corde, ceu obiecto marmore nullus timor illuc irrumpere potest. *Magnum saxum occludit monumenti ostium: ut innuatur quàm m meat occlusus aditus omni malo in pectore illo in quo IESVS retinetur & asservatur.* Sylveira. 3tiò. *Pulcherrimè lapis admotus est ne pateret. Quicunq; enim in se bene humaverit Christum diligenter custodiat ne eum perdat.* S Ambr: l. 10. in Lucam.

VIII. Sicut præceptum erat lege Divinâ Deut: 21. ut appensi in patibulo eâdem die &(ut addit Philo)ante occasum solis sepelirentur: serò diei Passionis suæ sepultus est Dominus bene post nonam lucente tamen adhuc sole. Nam ad vesperam quâ incipiebat Sabbathum, quiescendum erat. Vnde mos obtinuit vetus,(cujus meminit Cyprian: de orat: Dom: ut Vesperarum laudes serò à Clericis in memoriam sepulturæ Domini psallantur. Hæc ex Vittfelt.

IX. Corpore Domini in tumulum illato anima descendit in loca subterranea iuxta illud Eccli: 24 *Penetrabo omnes inferiores partes terræ & inspiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes sperantes in me.* Ex quo textu inferunt Bellarminus &c. 1mò. Descendisse animam

Chri-

Christi ad locum damnatorum sive gehennam, idq; per realem præsentiam non autem per virtutem tantum. Effectum hujus descensus exprimit S. Chrysost: serm: 3. de Asc. *Incorrupto & glorioso resurgens corpore, hostis vires confregit, & ejus machinas contrivit, telis dissipatis, vinculis disruptis, dolorum ac perturbationum iugo preiecto ad Plutonis regiam descendit, ejus thronum divulsit, diadema distraxit, sceptra perdidit, eum, qui tenebatur exolvit, tyrannum pessum dedit &c.* In eundem sensum loquuntur S. Cæsarius Arelaten: serm: 1. de Pasch: in bibl: magna PP. S. Augustinus &c. Quæ de descensu reali facilius quàm de virtuali explicantur. Quanquam SS. Thomas & Bonav: &c. contrarium teneant ducti eâ ratione quòd frustraneus illuc Domini esset descensus in quo nihil erat profecturus, *in inferno enim nulla redemptio*, item quòd damnati ejus præsentiâ gloriosa erant indignissimi. Quanquam potuit illos Dominus severiore vultu invisere ut Rex quispiam sceleratos perpetuis carceribus triremibusve addictos. 2*dò*. Quòd non descenderit ad limbum infantûm originali crimine absq; ullo remedio obstrictorum de eadem causa, scilicet quòd & illarum visitatio fuisset otiosa, hi enim nec ex eo regenerati nec ejus redemptionis erant futuri participes. Sic Suarius. 3*tiò*. Ad purgatorium sive realiter sive per suam virtutem & effectum descenderit, credibile est plenariam afflictis illis animabus concessam indulgentiam & à culpa & à pœna, tum pro munificentia sui ingressûs & triumphi, tum ad instantiam Sanctorum Patrum pro ijs forsan supplicantium, qui ardentiùs adventum Messiæ suspirâssent, de quibus in Evang. *Multi Reges & Prophetæ &c. &c.* Quanquam mox illæ animæ in limbum SS. Patrum translatæ sunt. Huc interpretantur SS. Aug: & Greg: illud

Oseæ 13. *O mors ero mors tua, morsus tuus ero inferne.* Mortem enim penitùs interemit & extinxit: infernum momordit duntaxat quâdam ei parte detracta, scilicet animabus purgatorij & limbi incolis. In quem descendit. *4to.* Limbus ille SS. Patrum vocabatur sinus Abrahæ, continebat animas in gratia & iustitia è corpore egressas, nulliusq; purgationis indigas. Ad has descendit, cum eis toto tempore secundùm animam commoratus, quo corpus in sepulchro iacuit nempe 36. horis circiter. Ratio descendendi 1. Vt eis passionis & mortis suæ fructum impertiret. 2. Vt eos captivos à diabolo sua morte devicto vindicaret; ab inferni carcere in sui regni ditionem reduceret. 3. De morte & inferno triumphum ageret, & ut in terra vivens ac moriens, ita in inferno vim suæ Deitatis & omnipotentiæ demonstraret. 4. Sol Iustitiæ erat Dominus, quemadmodum ergo terrigenis exortus erat, ita & in inferno exoriri voluit his qui in tenebris & umbra mortis erant. *Damascenus l. 3. de fide c. 29.* O quale ibi gaudium & animarum Beatarum & animæ Christi Beatissimæ! Quæ gratulatio! quæ iubilatio incolarum antiquissimorum tot annis expectantium Redemptorem! ut Adam, Evæ, Abelis, Noe, Abrahæ, S. Simeonis, Annæ Prophetissæ, S. Ioseph, S. Ioan: Bapt: S. Latronis dextri. Quæ contra eiulatio, execratio damnatorum, Iudæ traditoris, latronis obstinati, Luciperi & ejus sociorum Principum tenebrarum!

Elucet in hoc descensu Salvatoris eximia humilitas per se non dedignantis descendere in infimas terræ partes. Charitas erga SS. PP. iustosq; omnes ejus expectatione suspensos. Liberalitas & munificentia dum eis beatificam confert visionem ac limbum commutat in paradysum. Meditari licèt 5. Choros Beatarum animarum

Salvá-

Salvatoris animam Deitatemq́; adorantium, gratulantium, & gratias agentium. 1. Patriarchæ eorumq́; Posteri tanquam summum Patriarcham Patremq́; futuri sæculi adorabant. 2. Prophetæ ut eminentissimum Prophetam, per quem omnes adimpletæ prophetiæ. 3. Pontifices, Sacerdotes, Levitæ tanquam summum & æternum Sacerdotem qui se ipsum obtulit in Cruce. 4. Iudices, Duces, Reges, uti fortissimum strategum, qui omnes potestates âëreas debellavit, peccatum, mortem, mundum devicit. 5. Martyres ab Abele usq́; ad Innocentes ut Principem Martyrum, suæ Deitatis testimonium sua morte & Resurrectione confirmantem. Præcinebat Baptista. *Ecce Agnus Dei*, &c. & *dignus est Agnus qui occisus est accipere virtutem &c.* Hæc omnia quæ sub numero IX. pono, mutuavi ex Bourghesio.

X. Non deest(idem author ait)in sepultura Christi exemplum humilitatis, quòd ad eam se Dei Filius abiecerit. quasi corpus ejus mortuum nihil differret à cæteris cadaveribus: Cùm tamen Deitatem vitæ omnis originem hypostaticè adiunctam haberet. Confirmatur hoc sensu & verbis Fulgentij lib: 3. ad Trasi: c. 25. *Ecce facta distinctione Divinitatis, carnis, & animæ quantùm ad proprietatem substantiæ attinet solùm corpus IESV dicit de Cruce depositum, aromatibus conditum, & linteis obvolutum. Propter unitatem verò Personæ, quoniam Deus hominem quem ex Virginis utero suscepit, nec in morte, nec in sepulchro deseruit, propterea Ioannes adiecit. Ibi posuerunt IESVM. Verè Divino Spiritu plenus Sanctus Evangelista locutus est: ut primitùs quid in Christo mortuum fuerit, & sepultum ostendens diceret acceptum corpus IESV & ligatum linteis cum aromatibus: Et quia quod Deus coniunxit, homo non separat:* pro-

propterea non corpus IESV, sed IESVM dicit in monumento positum. Sciebat enim quòd ille susceptor pleni hominis Deus totus esset cum carne sua in sepulchro, totus cum anima sua in inferno, totus in mundo, totus in cælo, totus in unitate naturæ in Patre de quo extitit, totus per omnipotentiam Divinitatis suæ in tota creatura quam fecit. Vel quod paucioribus dicit Theologia. *Verbum quod assumpsit, nunquam dimisit.* Adeòq; non destituit suum corpus in sepulchro etiam, licèt Humanitas esset destructa sublata unione essentiali corporis & animæ.

XI. Sepultura Christi licèt fuerit honorifica in compensationem contemptuum opprobriumq; stante vita ei irrogatorum: multo tamen deinceps extitit gloriosior; iuxta prædictionem Prophetæ, *& erit sepulchrum ejus gloriosum.* Isai: 11. v. 10. In quem locum vide Cornel: à Lapide & in Matth: c. 27. v. 60. & Illustrissimum Peregrinum Nicolaum Radźivillium in relationibus sui devotissimi itineris. Sufficit hoc loco scire quòd S. Helena sepulchrum Domini splendidissimâ Basilica superstructâ decoraverit. In ea Godeffridus Bullonius imus è Christianis Ierusalem Rex ejusq; Successores Sepulchrum Domini ceu novellæ suam olivam, ceu satellites curiam stiparûnt.

Sicut Parnassia Laurus
Parva sub ingenti matris se subijcit umbrâ

Ordo quoq; Equitum & Canonici Regulares sub Regula S. Augustini, dicti Miechovienses, sub titulo ac auspicijs SSmi Sepulchri merent.

XII. Non omittenda iucunda pariter ac fructuosa Sylveiræ observatio ad S. Ioannem & Ethymologicus lusus in vocabulo *Monumentum.* Hunc, inquit, tumulum Ioannes vocat Monumentum quasi monens mentem de

Chri-

Chriſti amore morte ac ſepultura. Non fruſtra hoc monumentum exciſum in petra,ne qua ſcilicet temporum iniuria mentisve incuria, hujus ſepulturæ & beneficij obliteret memoriam. *Ad perennem etiam ex loco rei memoriam* ait Càëtanus. Monet mentem hoc monumentum: Vt ſiquidem nec Deus-Homo declinavit tumulum: nos purè homines eum declinare impoſſibile nobis perſvadeamus. *Nemo* (inquit Seneca) *mortalium erravit ad ſepulchrum.* Nemo, ſatiùs diceret aberravit à ſepulchro ut illud evaderet: nam pleriq́; errando etiam,idq́; paſſim,ad tumulum ceu metam ac terminum viæ perveniunt. Memento ergo ſepulchri mortalis homo vel ex illo quo immortalis Deus condi non dubitavit. Ingenioſa illa ſuæ ſalutis fuit induſtria in S. Ioanne Eleemoſynario, qui ut ſublimatus in Cathedram Pontificalem, ſepulchrum continuò fabricari ſibi mandavit ſed non perfici, ut ſcilicet identidem latomus admonendo illum nondum perfectæ ſandapilæ, urgendoq́; ad eam perficiendam: ſepulchri ac mortis refricaret memoriam. Memoranda & illa Cæſarum Orientalium cæremonia, quibus inter ipſa inaugurationis ſolennia atq́; maximas pompas Lapicidæ ſolebant aliquot diverſa marmorum genera præſentare, petentes è quonam quisq́; Auguſtus lapide Pario an Thaſio urnam ſibi funeralem parari vellet. Quo ritu in ſummo æſtu oblivioſæ vanitatis, tumuli cum throno inevitabilem bene inculcabant viciniam. Alex: Cardinalis Oliva ſepulchri modulum ut ſcriniolum ſibi fabricari iuſſit. Inibiq́; ſe ipſum in purpura iacentem exprimi cum lemmate *in omnibus operibus tuis memorare noviſſima tua & in æternùm non peccabis.* Rho exempl: l. 5. c. 3. Sæpe illud funebre ſcrinium contemplabatur, ut bene vitam componeret. Iuvat ad idem Chriſti ſepulchrum.

Monet

Monet mentem monumentum Domini, eaq; ingerit quæ ex S. Francisco Borgia hìc adscribenda putavi. Interfui (ait ibi B. V.) Passioni Sacratissimi Filij mei, & adumbrabam personam totius Ecclesiæ, quæ ut ejus Sponsa redempta tanto pretio, nunquam abesse debet à mysterijs Crucis, sed in sinu semper habere suum Crucifixum, devovere se illi, eum fovere pectore & animo, abluere lacrymis, ungere devotionis ungventis, charitatisq; sindone involvere, purissimo cordis sepulchro condere debet: & invigilare diligentiori curâ monumenti ostio ne introducatur latrocinium culpæ, quo tantum perdere potest Sponsum. *Peccatum enim fur bustuarius qui etiam sepulchrum IESV violare ac effringere non veretur.* Et infrà. Gloriosissimum fuit illud sepulchrum, in quo mortuus Deus, peccatoribus conciliabat vitam. Altè indormiebant homines suis vitijs & peccatis; ibi suscitati sunt ad elegantiam gratiæ, ibi aperti mortalium mentis oculi ut cernere possent viventis Dei gloriam. Iacuit in sepulchro Divinum corpus confossum vulneribus, decolor, funebre: ut tuum beetur corpus in communi omnium resurrectione supernis illis & gloriosis muneribus impassibilitatis, subtilitatis, celeris penetrabilitatis, summæq; claritatis; ut perinde quasi tremula sydera aut fulgurantes stellæ niteat. Attamen tibi persvasum velim tum temporis nemini concedenda ea dona, nisi sepeliverit se iam in humilitate suæ terræ ac cineris ad latus Christi. Vt impuræ voluptati mortuus vivat Deo. &c. &c. Hæc S. Princeps & Asceta.

Deniq; Plinius lib: de funeral: antiqq: apud Sylveiram memorat in more fuisse ut superstites in sepulchris amicorum figuram cordis sculperent, eo symbolo contestati cor & mentem suam simul cum amico sepeliri ac

unâ

unâ recondi. Præſtitit id reverà B. V. MARIA Filio ſuo ut revelavit S. Brigittæ l. 2. c. 21. *Verè dicere poſſum quòd ſepulto Filio meo, quaſi duo corda in uno ſepulchro fuerunt. Numquid non dicitur ubi eſt theſaurus tuus, ibi & cor tuum: ſic in ſepulchro Filij mei ſemper cogitatiò & cor meum verſabatur.* Ah! utinam te Sanctiſſima ac luctuoſiſſima Genitrix imitemur. Libenter ſe coniuges eodem ſepeliunt tumulo: libenter amantes, cineres ſuos amicis cupiunt confundi cineribus; libenter devoti prope tumulos ac memorias Apoſtolorum, Martyrum, aliorumquè Servorum Dei ſepulturas eligunt: nos in ipſo tumulo Filij tui animos, corda, nosq; totos ſepeliamus. In eodem interim conditorio ſtylum meum ac præſentem tractatum depono ac ſepelio. Non poteſt in lucem ire ſplendidiùs quàm ubi in eas tenebras conceſſerit. Nec vivere feliciùs quàm in ſepulchro Sapientiæ increatæ.

Crucifixo Laus & Gloria.



INDEX QUÆSTIONUM

X.

LX.

LXXI.

LXXXII.



Præter enumeratos ad primas Tetrachordij partes, in hac tertia parte sequentes etiam citantur

AVTHORES.

Rabbi Abraham BenEzra *Hispanus.*
Ado *Trevirensis Episcopus, Author Martyrologij.*
Ælianus *Polyhistor.*
Alexander Alensis *Ord: Min: Mag: SS. Thomæ et Bonavent:*
Æneas Gazæus *Platonicus, Philosophus Christianus.*
Æneas Sylvius *qui postea PIVS II.*

Andre-

Andreas Alciatus *Iurisconsultus Mediolanensis.*

Alphonsus à Castro *Ord: min: observ:*

S. Anastasius Sinaita *Patriarcha Antiochenus.*

Antiochus Ptolomaidensis.

Andreas *Cretensis.*

Andreas Laurentius *Medicus.*

Apollinaris *Laodicanus Episc: Mag: S. Hieronymi.*

Apuleius *Afer Philos: Platonicus.*

Ioannes Arboreus *Doctor Th: Parisiensis.*

Benedictus Arias Montanus. *Theologus insignis Hispalensis.*

Aristæas *Iudæus.*

M Ioannes Avila *Presbyter Hispanus Theologus & vitæ spiritualis Magister eximius.*

Ausonius *Poeta Burdegalensis.*

Laurentius Bartilius *Soc: IESV.*

Ioannes Belethus *Theol: Parisien:*

Bibliotheca Magna Veterum Patrum.

Gabriel Byel *Theologus.*

Franciscus Bivarius *Ord: Cisterc:*

Henricus Bodeker *Soc: IESV.*

Ludovicus Blosius *Abbas Lætiensis Ord: S. Benedicti.*

Iacobus Bosius

Gvilelmus Vander Bossche *Medicus.*

S. Franciscus Borgia *ex Duce Gandiæ Soc: IESV III. Generalis.*

Ioannes Bourghesius *Societatis IESV.*

S. Braulio & Halecas *Cæsaraugustani Episcopi.*

Ioannes Buisonius *Theol: Duacensis.*

Iulius Cæsar Bulengerus *Soc: IESV.*

Buteo.

S. Cæsarius *Arelatensis Episcopus.*

Petrus Calesinus.

S. Callixtus *II Papa.*

Melchior Canus *Ord: Prædicatorum, Episcopus Canariensis.*

Hieronymus Cardanus *Medicus & Mathematicus.*

Ioannes Carthagena *Ord: Min: observ:*

Nicolaus Caussinus *Soc: IESV.*

Chrysippus *Presbiter Ierosolymitanus.*

Alphonsus Ciacconius Ord: Præd:
Claudianus Poëta.
Clusius.
Franciscus Collius Theol: Doctor in Colleg: D. Ambrosii Mediolani.
Columella.
Vilhelmus Damasi Lindanus Episc: Ruremundensis.
Martinus Delrio Soc: IESV.
Dioscorides Medicus.
Rembertus Dodonæus Medicus
Gvilelmus Durandus Episc: Mimatensis.
Ioannes Eckius Theologus insignis.
Emmanuel Ludovicus PaceIuliensis Soc: IESV.
S. Ephrem Diaconus Edessenus, Eremita.
Epictetus Philosophus.
Gvilelmus Estius Theol: Duacen:
Evagrius Diaconus Constantinop: Historicus
Eusebius Gallicanus.
Eutropius Historicus.
Matthias Faber Soc: IESV.
Petrus Faber,
Everardus Fullonius Soc: IESV
Galenus medicorum Princeps.
Georgewicz.
Gilbertus Genebrardus Ord: S. Bened: Archiepiscopus Aquen: Chronol: & Theol:
Geraldinus.
Gislandus.
Godefridus Viterbiensis Presbyter.
Goropius Becanus.
Bartholomæus Gramondus Historicus Gallicus.
Cornelius Graphæus Alostanus Poëta.
S. Gregorius Turonensis Episcopus.
Iacobus Gretserus Soc: IESV.
Gvilelmus Parvus Ord: Can: Reg: S. Aug: Cantio: interpres.
Gvilelmus Gumpemberg Soc: IESV.
Ioannes de la Haye Servius Soc: IESV.
Hermannus Carthusiensis.
Herrera.
Hesselius Theol: Lovaniensis.

Horatius *Flaccus Pöëta*
Sidronius Hoschius *Soc: IESV.*
Rogerius de Hoveden *Historicus Anglus.*
S. Hyppolitus *M. Episcopus Portuensis.*
S. Ignatius *Episc: Antiochenus M.*
S. Ignatius de Loiola *Fundator Soc: IESV.*
Melchior Inchoffer *Soc: IESV.*
Ioachim *Abbas Ord: S. Bened:*
S. Irenæus *Episc: Lugdunensis M.*
S. Isidorus *Episc: Hispalensis Ord: S. Bened:*
Iulius Firmicus *Astronomus.*
Ioannes Iunior *Ord: Prædic:*
Rabbi David Kimki *Hispanus.*
Athanasius Kircherus *Soc: IESV.*
Albertus Koiałowicz *Soc: IESV.*
Latinus Pacatus.
Lævinus Lemnius *Ziricaus Medicus.*
Aloysius Lipomanus *Episc Veronensis.*
Iustus Lipsius *Orator & Philosophus moralis in Acad: Lovaniens: V. cl.*
Iacobus Lobbetius *Soc: IESV.*
Petrus Lombardus *Magister sententiarum Episc: Parisinus*
Lucanus *Pöëta.*
Flavius Lucius *Dexter Historicus.*
Ioannes Lupardus *Romanus.*
Macarius *Philadelphiensis.*
Ambrosius Macrobius *Vir Coss:*
Dominicus Magrius *Presbyter Melitensis.*
Ioannes Maior *Soc: IESV*
Daniel Mallonius.
Leopoldus Mancinus *Soc: IESV.*
Baptista Mantuanus *Carmelita Pöëta & Theol: celebris.*
Lucius Marinæus *Historicus Hispanus.*
Marcus Marulus *Spalatensis.*
Martyrologium Romanum.
S. Martialis *Episc: Lemovicensis.*
Martialis *Pöëta.*
Andreas Masius *Theol: Belga.*

S. Melchtil-

S.	Melchtildis *Virgo Ord: S. Benedicti.*
Franciſcus	Mendoca *Soc: IESV.*
Ioann: Steph:	Monochius *Soc: IESV.*
Ioannes	Molanus *Theol: Lovanienſis.*
Vicentius	Moles *Medicus.*
Iſidorus	Moſconus.
Ioannes	Nadaſi *Soc: IESV.*
	Nonnus Panopolites.
Claudius	Novet *Soc: IESV.*
Hieronymus	Oleaſter *Ord: Præd:*
Alphonſus	Paleottus *Archiepiſc: Bononienſis.*
Gvilelmus	Pepinus *Ord: Præd:*
Sylveſter	Petraſancta *Soc: IESV.*
	Petrus Cellenſis *Abbas Ord: S. Bened: Ep: Carnot:*
	Petrus Comeſtor *Author hiſtoriæ ſcholaſticæ.*
Michaël	Pexenfelder *Soc: IESV.*
	Plato.
S.	Polycarpus *M. Epiſc: Smyrnenſis.*
	Pontanus.
	Primaſius. *Epiſc: Affricanus.*
	Procopius Gazæus.
Aurelius	Prudentius *Poëta Chriſtianus.*
Franciſcus	Quareſmius *Ord: Min. de obſerv:*
Nicolaus	Radźiwił *Pal: Viln: Peregrinus Terræ Sanctæ.*
Theophylus	Raynaudus *Soc: IESV.*
Staniſlaus	Reſcius *Polonus Abb: Andreov:*
Petrus	Ribadeneira *Soc: IESV.*
Franciſcus	Ribera *Soc: IESV.*
Bartholomæus	Riccius *Soc: IESV.*
	Roas.
Ioannes	Ruellius *medicus.*
	Ruffinus *Preſbyter Aquileienſis.*
Rabbi	Salamon *Iarchi Gallus.*
Iacobus	Salianus *Soc: IESV.*
	Sanctius Avila.
Nicols	Sanderus *Theol: Anglus.*
Carolus	Scribanius *Soc: IESV.*

Venceſla.

Venceslaus		Schweitser *Soc: IESV.*
Cælius		Sedulius *Presb: Scotus Interp: Scriptu: & Poëta.*
		Severianus *Gabalitanus Episc:*
	S.	Sidonius Apolinaris *Arvernensis Episc:*
Hermias		Sozomenus *Græcus Historicus.*
Carolus		Sigonius.
		Stephanus Cantuariensis.
Famianus		Strada *Soc: IESV.*
		Strykowski *Canonicus Samogitiæ.*
		Svetonius *Historicus.*
Laurentius		Surius *Carthusianus.*
Martinus		Szentywany *Soc: IESV.*
Mathias		Tanner *Soc: IESV.*
Ioannes		Thaulerus *Ord: Præd: postea Carthusianus.*
Gaspar		Thausch *Soc: IESV.*
	S.	Thelesphorus *Papa M.*
		Thiepolus.
Petrus		Thyræus *Soc: IESV.*
Andreas		Tiraquellus *Iurisconsultus.*
Iacobus		Tirinus *Soc: IESV.*
Gvilelmus		Tolitus *Medicus.*
Lucas		Tudensis *Episcopus.*
		Valadier *celebris Concionator Gallus.*
Franciscus		Valesius *Medicus Philippi II. Hisp: Regis.*
Gabriel		Vasquez *Soc: IESV insignis Theologus.*
Flavius		Vegetius *Scriptor rei milit: Comes Constantinop:*
		Velleius Paterculus *Historicus.*
		Viennense Concilium sub Clemente V.
	S.	Vincentius Ferrerius *Ord: Præd:*
		Publius Virgilius *Poëta.*
Marcus		Vitruvius *Architectonices Scriptor.*
		Usvardus *Ord: S. Bened: Martyrologus.*
Lucas		Wadinghus *Ord: Min: de Observ: Historiographus.*
Gvilelmus	de	Wael *Soc: IESV.*
Adamus		Webber *Ord: Canonicorum Lateranensium.*
Petrus		Wittfeldt *Soc: IESV.*
		Xenophon

Xiphi-

	Xiphilinus *Patriarcha Constantinop:*
	Zacharias Lexoviensis *Capucinus.*
Ioannes	Zonaras *Ord: S. Basilij Magni Monachus sed Schismaticus.*



In tertia Tetrachordij parte Errata typographica sic corrige.

		Lege
pag: 110. lineâ 1.	in utroq;	ab utroq;
112. lin: 4. à fine	spurinæ	Spurinæ
115. l. 1.	cagitaverunt	cogitaverunt
117. l. penul:	paovidentia	providentia
123. l. 1.	denominata	denominatam
130. l. ult: *post* ut ubi, *adde* maior est perfectio, maior *sit &c.*		
139. l. 21.	interquos	inter quos
145. l. 2.	Licidum	licitum
158. l. 6. à fine	fur eat	fur erat
163. l. 14.	concordie	concordiæ
165. l. 15.	nallus	nullus
171. l. 8.	hic alludi	hoc alludi
173. l. 9.	Bel arminus	Bellarminus
175. l. 2.	nec peccent	ne peccent
177. l. 3. à fine	corde	cordi
187. l. 10.	distinxit	discinxit
201. l. 6. à fine	fugam	fugâ
209. l. 23.	perniciùs	penitiùs
212. l. 8.	ab infirmis	ad infirmis
217. l. 8.	Peetrus	Petrus
224. l. 8. â fine. quos *adde* non peccâsse, sed infeliciter pec: &c.		
226. l. 4. Non tam mihi. *dele* non. *lege* tam mihi quàm vobis &c.		
225. l. 4. à fine	excolunt	excolant
227. l. 8.	Christicidiumq;	Christianicidiumq;
Ibid: l. 15.	intitulatos	intitulatis

232.

232. l. 5.	in tua lucem	in traducem
233. l. 19.	rearguens	redarguens
Ibid: l. 21.	Veritati	Veritatem
242. l. 5. à fine	impietatis	in impietatis
244. l. 19.	paliata	palliata
245. l. 16.	quasi	quàm si
Ibid: l. 26.	monte tessaro	monotessaro
246. l. 11.	Ceiphæ	Caiphæ
247. l. 16.	verborum	verberum
Ibid: l. 18.	atiam	etiam
Ibid: l. 22.	similis	similiter
248. l. 5.	verborum	verberum
Ibid: l. 10. à fine	describentibus *adde*	usurpatum
249. l. 17.	flagellaretur *adde*	& alio loco
251. l. 23.	Pastorem	Pastor
252. l. 3.	paludamentum *adde*	ad
261. l. 15.	*infra*	*intra*
267. l. 22.	lueere	lucere
269. l. 11.	cum	cur
272. l. 18.	in qua *adde*	se
275. l. 17.	Augustinianæ	Augustanæ
278. l. 3.	me moratus	memoratus
281. l. 18.	humeribus	humeris
Ibid: l. 19.	odore	odoro
284. l. 114.	affectus	aspectus
287. l. 7. à fine	ad quod	ad quid
288. l. 1.	tintinabulâ	tintinnabula
Ibid: l. 16.	composita	imposita
305. l. 5.	deitinemur	distinemur
326. l. 19.	mutatum	mutuatum
328. l. 10.	honestati, *adde*	ait
232. l. 17.	accensum	ascensum
241. l. 18.	Gandavensis	Ruræmundensis
242. l. 3. à fine	Modcetiæ	Modòëtiæ
248. l. 5.	Hæereticus	Hæreticus
352. l. ult:	cælo	cæli

369. l. 5.	solùm	solum
406. l. 3.	Christi	Christum
412. l. 4. à fine	verborum	verberum
438. l. 1.	eum	cùm
458. l. 11.	insidio sarum	insidiosarum
459. l. 17. *post*	discursum *adde*	super
461. l. 21.	caosam	cariosam
464. l. 21.	metello	metallo
468. l. 8. à fine	anilium	animalium
484. l. 13.	in horæ	in hora
Ibid: l. 18.	toleratorum	toleratarum
491. l. 8.	petit	stetit
Ibid: l. 10.	æterstum	æternum
534. l. 22.	amyrrhato	à myrrhato
535. l. 3. à fine	propiùs	proprius
542. l. 10.	Marindæ	Marinæo
569. l. 17.	præmisso	permisso
572. l. ult:	&	ut
580. l. 9.	mimio	mimo
608. l. 4.	cæpit	cepit
613. l. 8. à fine	famen	flamen
615. l. 1.	cogi tate	cogitare
616. l. 6. à fine	draphragmatis	diaphragmatis
618. l. 4.	homorem	humorem
619. l. 8.	mortali	mortuali
629. l. 14.	dimandi	dimanandi
643. l. 12.	esse	à se
660. l. 10.	abysso	bysso
682. l. 3.	so litarij	solitarij
697. l. ult:	eumq;	cùmq;
698. l. 20.	visæ	vitæ

Cætera minora ut interpunctiones & accentus omissos perperamve positos Lector benevolus ut facilè advertet, sic æquibonique consulet. Absque his non fit amice liber.



MEDITATIONES, CONSIDERATIONES, & pij affectus erga crucifixum IESUM, & dolorosissimam Matrem ejus.

Etsi hoc totum Tetrachordij *opusculum, piarum considerationum ac affectuum uberem dare possit studioso Lectori materiam: ne tamen quid* Tetraphoniæ *desit in fronte hujus operis promissæ, ex varijs Sanctis, asceticis Authoribus, pijsq; Libellis; (quantum turbatissimum modernum tempus permisit) collectas, præmissâ exhortatione S. Anselmi Archiepiscopi Cantuariensis, hîc exhibemus.*

I.

ANima Christiana, anima de gravi morte resuscitata: 1.
anima de misera servitute Christi sangvine redempta & liberata: excita mentem tuam, memento resuscitationis tuæ, recogita redemptionem & liberationem tuam. Retracta ubi & quæ sit virtus salvationis tuæ? Versare in meditatione ejus: delectare in contemplatione ejus. Excute fastidium tuum: fac vim cordi tuo: intende in hoc mentem tuam. Gusta bonitatem Redemptoris tui,

accendere in amorem Salvatoris tui. Mande favum verborum: suge plusquam mellitum saporem: gluti salubrem dulcorem. Mande cogitando, suge intelligendo, gluti amando & gaudendo. Lætare mandendo, gratulare sugendo, iucundare glutiendo. Meditat: de redempt: generis humani cap: 1.

II.

Ex S. Augustini meditat: c. 6. Vbi repræsentat homo Patri passionem Filij.

1. ASpice Pie Pater Pijssimum Filium, pro me tam impia passum. Respice Clementissime Rex, quis patitur, & reminiscere benignus, pro quo patitur. Nonne hic est, mi Domine, innocens ille, quem, ut servum redimeres, Filium tradidisti. Nunquid non Auctor vitæ hic est? qui, ut ovis ad occisionem ductus, tibiq; usq; ad mortem obediens factus, atrocissimæ non timuit necis genus subire. Recole totius salutis Dispensator, quia hic est ipse, quem etsi ex tua virtute genuisti, meæ tamen infirmitatis participem esse voluisti. Verè hæc est tua Deitas, quæ meam induit naturam; Crucis ascendit patibulum, quæ in assumpta carne triste tulit supplicium. Reduc, Domine Deus meus, oculos tuæ Maiestatis super opus ineffabilis pietatis. Intuere dulcem natum, toto corpore extensum. Cerne manus innoxias pio manantes sangvine: & remitte placatus scelera, quæ patrarũnt manus meæ. Considera inerme latus crudeli perfossum cuspide, & renova me sacro fonte, quem inde credo fluxisse.

2. Vide immaculata vestigia, quæ non steterunt in via peccatorum, sed semper ambulaverunt in lege tua diris

confixa clavis: & perfice gressus meos in semitis tuis, & fac me odio habere benignus omnes vias iniquitatis. Viam iniquitatis amove à me, & fac me, propitius viam veritatis eligere. Oro te Rex Sanctorum, per hunc Sanctum Sanctorum, per hunc Redemptorem mei; fac me currere viam mandatorum tuorum, ut ei valeam spiritu uniri, qui meâ non horruit carne vestiri. Nunquid non attendis Pie Pater adolescentis Filij Charissimi caput niveâ cervice deflexâ pretiosissimum resolutum in mortem? Aspice mitissime Conditor, dilectæ sobolis humanitatem, & miserere super infirmi plasmatis debilitatem.

Candet nudum pectus, rubet cruentum latus, tensa arent viscera, decora langvent lumina, Regia pallent ora, procera rigent brachia, crura pendent marmorea, rigat terebratos pedes beati sangvinis undæ. Specta, gloriose Genitor gratissimæ prolis lacerata membra; & memorare benignus, quæ mea est substantia. Conspicare Dei hominis pænam, & relaxa conditi hominis miseriam. Vide Redemptoris supplicium, & redempti dimitte delictum. Hic est, Domine mi, quem propter peccata populi tui percussisti, licèt ipse sit dilectus, in quo tibi bene placuisti. Hic est ille innocens, in quo dolus non est inventus, & tamen inter iniquos deputatus est. 3.

III.

Ibidem sequ: cap: recognoscit homo se causam esse passionis.

QVid commisisti, dulcissime Puer, ut sic iudicareris? 1.
Quid commisisti amantissime Iuvenis, ut adeo durè tractareris? Quod scelus tuum, quæ noxa tua, quæ causa mor-

mortis, quæ occasio tuæ damnationis? Ego, ego sum tui plaga doloris, tuæ culpa occisionis. Ego tuæ mortis meritum, tuæ vindictæ flagitium: Ego tuæ passionis livor, tui cruciatûs labor. O admirabilis censuræ conditio, & ineffabilis mysterij dispositio! peccat iniquus, & punitur iustus. Delinquit reus, & vapulat innocens. Offendit impius, & damnatur pius. Quod meretur malus, patitur bonus, quod perpetrat servus, exsolvit Dominus; quod committit homo, sustinet Deus. Quò nate Dei, quò tua descendit humilitas? Quò tua flagravit charitas? Quò processit pietas? Quò excrevit benignitas? Quò tuus attigit amor? Quò pervenit compassio?

2. Ego enim iniquè egi, tu pænâ mulctaris. Ego facinus admisi, tu ultione plecteris. Ego crimen edidi, tu torturæ subjiceris. Ego superbivi, tu humiliaris. Ego tumui, tu attenuaris. Ego inobediens extiti, tu obediens, scelus inobedientiæ luis. Ego gulæ parui, tu inediâ afficeris. Me ad illicitam concupiscentiam rapuit arbor, te perfecta charitas duxit ad Crucem. Ego præsumpsi vetitum, tu subijsti aculeum. Ego delector cibo, tu laboras patibulo. Ego fruor delicijs, tu laniaris clavis. Ego pomi dulcedinem, tu fellis gustas amaritudinem. Mihi ridens congaudet Eva, tibi plorans compatitur MARIA. Ecce Rex gloriæ. Ecce mea impietas, & tua claret pietas. En mea iniustitia, & tua liquet iustitia.

3. Quid Rex meus, & Deus meus, quid retribuam tibi pro omnibus quæ retribuisti mihi? Non enim inveniri potest in corde hominis, quod condignè talibus referatur præmijs. Nunquid sagacitas machinari potest humana, cui comparetur miseratio Divina? Nec est creaturæ moliri officium, quo iustè Creatoris recompenset præsidium. Est autem nate Dei in hac tua admirabili

dis-

diſpenſatione, eſt cui fragilitas mea in aliquo ſuppetit, ſi tuâ viſitatione compuncta mens, carnem ſuam crucifigat cum vitijs & concupiſcentijs. Eſt hoc cùm à te conceditur, quaſi iam tibi incipit compati; quia & tu pro peccato dignatus es mori. Sicq; per interioris hominis victoriam, te duce armabitur ad dexteriorem palmam; quatenus devictâ perſecutione ſpirituali, non vereatur pro amore tui ſubjici gladio materiali. Ita exiguitas conditionis, ſi tuæ complaceat pietati, magnitudini valebit pro viribus reſpondere Creatoris. Et hæc cæleſtis medicina, Bone IESV, hoc tui antidotum amoris. Oro te per antiquas miſericordias tuas, infunde vulneribus meis, quo rejectâ viperex contagionis bile reintegret incolumitati priſtinæ; quo guſtato tuæ nectare ſvavitatis, faciat me illecebroſa mundi toto affectu deſpicere, & nulla ejus adverſa pro te formidare, memorq; perpetuæ nobilitatis ſemper faſtidiam ventos hujus tranſitorij timoris.

Nihil (quæſo) ſine te, mihi dulceſcat; nihil compla- 4.
ceat, nihil pretioſum, nihil præter te mihi arrideat ſpecioſum. Vileſcant, obſecro, abſq; te mihi omnia, ſordeant univerſa. Quod tibi adverſum eſt, ſit mihi moleſtum; & tuum beneplacitum, mihi indeficiens deſiderium. Tædeat me gaudere ſine te, & delectet contriſtari pro te. Sit mihi nomen tuum refocillatio, & memoria tui conſolatio: fiant mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte inveſtigando iuſtificationes tuas; ſit bonum mihi lex oris tui, ſuper millia auri & argenti. Sit obedire tibi, mihi amabile; & reſiſtere tibi, execrabile. Rogo te, ſpes mea, per omnes pietates tuas, ut propitieris impietatibus meis. Adaperi aures meas mandatis tuis, & ne declines (flagito) per nomen Sanctum tuum in verba mali-

tiæ cor meum, ad excuſandas excuſationes in peccatis. Peto etiam per admirabilem humilitatem tuam, ne veniat mihi pes ſuperbiæ, & manus peccatoris non moveat me.

IV.

Idem de verbo ad verbum in meditat: S. Anſelmi c. 7. ejusdem S. Aug: verba in Manuali c. 22. de recordatione Vulnerum IESV Chriſti Domini noſtri.

1. Cùm me pulſat turpis aliqua cogitatio, recurro ad vulnera Chriſti. Cùm me premit caro mea, recordatione vulnerum Domini mei reſurgo. Cùm diabolus mihi parat inſidias, fugio ad viſcera miſericordiæ Domini mei, & recedit à me. Si ardor libidinis moveat membra mea, recordatione vulnerum Domini noſtri Filij Dei extingvitur. In omnibus adverſitatibus non inveni tam efficax remedium, quàm vulnera Chriſti. In illis dormio ſecurus, & requieſco intrepidus.

2. Chriſtus mortuus eſt pro nobis. Nihil tam ad mortem amarum, quod morte Chriſti non ſanetur. Tota ſpes mea eſt in morte Domini mei. Mors ejus, meritum meum & refugium meum, ſalus, vita, & reſurrectio mea: meritum meum, miſeratio Domini. Non ſum meriti inops, quamdiu ille miſerationum Dominus non defuerit. Et ſi miſericordiæ Domini multæ, multus ego ſum in meritis. Quantò ille potentior eſt ad ſalvandum, tantò ego ſum ſecurior.

V.

V.

Idem Sanctus in Manual: c. 23. asserit, quòd recordatio Vulnerum Christi est efficax remedium contra omnes adversitates.

PEccavi peccatum grande, & multorum sum mihi conscius delictorum. Nec sic despero, quoniam ubi abundaverunt delicta, superabundavit & gratia. Qui de venia peccatorum suorum desperat, negat Deum esse misericordem. Magnam iniuriam Deo facit, qui de ejus misericordia diffidit. Quantùm in se est, negat Deum habere charitatem, veritatem, & potestatem, in quibus tota spes mea consistit: scilicet in charitate adoptionis, in veritate promissionis, & in potestate redemptionis. Murmuret iam quantùm voluerit insipiens cogitatio mea, dicens: Quis enim es tu? & quanta est gloria illa, quibusve meritis illam obtinere speras? Et ego fiducialiter respondebo: Scio cui reddidi; quia charitate nimiâ adoptavit me in filium: qui verax est in promissione, potens in exhibitione, & licet ei facere, quod vult. 1.

Non possum terreri multitudine peccatorum, si mors Domini in mentem meam venerit; quoniam peccata mea illum vincere non possunt. Clavi & lancea clamant mihi, quòd verè reconciliatus sum Christo, si eum amavero. Longinus aperuit mihi latus Christi lanceâ, & ego intravi, & ibi requiesco securus. Qui timet, amet: quoniam charitas foras mittit timorem. Nullum tam potens est, & tam efficax contra ardorem libidinis medicamentum, quàm mors Redemptoris mei. Extendit 2.

dit brachia sua in Cruce, & expandit manus suas, paratus in amplexus peccatorum. Inter brachia Salvatoris mei & vivere volo, & mori cupio. Ibi securus decantabo: Exaltabo te Domine, quoniam suscepisti me, nec delectâsti inimicos meos super me. Salvator noster caput inclinavit in morte, ut oscula daret suis dilectis. Toties Deum osculamur, quoties in ejus amore compungimur.

VI.

Ex meditationibus B. Anselmi Archiepiscopi Cantuariensis de redemptione generis humani c. 2. Cur sit occulta, & tam diu dilata virtus salvationis?

1. CUr Bone Domine, pie Redemptor, potens Salvator; cur tantam virtutem operuisti tantâ humilitate? An ut falleres diabolum, qui fallendo hominem deiecit de paradyso? Sed utiq; veritas nullum fallit. Qui ignorat, qui non credidit veritatem, ipse se fallit. Qui videt veritatem, & odit, & contemnit, ipse se fallit. Veritas itaq; nullum fallit. An ideo, ut ipse diabolus se falleret? Sed utiq, sicut veritas nullum fallit, ita non intendit, ut aliquis se fallat: quamvis dicatur hoc facere, cum permittit. Non enim assumpsisti hominem, ut te notum operires, sed ut ignotum aperires. Verum Deum, verum hominem te dixisti, & operibus ostendisti.

2. Res per se occultata fuit, non studio occulta; non sic est facta, ut absconderetur, sed ut suo ordine perficeretur; nec ut aliquem deciperet, sed ut quemadmodum oportebat, fieret. Etsi dicitur occultata: non est aliud,

quàm

quàm non est omnibus revelata. Nam etsi veritas non omnibus se manifestat, nulli tamen se negat. Ergo Domine, nec ut falleres, nec ut aliquis se falleret, sic fecisti. sed ut faceres, quod & quomodo faciendum erat, per omnia in veritate perstitisti. Qui ergo se fefellit in tua veritate, non de te, sed de propria queratur falsitate. An diabolus habebat aliquid iustè adversùs Deum, vel adversùs hominem, propter quod Deus priùs deberet adversùs eum pro homine hoc modo agere, quàm apertâ fortitudine: ut dum allectum illum hominem iniustè occideret, iustè potestatem, quam super iniustos habebat, perderet.

Sed certè diabolo nec Deus debebat aliquid nisi pæ- 3.
nam, nec homo nisi vincere. Ita ut quemadmodum ab illo se facilè permisit vinci peccando, ita illum vinceret usq; ad difficultatem mortis iustitiam integram servando. Sed & hoc non nisi Deo debebat homo. Nam non peccavit adversùs diabolum, sed adversùs Deum: nec homo diaboli erat, sed & homo, & diabolus Dei erant. Sed & quod diabolus vexabat hominem, non hoc faciebat zelo iustitiæ, sed nequitiæ; nec iubente Deo, sed permittente: non diaboli, sed Dei iustitiâ exigente. Nihil ergo erat in diabolo, cur Deus adversùs eum ad salvandum hominem, fortitudinem suam celare aut differre deberet.

VII.

Quâ & cujus necessitate se sic humiliavit c. 3. ibid.

AN aliqua necessitas coegit, ut Altissimus sic se humi- 1.
liaret, & omnipotens ad faciendum aliquid tantùm

laboraret? Sed omnis necessitas & impossibilitas ejus subiacet voluntati. Quippe quod vult, necesse est esse: & quod non vult impossibile est esse: Solâ ergo voluntate. Non enim Deus agebat, ut hoc modo hominem salvum faceret, sed humana natura indigebat, ut hoc modo Domino Deo satisfaceret. Non egebat Deus ut tam laboriosa pateretur: sed indigebat homo, ut sic de profundo inferni erueretur. Divina natura humiliari aut laborare non eguit, nec potuit: hæc omnia humanam naturam, ut ad hoc restitueretur propter quod facta erat, necesse erat facere: sed nec illa, nec quidquid Deus non est, poterat ad hoc sufficere. Nam homo ad quod institutus est, non restituitur, si non ad similitudinem Angelorum, in quibus nullum est peccatum, provehitur.

2. Quod est impossibile fieri, nisi omni perceptâ peccatorum remissione: quæ non fit, nisi præcedente integrâ satisfactione: quam satisfactionem talem oportet esse, ut peccator aut aliquis pro illo det aliquid Deo de suo, quod debitum non sit, quod superet omne quod Deus non est. Si enim peccare est Deum exhonorare, & hoc homo facere non deberet, etiamsi necesse esset, quidquid est, quod Deus non est, perire: Vtiq; veritas immutabilis, & aperta ratio exigit ut qui peccat, reddat aliquid Deo pro honore ablato maius, quàm sit hoc, pro quo illum exhonorare non debuit. Quod quoniam humana natura sola non habebat, nec sine debita satisfactione reconciliari poterat: sic nec illa, nec quidquid Deus non est, ad hoc sufficeret.

3. Ne ergo iustitia in regno suo peccatum inordinatum relinqueret, subvenit bonitas Dei, & eam in suam personam assumpsit Filius Dei: ut in ea persona esset homo Deus, qui haberet, quod superaret non solùm omnem essen-

essentiam, quæ Deus non est, sed & omne debitum quod solvere peccatores debent: & hoc cùm nihil pro se deberet, solveret pro alijs; qui quod debebant, reddere non habebant. Pretiosior est namq; vita hominis illius, quàm omne quod Deus non est, & superat omne debitum, quod debent peccatores pro satisfactione. Si enim Filij interfectio superat omnem multitudinem & magnitudinem peccatorum, quæ cogitari possunt extra personam Dei, palam est, quia vita ejus magis est bona, quàm omnia peccata sint mala, quæ extra personam Dei sunt.

Hanc vitam, homo iste, cùm ex debito mori non 4.
debebat, quoniam peccator non erat, sponte dedit de suo, ad honorem Patris; cùm eam sibi auferri propter iustitiam permisit, ut exemplum hominibus alijs daret, iustitiam Dei ab illis non esse deserendam propter mortem, quam ex necessitate aliquando solvere debent; cùm iste, qui eam non debebat, & servatâ iustitiâ vitare posset, eam sibi illatam propter iustitiam, sponte sustineret. Dedit itaq; humana natura Deo in illo homine sponte, non ex debito, quod suum erat; ut redimeret se in alijs, in quibus, quod ex debito exigebatur, reddere non habebat. In omnibus his Divina natura non est humiliata, sed humana est exaltata, nec est illa imminuta, sed ista misericorditer est adiuta.

VIII.

Quomodo dicatur factus obediens, & hujuscemodi, cùm solâ liberâ voluntate hoc fecerit? ibid: c. 3.

NEc humana natura in isto homine passa est aliquid 1.
ullâ necessitate, sed solâ liberâ voluntate. Nec alicui

cui violentiæ ſuccubuit: ſed ſpontaneâ voluntate, ad honorem Dei & utilitatem aliorum hominum, quæ illi malâ voluntate ſunt illata, laudabiliter & miſericorditer ſuſtinuit. Nec ullâ cogente obedientiâ, ſed potenti diſponente ſapientiâ. Non enim illi homini Pater, ut moreretur, cogendo præcepit: ſed ille quòd Patri placiturum & hominibus profuturum intellexit, hoc ſponte fecit. Non enim ad hoc eum cogere potuit Pater, quod ab eo exigere non debuit. Nec Patri tantus honor potuit non placere, quem tam bonâ voluntate Filius ſponte obtulit. Sic itaq; Patri liberam obedientiam exhibuit; cùm hoc, quod Patri placiturum ſcivit, ſponte facere voluit. Deniq; quoniam Pater illi hanc voluntatem bonam dedit, quamvis liberam, non immeritò dicitur, qui eam velut præceptum Patris accepit. Hoc itaq; modo obediens fuit Patri usq; ad mortem. Et ſicut mandatum dedit illi Pater, ſic fecit: & calicem, quem dedit illi Pater, bibit. Hæc eſt enim perfecta & liberrima humanæ naturæ obedientia, cum voluntatem ſuam liberam ſponte voluntati Dei ſubdit; & cum acceptam bonam voluntatem ſine omni exactione, ſpontaneâ libertate opere perficit. Sic homo ille redemit omnes alios, cum hoc, quod ſponte dedit Deo, computat pro debito, quod illi debebant. Quo pretio non ſemel tantùm à culpis homo redimitur, ſed etiam quoties cum digna pænitentia redierit, recipitur. Quæ tamen pænitentia peccati non promittitur. Quod quoniam in Cruce factum eſt, per Crucem noſter Chriſtus nos redemit. Qui ergo ad hanc gratiam volunt cum digno affectu accedere, ſalvantur. Qui verò illam contemnunt, quia debitum quod debent non reddunt, juſtè damnantur.

IX.

IX.

De meditatione circa hoc, & de quo gaudendum circa passionem Christi, ibid. c. 5.

ECce anima Christiana, hæc est virtus salvationis tuæ; 1.
hæc est causa libertatis tuæ: hoc est pretium redemptionis tuæ. Captiva eras, sed hoc modo es redempta. Ancilla eras, & sic es liberata. Sic es exul reducta: perdita restituta, & mortua resuscitata. Hoc mandat homo, hoc ruminet, hoc sugat, hoc glutiat cor tuum, cùm ejusdem Redemptoris tui carnem & sangvinem accepit os tuum. Hoc fac in hac vita quotidianum panem & victum & viaticum tuum: quia per hoc, & non nisi per hoc, & tu manebis in Christo, & Christus in te; & futura vita erit plenum gaudium tuum.

Sed ô Tu Domine, Tu qui ut ego viverem mortem su- 2.
scepisti: Quomodo lætabor de libertate mea, quæ non est nisi de vinculis tuis? Qualiter gratulabor de salute mea, cùm non sit nisi de doloribus tuis? quomodo gaudebo de vita mea, quæ non est nisi de morte tua? An gaudebo de his, quæ passus es; & de crudelitate illorum, quia ea tibi fecerunt? Quoniam nisi illi fecissent, tu passus non esses. Et, si tu passus non esses, hæc mea bona non essent. Aut si de illis dolebo; quo modo de istis, propter quæ illa fuerunt, & quæ non essent, nisi illa fuissent, gaudebo? Sed certè illorum nequitia nihil facere potuit, nisi quia tu sponte permisisti; nec tu passus esses, nisi quia piè voluisti. Illorum itaq; debeo crudelitatem execrari, mortem & labores tuos compatiendo imitari: piam voluntatem tuam gratias agendo amare, ac

sic

ſic ſecurè de bonis mihi collatis exultare.

Varij ac plane innumeri Aſcetarum, innocentiſſimiq́ IESV pro ſalute noſtra paſſi amantium reperiuntur pij affectus in meditationibus, conſiderationibus, ac ſoliloquijs expreſſi. Inter tot tantosq́; devotiſſimos Authores ſat uberem in hac materia proponit copiam religioſiſſimus P. Gaſpar Drużbicki in tractatu de varijs paſſionem Domini noſtri meditandi modis. Vbi tam proprias, quàm aliorum SS. & in hac arte peritiſſimorum Authorum exhibet praxes. Aliquas hîc pio Lectori excerptas ſubijcimus, tum etiam ejusdem devotiſſimi Patris meditationes in totam Quadrageſimam nihil immutando integras adiungimus. Totum hoc poteſt pius Lector ac Meditator pro devoto guſtu ſuo ad placitum uti & accommodare.

X.

S*Anctus Bonaventura opuſculo* 26. *in Parvo bono particulâ* 3. *quod etiam opuſculum vocatur Incendium amoris, exhibet meditandi modum paſſionem Domini expendendo circumſtantias, nempe* 1. Quis eſt, qui patitur? 2. Qualis eſt qui patitur? 3. Quantus eſt qui patitur? 4. Qua de cauſa patitur? 5. Quali formâ patitur? 6. Quanta ſint quæ patitur? Quid ex hoc conſequitur quod patitur? Quæ omnia verbis ejusdem Sancti explicata cognoſcere utile erit.

Pri-

Primò. Conſidera quis eſt qui patitur, & ei ſubdere per rationis aſſenſum, ut credas firmiſſimè ipſum veraciter eſſe Filium Dei, omnium rerum principium, Salvatorem hominum, & Retributorem meritorum omnium.

Secundò. Conſidera qualis eſt qui patitur, & ei configurare per compaſſionis affectum, ſcilicet ut compatiaris ei, tanquam innocentiſſimo, mitiſſimo, nobiliſſimo, & amantiſſimo.

Tertiò. Conſidera quantus eſt qui patitur, & ad ipſum egredere per admirationis aſpectum; & attende, quod ipſe eſt immenſus poteſtate, ſpecioſitate, felicitate, & æternitate. Igitur admirare immenſam poteſtatem annihilari, ſpecioſitatem decolorari, felicitatem tormentari, æternitatem mori.

Quartò. Conſidera quâ de cauſa patitur, & te ipſum obliviſcere per devotionis exceſſum; quia patitur pro tua redemptione, illuminatione, ſanctificatione, & glorificatione.

Quintò. Conſidera quali formâ patitur, & ipſum induere per aſſimilationis amictum; paſſus eſt enim ſicut verus Agnus libentiſſimè reſpectu proximi, ſeveriſſimè reſpectu ſui: obedientiſſimè reſpectu Patris, prudentiſſimè reſpectu adverſarij. Stude igitur ad habendum habitum, ſecundùm effigiem imitationis Chriſti, ſcilicet benignitatis, ſeveritatis, humilitatis, & perſpicacitatis.

Sextò. Conſidera quanta ſint quæ patitur, & Crucem amplectere per paſſionis deſiderium; ut ſicut Chriſtus paſſus eſt vincula ut impotens omnipotentia; convitia ut vilis bonitas; ludibria ut ſtulta ſapientia; & ſupplicia ut iniqua iuſtitia: ſic & tu conſidera, & amplectere paſſionem Crucis, hoc eſt paſſionem plenam iniurijs in rebus, contumelijs in verbis, ludibrijs in ſignis, ſupplicijs in tormentis.

Septi-

Septimò. Confidera quid ex hoc confequitur quod patitur, & veritatis radium intuere per contemplationis oculum; quoniam ex hoc quòd Agnus paffus eft, feptem libri fignacula aperta funt. Liber ifte eft univerfalis notitia rerum, in qua feptem erat claufa homini, quæ quidem funt per paffionis Chrifti efficaciam referata. Scilicet 1. Deus admirabilis. 2. Spiritus intelligibilis. 3. Mundus fenfibilis. 4. Paradyfus defiderabilis. 5. Infernus horribilis. 6. Virtus laudabilis. 7. Reatus culpabilis.

Primò. Deus admirabilis manifeftatus eft nobis per Crucem, effe fummæ & infcrutabilis fapientiæ, fummæ & irreprehenfibilis iuftitiæ, fummæ & inenarrabilis mifericordiæ. Summâ enim fapientiâ fuâ decepit diabolum, fummâ fuâ iuftitiâ quæfivit redemptionis pretium. Summâ fuâ mifericordiâ pro nobis tradidit Filium fuum: quæ fi diligenter confiderentur Deum nobis clariffimè & chariffimè manifeftant.

Secundò. Spiritus intelligibilis nobis manifeftatus eft per Crucem, fecundùm differentiam triplicem: fcilicet. Quantæ fit benignitatis quantùm ad Angelos? Quantæ fit dignitatis quantùm ad homines? Quantæ fit crudelitatis quantùm ad dæmones? Nam Angeli permiferunt crucifigi Dominum fuum. Dei Filius crucifixus eft propter genus humanum; & hoc ad crudelem fuggeftionem dæmonum.

Tertiò. Mundus fenfibilis nobis manifeftatus eft per Crucem, quoniam locus eft tenebrarum plenus, in quo regnat cæcitas, quia lucem veram & fummam non cognovit, regnat fterilitas, quia IESVM Chriftum tanquam infructuofum defpexit, & regnat impietas, quia Deum & Dominum fuum, & amicum, & innocentem damnavit, ac interfecit.

Quartò. Paradyſus deſiderabilis nobis manifeſtatus eſt per Crucem, in quo eſt faſtigium totius gloriæ, ſpeculum omnis lætitiæ, & promptuarium omnis opulentiæ. Vnde Deus propter illam habitationem nobis reſtituendam, factus eſt pro nobis homo; ſcilicet vilis, miſer, pauper, in quo celſitudo abiectionem induit, iuſtitia reatum ſubijt, opulentia egeſtatem ſuſcepit, nam altiſſimus Imperator accepit ſervitutem abiectam, ut nos ſublimaremur in gloriam. Iuſtiſſimus Iudex ſubijt reatum pænaliſſimum, ut iuſtificaremur à culpa. Opulentiſſimus Dominus ſuſcepit egeſtatem extremam, ut locupletaremur in copia.

Quintò. Infernus horribilis manifeſtatus eſt nobis per Crucem, locus utiq; plenus omni egeſtate & penuriâ, vilitate & ignominiâ, & omni calamitate & miſeriâ: unde ſi neceſſe fuit Chriſtum hæc pati propter peccati deletionem, multò fortiùs hæc oportet pati damnatos propter iuſtam meritorum ſuorum retributionem.

Sextò. Virtus laudabilis eſt nobis manifeſtata per Crucem, quantùm ſcilicet ſit pretioſa, ſpecioſa, & fructuoſa. Verè pretioſa, quia Chriſtus voluit potiùs vitam corporalem perdere, quàm virtuti contraire. Verè ſpecioſa, quæ in ipſis contumelijs relucebat. Verè fructuoſa, quia unus actus perfectæ virtutis infernum ſpoliavit, cælum aperuit, & perdita reſtauravit.

Septimò. Reatus culpabilis manifeſtatus nobis eſt per Crucem, ſcilicet quantùm ſit deteſtabilis, cùm ad ſui remiſſionem indigeat, tam magno pretio, tam grandi piaculo, & tam difficili medicamento. Ecce igitur habes, quomodo in Cruce omnia manifeſtantur, (ſeu ſeptem ſignacula libri ſolvuntur.)Si bene ad hæc ſeptem reducantur. Hactenus S. Bonaventura, ſuo quidem mo-

do cum multiplici distinctione, sed simul cum inflammata claritate, nec-non cum admirabili materiæ meditandæ fœcunditate.

XI.

Eundem modum per circumstantias meditandi passionem Dominicam hâc ratione disponit R. P. Drużbicki.

15. *Primò.* Considera, *Quis patitur?* Deus homo, Christus IESVS, quatenus Deus, infinitæ dignitatis & Maiestatis, sapientiæ, omnipotentiæ, bonitatis, cui omnis honor & gloria debebatur ab omni creatura propter excellentiam, propter beneficentiam, propter omnipotentiam, propter omnidominium & regnum, propter independentiam, propter plenitudinem, infinitudinemq́, omnis perfectionis, propter immensitatem essentiæ, &c. Quatenus homo infinitæ item propter unionem hypostaticam cum Verbo dignitatis, gratiarumq́; tam naturalium quàm supernaturalium possessionis: utpote in quo plenitudo Divinitatis inhabitavit corporaliter, & omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei reconditi fuerunt, accessit dignitas supremi inter Deum & hominem Mediatoris, summi item Sacerdotis atq́; Pontificis, Regis quoq́, Regum, & Domini Dominantium, Primogeniti omnium creaturarum, earumq́; hæredis, Iudicis etiam vivorum ac mortuorum. Accessit præterea sanctitas non per gratiam, sed per ipsius Divini Verbi sanctitatem, Innocentia quoq́; & impeccabilitas; tum verò bonitas, omnis malitiæ & peccati expers. Beneficentiæ

verò

verò in omnes infirmos, & à diabolo oppressos. Accessit gratia Messiæ, Fundatoris & Fundamenti Ecclesiæ Dei, Sancti quoq; Sanctorum, Doctoris iustitiæ ac veritatis, Principis pacis, & Patris futuri sæculi, Prophetæ, Magni consilij Angeli, Principij & Finis; Viæ veritatis, & vitæ Ostij, Pastoris boni, Pastorumq; Principis ac Legislatoris: morum, Sacramentorum & sacrificiorum Institutoris. Accessit titulus Redemptoris, Amici, Patrisfamilias, Sponsi, Patris, Fratris, Imperatoris, Præmiatoris, Exemplaris, Glorificatoris. Accessit deniq; nomen & res Vnigeniti Filij Dei, nec-non in via Comprehensoris tamen ac Beati. Hæc omnia erat & est Christus qui patitur. Ex quo indignitas iniuriositasq; passionis ejus in immensum excrescit. Qui enim summo honore, amore, observantiâ, delicijs, gloriâ fuit plusquam dignissimus, propter supra dicta bona sua: is omnia opposita, omnia extremè indigna ab hominibus patitur.

Secundò. Considera. *Quid patitur?* Patitur ingratitudinem, contemptionem, conspirationem, proditionem, dolositatem, & fraudulentiam, calumnias, contumelias, mendacia, convitia, falsa testimonia, oppressionem, vim, adiurationes, execrationes, odia, ignominias, verbis, factis, signis expressas. Derelictionem & abnegationem, tormenta & dolores totius corporis, ejusq; membrorum, percussiones, livores, vulnera, ereptionem bonorum, & spoliationem usq; ad omnimodam nuditatem, vincula, catenas, carceres, condemnationem ad supplicia & mortem, irrisiones, infamationes, detractiones, insultationes, exprobrationes, blasphemias, exultationes de suis malis, mortem deniq; violentissimam, turpissimam, crudelissimam, tum ex suo genere, tum ex hostium exaggeratione.

Tertiò. Confidera. *In quo patitur?* Patitur in Divinitate, non quidem ita, quafi Divinitas impatibilis & inviolabilis læfa fit. Sed quia humanitas patiens ac violata Perfonæ Divinæ hypoftaticè unita ob idq; Theandrica eft: ideo humanitatis læfiones, Perfonæ erant læfiones, & ita paffus, cruciatus, defpectus, crucifixus, mortuus eft Deus, non tantùm per redundantiam, & quafi concomitantiam, fed abfolutè per identitatem perfonalem Humanitatis & Verbi, Hominis cum Deo, feu potiùs Hominis Dei. Patitur ergo Chriftus in Divina fua natura, Perfona, Dignitate, Maieftate, aliaq; omni perfectione, & excellentia. Patitur præterea in Humanitate, in corpore, in anima, in paupere facultatula, in amicis, & confangvineis, in Matre, & Difcipulis, & benefactoribus. In bona fama, in libertate, in omnibus partibus & fenfibus corporis. In omnibus viribus, potentijsq; animæ. In bonis fortunæ, & animi, in fanitate & valetudine, in robore & virtutibus, in rebus geftis, in beneficijs præftitis, in vita deniq; fibi crudeliter iuxta & probrofè erepta.

Quartò. Confidera. *Quomodo patitur?* Patitur fciens, volens, imò cupiens & ardens ex parte fua, patitur iniuftè, impiè ex odio & invidia, & contemptu fui, apud hoftes, homines, ac dæmones, quantùm ex parte ipforum. Patitur ex amore Patris æterni, & ex obedientia ac reverentia erga ejus voluntatem, ex miferatione quoq; fuper nos omnes peccatores,& ingratos, indignosq; ac natura iræ filios, & diaboli, atq; peccati fervos. Patitur ex malitia noftrùm omnium, qui noftris fceleribus ejus Paffioni & morti caufam (quantùm ex nobis plane neceffariam, quia aliàs viribus creatis nullis unquam fuperabilem)dedimus ex parte noftra. Patitur ex odio fuo

quod

quod immensum, & quà Deus, & quà Homo, habet adversus peccatum, deleriq́, illud & penitus aboleri à facie Dei desiderat, proq́; illo Iustitiæ Paternæ ad rigorem, quin etiam ad excessum satisfacit. Patitur animo fortissimo, constantissimo, perseverantissimo, sitibundissimo, & plane in gratiam Patris sui, inq́; amorem nostri insatiabilissimo. Patitur deniq́; cum maximarum, atq́; adeo prorsus omnium virtutum heroico, & per nullam imitationem humanam adæquando exercitio atq́, exemplo.

Quintò. Considera. *Quare patitur?* Patitur quippe sine ulla sua causa, seu culpa, sine coactione ab aliquo, sine commodo aut necessitate propria: verùmtamen patitur pro totius mundi peccatis tollendis, æternisq́; pœnis abolendis, pro reconciliando nobis Patre æterno, pro reperiendo nobis paradyso, seu cælo, pro rabie diaboli reprimenda, & potestate, atq́, tyrannide expugnanda, pro obedientia erga Patrem, pro nostro exemplo, pro figurarum & prophetiarum expletione.

Sextò. Considera. *Pro quibus patitur?* Non utiq́; pro Angelis: *Neq́; enim Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ.* Hebr: 2. 16. Patitur ergo pro humano genere universo, patitur pro his, à quibus patitur; patitur pro sceleratis, pro ingratis, pro indignis, ac vilissimis. Patitur pro ipsis etiam iam ante damnatis & in inferno positis, atq́; pro gratijs illis bonisq́; & auxilijs omnibus, quæ unquam in vita sua à Deo acceperunt, quibusq́; in contumeliam Dei, & in perditionem suam sponte abusi sunt, & quæ respectu futurorum suorum meritorum ipsis concessa fuerunt, nunc Patri exolvit pretium.

Septimò. Considera. *A quo patitur?* Patitur à Patre suo æterno, à quo *propter scelus populi sui traditus est.* Isai: 53. Patitur à sua ipsius voluntate, quoniam *oblatus*

est, quia ipse voluit. Ibid: Patitur ab omnibus dæmonibus, & ab omni potestate tenebrarum. Patitur ab omni hominum genere & conditione, statu, ætate, convenerunt enim Principes terræ adversùm Dominum, & adversùm Christum ejus. Patitur ab omnibus vivis mortuisq́; quorum omnium peccatis crucifixus est. Non enim pro aliquorum solùm, sed etiam pro totius mundi peccatis & salute mortuus est Christus. Patitur ab omni creatura & elemento.

Octavo. Considera. *Quando patitur?* Patitur in ætatis flore, & in annis vitæ maximè vividis. Tempore anni sacratissimo apud suam gentem, atq́; mysterijs solennissimo, & concursu frequentissimo. Horâ diei meridianâ, in luce & oculis omnium. Tempore quo Deus Hebræis sicut maxima præstiterat beneficia; sic ab ijsdem maximè laudari honorariq́; debuerat, in cujus locô extremis est contumelijs, iniurijsq́; ac demum morte horrendâ exceptus, & interfectus.

Nonò. Considera. *Vbi & quo loco patitur?* Patitur in loco Vrbis & Regionis, & Orbis sacratissimo, celeberrimo, miraculis, figuris, prophetijs, cælestibus donis ornatissimo. Patitur ubi est Adam conditus, ubi Isaac immolatus, ubi sedes Regum, ubi Templum, ubi caput Religionis Sanctæ. Vbi stupendis miraculis Christus se celebrem fecerat in doctrina. Patitur in Horto Montis Oliveti, in domo Annæ & Caiphæ, in carcere & obscuro fætidoq́; specu: patitur in Prætorio Pilati, in Palatio Herodis, in plateis & foris Ierusalem. Patitur in Monte Calvario. Patitur deniq́; in alta Crucis trabe, tanquam in totius terræ theatro, atq́; medio.

Decimò. Considera. *Quibus auxilijs patitur?* Patitur verò nullis auxilijs, solatijsve sublevatus; ne Pa-

ternis quidem: quod ſatis oſtendit illa in horto Agonia, illa repulſio Petri ad ſui defenſionem proſilientis, cui dixit, *An putas quia non poſſum rogare Patrem, & exhibebit mihi modo plusquam duodecim legiones Angelorum?* Matth: 26. Oſtendit verò eam omnis ſolatij privationem illa vox maximè ad Patrem *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me?* Matth: 27. Quod etiam ipſi hoſtes improperant ei dicentes, *Confidit in Deo, liberet nunc ſi vult eum.* Ab omnibus ergo deſertus patitur, etiam à ſemetipſo, quoniam in pœnis ſuis, ſuâ etiam voluntate, atq; virtute Divinâ, ad hoc ſolum, & unum, ſe juvit, ut durare in pœnis poſſet, robur quidem conſervans, ſed ſolatium omne ſubtrahens, quod genus auxilij ad majores tantum productioresq; ſervivit cruciatus, non autem ad mitiores. Vnde nec vinum myrrhatum voluit bibere, & mulieres ſuper ſe lamentantes removit à collachrymatione. Et ita impletum eſt, quòd hac de re ab Iſaia prædictum fuerat. *Circumſpexi, & non erat auxiliator; quæſivi, & non fuit qui adiuvaret; & ſalvavit mihi brachium meum, & indignatio mea ipſa auxiliata eſt mihi.* Iſaiæ 63. 5.

Ex hiſce omnibus Dominicæ Paſſionis circumſtantiarum generibus, plurima morum virtutumq; tam documenta, quàm exempla, plurima omnis generis affectuum materia, plurima propoſitorum poſtulationumq; varietas & ſeges erui poteſt.



XII.

XII.

Sequens Consideratio ejusdem R. P. Družbicki si longior alicui videbitur, potest illam per partes in singulas Hebdomadæ dies dividere. Singulis autem vicibus

CONsiderandum 1mò. CHRISTI Domini passiones atq; injuriæ assumptæ eo ordine, quo ab Evangelistis Christo describuntur, irrogatæ. 2dò. Vitia & peccata hominum, quæ specialiùs & directiùs videantur fuisse causa malemeritoria, prædictarum Christi passionum injuriarumq; & quæ sint ijsdem passionibus à Christo expiata. 3tiò. Virtutes in ijsdem passionibus ac injurijs Christi, seu potiùs in ipso Christo eas patiente, singulariùs elucescentes, nobisq; ad exemplum & doctrinam propositæ.

Quod sic declaratur.

Die Dominicâ.

I. Christus cæpit pavere, tædere, contristari, & mæstus esse, fuitq; Anima ejus tristis usq; ad mortem. Hæc Christus subijt propter nostras passionum immortificationes, concupiscentiarum rebelliones nobis familiares, & infinitorum peccatorum matrices. Timemus non timenda, non timemus timenda, &c. In his pænis elucet Christi dominium, in suas propassiones & affectus: quibus semper usus est ex dictamine prævio rationis; ex rationibus æternis, ex voluntate Patris cælestis, atq; ita hîc habemus propositum ad imitandum exemplar mortificatio-

nis passionum, & dominij affectuum nostrorum.

II. Oravit Christus inter summas afflictiones tam præsentes, quàm mox imminentes, & oravit constanter, instanter, repetitò flexis genibus, imò facie in terram: oravit modo perfectissimo, cum omnimoda resignatione. Hoc Christus egit & subijt pro nostra ad orandum Deum tarditate & raritate, pro nostra in orando tepiditate, oscitantia, inconstantia, diffidentia, pro nostra in creaturis potiùs fiducia, quàm in Dei auxilio, pro nostris etiam ad dæmonum auxilium recursibus, potiùs quàm ad Deum, pro nostris irresignationibus inter orandum, pro nostra in adversis impatientia, murmuratione in Deum. Elucet in his heroicus modus, usus, conatus, fructus orandi, ad Deumq́; confugiendi; hunc discamus, & imitemur.

III. Christus factus in agonia sudat sangvinem. Hoc Christus subijt pro nostra laborum difficultatumq́; & incommoditatum fuga, pro pusillanimitate & mollitie, pro tepiditate in agendo & patiendo: pro exiguitate pænitentiarum & satisfactionum pro peccatis, pro nostris conatibus & fatigationibus in via propriæ voluntatis, & carnis, & diaboli, & omnis iniquitatis. Elucescit heroicus & admirandus conatus in laborando pro Dei gloria, pro nostra proximorumq́; salute, pro vincendis tentationibus & impugnationibus, ut usq́; ad sangvinem resistamus, usq́; ad defatigationem Christo serviamus.

IV. Christus ab Angelo confortatur. Nostram retundens superbiam, contumaciam, arrogantiam, stultitiam, quâ dedignamur: vel à sapientioribus maioribusq́; ipsis instrui, consilium petere, vel accipere: malumusq́; errare quàm discere, pergere in erroribus, delictis, præcipitijsq́; quàm videri ab aliquo instructi, vel alicujus indigi fuisse.

Docet nos Christus veram mansvetudinem & mititatem, humilitatemq; cordis, quo se etiam minoribus, etiam simplicioribus submittit, sensumq; suum facilè relinquit. Docet nos amorem, gratitudinem, obedientiam, reverentiam erga Angelos nostros, quos Deus vel custodiæ nostræ ordinariæ, vel instructioni extraordinariæ destinare dignatur.

V. Christus licèt ipse afflictissimus & angustiatissimus, ad suos tamen revisit, excitat eosdem ad orandum, vigilandum, tentationibus resistendum adhortatur. Taxat, expiatq́, Christus nostram tum de nobis ipsis, tum de nostræ curæ commissis supinam oscitantiam, Dei causas relinquimus, ad nostra studia quotidie vacamus. Dissimulamus fratres, filios, proximos nostros perire. Cadit asina, & est qui sublevet, cadit anima, & non est qui respiciat. *Consuimus pulvillos*, Ezech: 13. 18. & cubitis peccantium supponimus. Docet Christus sic contemplationis & MARIÆ studijs vacare, ut Marthæ negotia non negligantur: sic vacemus nobis, ut non desimus proximis, sed Deum etiam propter Deum aliquando relinquamus. Mansvetissimis etiam verbis & modis IESVS suos excitat: neq; charitativam monitionem asperitate verborum corrumpit. Ostendit etiam non esse satis, ut Deus pro nobis vigilet, alijve nisi & nos vigilemus, & oremus: & operam nostram opi Divinæ subiungamus.

VI. Christus hostibus obviam procedit. Nos neq; in eam partem torquere dignamur oculos, quâ hostem comparere credimus. Timor noster pusillusq; in adversis ac arduis quantumlibet longè positis animus à Christo arguitur. Docet autem Dominus veram nos fortitudinem, in Deumq; erectam fiduciam: qui in minimis

sese

ſeſe vincit, ad obſiſtendum etiam magnis difficultatibus, moleſtijsq; animum; imò & corpus firmat.

VII. Chriſtus Iudam proditorem & proditionem agere ſciens, & amici nomine, & oſculo, & Paternâ dignatur monitione. Quotidie nos proditionis opera exercemus in Chriſtum, in virtutem, in conſcientiam, in noſtram profeſſionem, inconſtanter, malignè, tepidè, diſſimulanter agendo. Diſcamus invincibilem manſvetudinem, & non vinci à malo, ſed in bono malum vincere, diſcamus etiam de deſperatiſſimis filijs, ſubditis, proximis, non deſperare, ſed eos in ſpiritu lenitatis ferre, ſanare, monere, pro eis orare, plùs illorum malitiâ quàm noſtrâ injuriâ dolere: imò hanc neſcire, ut illi medicinam poſſimus facere. Multos ægros occidunt medici corporales: ſed non tot quot medici ſpirituales ignorantiâ, ac præcipuè aſperitate curationis. Ama, & dic quod vis.

Feriâ Secundâ.

VIII. Chriſti diſcipulus Iudas fit proditor Magiſtri: & per oſculum quidem atq; Magiſtri ſalutationem. Habet ſuam hic effigiem hypocriſis, adulatio, ingratitudo, inſinceritas, politiciſmus, perfidia, obſtinatio in malo, & excæcatus cupiditate animus. Tanti eſt minimarum rerum cupiditatibus non obſtitiſſe, fur erat Iudas minutarum rerum, infidelisq; diſpenſator commiſſorum fidei ſuæ; profecit ergo usq; ad proditionem Magiſtri & Domini ſui. O verè *radix malorum cupiditas!* ô verè *qui volunt divites fieri, incidunt in laqueum diaboli & deſideria nociva.* 1. *Tim:* 6. 10. 1. *Tim:* 6. 9. Advertamus in ſanctiſſima diſciplina atq; ſtatu in peſſima profi-

cere solere, qui in optima non nituntur. Vbi Ioannes optimus fuit, ibi Iudas pessimus evasit. Non ergo sanctitate status & professionis gloriemur, sed vitæ morumq; integritate statum & professionem exæquemus, alioqui in professione sancta, vita mala, bis, imò ter mala est, quia ferè desperata est.

IX. Ad vocem Christi (ego sum) hostes abeunt & cadunt retro. Quâ voce allici debuere, eâ repulsi sunt: quâ voce stabiliri solebant Discipuli, & manserunt, audîere hostes, & abierunt; atq; ceciderunt retro. Hoc est scilicet habere cor durum: hoc est esse gravi corde: hoc est illud: *Qui non est mecum, contra me est: & qui non congregat mecum, spargit*. Matth: 12. 30. Obstinatio in malo cæcitatis est mater, consummatio perditionis.

Docet Christus adversitates in adversarios recidere, & ijs, maximè solisq; graves ac exitiales esse: potest Deus amara nostra repellere vel solo verbo: si tamen id non facit, non ideo in impatientiam eundum est. Omni peccatori dicit Deus, *ego sum*. Sed quidam ad Deum veniunt, & proni cadunt, ut David, peccavi, miserere: quidam à Deo fugiunt, & retro cæcè corruunt: ut Caim, Saul, Iudæi, Iudas.

X. Christus datâ in se potestate, capitur à potestate tenebrarum. Omnis qui peccat, arbitrij sui voluntate peccat, & Christum in potestatem tenebrarum secum unà tradit: procul enim à luce est, qui in peccatis est. Captivat Christum omnis, qui inveterascit in peccatis suis, & ex voluntate necessitatem sibi peccandi inducit. Captivitate quoq; suâ Christus carpit inordinatam nostram libertatem, ejusq; amorem.

Docet subjectionem captivitate suâ Dominus. Si enim non dedecuit Christum propter nos capi, nec nos dede-

dedecet propter Christum subiici.

XI. Christo relicto Discipuli fugiunt omnes. Socij mensæ multi, & inconstantes facilè sunt: socij vinculorum, compedum, Crucis, nullus est. Inconstantia, mutabilitas, cognatum humanæ fragilitati malum est: fugere à Christo capto, humiliato, nobis quotidianum est. O quàm miseri sunt profectus! quàm fragiles firmitates nostræ! si vel capiatur tantùm nobis Christus, si tantillum solita nos deserat consolatio, Deive præsentiæ gustus continuò relicto Christo fugimus omnes.

Audeamus aliquando sumptu nostro servire Deo, subtracto etiam consolationis lacte: & condiscamus tunc maximè adhærere Christo, quando maximè instant qui nos avellant à Christo. Avellere ab illo nemo potest, nisi volentes avelli, nisi parùm benè adhærentes; infirmè adhærent, qui spe tantùm successûs adhærent: qui suâ virtute nixi: qui proprij cujuspiam solarij, honorisq; intuitu adhærentes. Ille firmiter adhæret, qui sibi diffisus, gratiæ autem innixus, non tantùm pati vult cum Christo, sed etiam ideo pati vult, quia adhæret Christo: maximè autem ille, qui pati vult, tanquam non adhæreret Christo.

XII. Petrus gladio defendens Christum. Hic zelus est non secundùm scientiam, hoc est nescire cujus spiritûs sis, hoc est noxiè pro innocentia sua alienave zelare: hoc est nescire tempora agendi & patiendi.

Zelus omnis, maximè autem iustus mansvetudine armandus est, hunc gladium si non habet, ferire & perdere potest, sanare & salvare non potest. Pius Samarita vinum oleo temperat.

XIII. Examen Christi apud Annam de doctrina, de Discipulis. Profunditatem cordis & occultationem nostri

ſtri redarguit Dominus: laboramus hoc malo & multi & perniciosè vulnera carnis niſi pateant curam non habent: vulnera mentis niſi manifeſtentur, ruinam animæ accelerant. Nemo ſibi in ſua cauſa ſapiens ſatis eſt. Chriſtus ipſa Sapientia examen ſubijt, nos qui filij ſtultorum, & ipſa ſtultitia ſumus, à ratione noſtri reddenda abhorremus. Et quòd miſeriùs ſtulti usq; eſt: cum alibi noxiè, & ſine fructu de malis noſtris gloriemur, apud Chriſti Vicarios perditè erubeſcimus, & latere gaudemus.

Amare nos docet IESVS claritatem conſcientiæ, cordisq; perſpicuitatem. Nullâ enim ratione certiores ſumus de regimine Dei providentiaq; circa nos.

Feriâ Tertiâ.

XIV. Alapa infligitur reſpondenti IESV à miniſtro aſſiſtente. Hæc alapa adulationis, præcipitationis, inſcitiæ, temerarij iudicij, procacitatis eſt. Eſt & eorum, qui quæcunq; ignorant, blaſphemant, quid enim ſervulus iſte de Chriſti reſponſo iudicaret?

Diſceremus ô utinam ab hac Chriſti iniurioſa alapa iudicium noſtrum frenare, cohibere, regere, & dum res non planè liquet ſuſpenſum tenere. Omnibus diebus experimur, & ſæpiùs etiam nos iudicio noſtro falli, aliamq; longè conſilij & facti alieni rationem, quam nos opinabamur deprehendimus fuiſſe, neq; tamen ab hac experimenti aſſiduitate verecundiam iudicij noſtri diſcimus, frenumq; cenſuris ponimus. Diſcamus etiam pati cenſuras & iudicia aliena; & manſvetudine indignationem frenare. Quid ſit difficiliùs virtuti ferre iudicium ab alijs, an non ferre iudicium de alijs valde ambigi poteſt.

XV. Falſis teſtibus Chriſtus oppugnatur. Impotentiâ iræ, ac odij, invidentiâ alieni boni, mendacia, calumniæ, convitia, periuria, iuſtitiæ, ac æquitatis perverſio, impotentia affectûs, ſicut omnia in Chriſtum exeruêre vires ſuas: ita per ejusdem innocentiam & patientiam amiſêre vires ſuas.

Veritati & innocentiæ inniti tutiſſimum eſt. Iniquitas & falſitas ipſa ſe evertit, maximè quando patientia, & modeſtia, & oratio ejus fluctibus opponitur.

XVI. Chriſtus adiuratus per Dei nomen reſpondet. Mendacia noſtra, periuria, occultationes noſtrî, & aliorum iniquas adiuratione ſui Chriſtus punivit. Reverentiam & confeſſionem Divini nominis etiam cum periculo proprio faciendam docuit.

XVII. Chriſtus reus mortis. Hâc in Chriſtum cenſurâ decretoriâ palpata eſt nequitia potentis ab inferioribus & adulatoribus. Temerarium etiam iudicium quid poſſet, probavit; nec-non voluntarius error, & placendi ſtudium, metus diſplicendi, & pro æquitate ſententiam ferendi. Et quòd hiſce malis inter nos familiariùs, maximè quando cauſa agitatur Chriſti, eſto quidem innoxij, ſed tamen odioſi, pauperculi, derelicti, adiutorem & protectorem non habentis: propter veritatem, propter noxas noſtras, vitâ, moribus, verbisq; reprehenſas, in odium magnatum adducti.

Non curanda hominum quantumvis dura & firma, communiaq; iudicia, innocentiam docet damnatus innocens IESVS, ſed neq; ut evitari poſſint ulli virtuti ſperandum eſſe, exemplo inſtruit idem IESVS. Quæ enim virtus tam alta ſit, ut ad eam vel dens, vel oculus, vel afflatus livoris non pertingat, quando ad Altiſſimi ipſius virtutem pertingit. Quin imò optandas eſſe virtuti cen-

ſuras invidorum docuit IESVS, qui in his etiam beatitudinem virtutis ſitam veritatis ore aſſeruit. *Beati eritis, cùm maledixerint vobis homines propter nomen meum.* Matth: 5. 11.

XVIII. Petrus Chriſtum negat in medio aulæ & militum. Pravæ familiaritatis, & aulicæ converſionis hi ſunt fructus. Negare Chriſtum, mentiri, pejerare, de malis in pejora ruere, virtutis profeſſionem erubeſcere. Neq; proſunt gallicinia quidquam, niſi oculi IESV accedant cor vulnerantes, & foras eijcientes de medio nationis pravæ.

En quàm proficuum recordari verborum IESV! quàm ſalubre in oculis eſſe IESV! Petri glaciem quam neq; ignis, neq; prunæ, neq; galli cantus ſolvere poterant, una recordatio, unus oculi ictus, in lachrymas fluere fecit.

XIX. Nocturnæ iniuriæ: quando Chriſtus infinita nefanda paſſus conſputationes faciei, alapas, colaphos, conculcationes, genarum lacerationes, ſannas, blaſphemias, pugnos, tormenta, omnem deniq; poteſtatem tenebrarum.

Præivêre maiores ad ſcelera: & mox inferioris turbæ fæx, quaſi ruptis repagulis, ſolutisq; habenis per omnia facinora exundavit: væ Principibus nequitiarum, omnia ſcandala gravia ſunt, ſed quæ à maioribus ortum ſumunt, ea ſolent eſſe maximè prægnantia & fæcunda. Nocturnæ quoq; impuritates, tenebrarum filiæ, quantùm audere ſoleant contra Deum, oſtenderunt auſis hiſce ſuis in Chriſtum.

Habemus manſvetudinis Chriſti tot inter nefandas indignitates invictæ ſpecimen: habemus humilitatis plùsquam ſtupendum in tanta dignitate argumentum. Quid

iam homuncio intoleranda & nimia ſe perpeti quæritur? quid ſe nimium humiliari dolet? conferat ſe ſuaq́; cum Chriſto, & reperiet ſe guttam contuliſſe Oceano.

XX. Iudæi Chriſtum prædamnatum à ſe, Pilato damnandum offerentes, metuunt contaminari ingreſſu prætorij.

O ſtulta malitia! ô hypocriſis maledicta! *excolans culicem, glutiens camelum:* Matth: 23. 24. Non metuit contaminari ſangvine innocentis, metuit ingreſſu domûs inquinari gentilis. Verè ſimulata ſanctitas, duplex iniquitas.

Tunc valde laudabiliter errata minima vitantur, quando etiam ab enormibus delictis abſtinetur: ſed audacem eſſe ad perpetranda gravia, ſcrupuloſum ad minuta, hoc ſicut iniuriam Dei multiplicat, ita viciſſim meritam iram pænamq́; exaggerat. A magnis ergo peccatis procul abeſſe, & minima tanquam maxima horrere, magnus ad ſummitatem charitatis gradus eſt.

XXI. IESVS ſtat ante Præſidem habitu rei. Vulgatum hominum malum maiores magiſtratusq́, non revereri; hâc ſuâ ante Præſidem ſtatuitione IESVS & expiat, & emundat: oſtenditq́; quis honor debeatur ijs, quos in poteſtate Deus poſuit, & quibus authoritatem ſuam communicavit.

Stans IESVS ante Præſidem, exemplo præit omnibus Martyribus ſuis: quibus & ſilentio ſuo meretur os & ſapientiam, cui non poſſent reſpondere omnes eorum adverſarij. Habet etiam quo ſe ſoletur innocentia, quando vel iniquè, vel violenter trahitur ad tribunalia. Proprium enim eſt innocentiæ ſtare quantùmcunq́; fracta collapſaq́; & depreſſa videatur, ſurgit adverſus pondera.

XXII. Examinatur IESVS à Pilato. Non in ſole

nodus in ſcripto quæritur: & IESVS ignaviam illorum arguit, qui ſcrutari vias ſuas gravantur: infringit & eorum arrogantiam qui factorum ſuorum rationem nemini conſtare volunt.

Tanti eſt nôſſe ſemetipſum, ut ſi ad notitiam tui venire nequeas tuo ipſius examine, eam iuſtè tibi emas alieno etiam hoſtili ſcrutinio. Ad notitiam namq́; ſui habendam veram: aut magno opus eſt amico, aut magno inimico.

Feriâ Quartâ.

XXIII. IESVS in aula Herodis. Aulicismos, curioſitates, faſtus, vanitates, ſtultitias, otioſitates, adulationes, aliasq́, aularum peſtes ex aulis profligare IESVS cupiens: in aula etiam Herodiana ſtare voluit. An fortè quo loco, quâve conditione, virtus, pietas, modeſtia, innocentia, in aulis eſſent futuræ; ſuo in exemplo præmonere iuſtum duxit.

Spiritualibus, & pietatem profitentibus viris, limina magnatum non ambienda, neq; frequenter calcanda ſunt: niſi vel periclitari, vel contemptui haberi virtutem ſuam velint. IESVS & ſi violenter ductus ad aulam, tamen irriſus eſt, & pro ſtulto iudicatus, quid ſi ultro ſe ingeſſiſſet? IESV & Baptiſtâ nemo maior exſtitit, neuter tamen in aula ſucceſſum habuit.

XXIV. Veſte albâ ridiculâ induitur apud Herodem IESVS. Irriſis virtutis & innocentiæ, illuſio bonorum, & opera pietatis exercentium, propria ſunt hujus mundi filiorum opera: adeo omni ſanctitati inimica, ut efficaciùs telum nullum habeat diabolus ad enervandam virtutem, etiam in proprio ejus regno; ferream enim

virtutem esse opus est, quæ irrisionibus non expugnetur illusorum.

Qui ex illusionibus & persecutionibus, contemptibusq; candidior fieri non didicit: hic delicatam teneramq; se virtutem habere ostendit, at qui gloriari in tribulationibus, gaudere in contumelijs potest, hic togatam virtutem possidere, induereq; demonstratur.

XXV. Nudatio Christi, & præparatio ad flagella. Inverecundis sceleribus hæc pæna debebatur. Nuditati nostræ hæc vestis parabatur.

Luctaturus cum diabolo nudus sit necesse est, ne si habeat unde teneatur, facilè ad terram deijciatur. Nuda virtus rara est, nuda paupertas, nuda charitas, nuda patientia, nuda obedientia, ex mille vix una est: omnes ut plurimùm supervestiri amant, fugiunt spoliari. Pro magno habuit diabolus, quia specie tenus saltem potuit obijcere Iobo. *Nunquid Iob frustra timet Deum? nonne Tu* (Deus) *vallâsti eum?* Iob 1. 9. Ergo etiam diabolus revestitam virtutem non æstimat nudam, gratuitamq; requirit, ut metuat.

XXVI. Flagellatio Christi. Delicijs carnis, indulgentiæq́, sensuum, & omni voluptatum consectationi, quâ scatebat humana lascivia, hanc ex flagellatione suæ innocentiæ medicinam confecit IESVS.

Quid satis persvadebit hominibus sensuum, carnisq; mortificationem, si flagellatus IESVS eam nobis dulcem amabilemq́; non faciet? si hæc non esset salubris, si mollities carnis non esset perniciosa, utiq; Christus hanc non castigâsset, neq; illam sustinuisset. Sustinuit tamen adeo, ut dicat: *totâ die se flagellatum*, & *castigationem suam à matutinis* ipsis inchoatam. Psal: 72. 14.

Feriâ Quintâ.

XXVII. Spinea corona, purpura, arundo, genufle-xio. Omnia ſuperiarum genera hâc inventione plusquam crudeli in ſeſe Chriſtus expiavit, quidquid ambitionum, gloriarum, iactationum, æmulationum, iudiciorum propriorum, aliarumq́; hujus generis peſtium, in hominibus eſt totum hoc iſtâ iniuriarum Chriſti immaniſſimâ novitate caſtigatum eſt.

Nunc demum dicit opere ipſo omnibus nobis in ſpectaculum datus IESVS. *Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde.* Matth: 11. 29. Quid enim eſt? Ecce iſte Homo IESVS, niſi gymnaſium manſvetudinis, & theatrum humilitatis, & ſchola abnegationis.

XXVIII. Barabbæ Chriſtus collatus & poſtpoſitus. Nihil agitur ab omnibus ſæculis in mundo, niſi collatio Chriſti & Barabbæ, niſi poſtpoſitio Chriſti ad Barabbam: iam inde à Paradyſo ipſo Chriſtus Barabbæ eſt poſtpoſitus: neq́; denegaverimus etiam hodie ab ingenio maiorum noſtrorum; nihil agimus uſitatiùs, quàm Chriſti infra Barabbam deiectionem. Et faciunt hoc etiam, qui ſeſe Chriſti appretiatores gloriantur.

Vera charitas, & ſeria cum Deo amicitia, Chriſtum erubeſcit, Barabbæ non dico poſtponere, ſed etiam componere. Et quis quæſo aurum luto componat, iniuriam facit auro; qui illud componit luto: & non facit iniuriam Deo, qui illum poſtponit cuilibet deſiderio ſuo.

XXIX. Silet Chriſtus uſq́; ad miraculum Pilati. Excuſatio primæva, quâ perditi olim ſumus, & quâ quotidie peccata peccatis cumulamus; hanc ſilentij legem in pænam Chriſto impoſuit: quanquam omnia lingvæ no-

ſtræ

ſtræ peccatorum genera hoc ipſo ſupplicio vindicatā credere convenit.

Vtinam amorem ſilentij, atq; cultum, à Chriſti ſilentio diſcamus; ut nobis ſilere ſit in deſiderio, loqui in neceſſitate.

XXX. Perſvadetur plebi, ut deſideret necem Chriſti. Etiam hic malum maiorum exemplum innumerabiles infirmos in ſcelus impellit: propter hoc *potentes potenter tormenta patientur.* Sap: 6. 7.

In omnem partem præſidum facta prævalent: ſi mala ſunt, omnes malos eſſe permittunt, imò etiam cogunt, ſi autem bona ſunt, omnibus quoq; virtutis canonem, imò neceſſitatem imponunt.

XXXI. Pilatus timet Cæſarem, niſi damnet Chriſtum. Timor humanus, & reſpectus humanorum iudiciorum, ſtudium placendi, & gratiam favoremq; aliorum acquirendi, vel conſervandi, graviſſima eſt; communiſſimaq; hominibus tentatio: cui non ſuccumbere tam difficilè quàm rarum eſt; unde nullus eſt Deus, qui frequentiùs ab hominibus adoretur, & à pluribus etiam alius veri Dei cultum profeſſis colatur, quàm idolum reſpectuum humanorum, quàm Deus qui vocatur. Quid dicent in cultum hujusce Dei? Chriſtus cecidit victima.

Quantas ſubeant iacturas bonorum ſuorum æternorum, imprimis mortales miſeri propter reſpectus & metus, & ſpes humanas, & hoc Pilati exemplum, & innumera alia ſatis oſtendunt. Poterat enim Pilatus ſi voluiſſet tenere conſtantiam ipſius Dei Servatoris ſervator eſſe, quod tamen amiſit, quia in veritate non ſtetit, neq; iuſtitiam, quam bonis exordijs cæperat, ſervavit. Hæc infelicium in bono infirmitas, ad malum autem ſectandum aſſiduitas: ſtimulo eſſe iuſtis deberet, ut ſimili in oppoſi-

poſitum ratione connitantur; ut nimirum timores homi-num & reſpectus ſusq; deq; habeant; in bono autem im-moti ſemper conſiſtant, & Dei gratiæ, gloriæ, volunta-tis, iniuriæ, præmiorum, ſuppliciorumq; reſpectu, ſpe, metu, ſtudio ſolidiſſimo teneantur. Turpe eſt enim con-ſtantius ab improbis idolum reſpectuum humanorum adorari; quàm à pijs verum Deum coli, plùsq; percelli improbos timore Divino ad ſalutem.

XXXII. Sangvis ejus ſuper nos, & ſuper filios noſtros. Furoris, odij, pertinacisq; immanitatis, nulli-bi poſt natos homines, ſpeculum ſpectaculumq; editum maius reor, quàm in hoc populi Iudaici contra Chri-ſtum effero clamore.

Vtinam verò eandem ſibi familiarem vocem faciat charitas piorum, faciat gratitudo redemptorum. Quid enim vel à ſcelere nos revocet, vel ad virtutem provocet efficaciùs: quàm ſi perpetuò in memoria retineamus, quia ſangvis IESV eſt ſuper nos, &c. Hæc vox zelum omnem acuet, hæc vox labores omnes dulces reddet: hæc diffi-cultatum omnes aſperitates complanabit, hæc vox o-mnium proximorum ſalutem animasq; nobis pretioſas faciet: quoniam ſangvis IESV ſuper nos, & ſuper filios, fratres, proximos noſtros.

XXXIII. Condemnatur IESVS ad Crucis mor-tem. Quoties conſentimus in peccatum, toties damna-mus IESVM; & adiudicamus fieri petitionem tentatio-num, tradimusq; illum voluntati dæmonum, ut cru-cifigatur.

Condemnemus etiam aliquando noſmetipſos, no-ſtrasq; cupiditates ad Crucem, & abnegationem, & mor-tem ſpiritualem: adiudicantes de nobis, & iniquitatibus, ac voluntatibus noſtris fieri petitionem Dei, tradamusq;

nos totos voluntati & gratiæ Divinæ.

Feriâ Sextâ.

XXXIV. Baiulat Crucem IESVS ſibi in montem. Itá conditi ſumus: ut crucem baiulemus: ſed hoc faciunt alij, fugiendo, odiendo, excutiendo, calcandoq́; crucem, recalcitrando contra crucem, per impatientiam, immodeſtiam, ſuperbiam, præſumptam innocentiam, rebellemq́; proterviam: quod eſt nihil aliud, quàm cruci addere crucem, & quidem gravi graviorem.

Portant alij crucem exultando, & triumphando, & gloriando, in tribulationibus exaltando Deum in afflictione, facientes proventum cum tentatione: at horum exiguus eſt numerus: & ſoli iſti ad montem baiulant crucem. His tamen vicini ſunt, qui eſto gementes, attamen modeſti, & humiles, & abſq́; murmure ſubijciunt ſe Deo, & tollunt crucem ſuam quotidie, & animas ſuas poſſident in patientia.

XXXV. Vinum felle myrrhâq́; miſtum. Non debuit gula, ſeu guloſitas, intemperantiaq́; noſtra in cibis & potibus ſumendis eſſe impunita, quæ ianuam ſceleribus ruinæq́; noſtræ aperuit: ergo felle & myrrhâ purgatur in IESV, cui morituro vinum felle myrrhâq́; miſtum porrigitur. Sed & quicunq́; bene facta corrumpunt malis admiſtis circumſtantijs, mora ſcilicet, acedia, inobedientia, impatientia, complacentia, hi quoq́; vinum felle myrrhâq́; infectum Chriſto propinare noſcuntur. Bonum ex integra cauſa cùm ſit, iuſtè quod iuſtum eſt, perſequendum; & bonum optimè peragendum eſt. Deus enim non usq́; adeo quid faciamus, ſed quomodo, & quanto cum affectu, quanta cum perfectione charitatis, quan-

to cum fervore exactionis faciamus, attendit & persolvit.

XXXVI. Vestium detractio, divisio, sortitio. Detrahunt vestimenta Christo, eaq; partiuntur sibi: *quicunq;* gloriam debitam Deo arrogant suæ propriæ vanitati. *Quicunq;* in patrimonijs sangvine Christi respersis & partis lasciviunt, superbiunt, aut de ijs prædas rapinasq; agunt, *quicunq;* charitatem & unionem communem inter fratres & pacem habentes, iactis improbè discordijs discerpunt. Postremò *quicunq;* in pauperes Christi duri & avari sunt.

Non infructuosa sunt vestimenta IESV: operiunt illa, calefaciuntq; nuditatem, & geliditatem nostram, quin & ornant nos, & odorem nostri svavissimum coram Patre cælesti spargunt: quin & si quis vel tetigerit ea, statim sistitur fons sangvinis nostri. O IESV largire nobis hæc vestimenta tua, aut Tu Mater, quæ apud te domi habes indumenta Fratris nostri, Filij tui, valde bona, indue nobis, & indutos introduc in conspectum cælestis Isaaci, cum escis quibus libenter vescitur. Vestes Christi, merita Christi. Escæ Patri cælesti gratissimæ. Imitatio IESV Christi: induamus passiones, & mores, meritaq; Christi, & erimus acceptissimi in conspectu Patris æterni.

XXXVII. Crucifixio IESV. Ergo hunc messuit IESVS pro omnibus bonis suis, laboribusq; fructum: tandem enim, tandem crucifixus est ab ijs; quos beneficijs suis non tantùm cumulaverat, sed etiam quos beneficijs suis esse fecerat. O ingratitudo! tu es continuata crucifixio, tu crux perpetua Christi; à lignea illa trabe aliquando depositus est Christus mortuus: ab hac ingratitudinis nostræ cruce nec gloriosus, nec beatus esse

liber

liber poteſt. Propter quod etiam noſtra in Chriſtum ingratitudo omnem nobis Divinæ liberalitatis fontem obſtruit.

Ore & corde non deſunt qui compatiantur Chriſto, ſed qui cum Chriſto cruci configi, qui ſtigmata ejus in corpore & in ſpiritu portare deſiderent, ac re ipsâ portent, horum exiguus eſt numerus: perfecta & iugis mortificatio, tam paucos habet ſectatores, ut omnes una crux capere poſſit.

XXXVIII. Chriſtus inter latrones medius. Malorum converſationi, & cum peccatis alienis communicationi hanc pænam deberi indicavit Sapientia incarnata, ut inter medios latrones ipſa ſibi crucem defigi eligeret. Et revera nulla inquam malorum ſocietas ſine Cruce Chriſti eſſe poteſt: niſi enim Chriſtum crucifigeret, mala non eſſet.

Si latrones medium habent IESVM: nullius ergo deſperanda eſt ſalus & emendatio. Novit Dominus qui ſunt ejus: etiam in patibulis electos habet, etiam ibi eos quærit, & apoſtatantibus, inq́; proditores degenerantibus diſcipulis illos ſubſtituit, atq́; de latronibus Martyres facit. O beatum te Latro! qui prædebaris nuper, iam ipſe in prædam Chriſti ceſſiſti.

XXXIX. IESVS crucifixus blaſphematur ab omnibus. Effera crudelitas & immite cor ad condolendum afflictis, inſultatio etiam & exultatio in aliorum, eſto pauperum, eſto inimicorum calamitatibus, detractio & irriſio virtutis alienæ: non aliorum ſunt propria quàm crucifixorum Chriſti: perinde etiam ſunt acerba coram Deo, ut iſtæ inſultationes Iudæorum & gentilium fuêre Chriſto. Vt diſceremus non exambire compaſſiones in noſtris acerbitatibus: ut autem compati conſveſceremus

mus alijs in ſuis adverſitatibus: hæc improperia pati cum humillimo ſilentio voluit Dominus & Magiſter noſter IESVS: Sicut enim vulnerat Chriſtum, qui afflictum exacerbat ludibrio proximum, ita medicinam & ſolatium exhibet Chriſto, qui compati in malis poſito novit proximo.

XL. IESVS pro inimicis orat Patrem. Hâc oratione omnes iras, odia, vindictasq; iugulavit Dominus. Ea oratione veram charitatem inimicorum quorum peccata etiam excuſare non eſt gravatus, & ſuper quos manſvetiſſimæ protectionis ſuæ nubem contra furorem Dei expandit, nobis ita Dominus indixit, ut luculentiore præcepto non potuerit.

SABBATO.

XLI. In ſiti IESVS potatur aceto. Dum bona malè facimus, tunc Chriſto acetum in ſiti propinamus. Malè autem bona fiunt, quando ægrè, tardè, repugnanter, oſcitanter, ex uſu, perfunctoriè, ad oculum, metu pænæ fiunt.

Omnia noſtra opera acetum ſunt, & in Domini menſam inferri digna minimè ſunt, ſi non condiuntur Dei voluntate, meritorum & charitatis Chriſti atq; fraternæ dulcedine.

XLII. IESVS à Patre derelictus. Puſillanimitatis noſtræ malo à ſua Dominus derelictione medicinam paravit: fecitq; ac obtinuit, ne quis ſe à Deo derelictum queri poſſet. Itaq; neminem deſerit Deus: niſi ipſe deſertus ſit à nobis.

Credamus & fidamus Deo, illiq; cauſas noſtras committamus ex animo, & ipſe faciet quod voluntatis volupta-

luptatisq; ſuæ, noſtræ autem ſalutis eſſe ſciverit. Nunquam enim deſerit nos & noſtra Deus, niſi priùs nos fiduciam & ſpem ſuſtinentiamq; noſtram in ipſum amiſerimus.

XLIII. Conſummatis omnibus moritur IESVS. Peccatum cùm conſummatum fuerit generat mortem tam peccatoris, quàm Chriſti; non enim moreretur peccator, niſi moreretur ſimul Chriſtus, nec Chriſtus moreretur, niſi priùs moreretur peccator; propterea conteſtatur Dominus nolle ſe mortem peccatoris, ſed ut vivat: ut ſic etiam ſimul ipſe cum eo vivere poſſit.

Nemo ſperet mortem in Domino, niſi conſummaverit omnia quæ Divini placiti ſunt. Monitum Domini eſt. Cùm omnia feceritis quæ præcepta ſunt vobis, dicite ſervi inutiles ſumus. Mortui ſumus, mortui nobis: viventes Deo, ô amare! ô ire! ô ſibi perire! ô ad Deum pervenire!

XLIV. Vulneratur in latere & corde IESVS. Qui peccatum peccato addit, is quaſi iam mortuo IESV inſuper latus & cor ferit.

Qui poſt peccati mortem ad pœnitentiam compungitur, is mortuo IESV cor aperit unde vivificetur.

XLV. Deponitur IESVS de Cruce, & ungitur. Qui aliorum peccata, quæ vel ex officio, vel ex charitate ſanare, aut ut ſanaretur ab alijs, ſuâ manifeſtatione facere poterant, celando & excuſando incurata relinquunt: quid aliud agunt, quàm occiſum Chriſtum de Cruce deponentes ungunt? crudeliter miſericordes: qui perdere malunt palpando, quàm ſanare lædendo. Deponunt de Cruce IESVM, & ungunt illi, qui infirmum fratrem manſvetudine & charitate fovent, & in ſpiritu lenitatis inſtruunt ac ſanant. Veri Samaritani adinſtar

oleum vinumq; affundentes, & curam vulnerati gerentes.

XLVI. Sepultura IESV. In petra IESVM sepeliunt, advolutoq; lapide claudunt & abeunt: qui postquam in profundum peccatorum venerunt, contemnunt, & duro impænitentiq; corde, omnem correptioni & correctioni spem, viamq; obstruunt.

IESVM in petra sepeliunt: qui quotidianis pænitentiæ operibus præteritas culpas ab oculis Dei abscondunt: quiq; constantiâ virtutis, & perfectionis solidæ, semel adeptam IESV possessionem, sese ad gratiam consummatæ perseverantiæ Deo disponunt.

XIII.

Brevius meditandi exemplar ex revelationibus pijssimæ Matronæ Beatæ Angelæ de Fulgino exhibetur, prout refertur in ejus Vita. c. 35.

I. CONsiderabat, & intelligebat anima mea, quòd medicina esset sangvis Christi Domini: qui quidem dat sine pretio hanc medicinam: nec constat pluris peccatori infirmo quàm quòd disponit se. Medicus autem Christus dat illi salutem, & sanat infirmitatem. Animæ autem meæ ostendebantur omnia peccata, & videbat omnia sua peccata, & videbat quòd omnia membra haberent infirmitatem spiritualem. Et ideo conabatur ostendere omnia peccata, quæ cum diversis membris corporis, cumq; potentijs ac viribus suis fecerat, dicebatque. O Domine Magister! Medice æternæ salutis, Deus meus: quiq; solâ flebili ostensione infirmitatum mearum me sanare disposuisti; Domine, cùm sim infirmissima, nec

eſt aliquid in me non corruptum, non infectum, oſtendo tibi (heu miſeranda) omnes infirmitates meas, omnia peccata mea omnium membrorum meorum. Domine miſericors Medice, reſpice caput meum, quomodo illud ſignis ſuperbiæ frequenter ornavi, capillos torquendo deformavi, & alia multa peccata feci. Reſpice Domine oculos miſerabiles impudicicijs plenos, invidiâ infectos, &c. Sic ſtudebam aſſignare & oſtendere Chriſto omnia alia peccata mea omnium membrorum meorum.

Auditis his omnibus cum magna patientia Chriſtus, 2.
lætanter & cum iucunditate reſpondebat & oſtendebat, quomodo per ordinem iſta omnia ſanabat, & multùm animæ meæ compatiendo dicebat. Ne timeas, neq; deſperes filia, quoniam ſi mille morbis & mortibus infecta eſſes, ac mortua: medicinâ, quam tibi miniſtrabo, ſanari poteris, ſi tamen animæ tuæ & corpori ipſam applicare per devotionem volueris. Infirmitatibus enim capitis quas dixiſti, & multipliciter oſtendiſti, propter quas Deo diſplices, atq; doles in te: quas incurriſti pectitando, lavando, ungendo, colorando, ornando, crines torquendo, te efferendo, ſuperbiendo, vanam gloriam quærendo, propter quæ in profundiſſimum inferni lacum deijci, ibiq; humiliari, & perpetuò tanquam viliſſima reputari debebas, ego ſatis feci, & pænitentiam egi, atq; graviſſimam pænam toleravi. Caput enim meum fuit tractum, depilatum, ſpinis acutiſſimis punctum, arundine percuſſum, totum ſangvine cruentatum, omni ludibrio & contemptui viliter ſubiectum, & vili coronâ coronatum. Infirmitatibus autem faciei quas incurriſti ſimiliter lavando, ungendo, hominibus miſeris oſtendendo, eorum gratiam quærendo; ego medicinam confeci, & ordinavi, hoc eſt, pro peccatis hujusmodi ſatis feci.

Nam

Nam ſputis ſordidiſſimis viliſſimorum hominum tota fa-
cies mea fuit inquinata, & deturpata, alapis graviſſimis
fuit funeſtata, panno viliſſimo ſordido fuit velata. Pro
oculis etiam tuis, quibus reſpexiſti vana, nociva, fuiſtiq;
in ipſo aſpectu multipliciter delectata contra Deum.
Ego ſatis feci. Oculis enim meis amariſſimas fudi lachry-
mas, illos velatos habui ſangvine, deniq, à capite ma-
nante balneatos. Prò auribus tuis, quibus Deum offen-
diſti, audiendo vana & nociva, fuiſtiq; in talibus dele-
ctata; ego maximam pænitentiam feci: nam auribus me-
is audivi multa, quæ multam & maximam triſtitiam af-
ferebant, ſcilicet falſas accuſationes, detractiones, inſul-
tationes, maledictiones, deriſiones, ſubſannationes, blaſ-
phemias, iniquam contra me ſententiam, fletum Pijſſi-
mæ Matris meæ, mihi doloroſiſſimè condolentis. Pro
peccatis oris tui, & gulæ tuæ, quâ delectata es in co-
meſſatione, ebrietate, ciborum ſvavitate, ego habui os
fame, jejunijs, ſitiq; tabefactum, aceto, myrrhâ, felle a-
maricatum. Pro peccatis lingvæ tuæ, quam ad detracti-
ones, calumnias, irriſiones, maledictiones, blaſphemias,
perjuria, mendacia, & alia peccata laxâſti, ego habui
os meum & lingvam coram Iudicibus & falſis teſtibus
clauſum, nec habui in ore meo excuſationem, ſed ſem-
per veritatem, & pro malefactoribus meis Deum toto cor-
de rogavi. Pro peccatis odoratûs tui, quo in floribus &
odoribus delectata es; ego fætores abominabiles ſputo-
rum ſenſi, & ſuper faciem, oculos, nareſq; meas tolera-
vi. Pro peccatis, quæ feciſti cum collo tuo, illud ira,
ſuperbia, & laſcivia agitando, & contra Deum exten-
dendo. Ego habui collum meum multiplicibus colaphis
& alapis verberatum. Pro peccatis ſcapularum & hu-
merorum tuorum, quibus offendiſti Deum, diverſa con-
tra

tra Deum portando: Ego pænitentiam feci, Crucem in qua ſuſpenſus fui, bajulando. Pro peccatis manuum tuarum & brachiorum, quibus multos amplexus malos, & tactus, & mala opera feciſti. Ego habui manus craſſis clavis transfixas, & in ligno affixas, & preſſas, totum meum corpus in patibulo ſuſtinendo. Pro peccatis cordis tui, quo peccâſti irâ, iracundiâ, invidiâ, triſtitiâ, malo amore, malis concupiſcentijs, & cupiditatibus. Ego habui cor & latus meum lanceâ acutâ transfixum, ex quo medicina validiſſima ad curandas omnes cordis paſſiones atq; peccata ſufficienter manavit. Aqua enim ad refrigerandum malas concupiſcentias, & amores, ſangvis ad remittendas iracundias, triſtitias, rancores. Pro peccatis pedum tuorum, quibus peccâſti, choreando vanè & laſcivè, ambulando & evagando: Ego habui pedes tortuoſè non ligatos, ſed transfixos, clavatosq; in ligno Crucis, & pro talaribus roſtratis & feneſtratis, ego habui pedes ſangvinolentos ſangvine pedum ipſorum, totiusq; corporis in eos defluente. Pro peccatis totius corporis quo peccâſti, illud delicijs, ſomno, quieti dando, & diverſimodè delectando: Ego fui in Cruce affixus, terribiliter verberatus, in modum pellis tractus, & extenſus in Cruce, ſudore ſangvineo totus, usq; ad terram madidus, & duriſſimo ligno ſtrictiſſimè applicatus, tandemq; atrociſſimo tormento ibidem laborans, clamans, ſuſpirans, flens, plorans, ejulans, mortuus ſum, & à crudeliſſimis interfectus. Pro peccatis tuorum ornamentorum, veſtium ſuperfluarum, vanarum, curioſarum: Ego in Cruce nudatus ſum, viliſſimis hominibus veſtes meas ſibi diripientibus, ludentibusq; in oculis meis. Ego nudus ſicut de Virgine natus ſum, frigori, vento, aëri, omnium hominum aſpectui, in alto, ut meliùs viderer, & magis irriderer

riderer, & verecundiam paterer, expositus sum & expansus. Pro peccatis tuarum divitiarum, quæ fecisti malè acquirendo, ipsas expendendo, & retinendo. Ego pauper fui non habens palatium, neq; domum, neq; tugurium, ubi nascerer, ubi vivens manerem; neq; moriens sepulchrum habuissem, sed canibus & avibus fuissem dimissus, nisi quidam pietatis intuitu, & meæ miseriæ compatiens, me in suum sepulchrum recepisset. Meum sangvinem, meam vitam, hominibus peccatoribus sum largitus; & adeo nihil mihi retinui, sed in vita & morte semper pauper esse volui, & permansi. Quid plura? nullum peccatum, nullum animæ morbum assignare poteris, cui ego remedium non attulerim, pro omnibus satis feci sufficienter, & pro infinitis tormentis, ac doloribus, quos misera anima tolerare in inferno debebat, pro supradictis peccatis, ego totaliter dolui, tormentatus sum & cruciatus. Quòd si in negligentia tua non remaneas ampliùs, dolere te non oportebit; dum tamen mecum hìc condoleas, mihiq; compatiaris, & pœnarum mearum, ignominiarum, paupertatis, despectuum socia, dum hìc vivis existas. Hæc Beata Angela: seu potiùs ad illam & ad omnes nos Christus.

XIV.

Elegantem formam meditationis legimus in libro revelationum S. Mechtildis: quam ipsis verbis, quæ ibi sunt, describo. Lib: 1. cap: 21. revelationum seu spiritualium gratiarum fol: 50.

I. Cùm esset Beata Mechtildis in recordatione quòd Chri

Christus horâ primâ Præsidi iudicandus abstitisset, dixit ad eam Dominus. Veni mecum ad iudicium, & assumens eam ante Patrem suum cælestem, statuit eam secum. Tunc omnes Sancti cum omnibus creaturis super eam sunt conquesti. *Seraphim* accusabant eam pro eo, quòd Divinum amorem, quo in corde fuerat accensa, sæpe in se per teporem extinxerat. *Cherubim* proclamabant eam, eò, quòd secundùm lumen Divinæ cognitionis, quo præ cæteris illuminata erat non se regebat. *Throni* conquesti sunt, quòd pacatissimum Regem eorum, qui Thronum suum in ea firmaverat, sæpe inutilibus cogitationibus inquietando turbâsset. *Dominationes* dicebant, quòd Regi & Domino Deo suo se cum debita reverentia non subdidisset. *Principatus* conquerebantur, quòd Divinam nobilitatem, quâ ad Dei imaginem facta est, nec in se, nec in alijs esset venerata. *Potestates* accusabant eam, quòd se Divinæ Majestati cum tanta reverentia & tremore, ut dignum fuerat, non inclinâsset. *Virtutes* conquerebantur, quòd se in virtutibus sanctis debito modo non exercuerat. *Archangeli* dicebant, quòd svavi Dei colloquio prout debuit non intendisset, nec per Angelos, qui ei Ministri deputati sunt, svavia & amatoria susurria ad dilectum suum direxisset. *Angeli* querulabantur, quòd eorum ministerio indignè uteretur. *Beata Virgo MARIA* conquerebatur, quòd dulcissimo Dei Filio, quem sibi genuerat, infidelis exstitisset. *Apostoli* clamabant, quòd eorum doctrinam diligenti studio non fuisset secuta. *Martyres* dicebant, quòd impatienter pænas & infirmitates in vita sustineret. *Confessores* eam accusabant, quòd in Religione & in spirituali exercitatione negligenter egisset. *Virgines* querulabantur, quòd tam amantissimum Sponsum totis viribus non amâs-

amâſſet. *Omnes Creaturæ* ſimul conclamabant, quòd eis indignè uſa fuiſſet. Tunc benigniſſimus IESVS dixit ad Patrem. De omni querimonia ei objecta, ego ad ſingula pro ea reſpondebo, quia ejus amore fateor me captum. Cui Deus Pater dixit. Et quid te ad hoc coëgit? Reſpondit mea electio, quia eam ab æterno mihi prælegi. Tunc anima cofidens de gratia tanti Fidejuſſoris ſui, confidenter accepit eum inter brachia ſua dicens ad Patrem. Ecce præſento tibi Pater colende humillimum Filium tuum, qui Tibi plenè pro me perſolvit, quidquid deliqui per ſuperbiam. Ecce præſento Tibi etiam Filium tuum manſvetiſſimum, qui pro me ſatisfecit, quidquid peccavi per iram. Præſento etiam Tibi Filium tuum amantiſſimum, qui eſt amor cordis tui: qui plenè ſupplevit, quidquid deliqui odio. Largiflua ipſius liberalitas omne quod avaritiâ peccavi, exſolvit. Sanctiſſimum ejus ſtudium acediam meam emendavit. Summa ejus abſtinentia omnem intemperantiam meam ſupplevit. Ejus innocentiſſimæ vitæ puritas exſolvit pro me, quod malis cogitationibus, verbis, vel factis deliqui. Ejus ſumma obedientia, quâ factus eſt obediens usq; ad mortem, omnem inobedientiam meam delevit. Ejus deinde perfectio omnem imperfectionem meam excuſat. Eſto igitur Sancte Pater placabilis ſuper nequitia mea, tantæ placationis recepta hoſtia, & clementi pietate indignationem averte à me, & recipe me in gloriam ſempiternam. Hucusq; Beata Mechtildis cujus ad inſtar, etiam perfectiſſimus quisq; meditationem de Paſſione inſtituere, ex eaq; patrocinium in judicio Divino ſibi aſſumere, ad virtutemq; & omnis perfectionis ſtudium, ſtimulos ſibimet addere poterit: quòd multò etiam utiliùs facient imperfecti & peccatores in bonum animarum ſuarum, utpote

qui

qui in sese longè plùs materiæ reperient accusationis, & iudicij apud Deum, si noluerit mentiri, aut blandiri iniquitas sibi.

XV.

Christus Dominus docuit S. Gertrudem gratum sibi esse, si assumendo Dominicæ Passionis partes ad expendendum, anima conetur Christo Domino Passionem suam compensare, vicemq́ quàm maximè Christo gratam, animæ verò salutarem rependere. Quod insinuat Divinæ pietatis lib: 4. c. 26. ante finem.

DVm in die Sancto Parasceves circa memoriam Dominicæ Passionis svaviùs afficeretur Beata Gertrudis, vicemq́; amoris dilecto ex intimo cordis affectu rependere desideraret, dixit ad Dominum. Eja, doce me ô unica spes & salus animæ meæ; quomodo tibi pro tua Passione saltem aliquam possim reddere vicem? 1.

Ad quod Dominus.

Si quis alienum sensum sequitur, & non suum: ille mihi captivitatem, quâ horâ matutinali captus, ligatus, multisq́; injurijs affectus sum pro salute humana, rependit. Qui verò humiliter culpabilem se reddit, iudicium quo horâ primâ multis falsisq́; testibus accusatus, & morti adiudicatus sum, mihi recompensat. 2.

Qui autem sensus suos continet à delectabilibus: flagella, quæ sustinui horâ tertiâ, mihi rependit. 3.

Et qui se subdit discolis Prælatis, spineam coronam mihi alleviat. 4.

 Qui

5. Qui verò læsus primus ad pacem humiliatur, Crucis mihi bajulationem restituit, seu recompensat.

6. Si quis autem supra posse se extendit ad opera charitatis erga proximum; extensionem quâ horâ sextâ in Cruce acriter distentus sum, mihi rependit.

7. Qui etiam non fugit gravamen contumeliæ vel tribulationis, ut proximum retrahat à culpa, mortem meam mihi rependit, quam pertuli horâ nonâ pro salute humana.

8. Qui autem convitiatus (ab alio) humiliter respondet: me quasi de Cruce deponit.

9. Qui verò proximum sibi præfert, reputans ipsum maiori honore vel commodo, vel alio bono se digniorem: ille sepulturam mihi rependit. Hæc Dominus ad dilectam suam Sponsam Gertrudem.

10. Cujus adinstar poterit facilè anima devota plures compensationes dolorum & iniuriarum Christi sibimet adinvenire & proponere, & easdem exercere. v. g. ut Christo sangvineum sudorem compenset: studeat laborare pro Christo usq; ad defatigationem.


11. Vt proditorium Iudæ osculum rependat: mansvetè & benevolè suscipiat & alloquatur, eos etiam, quos malè sibi affectos alias scit.

12. Vt nocturnas Christo iniurias resarciat: exequatur illud Psalmistæ monitum: *In noctibus extollite manus vestras in Sancta, & benedicite Dominum.* Psal: 133. 2.

13. Vt nudum Christum vestiat: vestiat pauperem. Vt Herodianas illusiones Christo rependat; velit esse stultus propter Christum, & velit stultus haberi & existimari. Atq; in hunc modum poterit totam Passionem Christi eidem Christo multiplicibus virtutum actibus recompensare: cum multo suo profectu interiori & multa con-

tentatione cordis Divini: quemadmodum tum res ipsa per se indicat, tum etiam Christus Dominus eidem Beatæ Gertrudi dignatus est significare.

Cùm enim hæc sancta ex memoria quod Dominus 14.
horâ tertiâ spinis coronatus, ad columnam dirè flagellatus, suis fessis cruentisq́; humeris Crucem dignatus est bajulare, vehementiùs fuisset succensa, dixissetq́, ad Dominum. Ecce Amator mi dulcissime ad respondendum amori tuo pro tam indebita amaritudine tuæ innocentissimæ Passionis, exhibeo tibi cor meum desiderans omnem amaritudinem & dolorem dulcissimi cordis & immaculati corporis tui perferre ab hora ista usq́; in horam extremi exitûs mei, orans, ut quomodocunq́; ex humana fragilitate horum recordatio à mea labitur memoria, facias me corporalem dolorem cordis sentire; qui dignè respondeat amaritudini tuæ Passionis. Respondit Dominus. Talis voluntas & fidelitas cordis tui, satis sufficienter respondet mihi, sed ut plenam in corde tuo possim habere delectationem, da mihi libertatem faciendi & continendi in eo quæcunq́; volo, non disponens utrum dulcedinem sive amaritudinem tibi infundam.



XVI.

Et si Salvator noster IESVS Christus semel pro nobis mortuus sit, morsq́ illi ampliùs non dominetur, miserandum tamen est, cùm ea omnia, quæ quondam passus est in corpore suo, nunc etiam moraliter in corpore suo mystico patiatur, quod Apostolus obijcit: ad Hebr: 66. rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei, & ostentui habentes. Et ad Galat: 3. 1. Quis vos fascinavit non obedire veritati, ante quorum oculos IESVS Christus præscriptus est in vobis crucifixus.

1. Cùm ergo hoc ita sit, rectè Passionis Christi meditatio sic institui potest, ut quotidiana ejus instauratio spectetur, defleaturqué; & quidem toties repetita, quot sunt ij, qui peccant, quiq́; peccata seu cumulant, seu renovant; & tanto etiam indigniùs sceleratiùsq́; id faciunt, quàm olim Iudæi fecêre: quia hi quidem ignorantes Dominum gloriæ mori & pati fecerunt, at isti fidem in Christum profitentes, in eundem nihilominùs iam gloriosum, iamq́; immortalem, & mori impotentem sceleratissimam carnificinam exercent.

2. Itaq́; hodie adhuc venditur Christus: ab omnibus turpis lucri cupidis, & quæstum pietatem æstimantibus.

3. In horto Christus timet, tædet, contristatur: apud omnes deliciosos voluptatumq́; amatores.

4. Et sæpe hoc in horto Oliveti sustinet IESVS: apud eos scilicet, quos per misericordiam suam peculiarem

in hortum, ſive Eccleſiæ, ſive Religionis alicujus Sacræ induxit.

Agonizat IESVS apud eos, qui ſeſe peccandi occaſionibus ultro immiſcent. 5.

Sudat ſangvinem apud oppreſſores pauperum, & devoratores eorum, ſive in abſcondito, ſive in aperto. 6.

Vigilat Chriſtus nobis interea per ſocordiſſimam ſecuritatem negligentiamq́; ſtertentibus. 7.

Oſculo traditur Chriſtus ab his, qui ſpeciem licèt pietatis præſerant, virtutem tamen ejus abnegant, qui dicunt Deo Domine, Domine, & non faciunt quæ imperat Dominus. 8.

Captus eſt Chriſtus apud eos, qui veritatem ſive Fidei, ſive Iuſtitiæ, in iniquitate detinent. 9.

Affligitur in Concilio Sacerdotum IESVS, quia, ut ait Gregorius, à nemine tantum præiudicium patitur Deus, quàm à malis Sacerdotibus. 10.

Falſi teſtes in IESVM ſubordinantur: apud iniquos rerum, morum, cauſarumq́; æſtimatores, apud innocentum calumniatores. 11.

IESVM totâ nocte excruciant infandæ innominandæq́; turpitudines. 12.

Tacet IESVS apud Pilatum: quia potentes ea ſolùm audire ſuſtinent, quæ ad illorum ſenſum & intentum ſunt: ſolis adulatoribus & palpatoribus aures accommodant. Veritatis & æquitatis ſinceros enarratores foras excludunt. 13.

In aula IESVS pro ſtulto habetur, multis quæſtionibus exagitatur, conſtanter accuſatur, illuditur. Pietati enim, virtuti, ſinceritati, æquitati, modeſtiæ, veræ prudentiæ, quis locus in aulis? Exeat aula qui vult eſſe pius. 14.

Diſci-

15. Discipulus Christum unus vendit, alter abiurat, alij deserunt omnes. Quis enim cæcus, nisi Dei servus: aut quis surdus, nisi ad quem nuntij Dei semper mittuntur. Sicut non invenies meliores quàm qui in Religione profecerunt; sic non invenies deteriores quàm qui in Religione defecerunt. Optima vina in mordacissimum degenerant acetum.

16. Flagellis emendatur IESVS apud omnes detractores & persecutores, invidentesq; bonis alienis, & quod bonum, pium, rectum, verumq; est, hoc mordacitate lingvarum suarum perfricantes & flagellantes: in quibus flagellis qui IESVS, hoc est, qui solidus virtutis amator est, is proficit, & fortior evadit: sed qui infirmus, & pusillo corde est, hic coram flagello lingvæ evanescit.

17. Coronat IESVM superbia, vana gloria, iactantia.

18. Nudat IESVM omnis inverecundia, omnis avaritia, omnis infamatio.

19. IESVM conspuit convitiator, contemptorq; Dei & proximi.

20. Alapam dat IESV quisquis potestati resistit, obstrepit, quisquis impotenter probitatem opprimit.

21. Barabbæ IESVM præponit, quisquis dicit bonum malum: malum bonum: quisquis creaturæ & cupiditati postponit Creatoris voluntatem & dignitatem, quisquis respicit personam non causam.

22. Sangvinem Christi super se suosq; accipiunt: qui vindictam quærunt, qui implacabilibus odijs ardent, qui alijs scandalo & ad perditionem exemplo aut incitamento sunt, qui odijs capitalibus flagrant.

23. Damnant IESVM ad mortem quotquot pravæ voluntati suæ aut alienæ in peccatum consentiunt: quotquot timorem hominum timent, Deum verò offendere non timent.

Aceto & felle potant IESVM gulosi ebriosiq; omnes: nec-non illi, qui vitæ emendationem in extremas vitæ horas differunt. 24.

Crucem IESV imponunt: qui in malis alienis lætantur, rident, insultant, qui imponunt onera gravia alijs, quæ ipsi digito non tangunt. 25.

Affigunt IESVM Cruci, qui in peccatis sunt, hærentq; obstinati. 26.

Inter latrones IESVM deputant, qui alios propter iustitiam perseqvuntur: & calumnijs inter pessimos pestilentissimosq; ponunt. 27.

Occidunt IESVM in Cruce: qui alijs perseverantiam in bono, seu statu, seu opere, vel invident, vel auferunt: qui etiam impatientes sunt in adversis, & unde meliores esse per flagella debuerant, deteriores ex impatientia evadunt: qui deniq; in malo finaliter moriuntur. 28.

Extra urbem IESVM eijciunt, & enecant: qui meliorum convictum exosi, eos à se, vel se ab illis subtrahunt, ne illorum conspectu lædantur, aut eorum exemplis ad meliora vel inviti stimulentur. 29.

Sed lubet hunc ipsum meditandi modum verbis Pretiosissimæ Dei Matris Beatæ Brigittæ lib: I. revel: c. 37. propositum hic etiam proponere, multam enim poterit utilitatem Lectori afferre. Igitur Dei Mater cùm dixisset Christo Filio suo ab inimicis quatuor mala illata.

I. Coronam spineam impositam. II. Manus, pedes perfossos. III. Fel propinatum. IV. Latus punctum. Ita deinceps pergit.

Sed nunc conqueror, quia Filius meus ab inimicis suis qui nunc sunt in mundo, amariùs crucifigitur; quàm tunc Iudæi crucifixerunt eum. Nam licèt deinceps impassibilis sit, nec mori possit: tamen cum proprijs vitijs

crucifigunt eum. Sed tu fortè potes quærere quomodo crucifigunt eum? utiq; primò ponunt eum in Cruce, quando de præceptis Creatoris sui & Domini non curant. Et dehonestant eum, quando ipse monet eos per servos servire sibi, & ipsi hoc contemnentes faciunt quæ sibi placent. Deinde crucifigunt dexteram manum, quando tenent iniustitiam pro iniustitia, dicentes. *Peccatum non est sic grave & odiosum Deo sicut dicitur, nec Deus in æternum affligit quenquam, sed propter timorem minatus est.* Deinde crucifigunt sinistram manum ejus, quando virtutem vertunt in vitium, volentes usq; in finem peccare, dicentes. Si dixerimus in fine semel: Miserere mei Deus, tanta est misericordia Dei, quòd habebimus veniam. Hoc non est virtus velle peccare & non emendare. Postea crucifigunt pedes ejus, quando delectantur in faciendo peccatum: & non semel cogitant amaram Passionem Filij mei, nec regratiantur ei semel de intimo corde, dicentes. O quàm amara erat Passio tua Deus! Laus tibi sit pro morte tua. Coronant eum deinde coronâ derisionis: quando derident servitores ejus, & vanitatem reputant servire ei. Dant ei etiam fel bibere, quando gaudent & exultant in peccato, nec ascendit semel in corde eorum, quàm grave & multiplex sit. Pungunt latus ejus, quando voluntatem habent perseverandi in peccato. Verè dico tibi & hoc amicis meis dicere poteris, quia tales sunt ante Filium meum, iniustiores iudicantibus eum. Immitiores crucifixoribus ejus, impudentiores venditoribus ejus, & maior pæna debetur istis, quàm illis. Pilatus scivit bene Filium meum non peccâsse, nec dignum aliquâ morte, tamen quia timuit temporalem potestatem & seditionem Iudæorum, iudicavit quasi invitus Filium meum ad mortem. Quid autem haberent

berent

berent isti timere si ei servirent? aut quid de honore suo ac dignitate amitterent, si ipsum honorarent. Ideo gravius isti iudicabuntur, & deteriores Pilato in conspectu Filij mei, quia Pilatus iudicavit eum propter petitionem & voluntatem aliorum cum timore quodam: isti autem iudicant eum propter voluntatem propriam absq; timore. Vsq; huc Beata Virgo loquitur S. Brigittæ, videri autem sequentia in eandem sententiam, quæ brevitatis causâ hic omitto. Hunc aut similem in modum non inutiliter Christi Passio expendi potest. Sive quis hâc meditatione IESVM à se ipso, sive ab alijs crucifixum esse, crucifigive meditetur: habebit enim ex hac meditatione uberem pænitentiæ de suis ac alienis peccatis materiam habebit copiosam pro Deo, ejusq; honore ac voluntate zelandi causam, habebit efficaces ad lugenda sua & aliena, imò & Dei Christiq; mala, ad procurandam suam & aliorum salutem, conversionemq; stimulos: habebit multam occasionem ac segetem considerandæ Dei super peccatores patientiæ ac miserationis, deprecandæ ac amovendæ ab eis iustæ Divinæ vindictæ: agendi gratias Deo, à quo se fortè sentiet ex talibus in Christum lanienis vel eductum, vel certè (quod maius est) etiam præservatum, &c.

Hujusmodi Meditationem de Christi Passione, quæ etiam in præsenti tempore ab ipso sustinetur, servatâ proportione potest facere homo aliquis, minimè quidem ille malignus & gravibus mortiferisq; peccatis implicatus, statui tamen suo quem fortè profitetur, item ubertati gratiarum & auxiliorum Dei, quibus abundanter ad perfectiora studia, insigniorem q; sanctitatem impellitur, minimè uti deberet respondens, quotidianis, ijsq; voluntarijs imperfectionibus, immortificationibus, sen-

ſualitatibus, levitatibus, otioſitatibus, alienorum factorum, morum, talentorum, cenſurationibus, bonorum omiſſionibus ac dilationibus, in bono langvoribus, vanæ gloriæ, honoris proprij venationibus, de ſe præſumptionibus, tepiditatibus, regularum ſuo ſtatui propriarum transgreſſionibus, ac obſervantiarum communium vilipenſionibus, in proximos quà domeſticos, quà extraneos malorum exemplorum exhibitionibus, alijsq; ſimilibus tepidorum proprijs modis, Chriſtum perfectionis Magiſtrum, animarumq; ſpecialiùs à ſe dilectarum & præventarum Zelatorem excruciant, & ejus Paſſionem innovant, adeo quidem intimo & penetrativo doloris ſenſu, ut Dominum IESVM tactum dolore cordis intrinſecus non rarò pænitere neceſſe ſit, quòd tantam gratiarum copiam in tales profuderit, adeoq; demum incipiat eos evomere ex ore ſuo tantò abominandos magis, irrevocabiliterq, eijciendos, quantò id, quòd nauſeâ compellente aliquando deiecimus, odibilius deteſtamur.

XVII.

Paſſionem Domini noſtri meditari poſſumus per collationem ejus cum alijs vitæ Chriſti myſterijs, ut exponit idem P. Drużbicki in Modo 48.

1. IESVS naſcens in Nazareth (quæ vox florem ſonat) ex Virgine de Spiritu Sancto conceptus eſt.

Moriens in Horto à Iuda diſcipulo, conſilium traditionis in cor ejus mittente diabolo traditus eſt.

2. IESVS naſcens nocte mediâ, cùm medium ſilentium teneret, omnia in Bethleem, (domo panis) inter nos

homi-

homines prodijt, & noctem in diem vertit.

Moriens mediâ etiam nocte, in Horto Olivarum (ſymbolo miſericordiæ & pacis) comprehenſus & captus, & in urbem deductus eſt: in meridieq; moriens, noctem mundo induxit.

3. IESVS naſcens lachrymas fudit, parvoq́, lacte paſtus eſt.

Moriens ſangvinem ſudavit, & membris planxit omnibus, vino felle miſto, acetoq́; potatus eſt.

4. IESVS naſcens in præſepio, inter bovem & aſinum poſitus eſt.

Moriens in Cruce poſitus, inter duos latrones appenſus eſt.

5. IESVS naſcens pannis involutus eſt.

Moriens veſtibus exutus, nudus pependit.

6. IESVS naſcens faſcijs ligatus eſt.

Moriens ligatus vinculis & catenis, & clavis confixus eſt.

7. IESVS natus, â multitudine Militiæ cæleſtis Salvator dictus & adoratus eſt.

Moriens à multitudine furente ſeductor, blaſphemus, reus mortis, Cruce dignus dictus eſt.

8. IESVS natus, à ſtella cæleſti Magis demonſtratus eſt.

Moriens à Sole & Luna toto univerſo planctus & defletus eſt.

9. IESVS naſcens à Regibus ſive Magis adoratus, & muneribus cultus.

Moriens à Principibus illuſus, contemptus, morti traditus eſt.

10. IESVS naſcens à paſtoribus ovium agnitus, ſalutatus eſt.

Mori-

Moriens à paſtoribus Synagogæ abnegatus eſt.

11. IESVS naſcens octavo die, circumciſus eſt.

Moriens toto corpore in flagellatione, coronatione, crucifixione, ſauciatus eſt.

12. IESVS naſcens nomen IESVS ab Angelo antequam naſceretur nuncupatum accepit.

Moriens à Pilato titulum IESV Nazareni ſuper Crucem appoſitum retulit.

13. IESVS naſcens à Simeone in templo oblatus eſt.

Moriens à Principibus Sacerdotum in Calvario monte crucifixus eſt.

14. IESVS naſcens ab Herode patre perſecutionem paſſus eſt.

Moriens ab Herode filio ſpretus, illuſus, pro ſtulto & inſano iudicatus eſt.

15. IESVS naſcens fugâ vitam ſervavit.

Moriens ultro hoſtibus obviam proceſſit.

16. IESVS duodennis in medio Doctorum interrogans & audiens eos, inventus eſt.

Moriens à Concilio legisperitorum interrogatus, & reus mortis, blaſphemus, damnatus eſt.

17. IESVS à Ioanne baptizatus eſt in Iordane.

Moriens baptizatus eſt in Paſſione.

18. IESVS de cælo à Patre æterno teſtimonium accepit quòd eſſet Filius Dei.

Moriens falſis teſtimonijs accuſatus, & quia Filium Dei ſe fecit, occiſus eſt.

19. IESVS in deſerto tentatus eſt.

Moriens poteſtati tenebrarum traditus eſt.

20. IESVS vivens ad pænitentiam invitavit, & Regnum cælorum appropinquâſſe docuit.

Mori-

Moriens pœnitentiam pro nostris peccatis egit, & Regnum cælorum suo sangvine aperuit.

21. IESVS doctrinam suam ascenso monte promulgavit.

Moriens eandem legem suam in monte super Crucem morte suâ sanxit.

22. IESVS vivens ad Regnum quæsitus est.

Moriens purpurâ indutus, coronatus spinis, arundinem gestans, ut ambitiosus Rex, illusus & salutatus est.

23. IESVS in vita stultus, insanus, furens, dæmoniacus, creditus est.

Moriens veste albâ ut fatuus indutus & illusus est.

24. IESVS vivens aquam in vinum convertit.

Moriens vinum in sangvinem suum transmutavit.

25. IESVS vivens carnem suam in cibum, sangvinem in potum dare promisit.

Moriens in ultima cæna id exhibuit.

26. IESVS vivens dæmonia ex hominibus ejecit.

Moriens dæmonia vicit, arma eorum spoliaque, in quibus confidebant, diripuit.

27. IESVS vivens per Herodem vocem (Ioannem) amisit.

Moriens apud Herodem mutus stetit.

28. IESVS vivens mortuos ad vitam revocavit.

Moriens pro mundo, omnes ad vitam revocavit, & chirographum mortis Cruci affixit.

29. IESVS vivens in monte Thabor transfiguratus est.

Moriens in monte Calvario deformatus, sine specie & decore factus est.

30. IESVS asello gestatus, acclamante populo urbem ingressus est.

Moriens ipſe ſuâ Cruce onuſtus, triumphantibus inimicis extra urbem ductus eſt.

31. IESVS vivens à Magdalena ad ſepeliendum unctus eſt.

Moriens ſputis fædè illitus, mortuus, à Ioſepho & Nicodemo cum aromatibus ſepultus eſt.

32. IESVS vivens ubi caput reclinaret non habuit.

Moriens inclinato ſeu pendulo capite expiravit, & alieno in ſepulchro conditus eſt.

Hunc in modum omnia ferè opera, & præcepta, conſilia, miraculaq; Chriſti Domini poſſunt alicui parti Paſſionis Chriſti vel comparando, vel contraponendo, conferri: ſed hæc in ſpecimen attuliſſe ſufficiet.

XVIII.

Vt Meditator pius condiſcat negotium mortis quàm arduum ſit, conferat ea, quæ cum Chriſto & à Chriſto geſta tolerataq; ſunt in Paſſione, cum his, quæ in morte cujusq; hominis (juſti impijq; proportionaliter) geruntur, & ab eo tolerantur. Ex modo 58.

1. IESVS ante Paſſionem & mortem ſuam lavit pedes Diſcipulorum ſuorum. Homo quilibet morti ſe vicinum ſentiens rationabiliter lavare debet, & quàm abſolutiſſimâ Sacramentali confeſſione, pænitentiâq; expiare conſcientiam ſuam. Memor illius, quòd Sapientiſſimus Auguſtinus monuit tam verbo, quàm exemplo proprio. Quantumlibet perfectum Sacerdotem neminem debere ſine pænitentia ex hac vita decedere.

2. IESVS ante mortem admirabile humilitatis tum præ-

præceptum, tum exemplum edidit. Moriturus homo quàm maximè ſeſe ad mortem humilitate mentis, contritione cordis, contemptu mundi, vilipenſione, & diffidentiâ ſui demittere, & communire, & ſolidare debet.

IESVS moriturus Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento tanquàm viatico extremo ſeſe pavit; & ſuos Diſcipulos confortavit. Moriturus homo absq; hujus Sacratiſſimi Viatici proviſione atq; confortatione, item absq; Sacræ & ad mortis & diaboli tali maximè horâ ſævientis inſidiantisq; luctam, extremæ ſimul ac utiliſſimæ Vnctionis munimine, progredi non debet. 3.

IESVS moriturus graviſſimis & ſvaviſſimis de charitate unioneq; cum Deo & proximo ſermonibus, affectibus, ceu ignibus, ſeſe omnesq; præſentes ſuos inflammavit. Et moriturus homo, omni quidem ſtatui animæ ſuæ congruo affectuum & cogitationum genere, at potiſſimùm Divinæ & proximorum charitatis ſtudijs exercere atq; ſaginare animam ſuam quàm maximè curabit. Nunc quidem corde contrito & humiliato univerſalem pro ſuis omnibus & ſingulis peccatis planctum indicendo. Nunc ignitos charitatis affectus in Divinum cor de corde ſuo ejaculando. Nunc deſiderijs aſſiduis, è corporis vinculis, peccatorumq; laqueis evolandi, ad Deum verò perveniendi, æſtuando. Nunc ſeſe pleniſſimâ ſuâ voluntate in omnem Dei circa ſe voluntatem & ordinationem reſignando. Nunc omnes ab alijs quibuscunq; quomodocunq; offenſas oblatas, ex corde ſuo eliminando, in ſangvine vulneribusq; Chriſti ſepeliendo, & propter charitatem Dei medullitùs condonando. 4.

IESVS Paſſionis & mortis ſuæ primordia ab Horto Getſemanico & Oliveti monte exorſus eſt. Nimirum peccatorum & mortis humanæ miſeria calamitasq; in Pa- 5.

radysiaco horto inchoata, in horto viciſſim initium remedij ſumere debuit, ut inimicus noſter, qui in horto vicerat, in horto quoq; vinceretur. Sed & homines diſcere oportet, nusquam mortem ob memoriam oculosq; non habere etiam in horto, etiam in Paradyſo voluptatis, & in ſtatu feliciſſimæ dignitatis.

6. IESVS in Horto cœpit pavere, tædere, contriſtari, & mæſtus eſſe. Iſta eſt imago moribundorum hominum in quovis ſtatu degentium, & ad mortem pergentium: quis eſt enim, qui ſi ſua mala ut par eſt nôrit, non repetat cum Sancto Iob: *Tædet animam meam vitæ meæ.* Iob 10. 1. Quis mortalium, præſertim amantium hanc vitam, & habentium pacem in ſubſtantia ſua, eſt talis, qui ad nuntium mortis amaritudine non repleatur, non metu & mærore concutiatur.

7. IESVS initia Paſſionis mortisq; ſuæ oratione ad Patrem, avulſione à Diſcipulis, ſolicitudine pro ijsdem, & eorundem reviſione, conſecrat. Id ipſum præſtandum mori piè & Chriſtianè volentibus: avellant omnem animum, affectum, à rebus hujus ſæculi, & curas ſuas ad æternitatem procurandam transferant. Totos ſe voluntati Divinæ & orationi impendant, quæ verò muneris & obligationis ipſorum ſunt, ita non omittant, ut etiam talibus licèt in hortis ſuæ curæ commiſſos ad Deum ducere, ad meliora hortari, contra tentationes munire non negligant: ſcientes nulli quàm obedientiæ actioni ſanctius Dei ſervos & Chriſti imitatores immori poſſe.

8. IESVS ab Angelo confortatur. Inter morborum & mortis pericula, laboresq; maximè opus eſt Angelicâ cuſtodiâ atq; præſidio: tunc ergo vel maximè Sanctorum Angelorum emerenda præſidia, tunc expoſcenda contra adverſarias poteſtates eorundem auxilia.

IESVS imagine & memoriâ mortis, dolorumq́; illi- 9.
us perculsus agonizat. Si tantus gigas tantùm horrore mortis percellitur: quis miretur percelli homines miselłos & ipsâ fragilitate fragiliores? Magis mirandus plerorumq́; mortalium lapideus stupor, qui mortis memoriâ usq́; adeo non percelluntur, non ad meliora consilia à pessimis profligatissimisq́; studijs & moribus pertrahuntur, ut abjectum nescio quid & plebejum dictitent, ob metum ingruentis mortis, animo piè commoveri, agitare conversionis & pænitentiæ consilia, rationes cum conscientia & Deo inire, æternæ damnationi remedium quærere, Deo reconciliari velle. O brutam generositatem! ô ipsis dæmonibus ridendam ac lugendam! animi scilicet firmitatem. O verè *cor* impiorum *indurabitur tanquam lapis, & stringetur quasi malleatoris incus.* Iob 41. 15.

IESVS sangvinem sudat moriturus. O incredibiles 10.
morientium & agonizantium hominum angustias! Dominus IESVS ipsa licèt Innocentia atq́; Sanctitas, Deus licèt simulq́; Homo: licèt per sese robustissimus, licèt ab Angelo etiam confortatus, tamen appropinquans ad portas mortis, & in agone positus sudat, & sangvinem quidem sudat præ cordis & sensûs totius angustia. Quid quæso hominibus miseris, fragilibus, flagitiorum conscijs, de salute periclitantibus undiq́; circumseptis, partim doloribus mortis, partim gemitibus inferni, partim angoribus conscientiæ, partim diabolicis tentationibus, partim Divini districtione iudicij, quid unquam hominibus angustiarum in illa hora non accidit? Vtinam hoc præcogitent mortales morituri moribundiq́; homines.

IESV agonizante dormiunt Discipuli. Sic sic ho- 11.
minibus in morte positis accidit quotidie, agonizat ille vel ille, æternitatis vias ingreditur, morborum dolori-

 bus

bus in mortem urgetur, interea verò domeſtici ejus de ſtatu animæ morientis tam ſolicitè agunt, quàm dormientes vigilantium curam gerunt. Et illi quidem corpori medelam provident, illi ſteriles fundunt lachrymas, illi ad ſpem propinquantis hæreditatis in corde lætantes, ne tardè moriatur, neve convaleſcat moribundus, ſolicitudinem intra ſe gerunt: propinquam certamq́; mortem pleriq́; diſſimulant, nec tali nuntio infirmum ſcilicet percellere audent. O *inimici hominis domeſtici ejus!* Matth: 10. 36.

12. IESVS oſculo ad mortem traditur. Ita eſt: Amores noſtri tyranni noſtri, deliciæ noſtræ venena noſtra: ibi maximè letaliter vulneramur, ubi ſvaviſſimè deliciamur. Inde nobis laqueus mortis nectitur & inijcitur: unde omnia ſecura, tuta, amica, blanda, ſalubria, expectabamus ſpondebamusq́; quàm ſæpe dum ludimus lædimur, dum maximè vitam nobis vivere ingrediq́; medullas ejus videmur, ipſas mortis fauces nos ſubintrâſſe experimur. Deniq́; omnes creaturæ, omnia bona hujus vitæ quid ſunt? quid agunt nobiſcum? niſi nos Iudæ traditoris oſculo oſculantes, in mortis extremæ perniciem præcipitant. Oſculatus eſt, guſtavit pomum primus Adam, ſed illo guſtu & ipſe mortem hauſit, & toti generi ſuo nobis ſcilicet omnibus propinavit, imò nos inebriavit. Diſcite homines inter blandimenta creaturarum à Chriſto dicere & diſcernere. *Amice, ad quid veniſti? Iuda, oſculo Filium hominis tradis,* oſculo homicidium perpetras.

13. IESVS capitur, ligatur, ad Iudices & examen trahitur. Iudicatur, damnatur, plectitur. Hæc tota geſtorum circa Dominum noſtrum ſeries, imago & idea eſt hominis morientis atq́; mortui. Etenim tunc miſer ho-

mo

mo funibus peccatorum ſuorum in anima conſtrictus, prætereaq; morborum vinculis dolorumq; in corpore ligatus, ab infernalibus lictoribus tanquam à leonibus præparatis rugientibusq; ad eſcam, ante Tribunal Iudicis Dei ſiſtitur. Ah quid non ibi objectant miſellæ animæ amariſſimi exprobratores accuſatoresque! O quomodo non facta infectaq; vera & falſa in medium profe-runt! quomodo non omnia in majus augent? quomodo non deſperationis laqueos nectunt? quomodo de conſcientiæ libro depromunt? Nos audivimus, nos vidimus hunc dicentem, committentem, delinquentem. Heu quoties inclamant contra miſerum hominem! Reus eſt mortis, reus eſt. Blaſphemavit, Deum contempſit, Majeſtatem violavit, voluntatem transgreſſus eſt. Huic accuſatorum furori, ſi merita mala animæ, ſi æqua Iudicis ſententia ſuffragatur: heu quomodo tunc exclamatur, quomodo inſultatur, quomodo exſpuitur in faciem, quomodo colaphiſatur, palmis cæditur, & deniq; totâ æternitatis nocte plectitur, torqueturq; anima infeliciſſima.

IESVS flagellis cæditur, ſive ut Pilatus aiebat, cor- 14.
ripitur & emendatur. Idem ſpinis coronatur, miſerrimus Rex dolorum illuditur. Hæc omnia & ſunt hominibus documenta moriendi, & paradigmata morientis. Quàm enim multiplex numeroſusq; carnifex conſcientia, quàm innumeris ſuccincta flagellis obſtrictam animam ſurdo quidem at ſævo verbere cædit. Omnium veritate dicere poteſt. *Fui flagellatus totâ die, & caſtigatio mea in matutinis*. Pſal: 72. 14. & in veſpertinis, & in profundis usq; noctibus. Iam quantæ ſpinæ hujus vitæ curæ? quàm vacuæ & inanes arundines hominum ſpes fallaces? Porro quid meliùs conſultiusq; fecerit homo ſanctè & piè moriendi cupidus, quàm ut dum tempus habet opere-

tur

tur bonum, & semetipsum iudicet, corpus suum castiget, totum se in servitutem redigat, semetipsum coarctet, & constringat, viasq; suas omnes spinis circumsepiat, ut non cum hoc mundo à Domino iudicetur, damnetur, corripiatur. *Horrendum* enim *est incidere in manus Dei viventis*. Ad Hebr: 10. 31.

15. IESVS ad Crucem postulatur, addicitur, eâdem oneratur, eidem affigitur, in eadem quantumvis acerbissimè lingvis configitur, acetoq; potatur, constantissimè tamen & mansvetissimè perseverat. O hominem ter felicem cui hæc ad mortem panditur, paratur, donatur via. Crucis scilicet atq; crucifixionis & in Cruce constantissimæ mansvetissimæq; fortitudinis, atq; consummatæ mortis. Quid huic ad salutarem sanctamq; mortem desit: qui ipsissima premit vestigia Domini crucifixi. *In patientia vestra* (ait Dominus) *possidebitis animas vestras*. Luc: 21. 19. Igitur quisquis ad societatem sanctæ & beatæ Christi mortis anhelas? tolle crucem post IESVM, mortificationem IESV Christi in corpore tuo, magis autem in spiritu tuo circumfer. Sit tibi mundus crucifixus, & tu vicissim mundo; absit tibi gloriari in ullo alio bono, nisi in Cruce Domini IESV Christi. Cui etiam configaris in eadem Cruce, & omne acetum tribulationum, omne fel amarissimarum lingvarum, omnem myrrham detrectantis sensus, ne refuge, sed exhauri, adeo avidus, ut etiam superabundans desiderio Crucis Domini animosè clames, sitio, sitio. Sitit enim sitiri Crucem suam à servis suis IESVS crucifixus.

16. IESVS in Cruce Patrem pro crucifixoribus exorat. Paradysum Latroni largitur. Matrem Discipulo, Discipulum Matri commendat. Suam & sitim non minùs amoris quàm doloris, & à Patre derelictionem manifestat.

Omnia

Omnia consummata esse in se & à se protestatur, deniq; Spiritum suum purissimum pijssimumq; in manus Patris tradit, & dimittit, sed in Cruce, sed de Cruce. Et hic esse regulam ideamq; sanctæ & consummatæ in Domino mortis, evidentiùs est, quàm ut explicatione longiori egeat. Sancta mors usq; adeo non fovet inimicitias, ut etiam pro inimicis in bonum eorum sit solicitissima apud Deum, sancta mors nihil sibi reliquum reservat, sed vel ipsa Paradysi bona in egentes & petentes distribuit. Ad sanctam mortem nullum tempus vitæ importunum est, dummodo vel in extremo halitu IESVS crucifixus ametur, & Crux ejus sincero corde acceptetur. Quid verò ad sanctam mortem tam requisitum, quàm patrocinium & refugium Dei Matris? Quis sanctiùs atq; securius mori potest, quàm cui Mater MARIA, quàm qui Filius factus MARIÆ eam accipit in sua, & habet inter bona hæreditaria sua. Semper quidem esuries ac sitis iustitiæ beatitudinem parit, at eam vel maximè appropinquante Fine nostro in cordibus nostris excrescere convenit. Voluntas enim nostra bona non secundùm quòd non habet, sed secundùm quòd habet, id est, perficere exoptat, accepta est, & præmium habet apud Deum. Iam verò semper quidem nos habitare in adjutorio Altissimi, & commorari in protectione Dei cæli, necesse est: at verò circa terminos vitæ, confiniaq; mortis quàm maximè; quàm obstinatissimè: tunc enim si quando insidiatur draco, circuit rugiens leo devorandi avidus, sciens quia modicum tempus habet. Dum ergo tempus breve est, dum particula boni diei elabi festinat: sub umbram alarum Domini confugiendum: dicendumq; Deo est. *Susceptor meus es tu, & refugium meum; Deus meus, sperabo in eum.* Libera *me secundùm multitudinem misericordiæ*

diæ nominis tui à rugientibus, præparatis ad escam; de manibus quærentium animam meam, & de portis tribulationum quæ circumdederunt me. Eccl: 51. Et usq; in senectam & senium Deus ne derelinquas me.

17. Atq; hoc etiam diligenter procurandum est, ut à negotio temporeq; mortis inveniatur in nobis non consummata, sed consumpta omnis malitia, virtus autem & omnis bona operatio non consumpta, non etiam inchoata solùm, sed consummata, sed perfecta, sed omnibus numeris absoluta. Vt non sit dicere. *Dum adhuc ordirer, succidit me:* Isai: 38. 12. Sed potiùs dicere sit de nobis. *Ingredieris in abundantia sepulchrum, sicut infertur acervus tritici in tempore suo.* (Iob 5. 26.) *Væ prægnantibus & nutrientibus in illis diebus.* Matth: 24. 19. Optimum autem & planè beatum est: quando *quasi meridianus fulgor consurget tibi ad vesperam: & cùm te consumptum putaveris, orieris ut Lucifer.* Iob 11. 17.

18. Deniq; quis portus magis securus, quæ statio magis fida? quàm in manus Æterni Dei, Æterni Patris commendare & tradere spiritum? sed Spiritum Christi, spiritum simillimum Spiritui Christi, spiritum purificatum, vestitum, ornatum, dotatum, & gratijs, & meritis, & prærogativis, Spiritûs Christi, ipso demum Spiritu Christi. Sicut enim qui Spiritum Christi non habet, hic non est ejus, neq; Patris ejus; ita viciſſim qui Spiritum Christi habet, in cujus corde diffusa est charitas Christi per Spiritum Sanctum Christi, hic est omnino ejus, & Patris ejus, & Spiritûs Sancti ejus.



XIX.

XIX.

Certum eſt Paſſionem Chriſti quoddam iudicium fuiſſe, non illud tantùm, quo ipſe ab impijs iniquè iudicatus & damnatus eſt, iuxta illud Prophetæ dictum: *Cauſa tua quaſi impij iudicata eſt, cauſam iudiciumq; recipies.* *Iob* 36. 17. Sed etiam illud, quod ipſe partim in ipſa Paſſione ſua exercuit, partim in mundi fine exerciturus eſt. Clarè id ipſemet Dominus exprimit. *Ioan:* 5. 22. *Neq; enim Pater iudicat quemquam: ſed omne iudicium dedit Filio. & v.* 27. *Poteſtatem dedit ei iudicium facere, quia Filius hominis eſt. Etiam Ioan:* 12. 31. *Nunc iudicium eſt mundi: nunc princeps hujus mundi eijcietur foras.* Sed vel maximè exercendi olim à ſe iudicij in omnes homines, luculentam Dominus prædictionem denuntiationemq; fecit apud univerſum Concilium, & coram ſummo Pontifice Caipha, à quo cùm eſſet adjuratus ut rediceret, eſſet ne Filius Dei & Chriſtus? ita reſpondit: *Tu dixiſti. Ego ſum. Verùmtamen dico vobis, amodo videbitis Filium hominis ſedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cœli. Matth:* 26. 64. *Marc:* 14. 62. *Luc:* 26. 69. Poſſunt

etiam illa verba Christi ad hanc sententiam applicari, quæ mulieribus super se plorantibus atque lamentantibus dixit. *Filiæ Ierusalem nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, & super filios vestros. Quoniam ecce venient dies, in quibus dicent: Beatæ steriles, & ventres qui non genuerunt, & ubera quæ non lactaverunt. Tunc incipient dicere montibus: Cadite super nos: & collibus operite nos. Quia si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?*

Quæ Domini sententia, ac prædictio, etsi respicere videatur vastationem eversionemq; Ierosolymæ, quæ post mortem Domini quadragesimo anno facta est, indubitatè tamen etiam respexit iudicium universale, & eversionem ultimatam Babylonis, seu omnis reipublicæ impiorum: cujus figura fuit ipsa illa Ierosolymæ devastatio per Romanos facta. Maximè autem hoc evincit illa Dominica sanè pathetica, & comparatio, & interrogatio, & exclamatio. (*Quia si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?*) Hic enim Dominus lignum viride ligno arido, factis in viridi ligno, futura in arido confert; & à minori ad majus arguens, indubitatè miserabiliora eventura denuntiat ligno arido, id est cuilibet impio, quàm evenissent ligno viridi, & fructifero, ipsi nimirum Christo.

His ita declaratis Meditatio institui poterit per comparationem viridis ligni cum arido, & simul gestorum in viridi cum gerendis in arido. Cujus collationis aliquantulam speciem hoc loco exhibeo.

I. IESVS venditus est, & traditus in manus peccatorum. Vnusquisq; peccator & omnis turba peccatorum venundabitur infelix: & diabolus stabit à dextris cujuslibet,

& iam extunc dicetur tam his, quàm illis. *Hæc eſt hora veſtra & poteſtas tenebrarum.*

II. IESVS factus eſt triſtis usq; ad mortem, & ſudavit etiam ſangvinem. Sudabit etiam omnis turba peccatorum, ſudabit; & præ anguſtia ſpiritus gemet, eritq; ejus animæ triſtitia usq; ad mortem ſine morte. Areſcentibus nimirum hominibus præ timore & expectatione. Si iuſtus vix tunc ſalvabitur, impius & peccator ubi parebunt?

III. IESVS captus eſt, & vinculis ligatus tanquam latro, &c. Omnes peccatores terræ, ligati vinculis & compedibus peccatorum ſuorum, non tantùm quia in animabus, ſed etiam in corporibus ſeparabuntur tanquam hædi ab ovibus, & à ſiniſtris collocabuntur.

IV. IESVS accuſatus, examinatus, reus mortis iudicatus eſt. In iudicio peccatorum aperientur libri conſcientiarum. Omnes enim nos manifeſtari oportet ante Tribunal Chriſti, ut recipiat unusquisq; propria corporis ſive bonum, ſive malum. Tunc erit conſcientia impij quaſi mille accuſatores, & quaſi mille teſtes, tunc nemo reſpondebit Iudici Chriſto unum pro mille: tunc Iudex arguet, & ſtatuet unumquemq; contra faciem ejus.

V. IESVS ad flagella nudatus, & flagellis cæſus eſt. Stabit & quilibet peccator in oculis totius cæli & terræ nudus tam animâ quàm corpore, & dicetur de eo. Ecce homo & opera ejus, & operiet confuſio faciem illius, & flagellum peccatoris veniet ſuper eum, nunquam per omnem æternitatem receſſurum ab eo.

VI. IESVS coronatus, illuſus, conſputus eſt, & cum voce ecce homo monſtratus eſt. Coronabitur caput omnis peccatoris ſpinis peccatorum ſuorum, & ſicut diploidem induet confuſionem, & illudet ei omnis creatura, armabiturq; contra eum à quo ſervire ſibi compulſa fuit ad malum. Tunc

omnia solatia hujus vitæ vertentur in spinas, tunc spes omnes in cassam arundinem convertentur: tunc dicet de peccatore tyrannus & captivator ejus diabolus *ecce homo*, & scelera ejus: tunc à planta pedis ad usq; verticem supergressas eum iniquitates ostendet, dicens & amarè improperans per singula scelera. Ecce homo ille, qui pro eo quòd Deum Factorem & Salvatorem suum colere debuit & amare, me suum & Dei hostem amavit, mihiq; ad voluntatem meam servivit. Ecce homo ille, qui Christum Dei Filium Hominem pro se factum, atq; crucifixum ostentui habuit, & crucifixit. Ecce homo ille, qui Dei & Christi legem noverat, beneficia acceperat, tot auxilia salutis, tanta pænitentiæ spatia habuerat, par tamen gentilibus, imò pejor gentilibus vixit. Ecce homo, qui annos vitæ in sceleribus traduxit, qui toties redijt ut canis ad vomitum, ut sus lota ad volutabrum luti, qui speravit in incerto divitiarum cui Deus venter erat, qui pauperem & pupillum devorabat, &c.

VII IESVS à Pilato manus lavante, & à populo sangvinem Christi super se & filios assumente, damnatus est mortis sententiâ. Lavabit etiam IESVS Iudex manus suas in sangvine omnis peccatoris: & sangvinem cujusq; dabit super caput ejus, & dicet: *Nescio vos. Discedite à me operarij iniquitatis maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis ejus.* (Matth: 25. 12. Luc: 13. 27. Matth: 25. 41.) Succlamantibus inter hæc creaturis omnibus; *tolle, tolle, crucifige, crucifige*, sangvis ejus super caput ejus, tollatur impius, ut non videat faciem Dei.

VIII. IESVS felle & aceto potatus est, atq, onustus Cruce, locum mortis petijt. Tunc etiam peccatoribus omnia in fel amaritudinis & in obligationem iniquitatis commutabuntur, ipse etiam Deus, ipse Christi sangvis, ipsa Misericordia, Bonitas, & Charitas: tunc portabunt omnes im-

pro-

properium damnationis æternæ. Tunc aperiet terra os suum, & deglutiet eos infernus vivos; & descendent in infernum sicut plumbum aut lapis, unus ex eis non remanebit, & ascendet fumus tormentorum eorum in sæcula sæculorum.

IX. IESVS clavis Cruci affixus est. Configentur etiam & affigentur impij omnes in carne & anima clavis æternæ damnationis, & sententiæ, abjectionisq́; immutabilis, & ibunt in combustionem æternam, cujus non erit finis, nisi quando Deus, qui semper est Deus, desinet esse Deus.

X. IESVS ab omni genere hostium illusus & blasphematus est in Cruce pendens. Et peccatori, omnis creaturarum populus, omnis natio Electorum, omnis turba damnatorum, dæmonum improperabit, & illudet, quoniam *noluit benedictionem, & elongabitur ab eo.* Elegit *maledictionem, & veniet ei*, & implebitur ab ea. Psal: 108.

XI. IESVS se à Deo derelictum clamavit. Clamabit & omnis peccator quod olim Caim dixit Deo: *Ecce ejicis me à facie tua:* clamabit Deo. Deus, ut quid dereliquisti me, Deus autem respondebit: Dereliqui te, quia dereliquisti me fontem aquæ vivæ, & fodisti tibi cisternas dissipatas, & ecce relinquetur tibi domus tua deserta in æternùm. Clamabunt insuper etiam dæmones: Deus dereliquit eum. Euge, euge, devorabimus eum.

XII. IESVS in Cruce clamavit sitio, & aceto potatus est. Reprobi quoq́; omnes in flammis ustulati, & igne saliti, cum epulone illo guttam aquæ petent propter cruciatum flammarum, neq́; tamen obtinebunt in æternum.

XIII. IESVS in Cruce dixit, consummatum est. Peccatores damnati & in infernum amandati, inq́; æternam combustionem absorpti, desperatis vocibus dicent, consummatum est, quia in inferno nulla redemptio. Consummabitur peccator, & consumetur, & descendet in infernum vi-

vus

vus, & claudetur puteus abyssi, clavem autem clausuræ ejus accipiet Deus, deponetq; illum in æternitate & immensitate oblivionis, ut nunquam memoretur illorum ampliùs.

XIV. IESVS inclinato capite tradidit Spiritum. Peccatores miseri dejectis & obstipis capitibus tradent corpora animasq; suas diabolo, & angelis ejus. Mors secunda, mors æterna, mors vivens depascet, & pascet eos, & sepeliet in terra oblivionis inter illos, quorum Deus non est memor ampliùs.

XV. IESV mortuo petræ scinduntur, & sepulchra aperiuntur, & velum Templi scinditur, & homines percutientes pectora sua revertuntur. O peccatores, ne sitis mortuis mortui magìs, ne petris duri magis, ne terræ mole immobiles magìs. Memores estote iudicij IESV: sic enim erit & vestrûm: sed longè maiore cum differentia, infinitè cum dispari exitu. IESVS enim post Baptismum Passionis gloriâ & honore coronatus, in cælis Thronum ad dexteram Patris accepit, at vobis in duro & impænitente corde sepultis supererit semper æterna damnatio, lamentatio, maledictio. Ita quod factum est in ligno viridi, fiet longè miserabiliùs etiam in arido: sed ne fiat in arido, factum est in viridi; si tamen lignum aridum studuerit sese in vitæ & morum, & passionis imitatione conformare ligno viridi.

Sed libet hunc modum ipsius Christi Iudicis ad peccatorem verbis concludere, quibus eum loquentem facit S. Augustinus serm: 181. de temp: Quid faciet (peccator pænitentiæ remedia nunc negligens & contemnens) in illo metuendo iudicij die, cûm tremente mudo Dominus præcinentibus Angelorum buccinis, in illo Majestatis suæ Throno circumdatus cælestis Militiæ luce consederit, ibiq; de terræ gremio & antiquo pulvere suscitato humano genere, astante conscientiæ testimonio singulorum, positis in conspectu peccatorum pænis, iustorumq; præmijs, rationem vitæ cæperit

postu-

postulare, & plùs iam iustus quàm misericors, severitate Iudicis contemptæ misericordiæ reos cæperit accusare, & dicere. Ego te homo de limo manibus meis feci, ego terrenis artubus infudi Spiritum, ego tibi imaginem nostram similitudinemq; conferre dignatus sum, ego te inter Paradysi delicias collocavi, tu vitalia mandata contemnens, deceptorem sequi quàm Deum maluisti. Cùm expulsus de Paradyso iure peccati, mortis vinculis teneberis, Virginalem uterum sine dispendio Virginitatis pariendus introivi, in præsepio expositus, & pannis obvolutus iacui, infantiæ contumelias, humanosq; dolores, quibus tibi similis fierem, ad hoc scilicet, ut te mihi similem facerem pertuli: irridentium palmas & sputa suscepi, acetum cum felle bibi, flagellis cæsus, vepribus coronatus, Cruci affixus, vulnere perfossus, ut tu eripereris morti, animam in tormentis dimisi. En clavorum vestigia, quibus affixus pependi, & perfossum vulneribus latus, suscepi dolores tuos, ut tibi gloriam darem, suscepi mortem, ut tu in æternum viveres. Conditus iacui in sepulchro, ut tu regnares in cælo. Cur quòd pro te pertuli, perdidisti? Cur ingrate redemptionis tuæ munera renunciâsti. Non ego te de morte tua quæro? Redde mihi vitam tuam, pro qua meam dedi; redde mihi vitam tuam, quam vulneribus peccatorum indesinenter occidis. Cur habitaculum quod mihi in te sacraveram luxuriæ sordibus polluisti? Cur corpus meum illecebrarum turpitudine maculâsti? Cur me graviore criminum tuorum cruce quàm illa, in qua quondam pependeram, afflixisti? Gravior enim apud me peccatorum tuorum crux est, in qua invitus pendeo, quàm illa in quam tui misertus, mortem tuam occisurus ascendi. Cùm essem impassibilis pro te pati dignatus sum, sed tu despexisti in homine Deum, in infirmo salutem, & quia post omnia mala tua ad medicamenta pænitentiæ confugere noluisti, ab auditu malo non mereberis liberari.

Qui tunc erit ſtridor dentium, cùm Sanctorum multitudine ad dexteram Regis, & ad gloriam ſegregata, peccati populus in profundo tartari ſine ulla miſerationis ac veniæ ſpe demerſus excludi ſe tenebris ſuis à beatâ Sanctorum luce viderit, & in profundi ſinum ſine fine deſcendens, urgente os ſuum puteo, æterna ſupplicia, & perpetuam mortem non moriturus aſpexerit. Hactenus ex Divo Auguſtino.

XX.

Sed liceat etiam contemplari Paſſionem Domini eo modo, quem uſurpâſſe traditur S. Auguſtinus: quando nimirum conſtituens ſeſe devotiſſimus Pater contemplatione, medium inter Chriſtum paſſum, & inter Matrem ejus Sacratiſſimam nunc huc, nunc illuc, atq; utrobiq; immenſam beatæ pietatis materiam cernens, quin & hauriens, animi veluti dubius devotiſſimè dicebat. Poſitus in medio quò me vertam neſcio: hinc paſcor à vulnere, hinc lactor ab ubere.

I. Ad hunc enim modum licebit cuiq; paſſi IESV, ejusq; Matris MARIÆ amatori ſeſe medium amborum cum reverentia & pietate corpore ſimul animoq; ſtatuere, atq; alternante devotionis æſtu, nunc ad IESVM paſſionibus vulneribusq; cumulatum, nunc ad Matrem ejusdem miſericordiæ ubera promentem ſeſe obvertere, & utriusq; pijſſimam redundantiam, opportunitatem, commoditatem, ſpectando expendendoq; animo veluti dubium fluctuare, demirari, hic, illicq;

hære-

hærere, morari, ac rursum redire, rursumq; anhelare: utriq; sese humiliare, submittere, donare, utriusq; amorem, obsequium, gratiam, protectionem, familiaritatem, delicias, opesq; ambire, exorare, capere.

II. Aliquando licebit oculos cordis corporisq; nunc in IESVM passum omnis miserationis Patrem, nunc verò in MARIAM misericordiæ Matrem defigere, & aut suas necessitates internas externasq; alterutri vel utriq; denarrare sublevandas, aut communia quædam publicaq; negotia recommendare, aut singularia pro se, proq; alijs beneficia reposcere, aut pro collatis nunc olimve beneficijs plenas gratias agere aut promeritas pœnas deprecari.

III. Aliquando licebit IESVM passum (patientemve) indigna omnia Matri ejusdem, vel contra Matrem misericordissimam IESV passo ostendere & exhibere, & animam propriam utriusq; ergà alterum affectibus & amoribus pascere, aut ab IESV per MARIÆ ubera; aut à MARIA per IESV vulnera, totum quidquid piè sanctèq; collibuerit exposcere, imò & exigere, interposita alterius apud alterum tanquam pignore, illâ amoris redundantiâ, illâ ad miserendum reciprocâ propensione, ac veluti obligatione.

IV. Aliquando licebit suo cum animo quamnam in partem primo, in quam autem secundo sese convertat & affigat deliberare: deliberationis materiam non levem suggerentibus, inde quidem turgidis omni gratiarum dulcedine uberibus, illinc verò fæcundis omni sanitatum & bonorum fructu vulneribus, tandem autem deliberatione conclusâ alterutram partem arripere, & sese in ea saginare, saginatum verò in una ad alteram nova & irritata tantummodo fame, sitiq; sese applicare, inibiq; demergere.

V. Aliquando licebit uni parti supplicem fieri, ut supplicantem alteri commendet, ejusq; oculis & curâ dignum

de suis thesauris abundè faciat; vicissim verò licebit ab altera alteri parti commendatum ditatumq; remanere apud ipsam, eiq; adhærere.

VI. Aliquando licebit vas cordis proprij nunc Christo vulneribus sangvineq; redundanti, nunc Matri lac misericordiæ stillanti exponere ac supponere, vel ab utriusq; pretiosissimo efficacissimoq; fonte vel tanquam pollutum abluatur, vel tanquam inane omni bono repleatur, vel tanquam miserè saucium morbidumq; perfectè sanetur, vel tanquam aridum & sterile irrigetur ac fæcundetur.

VII. Aliquando licebit dare animam Matri misericordiæ, ejus ut misericordijs lactata & nutrita, à lacte parvulorum transmittatur ad solidum Passionis Crucisq; Christi cibum; vicissim verò licebit dare eandem animam Christo patienti, ut solido Crucis, vulnerum, improperiorumq; ejus cibo saginata, apud ubera gratiæ Maternæ recreetur, sicq; anima & lactis particeps fit, & tamen solidi cibi non expers.

VIII. Aliquando licebit duobus his (IESV passo, & MARIA Matre) veluti paradysis aut cælis gloriantem, utriusq; fructibus gaudentem ac divitem, per eos ad tertium cælum consummatæ charitatis perfectæq; unionis & conformitatis cum Deo, non solùm aspirare, sed etiam gradum facere ac introire; iuxta illud Christi verbum, *per me si quis introierit, salvabitur: & ingredietur, & egredietur, & pascua inveniet.* Ioan: 10. 9. gloriam nempe Sanctissimæ Trinitatis, ejusq; magnalia contemplando transformabitur de claritate in claritatem 2. Cor: 3. 18.

IX. Aliquando licebit in vulneribus Christi ubera in uberibus MARIÆ vulnera commutatis vicibus reperire, atq; ab uberibus vulneratum Maternis, inter ubera vulnerum IESV sanari, ab uberibus autem vulnerum IESV inebriatum, inter vulnera Maternorum uberum, sobriam spiritus ebrietatem bibere.

X. Aliquando licebit cum adolescentulis animabus primitias ferventis spiritûs ad obsequium Dei apud Materna ubera emendicare ac exsugere: cum solidis autem atq; perfectis apud vulnera passi, pauperis, contempti, stulti, crucifixi, IESV supereminentem scientiam, veramq; sapientiam, in plenitudine cordis haurire, & charitatis longitudinem, latitudinem, sublimitatem, profundumq; subingredi ac penetrare cum omnibus Sanctis. Ephes: 3.

XI. Aliquando licebit passis brachijs manibusq; animæ IESVM hinc, MARIAM illinc, complecti: atq; coram cælo & terra, coram Deo & Angelis, Sanctisq; ejus in Domino gloriari non insipienter de tam beata sua sorte: hoc est de possessione IESV & MARIÆ, de thesauris, de sanitatibus, de virtutibus, de meritis, de gratijs, de protectione, &c. Licebit etiam confidenter omnibus infernalibus protestantibus insultare atq; dicere v. g. Ecce Crucem Domini, fugite partes adversæ. Ecce mulierem quæ calcaneo suo contrivit caput tuum ô serpens antique! Licebit Apostolico animo dicere. Quis nos separabit à charitate Christi, & à dilectione ejus Matris? certus sum, quia neq; mors, neq; vita, &c. Licebit abrenunciare omnibus mundi rebus, possessionibus, atque hujus vitæ curis: solâq; hâc duplici hæreditate contentari; inter IESV & MARIÆ providentiæ pietatisq; plenissimas manus secum in pace in id ipsum dormire atq; requiescere. Et huic uni curæ superimpendi quomodo IESV & MARIÆ per omnia conformeris, atq; complaceas amplius & amplius assiduò.

XII. Aliquando licebit prostratum coram IESV & MARIA utrosq; varijs & heroicis, seu virtutum præcipuarum, seu affectuum ferventium, seu mortificationum, victoriarumque internarum externarumq; actibus coronare, cumulare, venerari, deprecari, extollere, gratiarum actione prosequi,

ad usq; expletionem famis tuæ, usq; ad contentationem oblectationemq, cordis & desiderij amborum.

Plura hujusmodi ad imitationem Sanctissimi ac devotissimi Patris Augustini, inter vulnera IESV, interq; ubera MARIÆ multis mirisq, modis deliciantis, atq; diffluentis excogitare, atq; usurpare licebit cuiq; exercitiorum genera. Hæc duodecim in exemplum dedisse sufficiet.

Hæc plerumq; ex Modis R. P. Drużbicki meditandi Passionem Dominicam descripta sunt. Si verò devotissimus Lector non contentus his plura desiderat, præter aliorum, habet in ejusdem Authoris Centuria copiosissimos meditandi modos. Insuper seorsivè.

IN PASSIONEM DOMINI MEDITATIONES QVADRAGINTA SEX

Iuxta numerum dierum Quadragesimæ.

MEDITATIO I.

Feriâ 4. Cinerum.

Lotio pedum, Institutio Eucharistiæ. Exhortatio.

1. NOn habebat Christus quod lavaret in se ante mortem, reperit in alijs. Voluit ostendere neminem esse tam lotum, hoc est Sanctum, qui non indigeret ut saltem pedes

pedes, hoc est affectus, sensualitatisq; delicta lavet. Et pœnitentia quidem semper agenda est, sed maximè ante mortem imminentem, ingruensq; Dei iudicium, urgenda. O Domine, ampliùs lava me, etiam ab occultis meis. Delicta iuventutis meæ ferventioresq; concupiscentias & ignorantias meas ne memineris, sed dele iniquitates meas semper, ut possim ante te sine culpæ & pœnæ obligatione vivere. Adauge ergo in me spiritum Contritionis semper. Gratias etiam age Christo quòd te abluerit, & abluat sæpe, non aquâ, sed sangvine.

2 Hoc est, ait Christus, Corpus meum, quod pro vobis tradetur. Meum est, sed tradetur vobis, & pro vobis, modo vobis proportionato, pro naturæ vestræ exigentia, pro dispositionis singularitate. Intellige; quodammodo in tua potestate esse fructus, quos, & quantos voles, ex Eucharistia, imò ex omnibus Sacramentis percipere, quantùm te disponis; quàm capax vas cordis affers, tantum sumis. Sed quid est quod iturus ad Passionem, Eucharistiam Sacram instituit? an quia tibi pugnæ sunt, cum natura, cum malis habitibus, & passionibus, parare voluit tibi auxilium, & præbere pharmacum? Vide quæ sit causa, quod toties Corpus Christi sumens, tamen effrenes indomitasq; passiones habeas? deinceps digniùs hoc Sacramentum tractare proponas. Sat bene tractat, qui ejus sumptione proficit.

3 EXhortatur ad dilectionem mutuam Christus, nihil enim prodest Corpus exteriùs Dei causâ affligere, charitatem autem mutuam deserere, multos invenies qui carnem graviter atterunt, paucissimos autem, qui in communitate viventes aliorum mores tolerare, alijsq; moribus propriјs molesti non esse sciant; cogita particulares casus, & personas quibus tu vel alios ferre non soles, vel alijs ipse molestus es, & emenda te in ijs, disceq; ita esse (iuxta Christi petitionem) unum cum omnibus, sicut Filius cum Patre æterno

ne unum est. Frustra enim appetes uniri Deo, nisi fueris unitus cum proximo; & sicut propter servandam unitatem cum Deo; ita & propter servandam pacem cum proximo multa subeunda sunt, quæ nollet caro.

Feriâ 5. post Cineres.

2. *Egressus Vrbe, Tristitia, Relicti Discipuli.*

1. NOn vult IESVS ad nostram Redemptionem capi & rapi in urbe; & tu si vis animam tuam redimere à peccatis, occasiones, conversationes, tumultus fuge. Cogita, in quæ peccata, quibus occasionibus sæpius graviusq́; cadis, & quomodo ex istis cænaculis ac domibus egrediaris dispice, & accurata fac proposita.

2. IN itinere, ex urbis egressu, occupat Christum pavor, tædium, tristitia: condole, & contristare cum Christo, & scito, quòd si servire volueris Deo, Christumq́; sequi, & à te ipso, tuisq́; socijs desciscere, reluctantem sis experturus naturam, consvetudinem, reprehensores, lingvas, unde tædia, tristitiæq́, nascentur. Sicut autem Christus pergit hæc sentiens, & tu nolis Christo magis esse delicatus, sed sta in timore, & præpara animam.

3. REliquit Discipulos Christus, tu tamen Christum ne desere, imò pete ab illo, ut te secum assumere, & spectatorem, ac si placet consortem etiam Passionis suæ esse velit; hoc ut assequaris, cura esse fervens ut Petrus, purus ut Ioannes, simplex & sincerus ut Iacobus. Et omnino hic itatue per totam hanc Sanctam Quadragesimam Christum Dominum patientem animo sequi, observare, imitari, compati, postulans ab illo, ut tibi lumen, fervorem, constantiam donet, quo multa in Christo patiente cognoscere, exprimere in te, in omnibus autem coram ipso perseverare possis.

Feriâ 6.

3. *Oratio, Calix, Sudor ſangvineus.*

1. DIſce à Chriſto, quomodo debeas, & quando orare Chriſtum; in maximis deſolationibus maximè Chriſtus orat, ferventiſſimè, diutiſſimè, humillimè, reſignatiſſimè: tu contra, non niſi tunc oras, quando delicijs ſpiritualibus affluis; in oratione es tam incircumſpectus, præſumens, piger, vagus, rarus. Quanquam eſt etiam alius tuus ſcopulus; ut ad orationem non recurras, niſi quando neceſſitas te cogit, quando autem quies eſt, & ſecuritas, facillimè orationem negligis.

2. INfirmæ ſuæ condeſcendens Chriſtus naturæ, calicem Paſſionis auferri petit à ſe, & tamen rationali parte promptiſſimè illum acceptat, petitq́; non ſuam ſed Patris fieri voluntatem. Orat ergo pro ſe, contra ſe, quod petit auferri, hoc poſcit impleri. Diſce & tu in pugnis interioribus te gerere debitê, nec attendere quid caro poſſit, ſed quid ſpiritui expediat & profit. Quidq́; ratio, & Deus, & Superior velit. O ſi induere conareris affectum illum IESV Chriſti, quo ille oblatum à Patre per manus confortantis Angeli Paſſionis calicem hauſit, & iam tunc abſorbuit, ut tu quoq́; Crucem, dolorem, contemptumq́, tui pro Chriſto aſſumere, & ſuſtinere, eâdem illâ aviditate, & conſtantiâ velis. Nemo enim Chriſto melior patiendi Magiſter, utinam & tu ſis diſcipulus ſaltem bonus.

3. SVdat Chriſtus, putas præ delicijs, & otio? Quin & tu te reſolvis & tandem ſtatuis Chriſto ſervire usq́; ad defatigationem, non auſim proponere usq́; ad ſangvinem Domine IESV, ſed ſi tuæ voluntati placet, fiat. O anima non potes ſudare ſangvinem tuum pro Chriſto fundendo, ſuda ſaltem Chriſti ſangvinem colligendo. Sangvis Chriſti, perfe-

ctio tua, Sangvis Christi, salus animarum. Guttæ Sangvinis Christi sunt minimæ occasiones merendi, & Deo placendi, quæ ideo guttæ, quia videntur parvæ, ideo Sangvis, quia à Christi Sangvine habent, ut rectè usurpatæ ad vitam æternam possint prodesse. Guttæ Sangvinis Christi inspirationes bonæ, quòd enim à Deo dentur meruit Christus suâ Passione. Hunc omnem Sangvinem si curâsti, sangvineum Christi sudorem collegisti, ideo pretium laboris à Christo sperare potes, sed heu Sangvinis Christi sudor factus est decurrens in terram, in vanum, &c.

Sabbato.

Dormitio Discipulorum, Obviatio hostibus. Osculum.

1. ORante & agonizante IESV, dormiunt Discipuli. Sic scilicet, quando Deus maximè pro salute nostra excubat, nos peccamus, nos tepiditati, nos torpori & offensis Dei indulgemus, quasi Christus ideo satagat, ut nos nihil agamus: nec veremur amarum illud verbum. Simon dormis? sic non potuisti unâ horâ vigilare mecum? O surge anima mea, exsurge à mortuis istis operibus, tepidè, negligenter, frustra, factis, & in luce, sicut filium lucis decet, ambula.

2. SCiebat Christus festinare Iudam & Iudæos cum ministris ad se capiendum, festinat ergo & ille, nec cedit, imò procedit obviam, & præcedit amore furorem, sciens licèt omnia quæ ventura erant super eum. Vbi tua virtus ô homo, si quid triste, vel à longè, vel falsò præsagit animus, si quæ confusionis suspicio se prodit, illicò latibula excusationum, prætextuum, consultationum, dissimulationum, impatientiæ, vindictarum, quæruntur. Nunquid hoc est dicere, surgite eamus. ecce occasio patiendi, confusionis, meriti, laboris? Examina te, quoties occasiones hujusmodi à Divina manu oblatas reijcis?

3. Tanto,

3. TAntopere Christus amica sanctarum animarum amat oscula, ut vel falsò, vel fictè accedentium admittat svaviationes, & quantò putas libentiùs acceptaret, à sincero, puroq; fervore charitatis profectas? Gloriatus est coram Elia de Achabi quanquam minùs sincera pænitentia, Deus. O si, vel semel liceat dare veri amoris osculum Christo! O si ne semel contingat Christum iscarioticè osculari; sed quoties (eheu!) sic dedi? quoties iam soleo illo modo dare? Exere affectus anima mea, sed humiles, sed solidos, sed amorosos, & illis IESVM complectere, & tuis castis osculis Iudæ osculum deterge, quodsi oris osculo, indignam te (meritò) putas, pedes osculare, lambe vestigia pedum ejus.

DOMINICA I. Quadragesimæ.

5. *Casus hostium, Captivitas Christi, Fuga Discipulorum.*

1. VErbo IESVS prostravit universas hostium phalanges. Eheu! quis sustinebit judicantem, quem nemo sustinere potest patientem. Potuit Iudas sustinere lavantem pedes, admittentem ad osculum, dantem sui Corporis Sacramentum, amici nomine compellantem, proditionis signum exprobrantem: non potuit, quod re ipsâ esset, de se non confitentem. Scilicet omnes alios vultus Dei peccator eludere potest, germanam Dei faciem non potest; facies hæc est ipsum Esse. Ego sum, ait, qui vos creavi, qui Patres vestros ex Ægypto eduxi. Ego sum, in quem cadere non potest infirmitas. Ego sum, à quo totum vestrum dependet esse. Ego sum solus, & extra me alius non est ullus, & ut sciatis quòd vos non possitis, nisi quantùm ego concedo. Cadite &c. Vt quid ergo scelera sceleribus cumulas homo, & tepiditatem auges negligentiâ? An nescis quòd qui te iudicat Dominus est? Audi sæpe Christum ingeminantem. Ego sum Creator

tuus, Redemptor tuus, Iudex tuus, Punitor tuus. quomodo ſervis Creatori, amas Redemptorem, times Iudicem, tu autem quid? potes quidem dicere. Ego ſum factura tua, redemptus tuus, reus tuus, ſed num potes dicere. Ego ſum ſervus tuus, fidelis tuus, non potes, cura ut poſſis.

2. CAptivus Chriſtus in manibus hoſtium gemit, & compateris illi? meritò; ſed vide ne etiam in tuis vinculis gemat. Poſuiſti, aut accepiſti illum in ſpecie panis, quàm puro corde, quàm humili ardentiq; affectu. Vide quomodo Chriſtus te tractetur, num non ut ab his Iudæis, num etiam pejus. Iudas tradito Chriſto, præcepit militibus; tenete, ducite cautè, tenes tu, an eijcis? ducis cautè, an tractas inverecundè? Et quid prodeſt Chriſtum recipere, ſi non retines; quid iuvat retinere, indignè autem tractare. Captivat Chriſtum, qui viam Dei, & veritatem in iniquitate detinet, nec ad iuſtitiam erudit multos, quos poteſt, quos tenetur.

3. FVgiunt Diſcipuli, quia ad Paſſionem ventum eſt. Compatere derelicto IESV ex intimis medullis, audiens illum indigniſſimè haberi ab hoſtibus, deſeri à Diſcipulis. Diſce quid poſſint ex ſe homines, etſi alias cum Chriſto converſari aſſveti, etſi alias ferventes. Cogita quàm ſæpe, quàm facilè, in leviori, quàm præſens eſt, occaſione, à Chriſto recedis, & turpiter fugis. Dole de tua inconſtantia, & te de tua infirmitate humilia, illud autem Chriſti robur, quo ille in hac captivitatis ſuæ hora abundabat, à Chriſto devotè poſtula, ut ei colligari, cum eo ad præſides trahi, calumnias & cruciatus pati poſſis.

Feriâ 2.

6. *Annæ examen, Alapa, Reſponſio.*

1. EXaminatur IESVS, nec dedignatur ſubire iudex omnium cenſuras impiorum. Tu ita ſuperbus es, ut

tua

tua opera nullam mereri censuram, aut re-prehensionem putes, nullius iudicio putes esse subijcienda. Recole quàm tu piger es, & perfunctorius, in tuæ conscientiæ examine. Disce sic vivere, sicq; te semper gerere, ut possis cum Christo dicere. Ego palàm locutus sum, & in occulto locutus sum nihil, cogitavi nihil, feci nihil, cujus testem conscium que habere metuam. Disce sic vivere, ut purissimus Divinitatis ille oculus, omnia intimè internoscens, nihil in te reprehensibile inveniat.

2. PRô! quod istud ad aures fulmen verberat, inflicta CHRISTO alapa, est anima mea, & tu non tota exhorrescis, pioqué stupore palles. Sic scilicet dissimulamus sæpe dum CHRISTO iniuriam fieri videmus. Sed videsne in gratiam humanam favoremqué Principum impactam esse CHRISTO alapam hanc. Heu respectus humani! quám frequenter ego vestrâ causâ CHRISTUM in faciem cædo, à bono resilio, malum committo. Ru-

 bet

bet vultus CHRISTI, ah dolor! sed quidsi non tam rubet à pugno servi, quàm à contemptu meo, certè scimus honestos homines magis pudere repelli, quàm percuti.

3. QUis crederet hucusqué perventurum Deum-Hominem abjectionis, ut diceret homini vili. Quid me cædis? mea te calamitas à cædendo avocare debuerat, satis aliunde afflictus, & affligendus sum, quid me cædis? Non ait tamen, homo serve impie, quis tu es qui me cædis? &c. Anima mea non tu etiam cum CHRISTO dices huic servo, ejusqué supparibus, quid CHRISTUM cædis? Senti aliquantulam partem doloris & confusionis hujus, quam CHRISTUS sustinet, & quæ CHRISTO extorsit hæc verba, quæ tot alij cruciatus & indignitates non extorserunt. Non protulit illa CHRISTUS ut argueret, sed ut commiserationem inveniret. Vide quoties tibi dicit anima, quoties conscientia, regula, charitas, obedientia, paupertas, quid me cædis?

Feriâ 3.

7. *Caiphas, Falſi teſtes, Adiuratio.*

1. APud Annam Chriſtus examinatur de rebus veris, apud Caipham obruitur falſis, ſed quomodo in eo, in quo verum malum non fuit, falſum inveniretur. Non eſt conſilium contra Dominum cùm ſtat ante Iudices, quando ipſe venerit ad iudicandum & ſederit, quis illud inveniet? quis reſpondebit ei unum pro mille? Humana iudicia & ſententias non time, nec iuſtitiam tuam deſere, quam cæpiſti tenere; ſi innocens es, illum time Iudicem, qui in lucernis ſcrutatur etiam Ieruſalem. Vide qualis in hac parte ſis?

2. FAlſis teſtimonijs Chriſtus accuſatur, ideoq; abſolveretur potiùs ſi eſſet apud eos cauſa, qui veritatem ſcire, & non potiùs innocentiam opprimere vellent. O quàm frequenter accidit etiam ijs, qui proficere alioquin in bono ſtudent, ut non tam reſilire à malis conſilijs, quàm ea fucatis coloribus palliare, effictaq; dictamina conſcientijs ſuis per vim obtrudere ſoleant. Sæpe iniurias vindicant, & zelare pro bono communi ſe dicunt: dicunt non ideo ſe narrare, ut detractum famæ ſit, ſed quia minùs ſibi probatur, ut caveant alij, quia res nota eſt. Diſce non cuilibet ſpiritui credere, ſed proba ſpiritus utrum ex Deo ſint, & omnia tua facta ad ſenſum horæ mortis, limamq; iudicij Divini explora. Non enim poteſt malè iudicare, qui iudicij ſui timet habere Scrutatorem & Interpretem Deum.

3. ADiuratur Chriſtus per Deum vivum, & facit pro nominis Divini reverentia, dicitq; id audientibus hoſtibus, quod ſciebat extremæ ſibi fraudi futurum. Quin tu fidenter adiuras etiam Chriſtum ligatum. Adiuro te ut dicas mihi ſi tu es Chriſtus: quem ego ſequor, cui ego ſervio, ſcio te eſſe, ſcio per Fidem, & intellectum, ſed ſcire vo-

lo per affectum, & per altiorem quendam, quem magnis tuis Sanctis communicare gaudes sensum. Adiuro te mi IESV per Deum vivum, per tuam inquam Divinitatem, ut dicas mihi verbum quo cognoscam te in luce tua, ut sciam te, & amem te, ut sciam me scire, & amare te, & ambulare coram te corde sincero & perfecto, prout par est in gradu excellenti & heroico; utq; sciam quantùm adhuc desit mihi. Petes à Christo spiritûs prudentiam, quo Christum & scias ipse, & alijs noveris annuntiare opportunè, fructuosè, sedulè, efficaciter.

Feriâ 4.

8. *Scissio vestium Caiphæ, Blasphemiæ, mortisq; reus proclamatur.*

1. INvidia quò non deducat ad actus etiam pudendos & indignos se, sed quia invidia est, non videt eum tamen cui nocere vult, & modum nocendi videt. Commune, & pejus pessimis malum, à quo etiam magnorum rari liberi sunt, imò si qui illi obnoxij, hi maximè. Et tamen fraudulentum: omnia alia se esse potius quàm invidiam simulat; commissum est officium, applicatur ad aliquid, successit bene negotium, laudatur alter, habetur ejus ratio: quid fit? in corde stulti nascitur invidia, sed zelo Dei & boni communis induta: itaq; mox extenuantur dotes proximi, allegantur mores præteriti, aut eventus, deteguntur defectus, carpuntur bona, & quid non? Quem diligit Dominus, liberabitur à malo isto; tu anima supplica Christo.

2. QVi ne perderet obedientiam, perdidit vitam; qui adiuratus per Deum ob tanti nominis Majestatem verbum verum quidem sed tamen sibi mortiferum dixit, qui non suam sed Domini voluntatem fieri petijt, qui etsi à Patre duodecim legiones rogare potuit, propter Patris tamen

obedientiam noluit, is blaſphemâſſe Deum dicitur. Frequens talis occaſio patiendi in communitate, ubi laudandus quis erat, ibi culpatur. In hac materia quomodo te gerere ſoleas, diligenter diſpice, quomodo debeas, à Chriſto diſce.

3. REus eſt mortis Dominus IESVS anima mea, reus omnino; quia cùm dilexiſſet te, tradidit ſemetipſum pro te, quia in finem dilexit te, morti addictam, mortis ream, mortuam; an non qui tangit picem coinquinabitur ab ea? Falsò conciliabulum iſtud clamat Chriſtum mortis reum, clama tu verè: Reus es mortis Domine IESV, deſcendiſti de cælo, incarnatus es, vixiſti, laborâſti, captus es, omnia facere & pati decreviſti pro ſalute mea: verbum autem tuum quantò magis decretum? quomodo poteſt tranſire? reus es mortis. At tu anima mea non es rea amoris, non amabis amorem iſtum Chriſti, qui illum fecit reum mortis tuæ & pro te. Imò ama, & ad mortem usq; amare ut poſſis, Chriſto ſupplica. Dignus eſt enim morte, qui IESVM non diligit mortuum pro ſe.

Feriâ 5.

9. *Sputa, Velamen, Verbera.*

1. DAmnatus à Pontificibus conſpuitur à ſatellitibus IESVS, heu me qualis contumelia! Vultum Angelis deſiderabilem & terribilem conſpuunt homines viliſſimi & peſſimi. Heu! quàm ſæpe ad ductum Dominorum peccare pergunt ſubditi, & præeuntibus maioribus ſuffragantur; ſeqvunturq; minores. Formidanda res præeſſe, imò & magnum eſſe, ſi magnus & malus es, magnus peccator es; non enim tibi ſoli peccas, ſed multis, quos tuo exemplo audaciores facis ad diſciplinam ſolvendam, ad negligenda bona; ſic vive, tuo ne exemplo alius cauſam vel minimam peccandi ſumat: anima tua pro anima ejus. Væ mundo à ſcandalis,

ſed

ſed magis væ ſcandalis ipſis, maximum autem væ magnis ſcandali datoribus. Hactenus Religionis diſciplina Virgo fuit, tu primus eris qui illam proſtitues, ſcandalumq́; facies.

2. VElamen vultui Chriſti impoſitum eſt, an ut quo ſputorum irreverentiſſimas ſordes detergat, habeat, an ſuam ipſius ſpurcitiem impietas ſpectare horret? An pijſſimo Chriſti vultu moveri, atq́; manſvefieri ſe ſentiens impiorum animus pius ne fieret timuit, ideoq́; Chriſti faciem velavit. O anima! velamen Chriſti vultui nunquam obijce, ſed ut vel peccantem te aſpiciat IESVS, velis; proderit tibi, ſicut profuit Petro. O ſi tu vultûs Chriſti velamen eſſe potuiſſes anima mea ut ſputa barbarorum haurire, & ictus excipere, Chriſtoq́; ſervire potuiſſes.

3. VErberatur, & de percuſſore prophetare iubetur, quaſi ſit mendax tua veritas, ô Æterna Veritas! ſed ſcilicet quaſi per riſum ſtultus operatur malum. O cor! ſi pium es, hic eſt occaſio pietatis profectibus tuis iſthæc petra tunditur, ut tu ſugere mel poſſis, oleumq́; impingvans caput colligere; cur quæſo non proficis ô anima? quid te ad ſanctitatis, hoc eſt ad conſtantis ac fructiferæ virtutis ſtudium adducet, ſi hæ Chriſti ignominiæ in oculis tuis ab ipſo toleratæ pro te non adducent.

Feriâ 6.

10. *Negatio Petri, Cantus galli, Reſpectus Chriſti.*

1. O Quàm miſeri ſunt profectus noſtri, & quàm infirmæ ſoliditates noſtræ! Ille Petrus, qui Chriſtum præ æſtimationis magnitudine à lotione pedum arcebat, cum quo præ fervore in carcerem, in mortem, vel ſolus ire audebat, iam Chriſtum notum ſibi eſſe cum iuramento & anathemate ac deteſtatione pernegat. Planè hoc apud me frequentiſſimum. Nunc mirè Majeſtatem Dei revereri, & ſtatim ean-

dem leviſſima de cauſa obliviſci ac offendere. Non nôſti Petre hominem iſtum? verè eum non nôras, ſi enim cognoviſſes, non negâſſes.

2. NEgat Petrus, cantat gallus, ſcilicet quando homo peccat, conſcientia vigilat, & velut canis cuſtos in foribus peccatum adeſt. Sed cantus galli Petrum non convertit, neq́, etiamſi peccatum contra peccatorem eſt, ſemper illum emendat, verùm Deus eſt, qui peccata remittit, & converti peccatores facit. Superiores, Concionatores, galli ſunt; peccant homines, galli canunt, canunt inquam, quia conſonè, appoſitè, harmonicè, pro ingenio & captu dicunt, ſed ſolus Deus fingit animos, & loquitur ad cor.

3. SOl terram reſpicit tot oculis quot radijs, per idq́; varia producit. Reſpexit Chriſtus Petrum, & convertit in fletum petram, amarè quidem Petrus flevit ſibi, ſed dulciter Chriſto. Vide quomodo Chriſtus amet animas, tam malè habebatur ipſe, & tamen Petrum aſpiciebat atq́; convertebat. Rem Chriſto gratam facere vis, animam tuam, animas aliorum ad amaros pro culpis fletus provoca; ſic enim dolores Chriſti multùm leniviſti. Roga IESVM, ut te frequenter hoc aſpectu aſpiciat. Verè enim ſanitas in portis, hoc eſt oculis ejus, & aſpectus ejus emiſſiones aquarum. Reſpice & tu Chriſtum efficacis imitationis deſiderio frequenter, reſpice ut âmes, ut compatiaris, ut ſequaris, ut deſideres, gratias agas, imiteris.

Sabbato.

II. *Totius noctis blaſphemiæ.*

1. REvoca in memoriam omnia quæ iſtâ nocte Chriſtus ab impijſſimis illis paſſus eſt, & ſimul revoca totius mundi & tua inprimis, quibus occultiùs & fædius Divinam Majeſtatem offendiſti, ſcelera, & ea pœnis Chriſti conferens,

illaq́;

illaq; harum causam esse agnoscens, amarissimè quantùm potes culpas tuas defle, dolores & ignominias Christi in te ipsum transfer, & pœnis tuis luere statue, & contende. Sæpe etiam Deum deprecare pro istis peccatis, quæ vel fædiora, vel tibi occultiora sunt, nec pro tuis solùm, sed pro omnibus illis aliorum peccatis quæ sunt magis probrosa, occulta, sine pænitentia, vel ob negligentiam, vel ob ignorantiam culpabilem relicta.

2. RΕcogita, quanta hominum talium multitudo; qui ex ignorantia Deum graviter offendunt, & existima talia peccata esse nocturna ista Christi supplicia; & quid hic facies? ora pro augendo Fidei lumine in mundo, ora pro dandis Ecclesiæ Apostolicis viris, ora pro conversione infidelium, pro emendatione Christianorum. Te ipsum quà potes ad hunc laborem Domino offer, accingere & præparare stude. Condole Christo, quòd etiam hodie in hac nocte gravissimas scelerum pænas apud impios homines quasi luat, eumq; cùm potens sit, & velit, roga, ut hanc noctem quàm efficacissimè discutiat.

3. PErpende Christi excellentiam, iniuriarum hujus noctis magnitudinem & longitudinem, excita in te compassionem sensibilem de tantis iniurijs tali personæ inflictis. Amoris intensos erga Christum affectus elice. Singulas iniurias Christi actu compensa, conformari Christo aliquâ tui submissione & contemptu constitue, & totâ hâc v. g. die illius infelicis noctis lachrymabilem memoriam animo retine.

DOMINICA 2. Quadragesimæ.

12. *Concilium matutinum, Condemnatio secunda, Iudæ pænitentia.*

1. MAnè facto adducitur iterum ad Concilium IESVS, & sta-

& ſtatuitur ante Principes Iudæorum, examinatur iterum, & an ſit ipſe Chriſtus interrogatur, Chriſtus IESVS in Sacramento eſt quaſi vinctus in concilio. Examina diligenter anima mea vinctum iſtum, quem verba Sacerdotalia de cælo evocant, & ſub ſpeciebus velut in carcere collocant, manus verò in Altari, tanquam in concilio proponunt, non tamen ſuperbè, ſed humiliter quære ex illo dicens. Si tu es Chriſtus dic nobis? Multùm proderit tibi reſponſio IESV, ſi reſpondere dignabitur, & quidni dignetur tibi dicere ad honorem ſuum, quod reſpondit Iudæis ad perniciem ſuam. O IESV mi, ſi tu es Chriſtus dic nobis? dic intellectui ut te ſciat, voluntati ut amet, dic toti Eccleſiæ ut te honoret, toti mundo ut credat, & tibi ſerviat, hosq; Paſſionis tuæ contemptus compenſet.

2. SEd quid adhuc deſideramus teſtimonium, cùm ipſi audiamus de ore tuo Pijſſime IESV quòd tu ſis Chriſtus Filius Dei? Condemnant te Iudæi propter vocem hanc: at ego te Salvator mi, Veritas mea, & Miſericordia mea, amo, & laudo, & toti mundo annuntiare cupio quòd tu ſis Chriſtus. O anima mea videsne tu Chriſtum Dei Filium tui causâ ſic afflictum & humiliatum? audis damnatum? vides denuo vinctum? cur ergo non ingemiſcis ad tale ſpectaculum? cur non & tu vinciri ac ſtringi votorum, diligentiæ ac mortificationis arctioribus quotidie vinculis gaudes? Vide an moleſta ſit tibi diſciplina? Quid reſpondebis Chriſto obijcienti; ego vincior, tu vinciri non vis.

3. O Iudicia tua IESV tremenda! iudicaris ipſe ab impijs, & tamen ſimul iudicas impios; fertur contra te mortis iniqua ſententia, & tamen tu quoq́, iudicium terribile ſupra impios pronuntias. Iudicas Petrum negantem & ſalvas; iudicas Iudam pænitentem & damnas. Vt converteretur, nec Petrus, nec Iudas meruit; reperiſti tamen tu in ſa-

pientia tua unde Petrum salvares; & in iustitia invenisti unde Iudam perderes. Excita in te anima mea timorem vincti hujus IESV castum & filialem: quoniam vides in manu ejus claves vitæ & mortis, & roga, ut nunquam circa te clavibus mortis, semper autem vitæ utatur; simulq; vide ne tua pænitentia sit sicut Iudæ.

Feriâ 2.

13. *IESVS in Prætorio, Stat ante Præsidem, Silet.*

1. Adduci IESVM ad Prætorium, nihil est aliud quàm velle Deum habere in conscientia, perturbationibus obnoxia: vel, velle Christo quietè servire in multorum inutili conversatione. Non quiescit IESVS in Prætorio, nec locum habet in corde passionato. Eijce priùs turbam quæ Christum deridet, & tunc Christum introduc. Cogita, quibus præcipuè turbationibus movearis, ac quæ in te vitia regnent, quibus inventis ea ad IESVM adduc, & ipsum Iudicem miseriæ tuæ statue, ut misertus tui sanet te.

2. Stetit IESVS ante Præsidem, ô quâ vultûs, morumq; modestiâ stetit! stetit sanè tanquam coram eo, in quo potestatem agnoscebat supernam. Tu vide quomodo stes, quomodo ambules coram Deo tuo, Præside tuo, fratribus tuis. Non est (ait prædo animarum) Deus in conspectu eorum, nunc interibunt, quidni intereat homo (Religiosus) quoties de Deo non cogitat, quandoquidem aut bestia, aut diabolus est. Disce vel sic te gerere coram Christo, quomodo se Christus gessit coram Præside Pilato.

3. Taces mi IESV: nec ad accusationes hostium respondes. O si me silentium tuum silere doceat, quando consistit peccator, hoc est peccandi occasio adversùm me. O! si sileant mihi inquietudines omnes cordis mei vanæ & stultæ, ut soli vacem tibi, & os cordis mei loquatur

animæ meæ magnitudinem mirabilium operum & dolorum & contemptuum tuorum. O! si cor meum discat esse fidens in te Deum suum, tibiq; causam suam derelinquere, & omnem cogitatum suum jactare in te, cui est cura de se. Vide, quàm sæpe, & quibus occasionibus labaris per lingvam.

Feria 3.

14. *Mittitur Herodi, Gaudet Herodes, multis interrogatur.*

1. CHristus captivus, ligatusque, stipatusq; turmis calumniatorum, obit Tribunalia & Palatia Principum, & Præsidum, & Regum. Mi IESV! quid hoc rei est? olim cùm te vellent facere Regem turbæ, fugiebas; cùm te patibularium facere volunt, Regibus te præsentas. Non poteras ordinare, ut ad unum adductus Iudicem ab eo damnareris, sed omnibus præsentari volebas. An sic nostrum triumphas fastum, qui ad honores cæci ruimus, à contumelijs verò, maximè verò in conspectu magnatum refugimus, nihilq; ducimus acerbiùs quàm confundi, aut detractum nobis esse coram honoratis & multis. An potiùs delectabant amorem tuum illæ confusiones & vincula, itaq; velut gloriabundus, aulas Principum oberras, & de te ipso triumphas. O me infelicem qui ab hoc IESV spiritu absum longissimè! aliquando te offende, aliquando confunde anima mea Christi causâ, & hic occasionem ac tempus designa.

2. QVàm sæpe dolente ac patiente Christo gaudet Herodes, nempe (ait Christus,) mundus gaudebit, vos autem amici mei contristabimini. Sed quid est quòd viso IESV gaudet Herodes? an quia videt patientem? Olim audito quòd esset Christus natus, turbatus est Herodes; quidni nunc viso eodem captivo gaudeat? Tanta est benignitas tua Pijssime IESV, ut etiam ad impios non venias, quin eis gaudium

dium, aut saltem gaudij veri radicem (si tibi obsequi vellent) afferas. Et cur ego de te tam rarò gaudeo? nisi quia te non cognosco, tibi non obsequor, tibi non constanter inhæreo, sed facilè ad temporanea delabor. Non prosunt sua Herodi gaudia de Christo, quia importuna Christo; compati sibi Christus volebat, non de sui visione frivolum gaudium haberi. Sperabat signum à Christo fieri videre, quia non videbat ipsum Christum ante se, signum cui contradicebatur fieri. Infelix quem illud signum non movebat, quod aspiciebat. O quanta! quàm mira signa in Christo ante Herodem stante! anima mea, tu illa scrutare, cognosce, mirare, sequere, ut autem id possis, Christum deprecare.

3. INterrogatus multis Christus ab Herode tacet, accusatus à Iudæis constanter, constantiùs tacet. Spernendum se hujus silentij causâ sciebat, nihilominùs tacet. Ad quid hæc taciturnitas Domine IESV? O tempus tacendi! tempus loquendi! inutilis quæstio, falsa accusatio, sat bene solvitur & refutatur silentio. At quàm rara hæc mihi ignotaq; virtus tacere tunc posse, quando silentium meum stultitia reputatur. Pijssime IESV, siluisti Herodi inepta interroganti, responde mihi semper & nunc utilia abs te poscenti. Responde mihi quantas habeo iniquitates? quid adhuc mihi deest, quàm longè sim à te? quid debeam tibi? quo tu dignus es? quid retribuam tibi pro omnibus quæ retribuisti mihi? Hæc dum quæro abs te mi IESV, responde mihi, & confer necessaria ut placeam tibi.

Feriâ 4.

15. *Spernitur, illuditur, induitur ab Herode.*

1. SPernit Herodes IESVM, ille qui erat gavisus de viso IESV, nempe quòd ad pravitatem suam abuti non poterat IESV. Quoties & ego sic sperno Christum, quem

ante colui, ſpe terreni & caduci commodi alicujusq; ſolatioli quo fruſtratus, Chriſtum, & pietatem abijcio, & bona opera negligo, & quòd non gratis ſervierim Deo, oſtendo. Sprevit Herodes Chriſtum, heu indignitatem! ſed quid faciam mihi, cui hoc uſurpatiſſimum inſpirationes Dei ad bonam & ad perfectam vitam negligere; quid eſt videre IESVM & ſpernere, niſi agnoſcere Dei voluntatem & non ſequi.

2. NEc ſpreviſſe ſatis eſt, etiam illuſione opus. O Majeſtas, tibine illuditur! O Reverentia Cæleſtium Poteſtatum IESV! quem vel ipſe Æternus Pater præ reverentia exaudit, atq; clarificat, hunc viles homunculi illudunt. Heu me, quàm in me faba cuditur! verbulum unum, ſignum ſuſpicioſum, méo honori oppoſitum noto, ferre non poſſum iras, minas, detractiones, inquiſitiones ſpero, hoc certè IESVS non fecit, quod tu, IESV ſcilicet fidelis ſervus facis. Conare Domino, & propone Chriſto, has illuſiones rependere æſtimationibus.

3. SEd enim bene eſt, tandem bona cauſa triumphat, & innocentiæ candor emicat; ſanè dum mali iuſtos irrident, commendant. Noli affligi ô iuſte ſi quid adverſi aliquando accidit, ſi adverſarius perſequitur ſine cauſa, non eſt difficilè in oculis Dei tribulationes tuas vertere in conſolationes. Sed quid mihi & conſolationi mi IESV, tu pateris, ego ſolatia ſomnio. Nolo ſolatia, tuam potiùs amplector illuſionem, & ſtultus tecum reputari malo, quàm cum mundo ſapiens. O IESV hoc dictamen intimè penetrare concede, verè enim hæc meditari, hæc exequi, hæc quærere, hæc amare, eſt ſapientia quæ trahitur de occultis, abſcondita ſapientibus, revelata autem parvulis, manſvetis, humilibus.

16. *Remittitur Christus Pilato, Pax inter Herodem & Pilatum, Nil invenit in Christo.*

1. REmittit Christum Pilato aulica nequitia, tanquam nihil cum eo sibi velit esse negotij. O nimis verè dictum: Exeat aulâ, qui vult esse pius. Aularum servi non possunt esse servi cælorum, & cur multi festinant ad odorandum aulicas ollas, etiam ij, qui scilicet toti mundo dixerunt vale. Remittit Pilato Christum, quisquis bonum quod ipse agere potest, aut poterat, alteri faciendum relinquit. Iuvandus est peccator, at laborare piget, & pergere: pergat aliquis alius; quid iste facit, nisi Christum Pilato remittit? vocat ad emendationem Deus hodie, ego cras me polliceor facturum, an non Christum Pilato remisi? O Pijssime IESV non pigeat me tui, non me tuæ conversationis tædeat, in singulas horas & momenta tibi inhæream, & nunquam te à me remittam. Quomodo id cures, & cur negligas? dispice.

2. INter Herodem & Pilatum pax est, at non inter ipsos & Christum; impij semper contra Dominum, & contra Christum ejus concordes; impietas enim non esset, si faveret pietati. Age, amicos tuos dispice, & ea quæ tibi sunt amica; eane quæ inimica Christo? ordini? pietati? disciplinæ? Superiori? conscientiæ? si ita est, Herodem Pilato conciliatum scias. O mi IESV sint mihi omnium inimicitiæ propter te dulces amicitiæ omnium sine te omnes amaræ, qui tuus est, iungatur mihi; qui non est tecum, contra me sit. Nolo amicum non tuum. Vide, an alicubi ob metum humani odij negligas obsequium Deo.

3. NIhil invenisti Pilate in IESV, malè quæsivisti, invenisses, si non malum in eo sed bonum quæsiisses; ipse enim est plenus gratiâ & veritate, in eoq; sunt omnes

the-

thesauri sapientiæ & scientiæ Dei. Quanquam mi IESV non est in te bonum quærendum, sed à te accipiendum; in mari non quæritur aqua, sed hauritur, & in sole lucem nemo scrutatur, sed usurpat. Quocirca verè olim per Prophetam dicebas. Quid invenerunt, inquit, in me Patres vestri iniquitatis? etenim Pilatus testatur se nihil mali invenisse in te. Hoc si ita est Domine IESV, (verè autem est) cur te tam facilè tam levi de causa deserimus? quasi aliquid extra te inventuri simus melius te. Anima mea, dic Pijssimo IESV ante Pilatum stanti. Mihi autem adhærere Tibi Bone IESV, bonum est. Tu gloriatio mea, &c.

Feriâ 6.

17. *Tu es Rex? A temetipso? Quid fecisti?*

1. QVærit ex Christo Pilatus an sit Rex Iudæorum? Non usurpabas mi IESV titulum hunc, quinimò oblatum fugiebas, sed calumnia hostium affingebat tibi, ut te reum apud Pilatum facerent, & odiosum, Cruceq; dignum. Heu mihi! quàm impatiens sum in aliorum de me oblocutionibus, non affinguntur mihi Crucem merentia crimina, non sangvis & vita petitur, non rapior ad tribunalia impiorum, verbum tantùm est, suspicio sola est, quæ me pænè ad rabiem torquet. O si tanto Christi exemplo pati discam, & in calumnijs gaudere, & objectores earum modestè tolerare.

2. MItis IESVS respondet Pilato: A temetipso habes quòd me Regem voces an ab alijs? si à te, quibus argumentis id dicis? si èx aliorum sensu, quomodo id illi probant? Non ex me sed ex illis qui me dicunt esse, quære unde probent esse. Sed mi IESV à temetipso hoc dicis, an innocentia tua hoc poscit? pati volebas, sed non debebas; itaqué quæ objecta sunt diluis, non tamen te supplicio eximis. Hæc nempe vera est innocentia carere culpâ, refellere calu-

mni-

mniam, subire pænam & exercere patientiam. Talem patientiam disce anima mea; hoc est enim ut socium Christi pati, hoc passiones Christi exprimere. Talem patientiam IESV da animæ meæ.

3. INdignatur Pilatus ad Christi responsum, & amarè exprobrat. Gens tua & Pontifices tui tradiderunt te mihi, quid fecisti? O IESV priùs mori contingat, quàm sæculares spiritualium subditos Prælatorum exemplo depravatos, dicentes & exprobrantes audire: Gens tua & Pontifices tui tradiderunt te mihi Christe, hoc est, docuerunt me quomodo deberem peccatis crucifigere te. Sed tu ô Pilate quid quæris ex Christo quid fecisti? quin potiùs quæris ex illo quid non fecit? Ipse est per quem omnia facta sunt, & sine quo factum est nihil: tu autem quæris quid fecit? Hoc quòd te video Domine IESV vinctum, ante Præsidem accusatum, pessimè tractatum, captum, venditum, tot hostibus vallatum, quid sibi vult? quid est? quid fecisti? An hæc est abyssus charitatis tuæ? an hæc peccatorum meorum malitia? an hæc est gentibus stultitia? Iudæis scandalum? Electis verò tuis virtus & sapientia? O IESV mi aperi oculos meos, ut sciam, quid fecisti?

Sabbato.

18. *Regnum meum non est de hoc mundo. Ad hoc natus sum. Quid est Veritas?*

1. O IESV Regnum tuum non est de hoc mundo, quid ergo nos adhuc in mundo degimus, si de tuo Regno non sumus. O utinam adveniat ad nos etiam Regnum tuum! aut tolle nos de mundo, & ad tuum transfer Regnum. Hìc te dispice anima, de mundo es, an de Christi Regno? quid in te non mundanum, verba, studia, mores, nonne amas & amplecteris ea, quæ mundus amat? nonne honor tibi tua-

qué æstimatio curæ? non contemni negligiq; fugis, quodsi ita est, tuum certè Regnum de hoc mundo est: vel potiùs tu de mundi regno es: proinde de Christi Regno non es. Eheu quid prodest Christi Regnum cognoscere, sed non habere.

2. AD hoc natus es mi IESV, ut testimonium perhibeas veritati tuæ. veritati nostræ. & quando credemus tandem tibi, diffidemus nobis. Perhibe mi IESV testimonium cordi meo de veritate, ut in lumine spiritùs tui cognoscam quid sis tu, quid sim ego? quid debeam tibi, quia pateris tanta pro me, quanti æstimare Passionem tuam debeo, quantùm adhærere veritati tuæ, desciscere autem à vanitate & veritate mea me convenit? O si scias & tu homo ad quid natus sis! an ut de die in diem graviùs Deum offendas? an ut quotidie tepore tuo Christo vomitum moveas? an ut ore & labijs & veste servus Dei sis tantùm, non magis autem ut servias Deo in spiritu & veritate, & testimonium perhibeas veritati Christi coram pusillis, magnisq; simul. Et quomodo tu satisfacis officio?

3. QVid est veritas? Grandis quæstio, & quam proponere potuit, audire non potuit, quia non meruit Pilatus. O infelicem! qui veritatem aspiciens non vidit: sciebat quòd per invidiam tradidissent eum, nullam inveniebat in Christo causam, innocentem iustumq; proclamat, nec tamen veritatem videbat. O infelicem! qui veritatem quæsivit, veritatem non invenit. O Æterna Veritas! quæram te, inveniam te, agnoscam te, diligam te, audiam te, servem te. O si in omnibus meis motionibus quæram quid est veritas? O si in omnibus veritatem intendam! & nunquam diligam vanitatem, neq; unquam quæram mendacium. Sed heu! quoties vel ipse me ipsum fallo, quoties vana, adulatoria ab alijs libenter audio, & vanus vanitatem à vanis aucupor, magnumqué aliquid reperisse me puto, si vanitatem assequor.

19. *Quem vultis dimitti. Persvaserunt Plebi. Non hunc.*

1. NOn tibi indignitate ipsâ indignior videtur ista optio ô anima mea! IESVS Barabbæ componitur, & quis sit vitâ dignior, ambigitur. Siccine Domine contemptus es? Siccine te abijcere voluisti? quid misero me fiet, qui contemni, qui abijci nolo. At quid dicam, si ego ipse tales Christi comparationes instituo. Peccandum est, aut IESV Christi gratiâ abstinendum: utriusq; occasio est: & ego infelix delibero quid facto sit opus? quod quid aliud est, quàm quærere ex meis passionibus & cupiditatibus: Quem vultis vobis dimitti? O stulta cogitatio! nonne ipsum IESV sanctitatis nomen rapit, ad hocq; adigit, ut Christum toti mundo præferas. O infelix! præfer Christum millies promptè omnibus omnino rebus, præsertim in præsentia Sanctissimi Sacramenti constitutus.

2. PRincipes Sacerdotum persvaserunt Plebi IESVM perdere, Barabbam liberare. Sic à maioribus orta est iniquitas, & tanta quidem iniquitas: persvaserunt non solùm dicto, sed magis exemplo, non solùm IESVM Barabbæ postponere, sed ad mortem etiam poscere, & cum tumultu vocumq; invalescentia perdere. Vide quantùm possit authoritas & potestas in abusum detorta. Vide ne unquam in Christi perniciem & contemptum vertas persvasionem tuam, authoritatem tuam, exemplum tuum.

3. O Pater Æterne, non hunc perde sed Barabbam; quid enim hic mali fecit? Non placet tibi ô Pater Æterne hæc postulatio, quia utiq; non expedit nobis: ergo vertimus & dicimus. Non hunc dimitte, sed Barabbam; illum inquam Patrem nostrum antiquum, debitorem & fugitivum

tuum, captivum draconis, universalem homicidam, alioqui si fuerit hic dimissus, non poterimus nos salvi fieri, sangvine enim hujus Agni lavari nos oportet, si mundi esse debemus. Non hunc ergo Pater Æterne dimitte, non hunc, quia expedit ut unus homo moriatur pro populo, & non tota gens pereat. Sed tu quoq; ô homo diligenter nota quem de duobus dimittas, dimitte nequitiam à te, sed non IESVM; sit apud te liber IESVS, malitia verò vincta & necata, coarctata, & quasi in carcerem missa. Porro cùm audis ô homo posci ne dimittatur IESVS, sed magis ut crucifigatur postulari à Iudæis, adhære constanter Christo tuo, cujus sangvinem & vitam peti, quem ad Crucem advertis postulari & contristare de tam tristi sermone, aut etiam si vis petitâ ab IESV licentiâ gaude quòd istâ Christi retentione & captivitate tua libertas transigatur; pro qua re Christo gratias age.

Feriâ 2.

20. *Quid faciam de IESV? Quid enim mali fecit? Tolle, Crucifige eum.*

1. AVdisne anima quid Pilatus quærat? scilicet, ecquidnam faciat de IESV? O Pilate! ô Iudex! quid facies de IESV? si reus; convince, & damna. Si innocens; dimitte, & libera. Cur ab accusatore quæris quid de reo facias? Da tu consilium anima mea Pilato, & persvade quid facere debeat de IESV, an fortè dubitas te quidquam profecturam consilio tuo? te igitur ipsam, aliosq; quos attinet instrue, quid facias? quid faciant de IESV? Multùm feceris, si quidquid illi in te displicet à te rejeceris, si IESVM ad cor mundum, humiliatum, contritum, inflammatum induxeris. Si doloribus Christi participaveris, Crucem & ignominias ejus non erubueris, hoc de IESV facito, contentus erit. O si hæc tibi quotidiana esset quæstio quid faciam hodie? quid hâc horâ?

quid hâc occasione de IESV? quem enim decet scire quid facere debeat de IESV? nisi socium IESV.

2. QVid enim mali fecit? obtrudit Crucem boantibus Iudæis Pilatus, sed quid quæris ab his Pilate? quid mali fecerit IESVS? qui IESVM non ideo perdi volunt quia malus est, sed ideo potiùs quia bonus est. Malus nunquam bonum odit quia malus, sed quia bonus est; & quòd contrarius operibus ejus. Itaq; in Christo Iudæis non est crimen malum esse sed bonum esse, & quia illi mali, iste bonus, ideo illum crucifigi volunt tanquam sibi malum, quibus bonum videtur se malos esse, & quia semper malis bonus est malus, utpote contrarius. At tu anima quidni quæris à te ipsa peccante, vel in peccatum inclinante, ingratitudinemq; in IESVM committere festinante: Quid mali mihi fecit IESVS quia peccavi? quia peccare meditor? Item quid mali fecit ut in eum peccem? imò quid boni mihi non præstitit? quid non præmij promisit si non peccem? & ut non peccem, utq; hoc in gratiam ejus faciam. Deniq; quid non minatur mihi mali, ut non faciam malum.

3. O Corda saxea & stuporis furorisq; plenissima! Heu quorsum non ascendit furor malorum ubi semel frenos excussit! non pudor, non ratio, non conscientia, non authoritas, non omnis causæ quæ prætexi posset absentia, retrahit à nefando odio, ab immani invidia. Vide ô homo quanti sit invigilare semper mortificationi passionum, quantumcunq; illæ domitæ & pacatæ videantur. Sed quid audio Bone IESV? te crucifigi, te tolli volunt de medio populi isti, quos tantis affecisti bonis, quos nullis affecisti malis. O mi IESV tolle me, crucifige me tecum, affige me Cruci dolorum, ignominiarumq; tuarum, ut gaudeam in omni adversitate, ac potissimùm, ut ab his contemni libenter feram, quibus à me alioqui bene fit.

Feriâ

Feriâ 3.

21. *Nihil tibi & Iusto illi. Lotio manuum. Sangvis ejus.*

1. NIhil tibi & Iusto illi. Etiam somniantes liberant IESVM, quantùm in ipsis est: at nos, & somniantes, & vigilantes crucifigi poscimus, imò ipsi crucifigimus. O homo disce ab hac ethnica Pilati uxore scire subterfugere occasiones, nec te immiscere causis & peccatis aliorum: quando ergo vides alios peccare, contendere, murmurare, quiritari, præsertim de alijs ac maioribus: dic tibi ipsi, nihil tibi & Iusto illi.

2. LAvat manus Pilatus, & tamen contra conscientiam IESVM damnat innocentem se ab Iusti sanguine vocat: fuisset, nisi voluntati & importunitati impiorum cessisset. Habuit scientiam, non habuit exequendi constantiam. Et quàm multi tales, qui sunt extra compositi, quieti, sedati, honesti, loquentes bona & pia, sed tamen non fugientes peccata, & in occultis committentes multa, quæ famæ aliorum nocent, quæ repugnant votis, quæ externis moribus sermonibusq; non concordant. Heu me! nam ego quoq́, homo sum, blandiri mihi, insultare alijs solitus, lavo me aforis, inquino intus. Mi IESV lava me totum intus & foris, & quasi nivem dealba.

3. QVæ hæc rabies impiorum istorum ut sangvinem Christi sumant non super se tantùm, sed etiam super filios suos. Mi IESV à tam resoluta in malum impietate erue me. Sed quàm acerbo sensu doloris sauciatum est cor tuum Pijssime IESV, quando tam infernales & sangvinis tui sitientes voces audîsti. Gloriare tu anima, & gratias Christo immensas age, quòd sangvis ejus sit super te, quòd omnia quæ habes habereve potes bona à sangvine Christi habeas,

quòd

quòd maiora ſint Chriſti merita quàm tua peccata; hoc te ſanguine lotam & purpuratam memento, & eum in te alijsq; tuis ſimilibus honora.

Feriâ 4.

22. *Chriſti ante flagellationem nudatio.*

1. VIde quò adduxeris Chriſtum anima mea peccatis tuis, qui terras graminibus, arbores folijs, cælum ſtellis veſtivit, ipſe propter te hodie nudatus eſt in oculis mundi, ille qui eſt amictus lumine ſicut veſtimentò, qui indutus eſt fortitudine, qui pulchritudinem & decorem induit, ille formoſus in ſtola ſua, modò nudus eſt. Conſidera quoties tu illum nudum conſtitueris in corde tuo. Quoties te gratiâ ejus exuiſti, quoties merita ejus calcâſti, toties illum nudâſti. O ingrata anima! Deus parentes tuos peccatores noluit nudos à ſe ex Paradyſo eijcere, tu Chriſtum Dei Filium apud te denudas. Neſcis IESVM plùs dolere quando te ſuis donis per peccatum nudatam videt, quàm quando ipſe nudus fuit. O! ſi ornare animam tuam, & aliorum proximorum aſſveſcas. Chriſtus enim ornatur dum anima ornatur, ſiquidem ille pro ejus ornamentis nudari voluit.

2. PAupertatem ſpiritûs veram illam, & tantòpere Chriſto amatam, totâq; vitâ honoratam virtutem & ſponſam concupiſcis. Ad hoc exemplar te compone. Nudus eſt IESVS, & nudum ſe eſſe propter te factum toti mundo oſtendat:- & tibi miſero grande ac grave videbitur carere ſuperfluis. O ſi etiam diſceres carere neceſſarijs! quantò paucioribus eges, tantò minùs terrenus es; aliquando te reſolve, & nudus eſſe propter Chriſtum incipe. Non tibi ſit pudori vilis veſtitus, pauper lectus, modicus cibus, tenuis & miſera ſupellex, nulla tui opinio, æſtimatio, cura. Malè veſtiri paupertas non poteſt, quantò nudior, tantò cultior, tantò etiam

am magìs debitè, & ſtatui ſuo convenienter veſtita, & reverà probatum eſt, faciliùs nihil omnino haberi, quàm aliquid vel minimùm. En Chriſtus à te petit, & exemplo præit, ut omnia propter ipſum re ipsâ reijcias; tergiverſaberis.

3. O Oculi ſi mundi, ſi ſinceri, ſi ſani eſtis, innubem ſolem aſpicite dum licet: non diu enim licebit quippe mox erubeſcet ſangvine: nunc in candorem illum vos intendite, quem iam iam rubicundum aſpicietis. Nunc ſe attendite, quem iam iam rubicundum aſpicietis. Nunc ſe amor vobis nudum ſpectandum exhibet, ſpectate; mox velatum videbitis veſtitumqué, ſangvine ſcilicet ſuo purpuratum. Deſiderabitis illum videre tunc, ſed non erit ei aſpectus. O mi IESV contemplari te cupio, ſed oculis careo, da illos mihi ut videam & cognoſcam te in plenitudine lucis, in candore nuditatis, ut participem de nuditate tua, & purificer puritate tuâ, ſciamq́; tibi nudare cor meum ab omnibus quæ terrena ſunt, quæ vana ſunt, quæ fervorem meridiei non referunt. O! quis det in ſimplicitate & ſinceritate cordis te diligere, te potiri, tibi iungi.

Feriâ 5.

23. *Alligatio ad columnam.*

1. QVi terras alligavit in nihilo, qui ventos velut in utre concluſit, qui arenam poſuit terminos maris, nunc eundem ipſum impij ad columnam alligaverunt. Funes peccatorum meorum quibus ego à tartareo illo carnifice ſtringebar, circumplexi ſunt te mi IESV, & ego, tantùm abeſt tam immani commovear ut ſpectaculo, deq́; peccatorum meorum vinculis tibi detrahendis cogitem, ut potiùs vincula vinculis, hoc eſt peccata peccatis addam. O me impium! te à carnificibus ad columnam alligari indignor, & nihilominùs vincula tibi ex peccatis meis necti atq́; augeri patior. Cùm tamen ſi ego non peccâſſem, ſciam te vinctum

nunc

nunc non futurum fuiſſe. Si quis ergo doles Chriſtum vinctum eſſe, tolle peccatum ab anima, & Chriſtum ſolviſti.

2. FVnes ceciderunt mihi in præclaris: funes mei hæreditas mea, hi ceciderunt mihi in præclaris mi IESV, tunc, quando per te præclariſſima totius creaturæ gemma mihi eſt reſtituta & reddita. Reddita autem non vulgari quopiam modo, ſed verè in præclaris, in doloribus ſcilicet tuis, in vinculis tuis. O quanti æſtimandi ſunt mihi funes tui, hoc eſt dolores tui Domine IESV, quibus mihi hæreditas mea cæleſtis, quam ego vivendo luxurioſè, abeundo peregrè decoxeram, reſtituta eſt. O! quàm cautè hæreditas hæc mihi & curanda & ſervanda eſt, quæ tanti conſtat quæſitori meo, ut pro funibus hæreditatis meæ debuerit ille ſuſtinere funes Paſſionis ſuæ.

3. ALligatus eſt IESVS, & in flagella paratus; tu ſolutus quaſi onager incedis, renuens alligari, refugiens flagellari. Hoc ſcilicet eſt dilecto conformari, hoc eſt in myrrhæ collibus verſari, hoc eſt faſciculos myrrhæ colligatos offerre. Ah mi IESV! quàm multi te contemplamur nudatum, alligatum, flagellis ſubjectum, quàm pauci tamen propter te, tecumq́, nudari, alligari, flagellari gaudemus, aut contenti ſumus. Da humillime IESV qui in Paſſionis tuæ hora ſingulis momentis, novo fervore novos dolores pro me ſubibas, ut ego ſingulis momentis, recenti ſpiritu tibi ſervire, & novis modis me tibi tuæq́; columnæ & Cruci alligare, tibiq́; placere & conformari ſtudeam, ut omnes inventiones meæ tuæ inſerviant dilectioni, imitationi, poſſeſſioni.

Feriâ 6.

24. *Flagellatio Chriſti.*

1. CRudele ſpectaculum, & dignum ad quod Sol exhorreſcat, intremiſcatq́; terra. Certè Angeli pacis amarè

mare flebant, Regem Angelorum flagellari aſpicientes. O indigniſſimam tragædiam! rerumq́; cataſtrophen! ſervi Dominum, ſubditi Regem, homines Deum, creaturæ Creatorem, impij innocentem flagellant iniuſtè, quia ſine ulla cauſa; indignè, quia tantam perſonam; ingratè, quia eum à quo tanta bona acceperunt; crudeliter, quia cum tanta animi rabie, maximoq́; patientis dolore; ignominioſè, quia publicè & ſordido ſupplicij genere. O! quàm multæ doloris cauſæ & circumſtantiæ, quibus tamen ego nihil moveor ut ceſſem à peccato, ut exeam de tepore, ut Regi meo in paſſionibus conformer. Heu! quàm multa flagella peccatoris, ſi tam multa innocentis, ſi hæc in viridi ligno faciunt, in arido quid fiet? ſi Chriſti flagellatio à matutinis totâ die, nonne peccatorum erit per totam æternitatem.

2. O Quàm durè tractanda eſt mihi caro mea rebellis, ſiquidem Chriſtus tam immaniter affligi ſuam innocentiſſimam patitur. Et carni quidem Chriſti nihil opus erat tanta; pati mea caro longè plura meruit ſuſtinere, utpote quæ debuerit in æternis ardoribus ardere. O ſi pondus ſenſualitati detrahere, ſi illam iugiter diſcretè affligere, ſi illam prudenter confundere, animæq́, regimini ſubijcere ſciam & velim. Quis unquam hoſti petenti ignem quo ille combuſturus ſit domum exhibitoris ipſius conceſſit? quid porro ego facio, quando ſenſualitati in cibo, potu, ſomno, iocis, mollitie indulgeo, quàm flammam hoſti meo quâ ille me ipſum exurat, concedo; quàm obſeſſis hoſtibus victualia & voluptuoſa etiam (proh dementiam!) ſuppedito, hoc non eſt expugnare, ſed confirmare hoſtem. Diſce ab IESV tractare carnem verbere, fame, ſiti, inediâ, fatigatione, frigore, neglectu, duritie, aſperitate, hoc enim eſt verè carnem odiſſe ſecundùm mundum, amare ſecundùm Deum.

3. Videsne anima mea IESVM amorem tuum illum modò

dò modò candidum, iam iam ſangvinis purpurâ rubicundum, totum plagis lividum, vulneribus ſaucium, ſangvine cruentum, dolore exhauſtum, ignominiâ abjectum, totum deniq; alium, ſic alligatum. Sic tractatum, offer Æterni Patris conſpectibus, ut ſaltem propter tam miſerum ſpectaculum miſereatur tui, & totius mundi. Offer ipſum IESVM ipſimet IESV, & per iſta ejus vulnera miſericordiam poſce, dolens, quòd ejus tantis doloribus hactenus gratam te non exhibueris. Offer Spiritui Sancto, & pete, ut te ob hunc talem IESVM illuminare, purificare, accendere, confirmare in bono, præſervare à malo, ſemper pergat. Immiſce te & ſuppone plagis IESV, quæ iam in ipſo locum non habent ampliùs, & eas tu excipere concupiſce. Convertere, vel converti appete in lachrymas tam copioſas, ut ijs balneum abluendo Chriſto balſamum illinendis ejus vulneribus ſuppeditare poſſis. Roga IESVM ipſum & amorem ejus, ut velit ſubtrahere concurſum carnificibus iſtis ne ipſum flagellare poſſint.

Sabbato.

25. *Purpurea chlamys. Corona ſpinea.*

1. Nihil opus erat ô milites hâc purpurâ IESVM veſtiri, quem iam flagella carnificum veſtiverant ſuo ſangvine, an quia crudelitatis pudebat tegenda fuit, an quia quem indueratis veſtrâ crudelitate, lubebat etiam veſtire ludibrio, an iſte eſt mos peccatorum, ut lancinent Chriſtum ſceleribus, interea tamen vel hypocriticis illudant moribus, vel ſacrilegis integant velaminibus, vel per impudentiam glorientur & triumphent de iniquitatibus. O homo videsne qualem veſtem Chriſto circumdederis, quàm illa fæda, quàm ſpurca, quàm vilis. Hæccine eſt illa innocens ſtola prima, quam ipſe tibi in Baptiſmo contulit; ideone contulit, ut eam ita fædares. O ingrate! redi ad Patrem, ſupplica cum prodigo,

ut tibi proferri iubeat ſtolam primam primæ ſimilem, ut te ſcilicet gratum, ſanctum, perfectum in oculis ſuis faciat.

2. QVid tibi & ſpinis mi IESV gratiæ caput tuum, caput gloriæ ſpinis horret. Heu ſpinæ! pungitis, & planè acti in Creatoris iniuriam effetis conditæ, ſic affligitis caput Majeſtatis. At enim non ſpinæ culpandæ ſunt, ſed humanæ malitiæ. Ego Chriſti corona ſum, ſed ſpinea, pulchro nomine, laudabili profeſſione, ſancto inſtituto glorior & appellor, ſed non vivo, non reſpondeo, non ſum quod dicor, ager ſum, ſed ſpineus, & Chriſto tantùm tribulos parturio, ſcilicet ſuper te mi IESV venit illa Patris noſtri maledictio: Maledicta terra in opere tuo, ſpinas & tribulos germinabit tibi; reſpice IESV dolores tuos præſentes, & fructus ſurgentes: nonne ſpinæ omnia? heu me! ſi etiam in his maledictis terris connumeror.

3. MI IESV vita præſens, vita ſpinea eſt; ego illam ſtultus auream puto; plumeam cogito & cupio. Quod putem patet quia amo: quod cupiam patet, quia in hac vita pati recuſo: quàm ſi ſpineam ſcirem, preſſuras ejus ferrem, & moleſtam eſſe non mirarer, imò mirarer non eſſe. Quis calcavit ſpinas & non eſt ſauciatus? quis vixit in hoc mundo & non eſt afflictus? Ecce te oportuit pati mi IESV, ego autem eximi volo à puncturis, qui tamen hæreo in ſpinis. Pungant me mi IESV propter te ſpinæ vitæ hujus, & non teneant, ut ſic cupiam compati nunc tibi, poſſim autem poſtea cohabitare tibi. Da, ut plùs delecter ſpinis tuis quàm mundi roſis, ſit mihi omnis conſolatio mundi ſpinea, ſit mihi omnis afflictio propter te roſea. O utinam hoc ſentiam in me quod video in te.

DOMINICA 4.

26. *Arundo Genuflexio. Consputatio.*

1. ARundo in Christi manu quid est? nisi omnia esse arundinea & nullius frugis in conspectu Dei; quid est? nisi omnia tam facilè à Deo annihilari & immutari posse, quàm facilè arundo moveri frangive potest. Arundo ista contumelia Christi est. O! si sciret cujus in probrum cooperetur; quantùm sibi metueret; in cujus manu est, ei probrum facit; quid audaciùs & indigniùs, si sensus & ratio subesset? Sed ô peccator! de te scilicet fabula narratur, qui licèt arundo sis, licèt in manu Christi sis, tamen non vereris esse Christo Redemptori tuo contumeliosus & probrosus. Quàm facilè frangitur arundo, tam facilè perdi potest peccator à Deo, & nihilominùs inflaberis tu arundo vento agitata? ô palea à tritico segregata! sceptri te putas esse vice cùm arundo sis, & quidem arundo in manu Christi facilis confractu, igni nata, pondere & valore cassa, nullatenus solida, Spiritui Sancto te exhibens minimè tractabilem, sed refractoria, rebellis, immota ut saxum, &c.

2. QVæ ista tam subita mutatio? qui modò spinis coronabatur, iam coram illo genuflectitur, an talis hæc genuflexio qualis coronatio? nescit proficere nisi pejùs malitia, & qualem fecit Regem coronando, talem adorat & salutat genuflectendo; nempe Regem dolorum te fecerunt mi IESV, ideo dolore plenas afferunt salutationes. Quid hinc mihi documenti Bone IESV? primùm quidem honores quos ego tibi exhibeo, sæpe tibi dolori & illusioni esse ob suas imperfectiones, defectus, inconstantias. Deinde doces me quid præstare debeam tibi pro passionibus tuis, scilicet honorem, subjectionem, reverentiam, ut sic veros tuos honores & ignominiosos dolores meis qualibus qualibus in gloriam tuam obse-

obſequijs rependere coner. O anima mea diſce & aſſveſce Chriſto hæc exhibere quàm creberrimè, quàm accuratiſſimè, potiſſimùm verò in Sanctiſſimo Sacramento quàm frequentiſſimè, humillimè, ferventiſſimè, ſalutationes, viſitationes, genuflexiones, proſtrationes exhibe.

3. O Rex probrorum! vultusne tuus ſordium & ſputorum receptaculum eſt! ô ſtupor ſuper ſtupores! IESVS ſic ſeſe abijcere potuit, ut in ſuum vultum illum Theandricum, quem Dei perſona faciebat, & ſuâ dignitate Divinâ per unionem hypoſtaticam ornabat, exſpui permittat. Proh ſuperbia quousq; locum habes in mundo! Cur tanto pudefacta ſpectaculo ad inferna præceps non ruiſti? humiliavi me aliquando, nunquam tamen ut Chriſtus. Eſto faciam ego me infernalium etiam ſordium feciumq́, ſentinam: nunquid Chriſti humilitatem æquabo? Et tamen ah quàm rarò repugnanterq́; humilior! quàm refugio! & non fero contumelias ac confuſiones! quàm facilè mihi complaceo! quàm libenter laudes meas opto! &c.

Feriâ 2.

27. *Ecce Homo.*

1. ASpice anima mea opus manuum tuarum, tibi per iſtud(Ecce)propoſitum. Si neſcis quid feciſti? Ecce homo, ecce opus tuum, ecce IESVS fædus eſt, & fædatus, & ſaucius, & vulneratus: non eſt illi ſpecies, neq́, decor, non eſt illi aſpectus: vermis eſt & non homo: tu feciſti talem, quia peccâſti. O infelix non te commovet ſpectaculum hoc! non exhorreſcis enormitatem malitiæ tuæ! non duceris pænitudine ſuper tanta nequitia tua in Vnigeniti Dei Filij IESV Chriſti contemptione? Si quis patrem tuum ſic tractâſſet, non indignareris illi? ſi tu amicum tuum vel patrem tuum ſic tractâſſes, non te malitiæ tuæ puderet? non omni ratione

conareris, tam impium facinus dignâ pænitudine delere? Nunc ergo aſpice frequenter hominem hunc anima mea: & execrare opus tuum, deteſtare peccata tua, deprecare IESVM ſic abs te tractatum.

2. VIdiſti anima mea quid feceris in homine iſto, vide etiam quid ipſe fecerit in ſeipſo. Fuit Deus, ecce iam homo: fuit iam dives, ecce iam pauper; fuit innocens, ecce accuſatus & punitus; fuit Rex, ecce ludibrium; fuit homo, ecce vermis. O quàm copioſum ſpectaculorum theatrum tibi modò in iſto uno homine proponitur! Vis humilitatem? ecce homo humilis; vis patientiam? ecce homo patiens & patientiæ portentum; vis obedientiam? ecce homo obediens; quidquid vis? ecce homo omnium tibi Exemplar, Magiſter, Speculum. Et heu! nunquid tu talis homo es? nunquid eſſe debes? nunquid conaris? vis ſcire qualis homo eſſe debeas? Ecce homo. Vis ſcire qualis futurus eras homo, ſi hic homo non fuiſſet propter te talis factus homo? Ecce homo.

3. ECce Homo. Ah quid qualisve factus propter me! ego autem quid tandem feci hactenus ac facio propter illum? & quid me facere feciſſeq; iam decuit propter talem Deum Hominem? O quando me reſolvam reſolutione feriâ, ut tandem ſerviam Chriſto usq; ad defatigationem, ad paſſionem, ad abjectionem, ad annihilationem. O quando nihil in me vivet, erit, eminebit aliud, niſi hic homo? Heu quousq; iſtum terrenum hominem, non hominem, ſed iumentum portabo! quando induam illum cæleſtem hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt, non de terra terrenus, ſed de cælo cæleſtis. Mi IESV, qui factus es propter me homo, & talis homo: da mihi, ut aliquando deſinam eſſe talis, qualis ſum homo: incipiam autem tibi eſſe per omnia mihi poſſibilia ſimilis homo.

Feria 3.

28. *Vnde es tu? Non haberes potestatem. Majus peccatum habet.*

1. MIrabilis hæç interrogatio. Vnde es tu? eamq; & tu ad IESVM usurpa, ex eoq; reverenter & humiliter quære: Mi IESV unde es tu? scio quòd sis à Deo, quòd à Deo processisti, & venisti, scio quòd sis Homo conceptus de Spiritu Sancto, natus de Virgine, sed hoc non quæro abs te mi IESV, illud quæro unde es tu? tu sic saucius, sic illusus, sic abjectus, sic sangvinolentus. Vnde es tu in tantis injurijs tam mitis, in tantis doloribus tam patiens, in tanta desolatione tam constans. Nec mirare quòd ego quæram hoc, etenim quærunt illi, qui in te semper desiderant prospicere Angeli: sedent & dicunt. Quis est iste qui ascendit de Edom & de Bosra, tinctus sangvine, &c. An à peccatis meis & iniquitatibus meis talis factus es? An ita plagatus es in domo eorum qui diligebant te? an bonitas naturæ tuæ fecit te in tantis malis tam bonum, tam mansvetum, tam mitem? Vnde es tu anima mea? tu peccatrix olim, modò mundior, tu olim vaga, modò firmior, tu prona quondam in malum, modò constantior, nec sic aversa à bono. Nonne id habes à IESV Christi sangvine? & quid retribuis?

2. INdignationem Pilato movit silentium Christi, jactabat potestatem vitæ & necis, sed Christus animosè ferociam retundit, & ait; non haberes potestatem adversum me ullam, nisi tibi datum esset desuper. Hoc est humiliari scire sub potenti manu Dei, hoc est ipsas etiam injurias acceptare, non tanquam à malefactore, non tanquam ab injurioso, sed tanquam à manu Dei venientes. Nec est ulla efficacior fructuosè sustinendi injurias ratio, quàm cogitare, sibiq; persvadere quòd Deus potestatem fecerit injurianti, injuriam

fa-

faciendi. Quis verò audebit nolle id sustinere quod intelligit Deum, ut sibi accidat vel permittere, vel etiam præcipere, Dominus Deus hoc mihi sub titulo iniuriæ humanæ misit, ego mancipium Dei mei illud non acceptabo?

3. VEre majus peccatum est, Christi ablutum esse tam sæpe, tam copioso sangvine, nec tamen dignè Christo, Christiq; sangvine vivere, majus enim peccatum est in magna gratia minus bonum esse, quàm in parva gratia valde malum esse, sicut enim ubi abundavit delictum, abundat gratia, ita ubi gratia abundavit, delictum sæpe abundat. Vnde etiam in die iudicij remissiùs erit terræ Sodomorum quàm domui Iuda. Quare? utiq; quia si in Tyro & Sydone factæ fuissent virtutes istæ, quæ factæ fuerant in Iudæa, in cinere & cilicio pœnitentiam egissent. Nunc ergo tu Capharnaum quæ à Deo usq; ad cælum exaltaris, vide, ne usq; ad inferos superbia tua detrahatur. Et quis tam sanctus erit, cui vel ipsa sanctitatis & iustitiæ gratia terrorem timoremq; hunc non incutiet.

Feriâ 4.

29. *Ecce Rex vester. Regem vestrum crucifigam. Non habemus Regem.*

1. HIccine Rex tuus ô anima mea? an te pudet exprobrationem hanc Pilati audire? an potiùs gloriæ tibi ducis talem te Regem habere? si ita est, dic ergo omnibus tuis sensibus, affectibus, motibus: Ecce Rex vester, huic vos conformate, huic vos submittite. O ira! ecce Rex tuus mansvetissimus, cur te non regis? ô cupiditas! ecce Rex tuus moderatissimus, cur te non inhibes? ô lingva! ecce Rex tuus tacitissimus, cur te non frænas? ô caro! ecce Rex tuus mortificatissimus, cur te non affligis? si ille Rex vester, utiq; vos subditi; si ille talis Rex, cur vos non tales subditi? vide, & ali-

quando, intellige anima mea qualem te deceat esse sub tali Rege.

2. REgem vestrum crucifigam, an hoc absurdum Pilate? ô si scires illum etiam Regem tuum esse, & Regem Regum, tum diceres, Regem meum, Regem Regum crucifigam? sed quin tu magis absurdum reputas homo, Regem tuum IESVM in tuo corde crucifigere. Non solis peccatis gravibus crucifigitur Christus, sed etiam quibusvis imperfectionibus, deliberatis peccatis, immortificationibus, scandalis, verbositatibus, tepiditate, inconstantiâ, neglectu profiliendi, neglectu aliorum salutem, Christiq; gloriam promovendi. Horum si quando se dat occasio, tu vide quid agas? potius dicas, itane verò mi IESV ego te Regem meum crucifigam? in Cruce pendere sinam? &c.

3. NOn habemus Regem. Quæ ista libertas & emancipatio? an iusto non est lex posita: facit enim ea quæ legis sunt naturaliter, & non ideo quia præceptâ lege, sed quia honesta per se, quia placita Deo, ô beata anima quæ ita comparata est, ut sine Rege regatur, sine regula vivat ad regulam, quam intra servitij Divini limites non timor, non præmium, sed charitas, sed gratia, sed natura, sed sancta roborataq; consvetudo detineat, talis anima dicere potest: Non habeo Regem nisi amorem; quocunq; feror, amore feror. Amor meus, pondus meum; etsi Deus meus non præcepisses, etsi non promisisses præmia, non comminatus esses pænas, non conferres beneficia, ego servire tibi vellem, voluissem, & volo IESV; tuus amor, tibi complacendi desiderium sit Rex meus, Cæsar meus, pondus meum.

30. *Major tumultus. Si hunc dimittis. Barabbæ dimissio.*

1. QVantò magis Pilatus laborat pro IESV; tantò ampliùs furunt & tumultuantur Iudæi contra IESVM. Quis est iste tumultus dum IESVS est liberandus? An non est ista interior pugna quam sentit homo, dum à consvetudine prava consurgere, & quasi à vinculis & morte IESVM eripere contendit, abijcienda est occasio peccati, resistendum cupiditati, sustinenda vel condonanda iniuria, subeunda confusio, prô quanti tumultus in corde! vis illos sedare? sic age. Constitue una ex parte IESVM hunc Regem dolorum, ex altera parte illam occasionem, illam iniuriam, illam confusionem, & cogita, quam partem deceat te eligere & præferre, IESVMne an alium? & nonne IESVM præferes?

2. SI hunc dimittis, non es amicus Cæsaris. Vltima hæc est machina Pilato expugnando à Iudæis admota, & quidem (proh fortunam!) feliciter ille Pilatus, quem tumultus, quem Principum authoritas non commoverant ad damnationem Christi, hunc unicum verbum pervertit. Et quod istud verbum? nisi illud nefandum & pudendum; quid dicent? illud inquam hominibus placendi ac satisfaciendi desiderium. O respectus humani! qui soli & semper IESVM etsi omni ratione repugnante nihilominùs infandissimis & funestissimis addicitis supplicijs. O cæcæ visiones! ô non respicientes respectus! quanta est vestra vulgò in animos hominum potestas! propter vos nihil agitur mali, propter vos nihil agitur boni: vos facitis ut mala negligantur, sed malè; vos facitis ut bona omittantur, non bene. Et quæ potest esse magis mala improbitas, quàm unico hominum aspectui, gratiæ, favori, iudicio, Deum postponere universum. Hæc certè est

iniu-

iniuria ſuper omnes iniurias, quæ Deo poſſunt irrogari.

3. SIc expugnatus Pilatus ſtatim dimittit Barabbam. Impoſſibile ſcilicet eſt hominibus ſatisfacere & ſervire Chriſto: neceſſe eſt omnino aut Chriſtum aut Barabbam ſolvi O mi IESV quoties ego Barabbam dimiſi liberum! te verò morti addixi, & ad Crucem duxi, quanquam & tu mi IESV hoc ipſum in tua Paſſione egiſti propter me, me enim ire iuſſiſti liberum, te autem morti Crucis obtuliſti vinctum; extraxiſti me de luto fæcis, & ipſe in limo profundi hæſiſti. Comedi ego uvam acerbam, tui autem dentes ſtupuerunt; pacis meæ diſciplina cecidit ſuper te: & quid ego retribuam tibi, niſi hoſtiam laudis, gratiarum actionis, amoris, & etiam viciſſitudinis, ut ſcilicet ſi quando aut offendendus tu, aut Barabbas propriæ meæ voluntatis mortificandus, hunc potiùs affligi, & me pro te contemni, quàm te à me offendi: ut ſicut tu pro ſalute mea proſtituiſti omnia tua, ita & ego pro gloria tua exponam famam, exponam vires, exponam commoditates, exponam vitam, ſangvinem, omnia. &c.

Feriâ 6.

31. *Damnatur IESVS ad Crucem.*

1. DAmnatur IESVS. Quid mihi fiet? ſi iuſtus non ſalvatur, impius & peccator ubi parebunt? Audite impij, qui Dei iudicium ita contemnitis, acſi illud futurum non crederetis; potuit innocentia damnari apud iniquos, nequitia apud iuſtum Iudicem Deum non damnabitur? Invenit Pilatus quomodo damnaret IESVM, non inveniet Deus quod damnet in peccatore? Et non times Deum ô homo! tot tantorumq; ſcelerum conſcius. Damnari non vis à Deo, damna te ipſum coram Deo.

2. DAmnatur IESVS O damnationis rei! caput erigite; damnatur enim Salus & Vita, ad vitam veſtram &

salutem instaurandam. Damnatur Innocentia, respiret noxius; in salutem enim ejus est ista damnatio. IESVS non solùm accusatur, non solùm vituperatur, non solùm examinatur, non solùm iudicatur, sed etiam damnatur: tu te extra censuram, extra reprehensionem, extra inquisitionem, extra admonitionem, extra iudicium, extra damnationem esse vis? Non est postremus iste humilitatis gradus, imò tantò altior, quantò rarior; videas in multis multos alios humilitatis gradus, hunc non item nisi in valde perfectis, & ad IESV Christi mores bene conformatis.

3. DAmnatur IESVS, tu absolvi desideras; si in eodem iudicio ab eodem Iudice IESVS damnatur, solveris autem tu, quis te IESV Discipulum & non potiùs Barabbæ Sodalem vocet? An non si Patremfamilias Beelzebub vocaverunt, tantò magis domesticos ejus? quomodo ergo tu placere potes mundo, ut non displiceas Christo? Certissimum signum est te Christo dissimilem esse, si te mundus suâ sententiâ absolvit. Tunc verò Christo similis es, quando te mundus eodem quo Christum loco reponit, quo autem loco Christum mundus ponit, loco damnationis; odij, persecutionis, Crucis, purgamenti, stultitiæ, scandali, peripsematis, es tu hoc eodem apud mundum loco, spera te prope ad Christum accessisse; proinde plùs ama mundi odia quàm studia; etenim si placueris mundo, omnino necesse erit te displicere Christo.

Sabbato.

32. *Traditur voluntati Iudæorum. Exutus chlamyde. Suâ veste induitur.*

1. DAmnatus IESVS traditur voluntati Iudæorum, manibus autem carnificum. Hic cogita anima mea IESVM in manibus ac potestate tua esse, ut eum vel crucifigas, vel à Crucis morte liberes. Ecquid potiùs ages? non te ad pe-

des IESV abijcies? & per omnia iura & sacra testaberis, te ejus sangvinem amare, dolere ejus dolore, & in crucifixionem ejus nullo modo consentire. Nolo, nolo: protestor mi IESV, nolo mortem tuam.

2. POstquam IESVS damnationis nuntium audîsset, sine dubio immensas Patri Æterno egit gratias, quòd se adduxisset in horam hanc damnationis, quâ posset in honorem ejus, in salutem verò hominum mortem Crucis appetere, obtulitq; illi suam illam damnationem ad tollendam Adæ, posteritatisq; ejus condemnationem, non solùmq; non incusavit iniustitiam sententiæ, sed inusitatâ quâdam cordis hilaritate, amorisq; fervore illam auscultavit, & ad Crucis trophæum festinavit longè alacriùs quàm solent ij, quibus aut regij fasces, aut triumphales pompæ decretæ sunt iucundo quodam animo memoriam futuræ illius diei recolere solent & exspectare. Vide iam quas tu gratias Deo in contemptibus agas? quomodo te Divinis obsequijs honoribusq; offeras? quomodo aspera, aut etiam iniqua aliorum de te iudicia ausculte? quomodo formides timore præscitæ confusionis?

3. DVcendus ad mortem IESVS, ut cognosceretur ab omnibus, chlamyde exuitur, suâ veste induitur. Quis nostrûm est (qui scilicet imitationem Christi jactamus) qui subiturus aliquid in conspectu hominum omnis generis, præsertim sibi notorum, non dico infame crudeleque, sed vel aliquantùm indecens ac vile subiturus aliquid confusionis, deperditurus de opinione doctrinæ, ingenij, virtutis, generis, industriæ, non cupiat non agnosci. En IESVS alienas vestes ponit, suas sumit, agnosci in sua vilitate & ignominia vult, & ab omnium ora oculosq; inter latrones ad Crucis patibulum pergit. O IESV, quando tandem hoc germano spiritu tuo implebor? quando ita Crucis & confusionis tuæ fame & siti cruciabor? ut eam non solùm non fugiam, sed etiam quæ-

ram, & per omnes circumſtantias ultro mihi augeam & aggravem? IESV, per viſcera tua peto, da mihi famem hanc ardentem, aſſiduam, efficacem: volo ſtatim, volo hodie, ſemper, in omnem crucis ferendæ, & ignominiæ ſubeundæ, augendæq; occaſionem imminere.

DOMINICA 5. ſeu Paſſionis.

33. *Crux Chriſto impoſita & baiulata.*

1. O Quàm non æquis donamur, tu Pijſſime IESV, & ego viliſſimus homuncio, partibus? Tibi hodie crux mea: mihi caro tua: ego paravi tibi, & impoſui Crucem, tu parâſti menſam in conſpectu meo. O Amor IESV! quid non excogitas? mihi debebatur Crux: tu autem amor dediſti illam Chriſto pro me, ipſum autem Chriſtum in Sanctiſſimo Sacramento adducis mihi. Mi IESV, quo te ſenſu, quo guſtu, quâ fame recipiam? nolo aliam præter illam, quâ tu Crucem oblatam tibi ſuſcepiſti, & amplexus es. Manſvetiſſime IESV per illud cor tuum ſvaviſſimum te rogo, inſtilla mihi affectum illum tuum Crucis tuæ, ut illo ipſo ſemper erga te, ergà Sanctiſſimi tui Corporis Sacramentum, nec-non erga Crucem tuam ferri velim, & poſſim, & gaudeam.

2. CRux Chriſto impoſita, eſt onus peccatorum noſtrorum in Agno peccata mundi tollente: eſt opus noſtræ redemptionis, eſt præceptum Patris, eſt principatus ejus ſuper humerum ejus, eſt contemptibile lignum, quo in diluvio ſalvamur; IESVS autem Crucem baiulans quid eſt, niſi Spectaculum Patris, Victima mundi, Botrus torcular ſuum portans, ſeu illi impoſitus. Imperator armatus, Scutum hominum, Ara ſimul & Victima: Vexillifer & Anteſignanus, omnes ad ſe ſequendum provocans: Chriſtianorum Stemma, Sigillum, Prototypon, Adam ſub ligno vetito non carpens, ſed ſolvens fructum ejus. Ex his omnibus carpe tu fructum

imitationis, gratiarum actionis, admirationis, compassionis, gaudij. Non tam probrosum est Christo Crucem suam ferre, quàm peccatis Christianorum offendi; ob Crucem sibi impositam non est iratus; ob peccata, quantis nos malis non affecit, & pergit afficere Ecclesiam quotidie? quomodo vel ipsum sui Sanctissimi Corporis Sacramentum ab Hæreticorum Turcarumq; pedibus calcari sinit? scilicet intolerabilior illi Crux peccatorum est, quâm quævis alia; quoniam ne illam ferret, istam pertulit, & perfert.

3. BAiulat Crucem IESVS iam fractus & destitutus viribus præ fame, siti, vigilia, vexatione, flagellis, verbere, doloribus, contumelijs, itineribus, hostium odio, statione tam longâ similior mortuo quàm vivo; & nihilominùs quasi integer esset viribus, Crucem suam tulit, & funesto illi oneri humeros miserabiles supponit. Vbi meæ deliciæ & delicati nimiùm labores? vix tantillo fatigor labore; iam mei rationem haberi, iam meliori compensari tractatione, iam maiori existimatione rependi cupio; quietos annos velut emeritus exigo, immunitates ab ordinarijs postulo. Hoc scilicet est Crucem suam etiamsi fortè fatigatus sis, exemplo IESV ad extrema adducti subire? imò hoc est etiam vix acceptam proijcere, & pondus ejus fastidire. O IESV! da mihi heroicum tuum fervorem, ardentissimamq; sitim, avidissimam famem tuam, in appetendis subeundisq; doloribus & contemptibus propter te, quæ nunquam langveat, nunquam expleatur, nunquam dicat sufficit; sed potiùs affer, affer, ampliùs Domine, ampliùs.

Feriâ 2.

34. *Mulieres sequentes. Lamentantes consolantur.*

1. COnsidera, quomodo totâ fremente contra Christum Iudæorum gentiliumq; turbâ, cumq; ad mortem deducen-

ducente, repertæ nihilominus sint aliquot animæ, quæ illum sic tractatum flerent, & lamentarentur; & quidem fæminæ erant, naturâ timidæ, fragiles, contemptibiles; sic scilicet infirma & stulta, & contemptibilia mundi elegit Deus ad suam sapientiam, & relictis potentibus, magnatibus, sapientibus, superbis, donat infirmis & abjectis sentire posse mysteriorum suorum sensus, eorumq; dulcedine pasci. Quis discipulorum ausus est tantùm, quod audent hæ modicæ fæminæ hoc tempore? nempe Deus sigillatim fingit corda hominum, & ex quibus vult instrumentum sibi format aptum suis operibus, quod gnarum suæ ineptiæ, bona Deo, mala sibi tribuere sciat. Hinc videas rudes vulgò homines, plùs svavitatis in orando experiri, quàm doctos; imperitos faciliùs & feliciùs magna etiam exequi, quàm peritos & versatos; scilicet Deus magis præstò est ijs, qui se ejus auxilio magis egere sentiunt. Itaq; & tu si vis promptum auxilium Dei experiri, nihil te esse posseq; practicè agnosce; quantò meliùs id in te de te senseris, tantò celeriùs ac robustiùs iuvaberis.

2. LAchrymis compassionem super Christum ostendunt, hæ miserabiles Sanctæ Matronæ, & quidem illæ in IESV nihil fortè aliud præter purum hominem calamitosum, nuper in aliquos suorum beneficum, nunc verò indignissimè habitum, & turpissimæ morti destinatum agnoscebant. Quid iam me hoc, quod verè est, de Christo credentem, facere addecet, cùm illum tam indignè tractatum video? & quidem cùm me in causa esse agnosco? prô pudor & duritia cordium! quàm sæpe vincimur à mulierculis & rudibus, & sæcularibus, & occupatis hoc mundo, nos scilicet viri spirituales, sapientes, Deo devoti, quot ego totâ vitâ meâ, imò hoc anno in Christi gratiam, in laudem Dei lachrymas fudi, & quid dicam? quot adij pericula, labores pertuli, onera sustinui.

3. O Nunquam frustra in Christi compassionem profu-

ſæ lachrymæ! plorant mulieres, vertitur IESVS, & ſui oblitus, alienum fletum ſolatur. O quàm promptus eſt ad beneficia repetenda IESVS; quàm tardus idem ad vindicandas iniurias; tot accepit in Paſſione ſua iniurias, neminem tamen ultus eſt; unicum accepit compaſſionis affectum, mox rependit. O miram IESV ſvavitatem! ô raram gratitudinis virtutem in nobis, & præſertim erga Deum! utinam illam diſcam ab IESV!

Feriâ 3.

35. *Beatæ ſteriles. Montes cadite. Si in viridi.*

1. BEatæ ſteriles animæ, quæ peccatis ſuis CHRISTO mortis cauſam non præbuerunt, vel leviorem præbuerunt; quisquis eſt, magnus eſt: ego autem talis non ſum, qui ſuper multitudinem arenæ maris peccavi. Vtinam ſterilior eſſem, aut planè ſterilis ad peccandum, ut beatus hodie abs te IESV eſſem, & quando tandem pigebit me offendere te? quando tandem renuntiabo perfectè omni non ſolùm malitiæ, ſed etiam vanitati, tepiditati, imperfectioni. Beata illa ſterilitas, quæ frenans concupiſcentiam, domans iraſcibilitatem, emendans malitias, ſupplens ignorantiam, fetum peccatorum extingvit, & concepta ſuggeſtionum pravarum ſemina elidit. Iſtam ſterilitatem animæ meæ quando tribues mi IESV? ô quare non modò? quare non hâc horâ finis turpitudini meæ?

2. MOntes cadite ſuper nos, quorſum iſte imber mi IESV? formidanda hæc pluvia eſt. Sed tamen iuſtitia tua Deus, ſicut montes Dei: & quis ſuſtinebit eam, quando congregabis gentes & diſceptabis cum eis? Duplices montes habet Deus, alij ſunt ſvavitatis, alij ſeveritatis. Primi ſunt mons Miſericordiæ, mons Gratiæ, mons Exſpectationis ad pænitentiam, mons Beneficentiæ, mons admonitionis

tionis, inſpirationis, vocationis, mons Paternæ correptionis, mons promiſſionum æternarum: Beati verò montes & optandi, qui utinam cadant ſuper nos, & obruant nos, abſorbeantq; ad ſalutem. Secundi montes ſunt mons Iuſtitiæ, mons Vindictæ, mons reprobationis, mons tribulationum & pænarum: mons iræ & furoris, mons exprobrationis, mons damnationis æternæ & ardorum ſempiternorum. O montes graves & intolerabiles, quorum memoriam recolens Iob, ne ipſius quidem memoriæ eorum pondus ferre valuit. Illos priores montes, qui nunc negligunt, qui deijciunt, qui diſſipant, complanant, quando in mortis & iudicij die poſteriores montes imminere ſibi & impendere videbunt, tunc primùm clamabunt: O montes pietatis, montes ſancti, montes benigni, cadite ſuper nos! at ſerò. Nunc, nunc hos montes excipiam, ut illos non timeam Domine IESV.

3. VEre virens lignum Chriſtus, qui de florente Virga Virgine Sancta excrevit; nunquam virore caruit, nunquam illum deperdidit, nunquam imminuit, ſed potiùs ſicut lignum plantatum ſecùs decurſus aquarum, ne folium quidem dimiſit, fructum vitæ ſemper in tempore ſuo dedit. Virens lignum Chriſtus, ſolus inter omnia ligna ſylvarum & ariditatem, & ſterilitatem non admittens, unde etiam nec ſecurim, nec ignem metuens. Vnde autem in viridi iſto ligno tanta faciunt, an hoc eſt ſeveritatis exemplum Divinæ, quod ipſa proponit, ideo, ut ſapiente flagellato, & innocente punito, peſtilens ſapiat, & peccator pænitentiam agat: quoniam ſi naturalibus ramis non eſt parſum, quomodo parcetur adoptivis? Si ego adhuc in virente ætate tam ſum tepidus & delicatus religioſus, quid fiet in ætate fractiore? Si tot præventus & vallatus gratijs tamen cado, quantùm caderem ſi illis carerem.

Feriâ

Feriâ 4.

36. IESVS sub Cruce deficit. Simon portare cogitur.

1. IESVS sub Cruce deficit. Docet Crucem patientiæ, abjectionis, mortificationis, laboris pro Christo & animarum salute, ad defectionem usq; esse portandam: cadere & mori sub Cruce Christianum, Religiosum, IESV Socium decet, abjicere illam non licet. IESVS sub Cruce deficit, tu non deficies adhuc sub peccato & à peccato, non deficies à libera & soluta, & tepida vita? IESVS sub tua cruce deficit, ne tu sub ejus unquam deficias iugo. Infirmitas enim ejus tua est confirmatio; ne accusa gravitatem & onera Christianæ vitæ, spiritualis vitæ, non dum te illa ad defectionem pressit, sicut tua vita mala Christum pressit, non dum vitam Christi & Crucem ad defectionem virium portâsti; & estò portaveris: portavit & IESVS propter te, prior te; non dignus est ut posterior tu portes pro illo, IESVS fert Crucem usq; ad defectionem, non te pudet mollitiei tuæ? digitus dolet, caput afflictum est, debilitas invasit, iam eximi à communibus officijs & pro te suppleri poscis. Robusti spiritus non est hæc natura, opprimi potest, quiescere non potest. IESVS sub Cruce deficit, & miraris mi IESV, nos illam horrere, nos sub illa cadere infirmos, quæ te gigantem oppressit, auge gratiam, da patientiam, ideo enim tu gravitatem Crucis pertulisti, ut nobis alleviaretur. IESVS sub Cruce deficit, ejusq, ponderi succumbit; sed succumbendo Cruci pondus ademit, horrorem & ignominiam detraxit; levitatem verò, sanctitatem, honorem indidit. Hinc tanti ad illam concursus, quos alioqui IESVS non futuros videbat, nisi ipse illi suas vires ademisset, cælestes verò proprietates impressisset.

2. DVm IESVS ſub Cruce deficit, Simon de villa veniens eam ſubit; mirum eſt, cur IESVS qui hactenus nullius pœnæ ſocium habere voluit, ad ſolius Crucis ſocietatem admiſit, & ut Crucem Simon pro ſe & poſt ſe ferret, permiſit. An tanta eſt Crucis gravitas, ut ei ferendæ IESVS ipſe par non fuerit? an potiùs tanta omnibus Crucem ferendi incumbit neceſſitas, ut nullus ab ea ſe excuſare poſſit, ſed velit nolit eam ferre debeat? An tanta eſt etiam ejus ſvavitas, ut eam IESVS abundè perſentiens, in alios etiam effundi voluerit, & ab alijs guſtari? An oſtendere voluit Crucis fructum non ſibi, ſed alijs eſſe applicandum; applicandum autem non manentibus in villa, ſeu mundum amantibus, ſed exeuntibus de villa, ſcilicet mundum contemnentibus.

3. SImoni Cyreneo de villa Crux imponitur poſt IESVM portanda, cur non alicui magnatum? cur non alicui ſapientum? alicui diſcipulorum? Simon quærendus erat, quia ſolus Simon Cruci ferendæ idoneus eſt: quem ſcilicet non pudeat ſubijci alteri, qui non innitatur prudentiæ ſuæ, qui non ſolùm ſpiritualis vitæ profeſſione glorietur, qui non ideo Chriſtum ſequatur, ut ditior, ſed ut melior fiat; uno verbo qui obedire ſciat Deo, & omnibus propter Deum: ille dignus eſt Cruce Chriſti. O Simon, quàm invidenda ſors contigit tibi, vel coacto? O ſi mi IESV tuo id mihi contingat munere, ut Crucem tuam ſubire, poſt te ferre, ferre autem libenter, hilariter, avidè, imò etiam ſuperbè poſſim & velim, quòdſi tam ineptus ſum, & tanti amoris Crucis tuæ incapax: cogi volo mi IESV. Saltem capax ero coactionis, ſi non ſum voluntatis.

Feriâ 5.

37. *Vinum myrrhatum guſtat IESVS. Non tamen bibit.*

1. NOvercalem animum & odium plùs quàm inſatiabi-

le, quod neq; benefacere sine tormento novit: præbet vinum myrrhatum crucifigendo Christo, tanquam eum confortare, aut alienare à sensu doloreq; mortis volens, sed ne illa misericordia crudelis non esset, fel admiscet. O crudelitas! si à doloris sensu alienare vis, cur fellis amarore crucias? An propinare odium Christo quo furebas, volebas? sed quia non poteras, ideo in symbolum & signum odij fel propinabas? An rimabaris viscera Christi, quæ sola à tua rabie adhuc immunia restabant? nullum sensum Christo & membrum reliqueras inviolatum; lingva superat, hæc igitur erat felle crucianda. Molesta erat forsan illa Christi tantis in doloribus patientia & taciturnitas felle carere videbatur lingva illa, & cor illud, ergo vel adventitio tingenda erat, ut saltem sic ad asperitatem & querelas proliceretur.

2. GVstat IESVS de felle, quia hoc opus erat ad cruciatum gulæ. O infelix sensualitas & ciborum deliciosorum appetentia, quæ Christo fellis præbet pocula, at ego miser & ingratus, hoc Christi cruciatu ad gulæ mortificationem non excitor, sed post tot in vita spirituali transactos annos, adhuc tentationi quotidie succumbo carnali. O fel Christi! quando tamen mihi sapies? quando incentiva ista deliciarum ignisq; bestialis pabula perfectè detestabor & excutiam? IESV mi, per fellis abs te gustati acerbitatem, da mihi hostis hujus perfectam, constantem, æternamq; debellationem. Mihi ciborum delicias, sibi felli amarorem IESVS reservavit, sic bonus Pastor & Pater sibi subtrahit, ut me pascat.

3. NOn bibit IESVS vinum myrrhatum, quia confortari noluit ad Crucis cruciatum. Nudus ab omni omnino solatio & auxilio, pati & mori Christus noluit, ut sua Passio plena & solitaria, & sincera, nulliq; commoditati permixta esset. Et tu anima mea quando disces? quando assvesces

ſces omni exui ſolatio, & merum Paſſionis Chriſti calicem guſtare? Renuntia exnunc in conſpectu IESV Chriſti omnibus ſolatijs quæ percipis ex convictu, ex amicis, ex commoditate, ſanitate, ſucceſſu aliorum, amore & cura, habitatione, talentis. &c.

Feriâ 6.

38. *Ventum ad locum mortis. Detrahuntur veſtes. Crucifigitur IESVS.*

1. AD locum mortis venit Vita, ut ad locum vitæ venirent mortui; & fortè ideo moriente in loco illo Chriſto ſurrexerunt mortui, & venerunt in ſanctam civitatem, ut quid ergo in loco mortis adhuc hæres homo? cur non feſtinas migrare ad regionem vitæ? Venit IESVS ad locum mortis, cur tu fugis locum & occaſionem mortificationis? Non ſtetit Adam primus in loco vitæ, ideo ſtetit ſecundus in loco mortis, cur tu ſtulte primum potiùs quàm ſecundum Adam æmularis? Pijſſime IESV gratiæ tibi, qui me à monte mortis ad montem vitæ terramq; viventium trahis, & transfers, confirma, & radica me in hoc loco ſancto & monte ſanctificato, ut nunquam ad regionem morientium convertar animo.

2. DEtrahuntur veſtes Chriſto crucifigendo, an non potuit veſtitus IESVS crucifigi? potuit, ſed Crux veſtitos non amat; faciliùs eſt in paupertate Chriſti nihil quàm vel minimùm quietè poſſidere. Exue te homo, exue omnibus non ſolùm ſuperfluis, non ſolum utilibus, ſed etiam quantùm potes neceſſarijs. Opus tibi aliquibus eſt, ſed crux illa non admittit, abijce. Quòd non admittat perfectos crucis amatores aſpice, pares tibi, meliores te, iuniores, poſteriores te, egentiores te, carent quibusdam, quibus tu carere non potes; non te pudet deteriorem eſſe illis, quibus exemplo eſſe debueras

bueras? Non te pudet pauperiores alios videre, facere esse, velle, quàm te; cùm tamen tu plùs illis ad puritatem paupertatis obligatus sis? si in Cruce nudus non es; in Cruce verè non es; quia plenè in Cruce non es, hoc enim quod retines, eò plùs de Cruce diminuit, quò plùs solatij terreni permittit. Nudos perfectè vult Crux, nudos solatio privato, solâ vitâ communi contentos; si in Cruce nudus non es; ubi eris? aut in Cruce, aut in inferno perfectè nudari debes: elige, ubi potiùs velis. Adam cùm gustâsset ex ligno vetito, indutus est. IESVS gustaturus de ligno Crucis & tormento, exutus est: an ideo, ut sicut ille cùm gustâsset nudum se vidit; ita IESVS gustaturus nuditate suâ vestire illum voluit.

3. Totâ vitâ suâ IESVS Crucem portaverat ab instanti conceptionis suæ, tandem crucifigitur, & eidem configitur. Hoc est proficere, hoc est quotidie meliorem fieri, scilicet crucem quotidie plùs amare, semper mortificationem suî plùs anhelare. Semper sensualitatis fomenta sibi subtrahere. Crucifigitur IESVS, quando crucifigeris tu? tu inquam, qui tam pridem Crucem amplexus es, qui tantòpere alijs crucifixionem suî svades, qui te crucifixum esse ostentas, qui alios crucifigis, qui alios crucifixos tantòpere vis, & non esse indignaris. Crucifigitur IESVS Amor ille meus, & cur ego non sum? an ego melior sum eo quem amo? O quando tibi assimilabor Amor mi? quando tibi configar? gloriatur quidam magnus crucifixi amator, se Christo confixum esse Cruci: quasi dicat, Christum crucifixerunt milites, at non solùm etiam me cum illo, quoniam ubi Amor meus est, & ego necessariò sum, siquidem anima magis ibi est ubi amat, quàm ubi animat. Item propter me mihi in meum bonum Christus Cruci affixus est, at ego quoq; propter Christum & Christo crucifixus sum. Præterea Christus Cruci affixus est clavis, at ego Christo, Christum in Cruce tenent clavi, me Christus

ſtus; deniq; quod eſt Crux Chriſto, hoc eſt Chriſtus mihi, confixus eſt Chriſtus Cruci, ego Chriſto tanquam Cruci. O mi IESV configantur tibi alij ut diviti, ut pulchro, ut ſvavi, ut potenti, ut mirabili, ut glorioſo, ut triumphanti: ego non ſic configi tibi cupio, ſed tibi ut abjecto, ut pauperi, ut humili, ut nudo, ut dolenti, ut contempto, ut contumelijs affecto, ut crucifixo. Sapias alijs, in alijs, mihi abſit gloriari niſi in Cruce tua, abſit me ſcire aliquid in mundo niſi te, & quidem non alium quàm crucifixum.

Sabbato,

39. *Titulus, Elevatio, Latrones.*

1. CHriſtum crucifigi & titulum affigi quid eſt? quàm peccare & peccatum prædicare? & quoties gloriamur in rebus peſſimis, ſi quem confudimus, ſi vexavimus, ſi irriſimus, ſi contriſtavimus, ſi in faciem reſtitimus, veluti rem bene geſtam alijs referimus, quod quid eſt aliud, quàm titulum Chriſto crucifixo apponere? Chriſtus crucifixus titulum ſibi adſcribi & nomen addi volebat, qui miraculis coruſcans, nomen ſuum ſileri ab his quos ſanabat, iubebat: & ego non ſic: ego aliquid mali ſubij, aliquid probroſi, ſileo & latere cupio: boni aliquid conatus ſum, neminem neſcire volo.

2. COnſurge tu qui evangelizas Sion, ſuper montem aſcende, elevare, quousq; ſola terra, ſola Ieruſalem dolores tuos, & portenta virtutum, amorisq; tui ſpectat, ſpectet etiam àër, ſpectet orbis; anima mea quæ eſt iſta? & cui uſui parata machina quam elevari conſpicis? An hoc pacto ſcelus ſuum Iſraël toti mundo patefecit, & tanquam Sodoma prædicavit? An ignominiæ dolorisq; causâ attollitur? an ut tu quò tandem currere, quò confugere poſſis habeas; exponitur? An liber amoris, humilitatis patientiæ, paupertatis, doloris, ignominiæ, tibi legendus expanditur? Elevatur

IESVS crucifixus à terra in altum: quousq; ergo tibi anima cruces tuæ parvæ humiles & quasi terrenæ sunt? & quando generosa & ardua perpeti incipies?

3. IESVS cum latronibus, te pudet agere cum vilibus. IESVS cum sceleratis deputatus est, te pudet humilibus & contemptis accenseri. IESVS inter latrones est, ut inter Angelos & homines, inter reprobos & prædestinatos. Maledicit unus, defendit alter latro Christum, salvatur unus, perit alter, prô! quid hoc? non ambo æquè vicini Christo, non ambo crucifixi, audi ô homo, Religiosus es, in cruce es, cum Christo es, sed non dum securus es. Non in cruce pendere, sed Christum agnoscere, defendere, adorare, prædicare, latroni saluti est. Non in Religione esse, sed inibi bonum esse, saluti est. Et de cruce, & de claustro, itur ad tartara. O IESV! quid prodest te sequi, si non contingat consequi? O IESV! Crux tua, professio scilicet vitæ hujus ad salutem mihi sit, non ad ruinam suffigar cruci spirituali, sed verè Religiosus sim, sed verè moriar tecum, sed non extra te.

DOMINICA Palmarum.

40. *Vestes Christi. Omnis generis blasphemiæ. Oratio Christi pro crucifixoribus.*

1. NVdus Christus in Cruce pendet, vestimenta ipsius in oculis ejus aut scinduntur, aut sorte obtinentur. Quid est Christum nudum relinquere in Cruce, vestes autem rapere, animæ curam negligere, corpus verò & externa curare, imitationem Christi crucifixi & passiones doloresq; ejus refugere: specioso autem servitutis ejus titulo gloriari, & veste contegi, & ob hoc solùm exteriùs Christum sectari, ut honor habeatur, ut cura victûs, vestitûs, habitationis, aliarumq; necessitatum non sustineatur. Nudus etiam tunc Christus pendet, vestes verò ejus rapiuntur, quando quod gratiæ Dei

opus eſt, tamen induſtriæ humanæ propriæ attribuitur; quando etiam quod tu bene feciſti: alteri, vel ab altero imputatur: patitur hoc Chriſtus in Cruce, patere & tu, ſolamq; facti conſcientiam Deo reſerva. Veſtes Chriſti ſervi ejus ſunt, has aliquando Chriſtus relinquere videtur, quando tribulari, vel à ſanctitate eos cadere permittit. Quare autem dividuntur veſtes Chriſti? niſi quia non ſunt crucifixæ cum Chriſto; ita ergo & ſervi Chriſti, ſi cum Chriſto in Cruce eſſent, dividi ab ipſo non poſſent. Dividuntur autem à Chriſto ante crucifixionem, quia rariſſimus eſt qui cum Chriſto poſſit ſuſtinere tentationem & mortificationem. Hinc Dominica in Palmis Chriſto ſtratæ ſunt veſtes, in Paſſione verò eidem ſuæ detractæ, quia ſcilicet triumphanti Chriſto & faventi multi ſunt ſervi, ab afflicto verò etiam ſui diſcedere non erubeſcunt. Rarus ſanctus in tribulatione Chriſto coniunctus.

2. SI Filius Dei es, deſcende de Cruce. Alios ſalvos fecit, ſe non poteſt. Sine; videamus an veniat Elias liberans eum. Chriſtus Rex Iſräël deſcendat de Cruce, & credimus ei. Confidit in Deo, liberet eum nunc, ſi vult: ſalvum fac temetipſum & nos. Hæ, & infinitæ aliæ ab omni hominum genere in Chriſtum crucifixum jactatæ ſunt blaſphæmiæ. Nullo tempore Chriſtus plures legitur blaſphemias, quàm pendens in Cruce pertuliſſe. An ideo, quia lingvæ peccata hâc ultimâ coronide Chriſtum affligere & à Chriſto expiari debebant? An quia ubi ultimas Chriſtus exerebat patientiæ vires, extremasq; ducebat manſvetudinis lineas, mox manum de tabula ablaturus, ibi maximè ad impatientiam & indignationem fraude dæmonis occaſiones præbebantur? An quia inchoata bene, & acta fortiter, ut quoq; perficiantur conſtanter, præcipuè eſt allaborandum, quippe fini maximè diabolus invidet, & calcaneo potiſſimùm inſidiatur. Cautus ergo eſto tantò magis, quantò magis appropinquans

fini

fini vel vitæ, vel operum, vel officiorum. Item tantò magis Dei laudibus & servitijs incumbe, quantò plures tibi adversarij consurgunt, & quantò magis opera tua hominibus displicent. Scito etiam extremam sanctorum & perfectorum vitam ordinariè tribulationibus & tentationibus inprimis verò detractionibus infestari, ad hoc ergo te præpara & obarma quantò eris sanctior, quantò perfectiùs Crucem Christi conscenderis, tantò magis lingvis aliorum & domesticorum laceraberis.

3. O Ineffabilis dulcedo cordis Pijssime IESV! O vocem ab initio mundi non auditam! O dignam Dei Filio patientiam! mansvetudinem! charitatem! Ad vocem istam creatus est quasi denuo mundus, alioquin ob scelus necati Filij Dei periturus. Ad vocem istam magis quàm ad ipsius crucifixi spectaculum mollita sunt saxa, excitati mortui, exultavit terra, erubuit mundus, quòd tantam impietatem in tantam Pietatem commisisset. O vocem omnibus Christianis, & præcipuè perfectionis studiosis medullitùs ediscendam! O si tu anima mea aliquantùm tibi præfigas temporis, ut admirabilis hujus precationis vim, sensum, originem, proprietates, effectus, quàm solidissimè, fructuosissimè, efficacissimè consideres, ediscas, usurpare consvescas; IESVS orat pro hostibus, excusat crucifixores, tu eos, qui tibi minùs satisfaciunt, ægriùs ferre audebis. Pete à Christo cor Christi erga inimicos tuos.

Feriâ 2.

41. *Hodie mecum eris. Mater iuxta Crucem. Ecce Filius. Ecce Mater.*

1. C Onsidera quàm ferventer conversus sit iste bonus Latro ad Christum, qui tam optandam promissionem obtinere, & dignus cælo evadere potuit. Vide teipsum

quàm tu pridem in hac cruce vitæ religiosæ Christi causâ pendes? necdum tamen mereris audire à Christo, hodie mecum eris: quòd scilicet non tam ferventer converteris. Et non te pudet, quòd publicani, peccatores, & latrones præcedunt te ad Regnum Dei? quantum dedecus est audire dum Latroni dicitur, hodie mecum: te autem formidare ne dicatur tibi: Nunquam mecum eris. Cur ergo non aliquando peccata & vitiosos mores deseris? cur non resoluto animo Crucem Christi amplecteris?

2. CONsidera anima mea Matrem hanc supra modum mirabilem iuxta Crucem Filij consistentem. O mare æneum verè magnum, mare quidem ob amaritudinum copiam, æneum ob animi tantam in luctibus & doloribus firmitatem! O Mater admirabilis & miserabilis, magna est velut mare contritio tua! & non est qui misereatur tui. O stupenda Mater, quæ Christum IESVM Filium parturit iterum, sed non ad vitam, verùm ad mortem, non cum exultatione, sed cum dolore, non in stabulo, sed in Cruce; non in nocte, sed in meridie. O admirabile & lachrymosum puerperium! O dura Maternitas, quæ hâc lege paris, ut prolem amittas, & cujus parere, est Filio carere! O anima mea, mirare mecum hanc tam modestam in dolore, tam constantem in adversis, tam quietam in tanta perturbatione, tam misericordem in compatiendo, tam mitem in condonando, tam resignatam in Dei voluntatem, tam magnanimam, in honore suo propter Filium crucifixum prostituendo. Pete supplex à Matre ista dotes istas, ardenter illi conformari concupisce, ex corde illi compatere, & modo, quo Filio suo illa compatitur.

3. ECce Filius tuus: Ecce Mater tua. O voces miras! mortaliumq; cordibus optatissimas! Filium effici Virginis quid dulcius? Matrem habere MARIAM quid securius? O Mater non dedignare nos filios, quoniam Deus non

est

est dedignatus te Matrem, impares tibi sumus nos, sed & Deus te infinitè dignior. Facta tamen es tu Mater Dei propter nos, fias igitur Mater nostra propter Deum, peperisti nobis Deum, parias nos Deo. Non est hæc indigna dignitate tuâ prærogativa, ut fias Mater universitatis, quæ es Mater Majestatis. Facta eras Mater Dei, quando de Spiritu concepisti, facta es Mater omnium post Deum, quando à Filio vocem istam ecce Filius tuus audîsti; dic igitur nunc etiam Virgo S. illud tuum solenne Ecce Ancilla Domini, fiat mihi Fili mi secundùm verbum tuum. O anima mea, accipe ex hac hora Matrem hanc in tua; ut sit deinceps Mater tua, ad illam filiali affectu accurre, illam filiali affectu venerare, illam filiali affectu dilige: illi filiali affectu fide, assiste, adhære. O MARIA: ecce tu Mater mea, da, & effice, ut sim ego dignus te filius tuus.

Feriâ 3.

42. *Tenebræ totius terræ. Derelictio.*

1. COnsidera crucifixo Christo Solem obscuratum in meridie, in Plenilunio. Ita scilicet dum Christus peccato crucifigitur, omnes hominis justitiæ, omnis gratiæ splendor, omnis dignitas supernaturalis & meritum ab anima depellitur. Tenebris istis cæcitas Iudaici populi signatur, quæ hodieq; durat; designatur cæcitas gentilium, in qua vivebant, & ni Christus moreretur, perituri erant; designatur & enormitas omnis peccati, præsertim verò crucifixi Dei, ad cujus sceleris aspectum Sol exhorruerit, & mortem mundo induxerit, tanquam sepulturus æternis tenebris tanti sceleris memoriam. Ohe? horruit Sol peccatum: nos non horrescimus, imò patramus; vide, quoties in te talis obscuratio solis contigerit, quando currebas bene, quando Spiritus Dei adfluebat, quando securus gratiæ Divinæ vivebas, in meridie ipso

ipſo ad tenebras æternæ calamitatis devolutus. O! quando dignè exhorreſces hanc præſumptuoſam tuam ſecuritatem, quæ te velut cæcum in foveam peccati detrudit.

2. SOl obſcuratus eſt, & tenebræ per totam terram factæ ſunt Chriſto dolente. Vsq; modò dolet, patiturq; Chriſtus in peccatorum animabus. O tu! ſi Sol es, quare non contriſtaris? quare Chriſti iniurijs non condoles? quare non quantùm in te eſt peccata tam in te ſi de horum numero es, quàm in alijs impedis, & dolores Chriſti mitigas. An te obſcurari pudet propter leniendos dolores Chriſti? & cur non puduit obſcurari Chriſtum propter deſtruendam damnationem tuam? An pretioſior tibi honor tuus, quàm Chriſto ſuus? An maior apud Chriſtum tu, quàm Chriſtus apud te?

3. DEus, Deus meus: ut quid me dereliquiſti? verè dicis Pijſſime IESV, & iuſtè quereris cur derelictus ſis? quanquam non eſt vox & quæſtio iſta velut ignari, non eſt indignantis velut irati: nec eſt conquerentis velut offenſi; ſed eſt magnitudinem doloris opportuno tempore efficaciter declarantis, & ſe verè pati ac ſentire grandia oſtendentis. Derelictus enim eras Domine IESV, non quòd diſſoluta eſſet unio illa naturalis & eſſentialis perſonarum & naturæ Divinæ; aut illa hypoſtatica unio naturæ humanæ cum Perſona Verbi; aut unio gratiæ & voluntatis, aut unio gloriæ & beatificæ ſecundùm partem ſuperiorem viſionis: ſed quòd diſſoluta fuit unio protectionis, quæ ad breve tempus rupta fuit, ut locum oblatio cruenti ſacrificij haberet pro noſtra redemptione. Placuit ſiquidem Patri, Verbo, & Spiritui Sancto ad exequendum commune decretum permittere, ut vis humanæ infirmitatis & poſſibilitatis in te ad tempus prævaleret, & ſic tranſigeretur illa hora, de qua olim dixeras ipſemet. Hæc eſt hora & poteſtas tenebrarum. Sic igitur derelictus es, quia permiſſum eſt à Deo, ut humana tua natura

absq; omni consolatione acerbissimos dolores perferret. Sed quid dices anima, quando de Cruce pendens IESVS clamabit ad te: ô anima mea, ô mea creatione, mea tantâ & tali redemptione, ut quid derelinquis, ut quid dereliquisti me, affixum propter te, ne possem derelinquere te, quid ad hæc respondebis illi?

Feriâ 4.

43. *Sitio. Spongia aceto plena porrecta Christo.*

1. SItio clamat IESVS; ô quanta vis illius sitis fuit! quæ hanc vocem expressit; naturalis fuit, violentissima fuit, ex summis longissimisq; cruciatibus, & ex multis ac copiosis sangvinis effusionibus, ex continua octodecim horarum pœna & jactatione, fatigationeq; contracta fuit. O quibus tibi austeritatibus corrupta tua natura, impotensq; gula frenanda est cùm videas IESVM, tantâ siti affligi voluisse humanitatem suam.

2. SEd est alia Pijssime IESV sitis tua gravior & svavior; sitis scilicet animarum nostrarum quas videbas pauculas salvandas, etsi tu tam copiosum sangvinem pro eis fudisses. Itaq; cupiens plures salvari, cupis etiam plùs pro illis, si ita Patri placeret, cruciari. Itaq; clamas sitio; quasi dicas, quia plures animas meo sangvine efficaciter salvari cupio, ideo plures cruciatus & pœnas sitio; quasi dicas: Attendite animæ quantùm diligam vos, tot iam licèt perpessus propter vos, adhuc tamen dolores propter vos sitio, quasi dicas. Attendite iram & odium hostile: tu explevisti te pœnis meis, & satiâsti, at ego non dum. Sitio. tu iam fatigatus ô furor, at meus amor adhuc sitit & clamat, Sitio. O verè aquæ multæ non possunt extingvere charitatem! ô animæ Christianæ, ô mea anima cur tam crudelis es? cur tuo profectu sitim IESV non revelas? cur animas quas ita sitit IESVS, non sitis?

O si

O si posses obtinere, impetrare, experiri sitim illam IESV, quâ ille animas, quâ tuam animam quæsivit, sitivit, curavit. Videte Christiani quid sitiatis? vide tu anima quid sitis? pati ne pro Christo? laborare pro Christo? contemni pro Christo? an potiùs quiescere, honorari, bene habere, & vide quid te deceat, ita sitiente Christo.

3. SPongia aceto plena in siti Christo porrigitur. Natura humana spongia est, acetum corruptio. Natura ergo humana corrupta Christo propinatur sorbenda, quando illi præceptum datur de ipsâ in Cruce redimenda, ideoq; sumpsisse legitur acetum, quia & infirmitatem naturæ, & passionem pro homine pertulit. Liceat quoq; mihi Pijssime IESV gustare de aceto tuo aliquando, hoc est dolores, contemptusque tuos subire propter te, & sic amori tuo conformari, nec usq; ad mortem de crucis & humiliationis studio remittere.

Feriâ 5.

44. *Consummatum est.*

1. ECquid consummatum est Domine IESV peccatum Iuda, an peccatum meum? Heu quis scit, an non completa mensura malitiæ meæ, & succedat impænitens cor & reprobus sensus? O IESV libera me à consummatione ista, & serva me opus manuum tuarum; quia quæ utilitas tibi ex tanto sangvine tuo pro me fuso, si periêro nihilominùs in peccato meo, tu autem anima mea time peccare, & quaslibet imperfectiones, præsertim deliberatas seriò & constanter vitare propone.

2. QVid consummatum est Domine IESV? an vita tua & opus redemptionis nostræ, quod dederat tibi Pater ut faceres illud? verè, nec iota unum præteriîsti ex omnibus quæ audiêras à Patre; & ego quando ad tantam consummationem perfectionemq; virtutis me resolvam, ut mi-

nimum apicem de voluntate tua nutuq́; & inſpiratione mi IESV non prætercam? ut examuſſim exequar omnia quæ requiris à me, ut quàm perfectiſſimè cupiam & connitar placere tibi, ſcio id non eſſe virium mearum, ſed auxiliorum tuorum. Tu ergo mi IESV conſummationem hanc operare in me, & usq́; ad ultimum anhelitum vitæ meæ conſerva illam, & adauge mihi.

3. QVid conſummatum eſt Domine IESV? dolores tui, Paſſio tua, tempus poteſtatis in te inimicorum tuorum, charitas tua? Ita ſanè omnia tranſiêrunt, conſummata ſunt, perfecta ſunt, præcipuè autem caritas tua, quâ cùm dilexiſſes nos usq́; in finem dilexiſti, à ſummo inchoâſti amare nos, & non niſi in ſummo deſiîſti, dilexiſti nos in finem, quia in Sacramento reliquiſti nobis Corpus tuum usq́; ad conſummationem ſæculi; dilexiſti etiam in finem, quando idem Corpus tuum in dolores & mortem ipſam tradidiſti pro nobis, ita, ut tuæ Paſſionis efficacia ad finem mundi infinitis peccatis noſtris non ſit exhaurienda. O utinam propter te omnia diligam! adducam ad te omnes animas tuo ſangvine redemptas! omnia aſpera & abjecta, & vilia ſuſtineam propter te & propter amorem tui, & propter ſalutem animarum pretioſo ſangvine tuo redemptarum.

Feriâ 6.

45. *Anima commendata. Mors. Miracula. Apertum Latus.*

1. COnſidera IESVM conſummatis omnibus cum clamore valido clamantem voce magnâ, inclinato capite, humili, & ardenti, plenâq́; amoris & reverentiæ in Patrem oratione, Spiritum & animam ſuam manibus Æterni

Patris commendare & mori. O miraculum ſuper omnia miracula! ô calamitatem ſuper omnia calamitoſa, quæ mundo nunquam contigerunt! IESVS mortuus eſt, & pulcherrimus ille nexus puriſſimæ carnis cum Sanctiſſima anima diſſolutus ſte; ſublatum eſt individuum ex humano genere maximum & excellentiſſimum Flos & Corona naturæ humanæ, mundi & omnis creaturæ decus, pretioſiſſimumq; margaritum. O damnum damnis majus! O damnum, quod ſcelus humanum facere potuit, reparare ſola omnipotentia poterit! damnum, cui mundus univerſus comparari non poteſt, damnum, cujus ſolius inflictione deicidium puniri poterat, niſi per illud commiſſum eſſet. Defle hoc damnum anima mea, & ad deflendum omnes creaturas convoca.

2. NOn eſt convocando opus: ſponte veniunt: en terra mota eſt, en petræ ſciſſæ, velum ruptum, en mortui ſurrexerunt. Perculit damni hujus acerbitas etiam rupes, pertigit ad cadavera & in lymbum, ſenſumq; emortuis dedit, & tu non percelleris? O te ſaxis duriorem, & mortuis magis mortuam animam! mota eſt terra mortuo Chriſto, tu etiamnum ſegnis, in torpore hæres? ruptæ ſunt petræ, tu quando efficaciam tam copioſi & pretioſi in te fuſi IESV Chriſti ſangvinis emolleſces? & in manibus Dei tractabilis evades? ſciſſum eſt velum à ſummo usq; ad deorſum, & detexit Sancta Sanctorum; tu quando peccata confeſſione deteges? quando cor contritione ſcindes? quando pretium ſangvinis Chriſti viam vitæ toti quantùm in te eſt mundo evulgare conaberis? Monumenta aperta ſunt, cur tu impiorum corda per claves pænitentiæ & prædicationis Chriſto patefacere pigritas? ſurrexerunt mortui, & ad Sanctam Civitatem venerunt: tu quare non ſurgis? quare alios non excitas? quare ad Civitatem Sanctam Chriſti ſangvine iam expugnatam & apertam

non festinas? non trahis? non compellis? Moriente Vitâ surgunt mortui, scilicet turbata sunt omnia, & in præposteras abiêre leges. Mors non aliter occiditur aut vincitur, nisi cùm ad vitam ducitur; quod enim est mors vitæ, hoc vita morti; & sicut per lucem tenebræ, per tenebras lux occiditur, ita pernicies vitæ mors, pernicies mortis vita est: perijt vita, revixit mors, atq; hâc ratione mortuo Christo prodierunt mortui ad vitam. Mortuus est IESVS propter te, tu quando mori incipies tibi propter IESVM? Vide quos effectus producat hæc mors Christi, quando illum incipies resuscitare in te, in alijs? Vide an tuâ culpâ, an tuâ negligentiâ non sit mortuus Christus? etiamnum in te, & in aliorum cordibus? Mortuus est IESVS clamans, orans, caput inclinans, Patri Spiritum tradens & committens, lachrymas fundens. Disce à Christo mori Christiane, ad mortemq; te præparare. Clamor est pænitentia & contritio: Oratio est veniæ postulatio, & auxilij contra luctas cum dæmonibus imploratio: caput inclinatum, animus est Divinæ misericordiæ & meritis Christi innixus & confisus. Comploratio & lachrymæ satisfactio est. Deniq; Patris compellatio, & Spiritûs in manus ejus commendatio, nihil conscia m sibi mentem & Deum videre desiderantem significat. Sic mori te IESVS docuit; sed si mori vis, quomodo mortuus est IESVS: vive, quomodo vixit IESVS.

3. APertum est latus Christi, ingredere; cor Christi cupis, patet porta; Sed adhuc illud non habes, tibi tuæq; desidiæ imputa. Et quid est habere cor Christi? inter pericula vivis, cur latus Christi non intras? ingredere anima mea, ingredere confidenter in hanc officinam bonorum & donorum, & gratiarum; si times, ibi abscondere: si nuda es, ibi vestire: Si egena es, ditare: Si ægra, sanare: si rudis, erudire

dire: si frigida, calescito: si maculata, lavator: si fessa, quiescito: Hìc habita anima mea, hìc spira, hìc vive, extra hoc latus nihil tibi placeat, nihil luceat, nihil sapiat, nihil vivat. O IESV, permitte me ingredi in latus tuum, permitte me in hoc Divinitatis Palatio, in hac sanctitatis sede, in hac amoris officina, in hoc gratiarum gazophilacio habitare; & da gratiam, ut in eo dignè possim degere, vivere, morari in æternùm.

Sabbato.

46. *Depositio, Vngventa, Sepultura.*

1. TAndem accingere anima mea, & IESVM tuum de Cruce depone; quousq́; enim illum in Cruce imperfectionum tuarum extendes? Considera has cruces, detestare illas, & emendationem propone. Non se ipsum Christus deposuit, sed deponi ab alijs voluit: perseverandum enim est in bonis & in voluntatis Divinæ impletione, neq́; pro tuo libitu cessandum, sed quamdiu placet Deo, manendum & patiendum; quòd si molestum est & probrosum, cogita non esse molestiùs dolore mortis, nec ignominiosiùs supplicio Crucis.

2. DEposuisti de Cruce IESVM, non est satis; unge insuper, & mundâ syndone involve; ungventa tua, devotio voluntatis, puritas cordis, fervor orationis, stabilitas cogitationis, in Deum defixio mentis, vigor spiritûs, sublevatio à terrenorum sapore, non solùm animæ, sed etiam corporis, sinceritas intentionis, constantia boni operis, deniq́, jugis recogitatio & imitatio Crucis Christi & Passionis. His ungventis IESVM unge, & places; sed unde hæc tibi ungventa? pyxides aromaticas quære. En Apotheca plena & instructa IESVS ipse, tot pixides hic, quot vulnera, sangvis ejus, dolor ejus, mors ejus, hoc est ungventum ejus, hinc sume un-

gventa

gventa, hæc effunde: nec metue repulsam, in hos usus exposita sunt; securus adi, sume, utere. O anima cur ergo hæc vulnera non amas? non usurpas? non oscularis? non noćte dieq; cogitas? non tibi efficaciter & medullitùs imprimis? IESV, tui hoc muneris est, tu dona.

3. SI unxisti IESVM, etiam sepeli. Sepulchrum IESV cor tuum: saxeum sit contra peccata & tentationes, durum, cavatum tamen, excisum & novum, quia mundum & purificatum, & à turbis passionum secretum & liberum. Ibi sepeli IESVM anima mea, scilicet pactum æternum cum IESV ini, quòd nempe illi servire, ipsum toto corde amare, memoriam Passionis ejus semper in corde habere, virtutes ipsius seriò imitari, in teq; exprimere, secundùm cor IESV cor tuum dirigere, aliorum corda ad IESVM adducere, ipsiq; in perpetuum addicere velis. Mi IESV, mane in me sepultus, & ut tantò securiùs quiescas, sigillum vulnerum tuorum appone, custodijs tuis cor meum circumda, ut fiat in pace locus tuus quo maneas apud me quietus & tutus ad mortem. A.

Meditatio & examen conscientiæ duo sunt præcipua vitæ sanctioris adiumenta, mutuò se adiuvantia. Meditatio lumina colligit: examen dispicit utrum hoc ad lumen incedas. Meditatio fructus profert in intellectu & voluntate, examen rationem exigit an ijsdem fructibus vescatur anima per actionem. Et è converso examen conscientiam discutiendo, egestatem animæ cognoscit, ad meditationemq; velut ad opum spiritualium venam remittit, ut ibi quærat, ibi inveniat unde ditescat in Deum sumptis igitur meditandi capitibus ex Passione Domini; legitimè sequitur ut ex ijsdem conscientiæ examinandæ industriam eruamus. Non potes rationem salubriùs tecum ponere, quam ubi totam rationem nostræ salutis posuit Christus.

EXA-

EXAMEN CONSCIENTIÆ

Vulneribus IESU CHRISTI jungendum Ejusdem R.P. Gaspari, tàm in Modo XLVI. meditandi Passionem Domini, quàm in Tribunali Conscientiæ Industria III. descriptum.

Cujus hæc Praxis.

QVinque sunt Examinis Puncta, Vulnera Christi itidem quinque. In prima parte Examinis aguntur gratiæ pro beneficijs. Primum Christi vulnus sit Gazophylacium, in quo beneficia, nobis collata reponuntur. In secunda Examinis parte, petitur lumen ad cognoscendas animæ, & conscientiæ latebras. Secundum vulnus Christi sit sol illuminans, è quo postulatur & sumitur radius, ad illuminandas cordis tenebras. In tertia Examinis parte indagantur vitia & peccata. Tertium Christi vulnus sit speculum, ad quod anima intuetur se, & omnia dicta, facta, cogitata, omissa sua speculatur, atque obliquitatem eorum cum Christi IESU rectitudine confert, ut contraria juxta se posita magis elucescant. In quarta Examinis parte, Contritione & detestatione abluuntur peccata omnia, præcipuè nunc commissa, quod quia sine Christi IESV sangvine & meritis non fit, ideo Quartum Christi vulnus sit Contritionis balneum, in quo lavantur omnes iniquitates cordis. In quinta Examinis parte fit propositum emendationis, proponitur constantiæ robur. Ea propter Quintum Christi vulnus sit petra refugij & munitio, ad quam anima confugit, ut sit tuta. &c. Hæc conjunctio Examinis, cum IESV Christi vulneribus, auget in anima pietatem ad IESVM pro nobis vulneratum, reddit Examen Deo gratius, ad pellenda vitia efficacius, ad delenda peccata validius, animam ad profectum excitat, & roborat, svavius Examen efficit, delectabilioremque hunc laborem facit. Porro operæ pretium erit Praxim hujus Examinis cum Christi vulneribus conjuncti hic apponere.

PUNCTUM EXAMINIS I.

Vulnus Christi Primum in Pede dextro.

Vulnus *sacratissimi* Pedis tui dextri, dulcissime IESV, sit mihi gazophylacium donorum. 1. Naturæ. 2. Gratiæ. 3. Gloriæ: 4. Quibus abusus sum. 5. Quibus abs te tuâque gratiâ donandus eram, & essem, nisi me indignum fecissem, & facerem, ac deniq; omnium omnino beneficiorum totius vitæ meæ, ut in illo mihi conserventur, quoniam malè illis est, apud me, utpote qui illa dignè æstimare non sciens, facilè illa negligo, *dilapido, deperdo*.

PUNCTUM EXAMINIS II.

Vulnus Christi secundum Pedis sinistri.

Vulnus *sacratissimi* Pedis tui sinistri Dulcissime IESV, sit sol meus, qui lucis suæ radium emittat in animam meam, ut cognoscã 1. Quis tu sis? 2. Quis ego? 3. Quid feceris mihi? 4. Quid debeam tibi? 5. Quid sim mihi tecum, & quid sine te? utq; pervadam omnes perversi cordis mei latebras, & perspiciam omnia peccata mea, defleam illa dignè, & hujus tui vulneris *pretioso sanguine abluam luculenter*.

PUNCTUM EXAMINIS III.

Vulnus Christi tertium Manus sinistræ.

Vulnus *sacratissime* Manus Tuæ sinistræ Dulcissime IESV, sit speculum meum, in quo videam, & considerem peccatorum meorum vitiorumq; numerum, gravitatem, fæditatem. Hoc enim vulnus à Te pro meis peccatis susceptum est. Unde & meritò in eo dispici debent. Videam ergo in hoc *nitidissimo speculo*. 1. Particularia hujus temporis.

2. COGITATIONES, an fuerint otiosæ, vanæ, superbæ, impuræ, gulosæ, acediosæ, ac tepidæ, iracundiæ, absorptivæ, frustra solicitæ, murmuratoriæ, inconstantes, respectuosæ, & ad spes, vel timores humanos attendentes.

VERBA. An fuerint superba, mordacia, iracunda, impetuosa, præcipitata, superlativa, ironica, immansveta, detractoria, exaggerati-

rativa, contumeliosa, mendacia, ambigua, simulata, adulatoria, affectata, otiosa, ridicula, officiosa.

OPERA. An fuerint nulla, non rectâ in tentatione facta, ad hominum gratiam, spem, laudem, metum, ad commoditatem propriam directa? Non debito loco, ordine, modo, absque attentione, devotione, præsentiâ, & reverentia DEI, absque fructu, non cum prævia consideratione, electione, non ad regulas, nec cum adjunctione observationum solitarum, ex usu, temerè, casu, contra vel citra Dei, Ecclesiæ, superiorum, regularum præcepta, præter usum & vitam communem, disciplinamque, contra officium proprium, vel propositum, cum scandalo, cum conscientiæ remorsu, cum langvore, tædio, distractione animi, ex judicio & voluntate propria, contra fraternam charitatem, vel absq; illa, cum effusione mentis, sine dominio & præsentia sui, cùm festinatione, & angustijs temporis.

3. OMISSA per negligentiam, inscitiam, effusionem ad unum, & impotentiam affectûs, ob levem causam, & irrationabilem, ob neglectum ordinis, temporum & actionum, cùm tamen debuerint, potuerintque fieri à me, in gratiam Dei, Proximi, & meum fructum, meritum, propter exemplum, obedientiam, disciplinam communem. &c.

4. ALIENA mihi tamen imputanda, ob imperium, consilium, exemplum, authoritatem, dissimulationem, vel ejus spem, protectionem participationem, non impeditionem, negligentiam meam in officio, alijs vel notam, vel probratam, vel speratam. Item aliena quidem sed mea facta, ob indagationem meam, censuram, reprehensionem, non cui intererat narrationem, cui intererat non narrationem, ob non promotionem, & favorem, cùm potuerim, & quo adjecto fieri potuisset, vel simpliciter, vel commodius, vel facilius, vel utilius atq; perfectius, interea verò facta non sint. Vel si sunt, incompetenter tamen facta.

5. ORDO. temporum, actionum, & in actionibus occupationibusque observationum. An scilicet servatus sit ordo temporum, & horarum punctualiter, & cum dominio mei? an item actiones peractæ suo tempore, & omnes? an item omnes suo modo, & cum adhibitione perfectionum communium? ut sunt prævisio, electio, deliberatio, conclusio, atq; imperatio, Intentio, attentio, diligentia,

fervor, intensio, perseverantia, sive constantia. Particularium quoq; ut sunt. Intentio defæcata, conatus heroicus, gradus perfectionis ultimæ, charitas, & resignatio sublimis & gratuita. Fervor in majori & atomica proportione major & major, nomine & affectu, & conatu omnium creaturarum, in unione meritorum appropriatorum Christi, Pretiosissimæ Parentis, Sanctorum omnium, sacrificativè, dignè dignissimo Deo.

PUNCTUM EXAMINIS IV.

Vulnus Christi quartum Manus dextræ.

Vulnus *Sacratissimæ* Manus tuæ dextræ Dulcissime IESU sit mihi contritionis balneum, cujus virtute, efficaciâ, & merito, defleo, & abluo omnia peccata mea admissa commissione, & omissione. 1. In Te. 2. In me. 3. In superiorem, & regulam, & vitam communem & officium. 4. In æqualem. 5. In inferiorem. Cui ablutioni & dolori meo peto vel guttulam Sacratissimi Tui sangvinis, ex hoc manûs Tuæ dextræ vulnere admisceri & tuo Divino conspectui per sanctum Angelum Custodem meum offerri, à Te autem Domino benignissimo acceptari mihi veram emendationem vitæ, & *emundationem abs Te indulgeri.*

PUNCTUM EXAMINIS V.

Vulnus Christi quintum Lateris & Cordis.

Vulnus *Sacratissimi* Cordis tui Dulcissime IESU, sit mihi refugium, munitio & defensio. 1. Contra iram tuam. 2. Peccata omnia præcipuè mortalia. 3. Fraudes dæmonum, carnis, mundi, amorisq; mei proprij. 4. damna corporis. 5. Damnationem æternam. Sit mihi etiam abyssus peccatorum meorum omnium, in quam ego, cum plena cordis detestatione, atq; dolore, abjicio, & demergo omnes omninò imperfectiones meas; nunquam inde extrahendas, aut revocandas. Tu tantummodo largire mihi, dulcissime IESU, ex piissimo cordis tui vulnere, vel unicam guttulam, sangvinis tui, in pignus & arrham, peccatorum meorum omnium, abs te mihi in æter-

num remissorum. Include autem me in imis visceribus cordis tui, atq; ibi me detine, excoque, exure, expurga, accende, ignefac, sublima, in cordis tui naturam perfectè converte, ad purissimi cordis tui gustum atq; placitum, ad *puram annihilationem meam Amen.*

QUos delectat usus coronæ de vulneribus Christi Domini confectæ, hos etiam prædicta Examinis Praxis delectare potest, in quem finem in singulis Punctis quinque alia puncta annotata sunt, ut pro numero globorum in corona expendi hæc Puncta possint.

POssunt hîc addi *suspiria* pænitentis, Authore R.P. Henr. Bodeker. S. I. *in Beata Morte* descripta.

Affectus fidei.

QUis tu mi Iesu, qui pro me in Cruce moreris? tu ne IESUS meus? ~~meus Iesus?~~ id est Salvator meus? Rex meus? Dominus meus? qui credam te mori pro me homuncione vili, terræ vermiculo? & mori in cruce?

Sed ita est, mi Deus crucifixe, ita est, quia veritas tua id revelavit, testati sunt Evangelistæ, & Apostoli, Ecclesia tua, Mater mea docet; clamat Centurio, *verè hic homo filius Dei erat.*

Obstupescite Cæli super hoc; Deus ad columnam flagellatus est, Deus spinis coronatus est; Deus Cruci affixus est, Deus moritur inter latrones, quis unquam audivit tale? aut, quis vidit huic simile?

Quid commisisti dulcissime Iesu, ut sic judiceris? quod scelus tuum? quæ causa mortis tam acerbæ?

Ah! fluite lachrymæ, resonate suspiria, luctu immani cor extabescat, ego sum tui plaga doloris, tuæ culpa occisionis, ego sum tuæ mortis meritum; quod ego deliqui, id luit Deus meus, O res mirabilis! O mysterium ineffabile! quis crederet, nisi revelasset veritas tua Deus meus; id circo, credo, quod videtur incredibile. O veracissime Iesu! & pudore suffundor coram facie tua, ob iniquitates meas.

Ignosce o mater dolorosa! ego filium tuum in Cruce interemi.

Affectus spei.

NUnquid mi Iesu crucifixe urbs es refugij pro quovis peccatore, qui fugit à facie irati Dei?

Nunquid accepisti, & retinuisti Vulnera, ut spem faceres peccator

catori pænitenti?

Sacratissima Vulnera tua, sunt anchora spei nostræ, quia sunt sedes Divinitatis, & thronus Clementiæ, ut in ijs speret, qui rectè sperat, & qui semper in te sperat, non confundatur in æternum.

Licèt igitur me premat conscientia delictorum meorum, licèt instet satan ut in foveam desperationis præcipitet, tamen recordabor Vulnerum Domini, & stabo ut cautes immobilis.

Christus Deus meus fidelissimus, qui pænitentibus veniam promisit delictorum, pro me mortuus est in cruce, cur desperem? nullū Animæ vulnus est tam lethale, quod ejus morte non curetur.

Tota spes mea est in morte, & Vulneribus Salvatoris mei, hæc sunt merita mea, refugium meum, vita mea, resurrectio mea; non deerunt mihi merita, quam diu Dominus misericordiarum vivit.

Peccavi peccatum grande, & multorum mihi conscius sum delictorum, non despero tamen; ubi enim abundavit iniquitas, ibi abundavit & gratia, qui peccatorum suorum veniam desperat, misericordiam Dei fidelissimi negat.

O Mater dolorosa! Mater sanctæ spei, in spe firma me robora. Amen.

Affectus amoris.

QUousque exarsit amor tuus mi Iesu vulnerate! O prodigium amoris! ego iniquè egi, & tu pateris? tu flagellaris ob debita mea? ego cucurri adversùs Patrem tuum erecto collo, rebellis fui ausu nefario, & tu, ut hanc luas impudentiam, obedis usq; ad mortem Crucis?

O Iesu, mei amantissime! colliquescam totus amore tui, fiat cor meum amoris incendium, ut nihil amem extra te, nihil sine te sapiat, nihil æstimem præter te; ut mihi fœteat quidquid tu non es.

Sit dulcissimum nomen tuum refectio mea, sit tui memoria dulcedo mea, tuum beneplacitum deliciæ meæ, tua voluntas desiderium meum, sint mihi super aurum & argentum mandata mea.

Amore mei Deus meus incarnatus est, amore mei Rex altissimus servilem formam induit, amore mei vulneratus est propter iniquitates meas, & velùt latro inter latrones mortuus. O Iesu vulnerate! O Iesu moriens! quantum es amoris prodigium! & non amem te?

qui non amat te sit anathema.

Amo te Iesu dulcissime, quia Deus es, & summè bonus es, ideo amo te ex toto corde super omnia, & quia amo te, amo pariter pedes tuos vulneratos, manus terebratas, latus transfossum, caput spinis coronatum. O! quam svave est hoc loqui! quam dulce Iesum crucifixum intueri! quam affectuosum Vulnera osculari! quam amabile Iesum diligere.

Quis nos separabit à Charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? certus sum quia neq; mors, neq; vita, neq; Angeli, neque Principatus, neque Virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neq; altitudo, neq; profundum, neq; creatura alia poterit nos separare à Charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.

O Mater dolorosa! Mater pulchræ dilectionis! pro desiderio quo flagras, ut filius tuus unicè diligatur ab omnibus, da mihi flammas amoris seraphici. Amen.

MISSÆ SACRIFICIUM,

SAcrum Missæ Sacrificium atq; etiam Eucharistiæ Sacramentum ideo à Christo institutum, ut in eo, & per illud recogitemus, repræsentemus, renovemus Sacrificium ejusdem Cruentum in Cruce cum tota ejus Passione, juxta Christi verba: *hoc facite in meam commemorationem*. Luc. 22. 19. Sive ergo tum Sacrum peragitur sive etiam extra illud quolibet loco & tempore Passio Christi ad Missam, Missa ad Passionem relata fructuosè & devote recoli possit. Ex. P. Druzbicki modo 43.

1. Præparatio Sacerdotis in sacrario ad Sacrificandum: commemorat & repræsentat valedictionem Christi; quâ, iturus ad Passionem valedixit Sanctissimæ Matri, nec non alijs amicis, consolans illos, seseq; ad Passionem accingens, & ab omnibus alijs negotijs expediens, totumq; animum ad negotium Passionis convertens.

2. Egressus Sacerdotis è sacrario ad altare. Signat egressum Christi de Cænaculo versus Hortum & Oliveti Montem.

3. Depositio & Dispositio Calicis atq; Corporalis super altare: nec

non Missalis: signat ruminationem illam Christi pergentis in Gethsemani, & incipientis interea pavere, tædere, contristari, mæstitiáq; arctari & dicere. *Tristis est Anima mea usq. ad mortem.* Matth. 26.38.

4. Mora Sacerdotis aliqua ad medium altaris, inclinatioq; Capitis: recessus ab altari, & descensus ad infimum gradum: signat relictionem discipulorum, quâ Christus eos reliquit, & ab eis avulsus est quantum jactus lapidis, orationis faciendæ gratiâ.

5. Psalmus, Confessio, aliæq; orationes: significant orationem Christi repetitam; prostrationem in genua, & in faciem, confortationem Angelicam, agoniam, sudoremq; sangvineum.

6. Accessus ad Altare: significat occursum & processum obviam hostibus. *Surgite eamus: ecce appropinquavit, qui me tradet.* Matth 26. 46.

7. Osculum altaris: signat osculum Iudæ, quod retulit ab eo Christus, eiq; dixit. *Amice ad quid venisti?* Matth. 26. 50. *Iuda osculo Filium hominis tradis?* Luc. 22. 48.

8. Introitus Missæ, & signum Crucis. Significat sermonem Christi ad Iudæos. *Tanquam ad latronem existis cum gladiis, &c.* Marci 14. 48. *Sed hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum.* Luc. 22. 53.

9. Sacerdos in in medio Altari Kyrie eleison repetens. Signat Captivitatem Christi & injurias ejus, derelictionemq; ac fugam discipulorum omnium.

10. Gloria in excelsis: signat exultationem & insultationem hostium, quâ capto Christo exultârunt, sicut solent victores captâ prædâ, in Palatio Annæ & Caiphæ.

11. Osculum Altaris, & Dominus vobiscum. Signat Examen Christi de doctrina & de discipulis, responsumq; Domini, ob quod enormem alapam accepit ab uno ex ministris.

12. Epistola. Signat accusationes falsaq; testimonia, adjurationes, injurias, condemnationes Christi apud Caipham ab universo Concilio.

13. Graduale & Tractus: Signat blasphemias, oculorum velationem, consputationes, colaphisationes, quas pertulit Dominus in eadem Caiphæ domo.

14. Evangelium, & osculum Missalis atq; signatio: signat Con-

fessionem Christi, quâ se Christum, Dei Filium, insuperq; Iudicem universorum confessus est.

15. Credo: signat Petri negationem, & conversionem, & amaras lachrymas, respiciente Petrum Domino: tum etiam: pernoctationem totam Domini, infandis injurijs plenissimam.

16. Osculum Altaris, & Dominus vobiscum: signat Matutinum Concilium Iudæorum, in quo de novo Christus est Examinatus, Confessus, Damnatus.

17. Offertorium: signat deductionem Christi ab Iudæis ad Pilatum. Signat etiam Iudæ pœnitentiam, & abjectionem sanguineæ pecuniæ.

18. Oblatio Panis & Vini super Altare. Signat interrogationes Pilati, accusationes Iudaicas, silentium, & demum responsa Christi ad Pilatum.

19. Ablutio manuum. Signat remissionem Christi ad Herodem, Herodis exinde gaudium, Christi silentium, contemptum, & illusionem ejus, ab Herode & Herodianis. Vestem albam, &c.

20. Oratio, post ablutionem manuum, in silentio. Signat Pilati cum Christo sermones, pro Christi innocentia & liberatione conatus, collationem cum Barabba latrone, homicida, seditioso.

21. Osculum Altaris: & Orate Fratres. Signat Christi nudationem, flagellationem, coronationem, ad populum productionem, cū, *Ecce Homo.*

22. Secretæ Orationes ante Præfationem. Signant persvasionem Principum Iudaicorum, quâ svaserunt populo, ut peterent IESUM crucifigi, tum clamores populi varios, *Tolle, Crucifige, Sanguis ejus super nos, &c.* Cunctationē Pilati. Ejus uxoris denuntiationem.

23. Præfatio. Significat Damnatum IESUM, & traditum voluntati Iudæorum, ad crucifigendum, promulgationem quoque feralis sententiæ in IESUM.

24. Sanctus, Sanctus, Sanctus. Signat triumphos Iudaicos de obtenta in Christum sententia, festinationem ad ejus executionem: Signat verò multò magis gaudium cordis Christi, ex decreto Patris Æterni, de salvando genere humano per suum sangvinem.

25. Oratio post Sanctus, & Cruces tres. Significant bajulationem

Crucis à Christo, adjuvante Simone Cyrenæo.

26, Memento vivorum, (ut vocant) significat sermonem Domini, seu Prophetiam ad mulieres lamentantes super ipsum. *Filiæ Jerusalem nolite flere super me, &c.*

27. Communicantes. Signat perventionem Domini in montem cum Cruce, obviationem quoq; cum Matre dolorosissima. Vini quoq; Myrrhati, cum felle misti oblationem.

28. Manus Sacerdotis expansæ super oblatas hostias. *Hanc igitur oblationem, &c.* significat Positionem Nudati super Crucem. & oblationem illam quam Christus tunc fecit Patri Æterno, de se ipso, finaliter se ejus voluntati ad redimendum in Cruce humanum genus resignans.

29. Variæ Cruces formatæ quinquies. Signant affixionem Christi ad Crucem.

30. Consecratio tam Panis quam Vini: & utriusq. Elevatio. Signat affixum jam IESUM, & elevatum cum Cruce, statutumq; in sublimi, cum titulo IESUS NAZARENUS REX IUDÆORUM.

31. Orationes Sacerdotis post elevationem Hostiarum, passæ manus & Cruces variæ. Signant IESUM in Cruce pendentem jam, inter latrones, mediū, multitudinis adstantis varios affectus & sensq.

32. Alia Oratio Sacerdotis extensis manibus. *Supra quæ propitio*, &c. Signat Christi orationem pro crucifixoribus. *Pater, dimitte illis: non enim sciunt quid faciunt.* Luc. 23. 34.

33. Oratio Sacerdotis positis super Altare manibus: osculum Altaris & cruces super hostias. Signant verba Christi ad Matrem & Ioannem, proq; ambobus solicitudinem. Sitim quoq; Domini, & acetum in spongia & Hyssopo porrectum.

34. Memento mortuorum. Significat conversionem latronis: Christiq; super eum misericordiam: indurationem alterius latronis & perditionem.

35. Sacerdos percutiens pectus, & aliquot verba clarius pronuntians: *Nobis quoq; &c.* Signat orationem Christi factam ad Patrem in Cruce cum lachrymis & clamore valido.

36. Cruces variæ à Sacerdote formatæ super hostias & genuflexio: signant incredibiles & infinitas blasphemias, insultationes, injuriasq; Christo pendenti ab hostibus irrogatas.

37. Oratio Dominica. Signat clamorem Christi ad Patrem. *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?*

38. Sacerdos frangens hostiam per medium, & Cruces faciens. Signat terræ motum, obscurationem solis, scissionem petrarum, ruptionem veli, apertionem sepulchrorum.

39. Particula hostiæ Sangvini & Calici imposita. Significat verbum illud Domini, *Consummatum est*.

40. Pax Domini, sit semper. Significat commendationem quam fecit Dominus, Spiritûs sui in manus Patris.

41. Agnus Dei, qui tollis, &c. Signat Christum inclinato capite exspirantem, & populos à Cruce Christi revertentes, & percutientes pectora sua, ac dicentes; *Verè Filius Dei erat iste.*

42. Domine non sum dignus. Signat supplicantem Iosephum Pilato pro Christi corpore deponendo.

43. Sumptio Sanctissimi Sacramenti: Signat apertionem lateris Christi è quo Sangvis exivit cum aqua, loco confractionis ossium, quæ Christo non est facta.

44. Convolutio Corporalis. Signat depositionem Christi mortui de Cruce, inunctionem ejusdem, & involutionem in syndone munda.

45. Communio, & altaris osculum. Signat occupationem Beatissimæ Matris, aliarumq; piarum personarum circa IESUM mortuum ante sepulturam.

46. Postcommuniones, seu orationes, atq; collectæ ultimæ. Signant Sepulturam IESU.

47. Osculum Altaris. Signat devolutionem lapidis ad ostium monumenti.

48 Ite Missa est, & Dominus vobiscum. Signat discessum amicorum à monumento IESU.

49. Osculum Altaris ultimum, & benedictio super populum. Signat descensum Christi ad Inferos.

50. Evangelium ultimum & discessus Sacerdotis ab Altari. Significat varios sermones hominum de nece Christi, ejusdemq; gesta in resurrectione, visitatione discipulorum, missione eorundem in orbem universum.

HUnc in modum tota Passio Missæ, tota Missa Passioni, ad men-

su-

rari poteſt, interq; ejus celebrationem illa meditatione recoli. Non deſunt apud optimos Scriptores, aliæ accommodationes Miſſæ, ad totam vitam Chriſti aut etiam ad Paſſionem ipſius, quas liberum erit, devoto Paſſionis Chriſti meditatori ſequi: erit tamen forte cui & hæc in minutiores articulos Paſſionem Miſſamq; partiens Meditatio minimè diſplicebit.

ILlud tantummodo monitum velim, ut ſola commemoratione articulorum Paſſionis nemo ſit contentus: ſed interim affectus etiam aliquos erga Patientem Dominum, tum Actus virtutum aliquarum congruarum; tum denique propoſita aliqua bona & ſeria eliciat, prout ſibi opportunum videbitur. Niſi enim hoc fiat, nuda illa commemoratio, erit quidem illa coram Chriſto meritoria non nihil, ſterilis tamen permanebit, neq; animam impinguabit oleo devotionis, neq; verum meditationis nomen ſortiri poterit.

DEvotiſſimos affectus proponit R.P. Bodeker in præparatione *ad Communionem menſtruam*. Sed poteſt quiſque in quolibet Miſſæ ſacrificio illos elicere, quando vel Sacramentaliter, vel Spiritualiter communicare intendit. Quinimò poteſt etiam & Sacerdos tàm accedendo ad Sacrificandum, quàm finito Miſſæ Sacrificio juxta aptam Myſteriorum diſpoſitionem commodè ijſdem, vix aliquibus mutatis mutandis, frui.

A principio Miſſæ ad Epiſtolam elice affectus Fidei. & ſuſpiria.

AGe anima mea, captiva intellectum tuum in obſequium fidei, talia enim ſe produnt myſteria, quæ non intellectus, ſed fides ſola capit. 1.

Ecce enim, Cæli aperientur, Filius Dei altiſſimi Dominus Exercituum, coram quo tremunt, qui portant orbem, cujus ſedes cælum eſt, & terra ſcabellum pedum ejus, ſe in altari præſentem ſiſtet; pro tuis & mundi totius peccatis ſe Patri cæleſti ſub panis ac vini ſpeciebus offeret. Obſtupeſcite cæli ſuper hoc! 2.

Ecce anima mea, hic Dei Filius oblatione tali peractâ, erit tuus conviva, tuus cibus, tuus ſponſus; in vitam æternam te reficiet cibo nobiliſſimo, qui eſt ipſemet, caro ejus ac ſangvis pretioſus; amore æterno te ſponſam complectetur. O admirabi- 3.

lem summæ majestatis dignationem!

4. Tu, mi Iesu, semel factus es nobis Sacrificium cruentum in Cruce, dici verò non potest, quoties fias nobis Sacrificium incruentum in Altari. O sacrificium incomparabile!

5. Corpus tuum sacrosanctum, quod semel pro nobis pendere voluisti in Cruce, & sangvinem sacratissimi, quem in eadem voluisti pro nobis effundi, das in cibum ac potum animæ nostræ toties, quoties nobis placet, sumendum, O amoris immēsi donum inæstimabile!

6. Quis crederet? o Deus admirabilis! quis crederet: nisi revelasset tua infallibilis veritas, id circò credo hanc veritatem firmiter, & si captum meum superet. Plus enim invenit tua sapientia, quàm intellectus meus capere sufficiat.

7. Credo igitur Missam esse Sacrificium incruentum, in quo Tu ipse Deus meus, Christus IEsus Æterno Patri pro meis totiusq; mundi peccatis, per manus sacerdotum immolaris in memoriam Sacrificij cruenti in Cruce semel oblati.

8. Sacrificium hoc incruentum Tu ipse manibus proprijs in cæna ultima obtulisti, cùm sumpto in manus tuas sanctas pane ac calice, in cælum suspiciens, gratias agens, ac benedicens, panem & vinum in corpus tuum ac sangvinem transubstantiâsti, porrexisti discipulis, dicens: *Accipite & comedite, hoc est corpus meum, bibite ex hoc omnes, hic est enim sangvis meus novi Testamenti.* Matth. 22.

9. Hoc sacrificium à Sacerdotibus offerri voluisti, cùm præcipiebas: Hoc facite in meam commemorationem.

10. Indubitatè credo, in Sacrificio hoc totum panem ac vinum in corpus tuum ac sangvinem converti, & Te Deum ac hominem sisti præsentem sub qualibet specie, adeoq; sub panis specie non sumi corpus tuum emortuum, sine sangvine, sine anima; & sub specie vini non sumi sangvinem separatum à corpore, sed utrobiq; sumi Te totum, & carnem, & Sangvinem & corpus, & animam, & humanitatem & Divinitatem.

11. Credo, nec in Hostia consecrata esse panem, nec in calice benedicto vinum, sed nudas panis ac vini species, colorem,

vide-

videlicet, saporem & odorem &c.

Id credo veracissime Iesu, quia Tu revelasti, qui falli ne- 12.
quis, cùm sis æterna Dei sapientia, fallere ac mentiri non potes, cùm infallibilis Varitas: & credo tam firmiter, ut malim è corpore evelli cor, è corde animam, quam me avelli ab hac fide: miserere mei dulcissime Iesu per tuam Passionem ac mortem, & adjuva incredulitatem meam, ut in hac fide beatè moriar.

Adesto mihi o constantissima Mater! fidei firmissimæ speculum, quæ nec in Archangeli salutatione, nec in Bethlemico stabulo, nec in fuga in Ægyptum, nec sub Cruce, nec in monte Calvariæ ulla ratione dubitasti. Amen.

Ab Epistola usq; ad Offertorium elice Affectus spei.

SUSPIRIA SEU AFFECTUS SPEI.

O Iesu! spes mea, & refugium meum, non sperem sub 1.
umbra alarum tuarum? qui pro me factus es Sacrificium Propitiationis in sancto Altari tuo?

Spero Salvator fidelissime, & confido promissis Benignita- 2.
tis tuæ, Tu enim fidelis es, cui impossibile est promittere, & promissis non stare, spero peccatorum meorum remissionem, tuam gratiam, & mortem sanctam; Tu enim dixisti, *Nolo mortē morientis, revertimini, & vivite.* Ezech. 18. 32.

Non ergo me damnet malitia mea, quem tam carò redemit 3.
Benignitas tua, non peream in miseria mea, quem è miseria eripuit summa Clementia tua; quæ est enim utilitas in Redemptione tua, si descendam in corruptionem meam? nunquid enim vanè redemisti filios hominum?

Redemisti me Domine Iesu per mortem tuam, cibas me 4.
carne & sangvine tuo; quomodo me projicies à facie tua?

Si non redemisses me, perirem: si non cibares me, defice- 5.
rem: nunc erigere me audeo, & sistere vultui tuo, ac dicere, quid prodest, quod te compulit Charitas tua ad redimendum me Passione tua, & cibandum Sacramento carnis ac sangvinis tui, si peream in malitia mea? non ergo in furore tuo arguas me, sed se-

secundùm multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam.

6. Cogat Te, misericordissime Iesu, misericordia tua ad salvandum, quem tanto, pretio redemisti, quem reficis cibo tam electo, quæ coëgit Te illum redimere, qui perierat, & reficere, qui contabuerat, ipsa Te vincat Charitas ad salvandum, quæ Te vicit, ad redimendum ac cibandum, quæ & jam minor non est, quia ipsa Charitas Tu ipse es, qui semper idē es.

7. Respice ergo me oculis misericordiæ tuæ, stringe me brachijs Charitatis tuæ admirabils, lava me pretioso sangvine tuo, in via salutis robora me carne tua cibo fortium, ut sine defatigatione conscendam montem gloriæ tuæ. Id spero mi Salvator.

8. Adjuva me, o pia auxiliatrix Maria! Mater dolorosa! defectum meum suppleat abundantia meritorum tuorum. Amen.

Ab Offertorio usque ad Canonem seu Sanctus *contere, & humilia cor tuum*, cor contritum, ait David, & humiliatum Deus non despicies, B. 50.

SUSPIRIA.

Cordis contriti & humiliati.

1. DOmine Iesu Christe, fili Dei vivi, ecce, ego mendicus venio ad divitias tuas, ego miser ad misericordiam tuam, ne recedam vacuus & despectus.

2. Ego famelicus à te satiari flagito, noli me inpastum repellere, & si à te satiari non merear.

3. Confiteor coram Te mi Iesu, & coram Matre tua dolorosa, injustitias meas, ego in peccatis conceptus ac natus sum, & Tu abluisti me; postea gravioribus me inquinavi delictis, multa admisi illicita, aggravavi iniquitates meas, cùm emendare debuissem.

4. Svavissime Iesu, iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & tanquam onus grave gravatæ sunt super me; peccavi coram Te, & in cælum, & jam non sum dignus vocari filius tuus.

5. Miserere mei misericordissime Iesu, secundùm magnam misericordiam tuam, & secundùm multitudinem miserationum tu-

arum dele iniquitatem meam.
Paccâsse me doleo, quia offendi infinitam Bonitatem tuam, 6.
Tu es Deus meus, Bonorum omnium mare, cur non amavi
Te? cur iniquè egi contra Te?

Defleo iniquitates meas multas & magnas, lachrymis stra-
tum meum rigabo, non quia Cælum perdidi, aut infernum me-
tui, sed quia contra Te Deum meum summè bonum egi.

Rogo veniam, mi Iesu, per sanguinem tuum pretiosissimũ 8.
in Altari Crucis pro me effusum, per angustias Matris Cruci
tuæ adstantis, ut abluas delicta mea, nec perire me sinas in ini-
quitate mea, cui tanti stetit redemptio mea; agnosce in me
quod tuum est, & ablue, quod tuum non est, induc animæ meæ
vestem nuptialem Charitatis tuæ, ut in præsenti communione
digna sit stare in conspectu tuo.

Exora hoc mihi o Mater amabilissima! per Charitatem quã 9.
complexa es unigenitum tuum in Cruce morientem. Amen.

A Canone usq; ad Communionem excita.
ardentes amoris affectus.

SUSPIRIA SEU AFFECTUS AMORIS.

O Anima mea! Imagine Dei consignata, Christi sangvine re- 1.
dempta; ecce Iesus tuus è Cælo in Altare descendet, ut
te nutriat carne ac sanguine suo, & gratiæ suæ thesauros
aperit, abyssum amoris!

Redama tam intensè te amantem, ipse enim & meritum tu- 2.
um est, merces, & finis ultimus, & salus, & summum bonum,
& omnia; etiam Matrem ejus dolorosam ama, quam ipse amat
plus quàm omnia.

Quidquid amare potes, ipse est; omnis hominum affabili- 3.
tas, florum pulchritudo, dulcedo fructuum, auri & argenti no-
bilitas, gemmarum pretium, siderum splendor, & quidquid est
amabile, ipsi collatum nihil est, ea omnia ipse est, & infinities
melius ac perfectius, ab his ergò amores tuos transfer in ipsum,
& in Matrem ejus super omnia amabilem.

Ama Iesum tuum, qui eduxit te de luto fæcis, & miseria- 4.
rum abysso, & Matrem ejus dolorosam, quæ id tibi exoravit.

Ipsum

5. Ipſum amicum elige, qui erit inter amicos omnes fideliſſimus, cum deſerent te in morte omnia, ipſe non deſeret: *Numquid oblivisci poteſt* (ſunt verba ejus Iſai. 49. ℣. 15.) *mulier infantem ſuum, ut non miſereatur filio uteri ſui? & ſi illa oblita fuerit, ego tamen non obliviſcar tui.* O amicum fidelem, præ omnibus amandum!

6. Amant Ieſus & Maria, ut redamentur, ſcientes amore ſalvos eſſe, qui ipſos amant.

7. Ecce anima mea, jam adeſt in Altari, qui te amat Ieſus tuus, amicus tuus, ſponſus tuus, Salvator tuus, amor tuus, nunc ama illum, & dilata amore cor tuum. O mi Ieſu! qui te non amat, ſit anathema.

8. Amo Te mi Ieſu ex toto corde meo, ex tota anima mea, ex omnibus viribus meis, & poſt Te Matrem tuam doloroſam, ſi vel capillus in me eſſet, qui non amaret Te, evellatur in gehennæ flammas projiciendus.

9. Amo Te, magiſq; amare Te deſidero, quia melle dulcior es, lacte ſvavior, pretioſior metallo, ſole fulgidior, coloribus pulchrior, affabilior hominibus, hinc mihi charior, & tecum Mater tua, quàm argentum, quàm aurum, quàm gemmæ, quàm omnia.

10. Væ tempori illi, quo non amavi Te, quo non amavi tecum Matrem tuam, quo mihi creaturæ chariores vobis; quid mihi eſt in Cælo? & à vobis quid volui ſuper terram? quam eram inſanus, cùm non amabam vos, aut vobiſcum amabam aliud!

11. O dulciſſime amor! ignis, qui ſemper ardes, & nunquam extingveris, accende me, ut totus inflammer à Te, ut totus vos amem o Ieſu & Maria! nam minus vos amat, qui aliud præter vos amat, quod propter vos non amat.

12. Amo Te o Ieſu! & Te o Maria! quia vos priores me amaſtis; quis dabit, ut exprimam mei in vos amoris argumenta? quis dabit ut re ipſa oſtendam, quantùm amem vos? utinam daretur ſangvinem profundere amore veſtri! uti Tu ô Ieſu! ſangvinem tuum, & Tu o Maria! lachrymas profudiſti amore mei.

13. Tu mi Ieſu, paras venire ad me, & unire Te mihi vin-

culo

culo Charitatis, tuâ me vis carne, tuo sangvine reficere, vis dare omne quod habes, & quod es, & ostendere, quantum ames me.

O! si & ego me uniam Tibi! dem Tibi, quidquid habeo! 14.
quidquid sum! o amor! exardesce in me, evolate sursum o dulcissimæ amoris flammæ! accendite me, exurite me, liquefacite me, ut in Iesum meum diffluam, sim unum cum Iesu, sim totus illi mancipatus, nil audiam, nil videam, nil loquar, nisi Iesum.

Vade nunc anima mea, vade, ecce Iesus expectat te, desiderat te, obsequere desiderijs: clamat, *præbe cor tuum mihi*: aperi illud, & præbe ipsi, ut mansionem in eo apud te faciat, nam deliciæ ejus sunt esse cum filijs hominum, esto comes ô Mater dulcissima!

Hic Sacramentaliter vel spiritualiter communica corde humili & accensa Charitate, cogita te accipere eundem, qui amore tui sanguinem sudavit in horto, aut flagellatus, aut spinis coronatus est, unum è mysteriis amarissimæ Passionis expende.

A Communione usque ad finem Sacri suspira ut sequitur.

SUSPIRIA POST COMMUNIONEM.

O Iesu! desiderium meum, amor meus, redemptio mea, ad 1.
te clamo & rugio à gemitu cordis mei; Rogo Te per Sacratissima Vulnera, per sangvinem tuum pretiosissimum, per intercessionem Matris tuæ dolorosæ, intra nunc animam meam, munda & sanctifica illam, gratiâ tuâ reple, virtutibus exorna, ut sit dignum te habitaculum.

O Iesu! amor dulcedinis, & dulcedo amoris, manducavit 2.
Te anima mea, utinam repleretur dulcedine amoris tui, & verbum bonum de Te eructaret! id illi exora o Maria Mater pulchræ dilectionis!

O Iesu crucifixe! Amor meus, da ut crescam in Te, Tu 3.
es vita mea, quâ vivo: spes mea, quâ tibi adhæreo: gloria mea quam desiderio. Posside cor meum, intellectum dirige, amorem excita, trahe sitientem animam meam ad Te, & ad Matrem

tuam gladio doloris confossam.

4. Compesce in me tumultum carnis, da nauseam creaturarum, vanitatum, rerum omnium, quæ pereunt, mei ipsius, ut mihi & omni mundo mortuus tibi soli vivam, tuaq; gratiâ dives hinc migrem.

5. Da ut anima mea non se, sed Te sed Matrem tuam ac meam cogitet, Tu enim & post Te Mater tua estis tota spes mea, & pars mea in æternum.

6. Rogo Te per viscera misericordiæ tuæ, quâ animam meam satiasti pane vivo, & per luctus Sanctissimæ Matris tuæ, mortifica cupiditates meas omnes, inprimis hanc N N. omnes passiones indomitas, inprimis has NN. omnem Creaturarum inordinatum amorem, maximè harum NN. Da animæ cælestium pennas desideriorum, ut hinc avolet in Domum Paradisi, & habitet in tabernaculo sancto tuo, ibi Te amet, Te laudet, Te solum cogitet, Te unum loquatur.

7. Quanta sunt tua in me beneficia Deus meus! tu me creâsti ad imaginem & similitudinem tuam, tu ab æterno me interitu vindicasti, tu me nutris carne ac sangvine tuo. O! quanto pretio me redemisti!

8. Ago Tibi gratias mitissime Iesu, & post Te sacratissimæ Matri tuæ, pro beneficijs omnibus & singulis, quantùm possum, non quantùm debeo, debitum enim nunquam explebo

9. Ago gratias carni, ac sangvini tuo, cibo fortium, & pani Angelorum, vino progerminanti Virgines, quæ animam meam exhilarârunt, satiârunt, refecerunt.

10. Ago gratias è toto cordis affectu, cordi tuo sanctissimo, Divinitatis thalamo, throno amoris, quod bono meo est lanceâ perfossum, largire obsecro animæ meæo ut hoc vulnus tuum ingrediatur, ibiq; habitet svavitate summa.

11. Ago gratias omnipotenti dexteræ tuæ, rerum mirabilium operatrici, pro me trabali clavo perforatæ, quæ exaltavit me, in qua est ignea lex amoris, longitudo dierum, felicis æternitatis, hæc manus me amplexata est, & amplexabitur spero me ubi hinc discessero, & collocabit me juxta Te; exosculor &

vene-

veneror illam ex toto cordis affectu.

Gratias ago felicissimæ sinistræ tuæ, fidelissimæ protectrici 12.
meæ, quæ è multis me periculis eripuit, ceu scutum in expugnabile omnia tela nequissimi ignea retudit, pro me Cruci affixa est, ne me divinæ gladius justitiæ configeret, tunc supposuit mihi, ne cadam, & peream; & osculor & veneror illam affectu humillimo.

Gratias ago sanctissimo pedi dextro, immobili spei meæ 13.
fundamento, triginta amplius annis duris passibus pro me fatigato, ac tandem infunesta trabe crudeli ferro transverberato, hic mihi viam ad Cælum aperuit, hic vestigia sangvine signavit, statuit supra petram pedes meos, & gressus meos direxit in viam pacis, exosculor, ac veneror illum amore ardenti.

Gratias ago fortissimo pedi tuo sinistro, pulcherrimæ tui sa- 41
cratissimi corporis, divini templi, columnæ: qui maria perambulavit, nubes ascendit, sidera calcare potuit, & tamen pro me clavo terebrari, funibus extendi, affigi debuit, mihi ligatus libertatem attulit, salutem peperit; exosculor & veneror illum, totâ cordis inclinatione.

Gratias ago Tibi vulnerate Iesu pro omni labore, sudore, 15.
contumelia, plagis, verberibus, tormentis, angustijs, morte crudelissima, O! si pro his alijsque plurimis Te amare possem, laudare, glorificare, uti meruit tua inæstimabilis beneficentia.

Et Tibi gratias ago o Mater dulcissima! quod mihi conceperis, pepereris, educaveris Iesum tuum & meum, qui me carne, & sangvine suo redemit, refecit.

Offero Tibi mi Iesu, crucifixe, & Tibi dolorosa Mater, 17.
intellectum meum, voluntatem, memoriam, sensus omnes interiores & exteriores, omnia corporis membra, corpus & animam, me totum, hoc erit studium meum, ut benedicam vobis, & omnia quæ intra me sunt, nomini sancto vestro, date hoc implendi gratiam, & felicem ex hac vita exitum. Amen.

Placuit illa Centurionis verba quibus ad Communionem Sanctissimi Sacramenti utimur Domine non sum dignus &c. Matth 8. *à R. P. Laberbittel in* scientia

 salu-

salutis intercalata, hîc apponere.

1. DOmine non sum dignus: ob defectus naturales, quia natura mea infinitæ tuæ, nullius indigæ, & absolutè perfectæ impar est. 2. ob peccata, & abusus omnium potentiarum. 3. ob effectus peccati, qui sunt: propensio ad malum, aversio à divinis, passionum motus contra rationem, habitus mali, turpitudo animæ, vermibus, ulcere, cadavere, leprâ, contagione, cloacâ sordidioris. 4. ob præsentem indignitatem, & imperfectiones, & indispositionem, reliquaq; obstacula. 5. ob distantiam à perfectione Sanctorum hominum, Christi, & Dei, quem accepturus sum.

2. *Vt intres*: quia non sum dignus stare coram Te, quem toties offendi, quantò minùs ut intres ad me. 2. non sum dignus cogitare de Te mente tam fœdata, quantò minùs te intrà recipere. 3. non sum dignus tangere Te, quia sum pejor Oza, & Tu melior, quàm Arca; non sum ita Tui amans sicut Magdalena, cui tamen dixisti: *Noli me tangere*. Ioan. 20. nec sum ut ille Seraphin, qui nuda manu noluit tangere carbonem. 5. non sum dignus aspicere Te, ut Bethsamithæ, qui aspicientes Arcam ultra quinquaginta millia occisi sunt à Te, quantò minus ut intres.

3. *Sub tectum*, quod est tanquam stabulum plenum sordibus, & aspidibus venenatis spelunca latronum verior, quàm templum, hospitium dæmonum, pejus inferno, in quo nemo peccat demeritoriè: ego autem plenus cogitationibus contra Te novi semper reatûs.

4. *Meum*, possessione naturali, quam nec merui, nec mereri potui, quia non fui in mundo priusquàm illa mihi data esset: tot lapsibus fœdatum, tot donis spoliatum; ita meum, ut nulla creatura possit sibi usurpare me nolente, ut gratiam & gloriam Te adjuvante mihi propriè mereri possim.

5. *Sed tantùm dic verbo*: tam efficaci, quàm fuit illud, quo creâsti omnia, quo Lazarum suscitâsti: tam salubri, quo paralytico peccata remisisti: tam extirpativo, sicut illam ficum arefecisti; tam fœcundo, sicut sunt fructus centesimi: tam læto,

quo

quo nomina nostra in cælo scripsisti: tam pretioso, quale fuit, de quo scriptum: *Et VERBUM caro factum est:* Ioan. 1.

Et sanabitur: à peccatis præsentibus, & præteritis, ab imperfectionibus, à malis habitibus, ab inordinatis passionibus, à tentationibus periculosis, ab omissione multorum bonorum, ab inconstantia in bene cæptis, à defectu profectûs in virtute continui. 6.

Anima mea, à Te creata, à Te redempta, verâ fide imbuta, toties in peccatis tolerata, toties post peccata justificata, toties SS. Sacramentis refecta, tot auxilijs adjuta, à tot malis animi, corporis, fortunarum liberata, totidemq; malis præservata; tot beneficijs naturæ & gratiæ ditata, ad gloriam cælestem vocata, à Te deniq; tam diu in tuo servitio conservata. 7.

Cum sacratissimum Missæ Sacrificium Memoria sit Passionis Domini, quam non solum pro vivis, verum etiam & pro defunctis misericorditer sustinuit; nihil profectò efficacius juvandis Animabus purgatorij pœnas sustinentibus adhibetur, quàm Sacrificij Missæ vel etiam alio viso tempore præcipua Christi Passionis mysteria devota mente recolere pijsq; manibus applicare. Ex eodẽ opusculo P. Bodeker.

Suspiria pro Defunctis,

Tristissime Iesu, qui in primo in hortum Gethsemani ingressu lethali pavore, tædio ac tristitiâ obrutus morti succubuisses, nisi impedivisset Divinitas tua, recordare luctûs ac mæroris animarum purgantium, illarum miserêre per tuam tuæq; Matris Sanctissimæ immanem tristitiam, etiam nostri, qui lugemus ac flemus in hac lachrymarum valle, tum in primis, cùm mors appropriat. 1.

O Iesu sangvinee! cui inauditæ cordis angustiæ sudorem sangvineum interras decurrentem expresserunt, vide rogo ad quantas angustias desiderium Regni tui perducat purgantes animas, audi clamantes, *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desideramus ad te Deus.* Miserere illarum 2.

per Agoniam tuam, tuæq; Matris tristissimæ angustias; conspérge illas unicâ sudoris tui sanguinei guttulâ; quæ eluendis omnium illarum maculis abundè sufficit, ut conspectu tuo reddantur dignæ. Miserere etiam nostri, in omnibus vitæ hujus, imminentis præcipuè mortis, angustijs.

3. *Desolatissime Iesu*, quem nocte silenti deseruerunt omnes, dormiebant enim discipuli, perfidus Iudas nefariæ proditioni erat intentus, Mater tua domi clausa flebat amarè, per hanc tuam desolationem, per Matris tuæ mæstissimas lachrymas miserere animarum in flammis purgantibus adeo desertarum, ut clamare cogantur, *Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei*. Miserere quoque nostri, qui deserti ac desolati gemimus in hoc mundo misero, tum maximè, cùm in mortis articulo nos deserent omnia.

4. *O Iesu turpissimè prodite*, quem Iudas osculo perfido Iudæorum hostium tuorum manibus tradidit, quis explicet luctus Matris tuæ inde conceptos: recordare, quàm mansvetè Proditorem hunc nefarium exceperis: *Amice*, inquiebas, *ad quid venisti? Iuda, sic osculo filium hominis tradis?* Pij manes proditores tui non sunt, sed amici perquam chari, misere illarum per hanc tuam mansvetudinem tuæq; Matris luctum, & dic illis vos amici mei, ego reficiam vos. Miserere pariter nostri, & quoties instat peccandi occasio, alloquere nos vultu severo, *ad quid venisti? itane trades me?* ut à peccatis semper mundi audire mereamur in hora mortis, *serve bone & fidelis, intra in gaudium Domini tui*.

5. *O Iesu captive!* qui vinculis crudeliter constrictus, ferro catenisq; immitè oneratus, per torrentem Cedron, per spineta & saxeta, in humanè raptatus ad Annam duceris; per hanc tuam captivitatem, per Matris angores, cujus cor ijsdem vinculis & catenis stringebatur, miserere captivorum in Purgatorio, exime illos è carcere isto igneo. Miserere quoq; nostri, exue nos peccatorum vinculis, ut in hora mortis ijs expediti ad te liberè avolemus.

6. *O Iesu crudeli manu percusse!* cui protervus nebulo, satanæ potiùs, quàm Pontificis mancipium, Chirothecâ ferreâ indutus

dutus immanem colaphum infregit, is colaphus quale vulnus inflixerit cordi amantissimæ Matris tuæ, quis explicet? per crudelem hanc plagam, per cor Matris tuæ vulneratum, miserere animarum purgantium, duris divinæ tuæ justitiæ verberibus percussarum, dic, illos iam mox ijs plagis eripiendos. Miserere etiam nostri, nè in hora mortis percutiamur horrendo hoc verbere, *discede à me maledicte.*

Iesu illuse, conspute; falsò accusate, reus mortis judicate, 7.
quem Caiphas blasphemiæ arguebat, totum Concilium mortis condemnabat, tota cohors conspuebat, illudebat percutiebat. Per iniquam hanc mortis sententiam, per illusiones, ac consputationes, per dolores sanctissimæ Matri tuæ ijs illatos, respice benignis oculis pios manes à dæmone illusos & consputos, & ex hac tortura eripe. Ijsdem oculis & nos respice, nè malignus satan nobis unquam, maximè in hora mortis ob admissa peccata illudat.

Innocentissime Iesu, qui silebas apud Pilatum, cum flagi- 8.
tijs confictis insimulabaris; per hoc tuum silentium miserere purgantium animarum, quæ in pænis suis optimè promeritis libenter silent, ac sine querela castigantem Iustitiæ tuæ manum sustinent. Miserere etiam nostri, & gratiam largire, ut angustias omnes & tribulationes, dolores ac morbos, opprobria & contumelias, quibus peccata nostra justè castigas, silentes, & sine querela perferamus & lætemur in hora mortis, nos per tribulationes multas intrare in Regnum Dei. Id nobis exora ô patientissima Mater! qua admirabilis silentio omnia innocentissimi filij opprobria pertulisti.

O Iesu irrise! quem Herodes omnisq; exercitus ejus ve- 9.
ste alba indutum irrisit; O quantum probrum infinitæ tuæ sapientiæ! quantus luctus Matris tuæ sapientissimæ! per hanc tuam irrisionem, per Matris tuæ luctum, miserere ardentium in purgatorio animarum, hæ non irrident Te ut fatuum, sed venerantur thesauros sapientiæ & scientiæ tuæ, reverentur Matrem tuam sedem sapientiæ, parce itaq; & eripe illos; etiam nobis parce, fatemur Te esse sapientiam Patris æterni, & Matrem tuam sedem sapientiæ, in hac confessione ad ultimum usq; ha-

litum

litum nos robora.

10. *O Iesu despecte!* quem Pilatus Barabbæ seditioso ac truculentissimo latroni composuit, plebs vero postposuit, cùm illum dimitti petijt, Te autem ad mortem crucis reiecit; Compatere per hunc tuum despectum pijs Manibus, qui saltem in hora mortis Tibi res omnes posthabuerunt; compatere nobis, dando gratiam, ut contemptis omnibus Te unum quæramus, colamus, amemus, & in hora mortis. Succurre nobis ô honestissima, in filio tuo summè despecta Mater!

11. *O Iesu crudelissimè flagellate!* quem sex carnifices, duo virgis spineis, duo loris nodosis, duo catenis ferreis immanissimè flagellârunt, ut à planta pedis usq; ad verticem capitis non esset in Te sanitas, neq; in corde altissimæ Matris tuæ, per hanc flagellationem tuam, per tua & amantissimæ Matris tuæ lethalia vulnera respice pijs oculis ardentes in purgatorio animas, quæ sentiunt flagella divinæ tuæ Iustitiæ, & eripe duris ictibus; nobis largire gratiam talis innocentiæ, ut in hora mortis non timeamus flagella, sed æternæ felicitatis gaudia expectemus.

12. *O Iesu spinis coronate!* quem ceu Regem fatuum insana plebs quàm ludicrè tam crudeliter spinis coronavit, aculeis per cranium adactis. Per hanc crudelissimam coronationem, per acerrimas, quas inde sensit cor tenerrimæ Matris tuæ puncturas, miserere animarum tuarum, quarum maculæ in purgantibus flammis exuruntur, impone ijs coronam gloriæ, miserere nostri, qui in hoc exilio coronamur tribulatione & angustiâ, ut coronam hanc ita imprimamus capiti, ut in hora mortis coronâ gloriæ digni esse mereamur. Amen.

13. *O Iesu morti crucis adiudicate!* quem Pilatus lotis frustra manibus, judicio iniquissimo, morti Crucis, addixit; per hanc condemnationem tuam, per conceptos inde atrocissimos mæstissimæ Matris tuæ dolores miserere animarum purgantium, easq; ad vitæ æternæ gaudia admitte; effice ut & nos eorundem digni inveniamur, cùm hinc migrabimus.

14. *O Iesu crucem bajulans!* qui patibulum tuum grave lignum ad locum supplicij, excelsum Calvariæ montem humeris portâsti,

sti, sæpius onere depressus concidisti; quis explicabit, quantum immane hoc pondus cor virgineum tenerrimæ Matris tuæ pressserit? per hanc Crucis tuæ bajulationem, per Matris tuæ pressuras miserere piorum manium sub gravi immanium tormentorum pondere gementium, allevia illos, & perduc in montem quietis æternæ; & nostri misertus adauge gratiam, ut Cruci quotidianæ humeros patienter supponamus, ita fortiter conscendamus montem crucis, ut in fine vitæ digni simus, qui in monte æternæ svavitatis compareamus.

O *Iesu Crucifixe*! qui clavis obtusis per manus pedesq; 15.
adactis ligno Crucis affixus es, ô quantum tormentum! per crudelem hanc crucifixionem, per confixionem atrocem dulcissimæ Matris tuæ, miserere animarum in igne purganti dolorosissimæ cruci affixarum, solve illas ab hac Cruce, nobis concede, ut carni ac mundo ita simus crucifixi, ut in hora mortis ab omni cruce soluti ingredi mereamur locum gaudiorum.

O *Iesu è Cruce pendens, manibus pedibusq;, imò toto* 16.
corpore vulnerate! qui in acerbissimis istis cruciatibus illusus & explosus es ab improbis, per dolorum istorum atrocitatem, per illusiones istas inhumanas, per Matris tuæ Cruci adstantis luctus amarissimos miserere piarum animarum, quas in doloribus suis irridet crudelis satan, exime illas è statu isto luctuoso. Etiam nostri miserere, qui irridemur ab impijs dum nos in mundo crucifigimur, ut, dum vivimus, in hac Cruce perseveremus, & tecum gloriosa morte hinc decedamus.

O mitissime Iesu! qui latroni pænitenti delicta relaxâsti 17.
dicens, *hodie mecum eris in paradyso*. Per hanc benignitatem miserere purgantium animarum, quas fortè omnes latro iste multis partibus malitiâ superat, dic illis, *hodie mecum eris in paradyso*. Da nobis gratiam, tam amarè, dum vivimus, deflendi cum latrone peccata nostra, ut cum ipso in mortis articulo audire mereamur, *hodie mecum eris in paradyso*.

Liberalissime Iesu! qui dedisti nobis Matrem tuam dolo- 18.
rosam, ut sit nobis Mater, ecce filij ejus sunt pij manes, adspice ergo Matrem tuam luctu plenam, & miserere filiorum ejus, tuorum fratrum, etiam nos adspice filios Matris tuæ tuosq; fra-

tres, ut propediem ibi simus, ubi est Mater nostra, & Tu noster Frater.

19. *O Mater dolorosa*! cujus animam gladius doloris pertransivit, ecce Filius tuus in Cruce moriens Te Matrem constituit electorum suorum, electi sunt, quotquot in purgatorio ardent, miserere ergo filiorum tuorum, fac ut & nos simus filij tui, id est electi, quàm erit tum beata mors nostra!

20. *Amabilissima Mater*! Tu patiebaris in corde, quod Filius tuus in corpore, rogo Te per dolores tenerrimi cordis tui, ut maternis oculis intuearis tuam, & Filij tui in Cruce morientis congregationem, tàm illam quæ in purgatorio ardet, quàm illam, quæ certat interris, ut vobiscum æternùm regnet in Cælis.

21. *O Iesu dolorosissime*! qui in Cruce dixisti, *Sitio:* sitiebas omnium omninò hominum salutem, miserere animarum è purgatorio ad te clamantium, *Sitio ad Deum fontem vivum, quando veniam & apparebo ante faciem Dei?* restingve hanc sitim illarum. In nobis verò sitim æternæ salutis accende, erit tum beata mors nostra. Id nobis exora ô Mater dolorosa salutem nostram sitiens!

22. *O Iesu moriens*! qui post multos annorum triginta trium labores, sudores, dolores, animam in manus Patris commendans in Cruce expirasti: miseré suspirantium ad te in acerbissimis doloribus animarum, recrea illas in loco quietis æternæ, miserere etiam nostri, qui lugemus & flemus in hac lachrymarum valle, da pati patienter, ut deniq; tecum per beatam mortem æternùm gaudeamus; succurre nobis ô Mater misericordiæ! per luctus ac dolores tuos, quos sensisti, dum Filius tuus magna voce clamans expirabat. Amen.

Kyrie eleïson, Christe eleïson, Kyrie eleïson. Pater nster &c. ℣. Et ne nos in ducas in tentationem ℟. Sed libera nos à malo. ℣. A porta inferi. ℟. Erue Domine animas eorum. ℣. Requiescant in pace. ℟. Amen. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Absolve quæsumus Domine, animas famulorũ famularumq́ue tuarum, & omnium fidelium defunctorum, ab omni vinculo delictorum: ut in resurrectionis gloria inter sanctos & electos tuos resuscitati respirent. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

℣. Requiem æternam dona eis Domine. ℟. Et lux perpetua luceat eis. ℣. Requiescant in pace. ℟. Amen.

Præcellit omnes orandi modos illa à Salvatore nostro, Apostolis, & per illos nobis tradita Oratio Dominica Matth. *6. 9. Sic ergo vos orabitis: Pater noster.* Quam varij Authores piè commentantur. Prætermissis tamen cæteris, R. P. Druzbicki unam, & R. P. Laurentij Bartillij ejusdem S.I. duas solùm (& si plures apud eosdem reperies) brevitati indulgendo, devotis commentationibus interpolatas exhibemus.

SAngvis IESV Christi est clavis Cæli: quâ ille omnibus, Cælum peccato occlusum reseravit. Hanc ergo clavem accipe & Cælum tibi reserans, ingredere, & appropinquans ad Thronum Majestatis Dei cum fiducia, dic Patri cælesti. *Pater noster, qui es in Cælis.*

Ex Evangelica narratione habemus, Christum Dominum septies potissimùm fudisse pretiosum sanguinem suum, ad has effusiones sangvinis conferre potes totidem Postulationes Dominicæ Orationis.

Prima Petitio. *Sanctificetur nomen tuum.* Prima sangvinis Christi effusio fuit in Circumcisione, octavo à nativitate die, quo etiam Sacrosanctum nomen IESUS à Patre quidem Æterno donatum, à pretiosissima autem Parente inditum accepit.

Consecrâsti & perfudisti bone IESU sanctissimum tuum nomen, sangvine tuo: infunde etiam obsecro pretiosum istud nomen tuum, in corda omnium nostrûm, ut in nobis per merita

ſangvinis tui, ſemper & amplius ſanctificetur & magnificetur.

Secunda Petitio. *Adveniat Regnum tuũ.* Altera effuſio ſangvinis fuit in coronæ ſpineæ impoſitione, quâ Caput Chriſti Domini crudeliſſimè confoſſum, ſauciatum, & cruentatum fuit. Hoc cruore Dominus IESUS nobis cæleſte regnum mercatus eſt, fecitq; nos Patri Regale ſacerdotium.

O Bone IESU! adveniat quæſo hoc tuum Regnum in nos, & nos in illud: & per merita ſangvinolentæ Coronæ tuæ, corona nos æternæ gloriæ coronâ, in beatiſſimo Regno tuo.

Tertia Petitio. *Fiat voluntas tua ſicut in cœlo & in terra.* Tertia ſangvinis effuſio fuit in horto, quando inter orandum ad Patrem ſangvinem fudit Dominus, ſubmittens ſe ad omnem voluntatem ejus, & ad ebibendum calicem amariſſimæ Paſſionis atq; mortis, ſibi à paterna manu pro nobis propinatum.

Da & fac ô Bone IESU tuam ſanctiſſimam voluntatem guſtabilem, ut ſemper à nobis, & in nobis perfectiſſimè impleatur. Reſperge ſangvinei ſudoris tui rore copioſo corda noſtra, & voluntates noſtras, ut plenè, ſincerè, æternaliter, voluntati tuæ ſubjectæ manentes, nullo unquam modo ſeſe ab ea ſeparent.

Quarta Petitio. *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.* Quarta Chriſti ſangvinis effuſio, fuit in flagellatione ad columnam: in qua corpus boni IESU multis vicibus, & vulneribus, inſtar frumenti planè in farinam commolitum; Anima verò ſanctiſſima pane doloris & amaritudinis ſaginata fuit.

Da nobis Bone IESU guſtum in pane quotidianæ tribulationis, propter amorem tuæ benedictæ voluntatis: condiens eum nobis condimento tui pretioſi ſangvinis: ut nobis omne gaudium ſit pati ſemper aliquid amarum, à ſuaviſſima tua providentia nobis ordinatum.

Quinta Petitio. *Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* Quinta ſangvinis Chriſti Profuſio fuit, in detractione veſtium, ad cruentum vulneratumq; Domini IESU Corpus, tenaciter adhæreſcentium: quæ

detra-

detractio præter acutissimum dolorem, vulnerumq; renovationem, fieri non potuit absq; magna & multiplici sanguinis effusione.

O mi IESU quoties renovamus nos peccatores vulnera tua amarissima, dum ad inolita revertimur peccata? Attamen tu dissimula inconstantiam nostram, renova autem indulgentiam tuam. Effunde iterum atq; iterum balneum sanguinis tui super iniquitates nostras, propter quam & nos iteratò & iteratò condonamus debitoribus nostris omnia debita nostra.

Sexta Petitio. *Et ne nos inducas in tentationem.* Sexta effusio sangvinis fuit, quando Christus Dominus noster Cruci affixus & inter latrones deputatus, venenatisq; & blasphemis omnium linguis tanquam signum, cui ab omnibus contradiceretur, expositus fuit.

Assume tibi crucifixum hunc IESUM in scutum contra omnes tentationes, adversitates, periculaq; corporis & animæ. Sangvine pedum ejus ablue, & emunda inordinatos affectus tuos. Sangvine manuum ipsius supple & adorna paupertatem, nuditatemq; operum tuorum, ut sanguine isto signata non iram, sed gratiam, nec pænam, sed mercedem coram oculis Dei inveniant, & de manibus ejus referant.

Septima Petitio. *Sed libera nos à malo. Amen.* Septima sangvinis effusio fuit, in transfixione lateris & cordis Domini IESU iam mortui, ex quo vulnere exivit sangvis & aqua. Sangvis quidem in pretium redemptionis: Aqua autem in ablutionem omnis peccatoris.

Pete, ac impetra, te admitti ad hoc balneum, & inibi ablue ac depone omnia inquinamenta cordis tui. Fuge sicut columba simplex, & imbellis à facie rapacium milvorum, ad foramina hujus petræ, & ibi securè inhabitans requiesce, non solùm nihil mali formidans, sed etiam apertum æternæ felicitatis ostium possidens.

R. R. Laurentij Bartilij pro Quadragesima & tempore pænitentiæ *Oratio Dominica.*

Pater noster. En ego prodigus ille nomine Filij indignissimus.

ſimus. *Qui es in cælis.* Inſpector ſcelerum omnium & ultor iuſtiſſimus. *Sanctificetur* Per veram illuminationem peccatorum. *Nomen tuum,* Quod peccatis meis, toties blaſphematum. *Adveniat* Per magnam dignationem tuam, *Regnum tuum* Iuſtitiæ, quod deſtruat regnum peccati. *Fiat voluntas tua.* Quâ non vis mortem peccatoris, ſed ut magis convertatur & vivat. *Sicut in cælo,* Imperialiter: *Et in terra* Efficaciter. *Panem noſtrum quotidianum* Miſericordiæ tuæ, quâ nos identidem reficis; & obedientiæ, quam nos tibi debemus: *Da nobis hodie,* ut illam perpetuò ſentiamus, & hanc iugiter exhibeamus. *Et dimitte nobis,* Per congruum uſum mediorum & meritum CHRISTI Paſſionis, *Debita noſtra* Multiplicium peccatorum, quibus legem tuam prævaricatus ſum, & Majeſtatem dehonoravi. *Sicut & nos dimittimus debitoribus noſtris,* Injurias & offenſas; omnem affectum odij, & vindictæ, excludendo. *Et ne nos inducas in tentationem* Cujuſcunq; periculi peccandi, præſertim deſperationis & contemptûs. *Sed libera nos à malo,* Pænæ multiplicis temporariæ & æternæ. *Amen,* Ita fiat intercedente B. Mariâ Virgine cum omnibus Sanctis.

Salutatio Angelica.

AVE MARIA, Spes & refugium peccatorum. *Gratiâ plena.* Reſpice nos omni gratiâ, culpâ noſtrâ indigniſſimos. *Dominus tecum.* Appropinquemus illi per te, à quo per peccatum ſumus elongati. *Benedicta tu in mulieribus.* Nos in peccatis conceptos tua benedictione reſtaura. *Et benedictus fructus ventris tui.* Nos benedicere dignetur, qui venit vocare peccatores ad pænitentiam *IESVS:* illius ſalutare per te conſequamur. *Sancta MARIA,* ab omni peccato ſemper remotiſſima *Mater Dei,* peccatorum nihilominus Advocata beniginiſſima, *Ora pro nobis peccatoribus,* ad libertatem juſtorum ſuſpirantibus: *Nunc* veram Contritionem, *Et in hora mortis noſtræ,* Perſeverantiam in juſtitia impetrando. *Amen.*

Pro Diebus Paſſionis D. N. IESU Chriſti

Oratio Dominica.

P*ater noster* Amantissime, qui pro ingratis Filijs temetipsum oblationem dedisti. *Qui es in cælis*, adeò humiliatus in terris: *Sanctificetur* per dignam tanti beneficij recognitionem *Nomen tuum*, tot modis in tua Passione inhonoratum. *Adveniat* ex tua infinita liberalitate *Regnum tuum*, quod Latroni in cruce pendenti promisisti. *Fiat voluntas tua* circa crucem, quam nobis expedire iudicas. *Sicut in cælo* per tui beneplaciti sanctionem: *Et in terra* per fortem & efficacem executionem. *Panem nostrum quotidianum* compunctionis & gratitudinis debitæ, *Da nobis hodie*, ut & de peccatis nostris ritè compungamur, & tibi gratam servitutem exhibeamus. *Et dimitte nobis* per infinita SS. Passionis tuæ merita, *Debita nostra*, tum ex multitudine peccatorum nostrorum, tum ex magnitudine donorum tuorum contracta. *Sicut & nos dimittimus*, amore & imitatione tui Patrem pro Crucifixoribus exorantis *debitoribus nostris*, tam ijs, qui nos apertè vel oculte offenderunt, quàm ijs, quos nos offendimus. *Et ne nos inducas*, per tuam in Cruce summam desolationem, *In tentationem*, præsertim obdurati cordis & insensibilis. *Sed libera nos â malo*, Peccati, Carnis, Sathanæ: ne nobis dominentur, à quorum servitute nos tuâ morte liberâsti. *Amen.*

Salutatio Angelica.

AVE MARIA semper & ubiq; ac vel in Passione omni veneratione dignissima *Gratiâ* compassionis amarosæ *plena*, nobis etiam de tua plenitudine communica. *Dominus* propter peccata nostra vulneratus, *Tecum* in memoria, in affectu & sensu: *Benedicta tu in mulieribus*, quæ fortissimè doloris gladium pertulisti. *Et benedictus fructus ventris tui*, qui nos cruce & Passione suâ Patri reconciliavit, *IESVS* Dominus Salvator noster. *Sancta MARIA*, per illam sub cruce stationem, & animæ transfixionem. *Mater DEI*, sicut Maternitatis titulo, ita compassionis affectu Christo proxima. *Ora pro nobis peccatoribus*, quos tibi sub nomine Ioannis, Filius è cruce commendavit: *Nunc* gratitudinem debitam, pro beneficio Re-

dem-

demptionis. *Et in hora mortis nostræ*, perseverantem in Filij tui famulatu voluntatem nobis impetrando. *Amen.*

CORONA.

De quinque Christi Domini nostri Vulneribus.

Antiphona.

Salvator mundi salva nos, qui per crucem &c. *ut infra.*

I. *Salutatio plagæ in lævo Pede.*

Ave vulnus lævi Pedis,
Dirum trucis signum cædis,
Fac beatæ dignos sedis,
Compotes partæ mercedis.

Quinquies *Pater noster*, & *Ave Maria*, in ejus honorem.

Oratio. Per plagam lævi tui Pedis crudelissimam, da mihi Domine IESU, tuam imitari Humilitatem.

II. *Ad plagam dextri Pedis.*

Ave Pes dexter perfosse,
Nervis ruptis, læso osse,
Fac nos tantum donum nôsse,
Amemus pro toto posse.

5. *Pater noster*, & *Ave Maria.*

Per plagam tui dextri Pedis crudelissimam, da mihi Domine IESU imitari tuam sanctam Patientiam.

III. *Ad plagam sinistræ Manus.*

Ave Christi Manus læva,
Perforata manu sævâ,
Nos ab omni malo leva,
Cujus causa mater Eva.

5. *Pater noster*, & *Ave Maria.*

Per plagam tuæ sinistræ Manus crudelissimam, da mihi

Domine IESU, imitari tuam ſanctam obedientiam.

IV. *Ad plagam dextræ Manûs.*

Ave Manus dextra Chriſti,
Quæ mortem fixa fixiſti,
Et diabolum viciſti,
Nos ad dextram jube ſiſti.

5. *Pater noſter & Ave Maria.*

Per plagam tuæ dextræ Manus crudeliſſimam, da mihi Domine IESU, imitari tuam perfectiſſimam Charitatem.

V. *Ad plagam Lateris.*

Ave Latus lancinatum,
Mucrone diro laxatum:
Ad Cor Chriſti fac ducatum,
Transfer nos in cæli ſtatum.

5. *Pater noſter & Ave Maria.*

Per plagam tui ſanctiſſimi Lateris crudeliſſimam, da mihi Domine IESU, virtutem Caſtitatis, & in bono Perſeverantiam.

℣. Adoramus te CHRISTE & benedicimus tibi:

℟. Quia per Crucem & plagas tuas redemiſti mundum.

Oratio. Domine IESU Chriſte, qui pro redemptione mundi, quinq; plagas in tuo ſanctiſſimo Corpore, ſuſtinuiſti; concede quæſumus, ut omnes, qui illas piè veneramur in terris, illarum etiam perpetuo aſpectu gaudere mereamur in Cælis. Qui vivis & regnas in ſæcula. Amen.

SUper hæc, in quolibet vulnere nova gratia, novumq; beneficium petitur; in vulnere pedis ſiniſtri remiſſio peccatorum, in vulnere dextri acquiſitio virtutum, maximè fortitudinis adverſùs tentationes: in vulnere manûs ſiniſtræ liberatio ab inferno, in dextra adeptio gloriæ; in latere purus amor Ieſu, & Mariæ. In fine cujuslibet decadis dices: *Sancta Mater iſtud agas, Crucifixi ſige plagas cordi meo validè. Amen.*

Poteſt etiam addi modus dicendi Coronam ſanctiſſimorum vulnerum per actus internos

ab

ab A.R.P. Vincentio Caraffa in Fasciculo Myrrhæ propositus.

COrona vulnerum etiam dici potest mentaliter cum varijs actibus intellectûs & voluntatis. In quolibet vulnere elicies tres actus intellectûs, considerando amorem, dolorem & valorem illius vulneris; & tres actus voluntatis agendo gratias, de quibus dictum in corona vocali.

In quinque signaculis elicientur pariter alij quinque actus juxta modum sequentem.

1. IN signaculis primæ decadis vulneris pedis sinistri elicies quinque actus confusionis tui ipsius. Primò cognosces te eum, qui es; nihil, infirmum, peccatorem. Secundò æstimabis te talem. Tertiò, desiderabis, ut talem de te opinionem alij habeant. Quartò, confundens te coram omnibus creaturis, considerando in qualibet id, quod à Deo habet; in te verò id, quod à te habes. Quintò, cum omni patientia supportabis omnem adversitatem, dicendo cum bono latrone: *Nos quidem justè, nam digna factis recipimus*; imò inferiora meritis, ut qui infernum meruimus.

2. In signaculis secundæ decadis pedis dextri alios quinque actus imitationis Christi elicies. Primò, quod eum imitabere in Zelo propriæ perfectionis. Secundò, in Zelo salutis, & perfectionis proximi. Tertiò, in Zelo gloriæ Dei. Quartò, quod vives cum Christo in cruce. Christo confixus sum cruci. Quintò, cupies mori pro Christo. *Amore amoris tui moriar, qui amore amoris mei dignatus es mori.*

3. IN signaculo tertiæ decadis vulneris manûs dextræ elicies hos quinque Actus amoris Dei. Primò, approbabis in animo. Secundò, lætaberis. Tertiò, desiderabis omnem honorem extrinsecum omnium creaturarum. Quartò, conformabis te sanctissimæ ipsius voluntati. Quintò, desiderabis ipsum videre, & eo frui facie ad faciem.

4. IN signaculis quartæ decadis vulneris manûs sinistræ elicies quinque actus amoris proximi. Primò, considerabis eum, ut Filium Dei, ut Fratrem Christi redemptum preti-

oso ejus sangvine, ut templum Spiritus Sancti. Secundò, desiderabis illi omne bonum. Tertiò, propones te ei benefacturum verbo & opere, consideratis hisce Christi verbis: Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Quartò, procurabis salutem animæ ejus. Quintò, offeres pro ipso vitam tuam.

5. IN signaculis ultimæ decadis vulneris lateris Christi elicies quinque actus desiderij vitæ alterius. Primò, contemptus vitæ præsentis, ut vilis & momentaneæ. Secundò, æstimationis alterius, ut infinitæ, & æternæ. Tertiò, eam à Domino petes. Quartò, offeres in pretium quinque vulnera Christi. Quintò, diriges omnes cogitationes, verba, & opera *ad Maiorem Dei gloriam, ad vitam æternam.*

Propositum, quod ex hac meditatione excerpetur, erit perfecta observatio illarum trium vocum, *Inspice, abstine, & sustine.* Inspicies cogitatione vulnera Christi, ac veluti in habitabis. Abstinebis eorum amore ab omni dulcedine, & consolatione creata, sustinebis hilariter adversa *in sangvine Christi, & gratia Mariæ.*

Salutatio Sanctissimorum vulnerum Christi.

1. O salutifera vulnera dulcissimi mei Iesu Christi: salvete, salvete, salvete in omnipotentia Patris, qui vos dedit; in sapientia Filij, qui in vobis sustinuit, in benignitate Spiritus Sancti, qui in vobis nostræ redemptionis opus perfecit. His verbis devota quædam à Deo aspirata, salutabat vulnera sanctissima Salvatoris.

2. Salvete monumenta charitatis, testimonia obedientiæ, signa visionis paternæ, & pretia redemptionis humanæ. Salvete fortitudo Martyrum, patientia Confessorum, gaudium Apostolorum, gloria Sanctorum omnium.

3. *Salvete, salvate.* Sanctificate animas nostras in potentia Patris, in sapientia Filij, in bonitate Spiritus Sancti. Salvate nos ab æterna damnatione, & sanctificate nos in vestra dilectione, cum abundantia vestrarum gratiarum iu hac vita, & cum plenitudine gloriæ in altera. Amen.

Actus Amoris Dei.

Ad amarosissima patientis ac amore æstuantis CHRISTI vulnera applicati.

I. *Vulnus pedis sinistri.*

Vulnus Sacratissimi pedis tui sinistri Dulcissime IESV sit remedium peccatricis animæ meæ & incentivum Amoris DEI. Amen.

AMo te eminentissime Deus meus amore illo, quo Te omnes inanimatæ & irrationabiles creaturæ amare deberent, sed naturâ impediente non possunt. Suppleat rogo licét modicus hic amor meus defectum illum ut plenus sit amor Tui ab omnibus creaturis Tibi debitus, maximè quia istæ creaturæ tuæ pleræque ex Imperio Tuo mihi serviunt, ob quod dignum est, ut Te pro illis etiam amem. Amo igitur Te, amareq; volo pro ipsis in omnem Æternitatem. Amen.

II. *Vulnus pedis dextri.*

Vulnus Sacratissimi pedis Tui dextri Dulcissime IESV sit remedium peccatricis animæ meæ & incentivum Amoris DEI. Amen.

AMo Te omni amore dignissime DDUS, amo Te amore illo, quo Te deberent amare dæmones etiam, & omnes damnati in inferno, sed quia Te amare contempserunt & noluerunt, ideo infelices non possunt, nec amplius digni sunt amare Te. O amor omni amore superdignissime, Domine DEUS meus! si majori, quàm infernali incendio, possem amore tui æstuare, vellem Domine mî eo modo supplere defectum amoris illorum. Sed Te misericordissimum DEUM per omnes miserationes tuas rogo, non me permittas devenire illuc, ubi Te non amant, nec amare volunt, sed deducas me ubi amaris semper, ac dignos facis amore Tuo ut Te ament, nec amare deficiant per omnes æternitates. Amen.

III. *Vulnus manus sinistræ.*

Vulnus Sacratissimæ Manus Tuæ sinistræ Dulcissime IESV sit remedium peccatricis animæ meæ & incentivum Amoris Divini. Amen.

Amo

AMo Te desideratissime DEUS, amore illo quo Te Ethnici, Idololatræ & omnes à vera Christiana fide alieni, item miseri peccatores amare debent, amare tamen Te verum DEUM alij ignorant, alij negligunt, alij creaturarum tuarum adeoq; alieno, non Tuo corda sua occupant amore. Suppleat Domine, oro submissè, minutissimus amor meus defectum illorum, vel potius infinitus amor tuus suppleat, illuminet & accendat corda illorum, ut & ipsi agnoscant Te, ac diligere quandoq; incipiant, diligantq; in omnem æternitatem, quia ut ab omnibus diligaris dignus es DEUS meus. Amen.

IV. Vulnus manus dextræ.

Vulnus Sanctissimæ Manus Tuæ dextræ Dulcissime IESV sit remedium peccatricis animæ meæ & incentivum Amoris DEI. Amen.

Amo Te Beatissime Domine DEUS meus amore illo, quo Te Ecclesia militans sponsa Tua, tum & prædestinati omnes Tui in hac vita amant, amare volunt, & si forte aliquando negligunt, tamen amare Te debent, & amabunt in omnem æternitatem. Amen.

V. Vulnus Lateris & cordis.

Vulnus Sacratissimi Lateris & Cordis Tui Dulcissime IESV sit remedium peccatricis animæ meæ & incentivum Amoris Divini. Amen.

Amo Te perfectissime DEUS meus amore illo, quo Te omnes prædestinati, jam in cælo tecum regnantes, totaq; illa triumphans Ecclesia amat, amare debet, amare vult, amabitq; in omnem ætenitatem. Amen.

VI. Vulnera totius Corporis Christi.

Vulnera Totius Sacratissimi Corporis Domini ac Salvatoris nostri IESV Christi, in quo à planta pedis usq; adverticem, non est sanitas: vulnus, & livor, & plaga tumens. non est circumligata, nec curata medicamine, neque fota oleo: *eiusdemq; ad extremam guttulam Sanctissimus Sangvis in redemptionem mundi copiosissimè effusus sit remedium peccatricis animæ meæ & incentivum Amoris Divini, Amen.*

Amo Te superamantissime DEVS charitate illa, qua Te omnes Sancti Angeli, Archangeli, Virtutes, Principatus, Potestates, Throni, Dominationes, Cherubin & Seraphim totiusq; Hierarchiæ Cælestis spiritus beatissimi illâ purâ defecataq; charitate, illâ quieti amoris vehementiâ, illo ineffabili dilectionis incendio per Te inflammantur, & Tibi ipsi per Te ipsum feliciter uniuntur: Sic Te nunc, ante & in perpetuùm amant, amabuntq; infinitè. Vellem Te Domine mî eo amore amare in illoq; totum me absorberi.

VII. Anima Sanctissima IESV.

Sacratissima ac Deifica Anima Salvatoris ac Domini mei IESV Christi toties pro mea totiusq; mundi salute conturbata, afflicta, usq; ad mortem tristis, in morte ab omnibus derelicta, tandem in separatione à Sanctissimo Corpore in manus Patris Æterni commendata, sit remedium & refugium peccatricis animæ meæ maximè in egressu illius è corpore, tum etiam sit incentivum ac augmentum Amoris Divini. Amen.

Amo Te superbeatissime, & super omnes perfectiones perfectissime, ineffabilissime DEUS, ac amare vellem, amore illo, quo Beatissima Mater ac Virgo MARIA à primo instanti immaculatæ Cōceptionis suæ & Filius ejus ac Tuus IESUS Salvator meus in quo Tibi bene complacuit, ac ab æterno Te amavit, amat, amabitq; in æternùm. Quinimò, si possibile esset vellem etiam illa dilectione Te diligere, quâ Te ipsum perfectissimè & adæquatè ab æterno dilexisti, diligis, & in omnem æternitatem diliges. Sed quia non possum, & minùs amo Te infelix, quàm debeo, quàm volo, quàm possum, oro Te misericordissime DEUS, tàm meos, quàm omnium creaturarum suppleas amoris defectus Tuo Divinissimo, perfectissimo, ac infinito amore, quia hæc est dignitas Tua o DEUS amor meus. Amen.

PIJ AFFECTUS

Erga patientem IESUM & dolorosissimam Matrem ejus

Ex Medulla Crucis perpetuæ *desumpti.*

VALEDICTIO MATRIS.

De postremo colloquio, quod seorsim cum Filio Mater instituit. Vide S. Bonavent: c. 72. Medit. vitæ Christi.

Typus. Sara.

Suum unigenitum Isaac, in montem Moria ad sacrificium tendentem, dolens à se dimittit. Nam conscia fuit necis futuræ, juxta S. August: de Temp. serm. 13. Tomo. 10. Gen. 22.

Prototypon.

Christus amantissimæ Matri valedicit, priusquàm se accingat, ut mortem oppetat in monte Calvariæ.

Affectus.

QUò vadit dilectus tuus ô Noëmi, ô pulcherrima mulierum, quò vadit? Ad cænam cui intererit proditor: ad hortum ubi sudabit sangvinem; ad Annam ubi alapis cruentabitur? Ad Caipham ubi opprobrijs saturabitur; ad Herodem ubi illudetur ut demens; ad prætorium ubi cædetur ut reus; ad montem, ubi suspendetur ut latro. Hæc singula conferens in corde tuo, & profundè gemens dicis: Ne vocetis me Noëmi, id est, pulchram: sed vocate me Mara, id est, amaram; quia amaritudine valdè replevit me Omnipotens. O MARIA, ô MARIA, ô mæstissima mulierum, ô afflictissima Virginum! Eja Mater fons amoris, Me sentire vim doloris Fac, ut tecum lugeam. Fac, ut ardeat cor meum, in amando Christum Deum, ut sibi complaceam. Vt & tibi complaceam, & utriusq; dolore & amore langveat, ardeat, liquefiat anima mea, præsertim dum accedo sacrosanctum Altare, in quo recolitur memoria Passionis istius. Amen.

Affectus in Valedictione euntis crucifigi.

UBi jam illæ magnificæ Archangeli voces? Ave gratiâ ple-

na, Dominus tecum? Ecce jam immensis plena doloribus. Ecce jam Dominus à te per amplexum amarissimum divellendus. Vbi jam repleta Spiritu Sancto Elisabeth, quæ exclamavit voce magnâ, & dixit: Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui! Nunquid non jam voce majore exclamaret, ærumnosissima tu inter mulieres, & maledictus fructus ventris tui; quia maledictus omnis qui pendebit in ligno? Verùm cùm meæ salutis causâ ista sic fiant; terrâ cæloq; audiente, voce magna pronuntio, te millies & centies millies esse benedictam ô Virgo pijssima, Martyrum Regina! Quin etiam voce majore proclamo, Filium tuum infinities millies benedictum, ac benedicendum in æternùm & ultra! Amen.

VLTIMA COENA.

Edentibus illis dixit: Amen dico vobis, quia unus vestrûm me traditurus est. Matth. 26.

Typus. Agnus Paschalis.

Tollat unusquisq; agnum per familias, & domos suas. Exodi. 12.

Prototypon.

Christus verus Agnus se apposuit ad edendum in ultima Cæna, etiam suo proditori.

Affectus.

INvitaris ad cænam, cœnam magnam, ô anima Christiana: noli te excusare, noli. Verè cœna magna, quia à magno DEO, magna charitate proposita. Magna, quia magno prodigio elaborata, in qua memoriam fecit suorum mirabilium misericors Dominus. Magna, quia magnis ferculis instructa corpore Christi, animâ Christi, divinitate Christi. Magna, quia pretij magni: ubi sunt omnes cæli terræq; thesauri. Magna, quia magna arte adornata, ubi tota cœna parvo concluditur frusto & suum hospitem simul includit. Magna, quia magnæ, imò universæ hominum multitudini præparata. Magna, quia magnis mysterijs ab omni retrò ætate præsignata. Magna, quia magno-

gnorum largitrix munerum: qui manducat hunc panem, vivet in æternùm. Quid supereſt? Vt magna præparatione, ac curâ, magna contritione, & demiſſione; magna fame, & ſiti; magna fide ac fiduciâ, magna religione, ac reverentiâ, magno zelo, ac charitate, hanc menſam velis accedere. Amen.

HORTUS GETHSEMANI.

Pater ſi vis, transfer calicem iſtum à me: Verumtamen non mea voluntas, ſed tua fiat. Apparuit illi Angelus de cælo, confortans eum. Lucæ 22.

Typus. Elias.

Petivit animæ ſuæ ut moreretur, proiecitq; ſe, & obdormivit in umbra juniperi: & ecce Angelus Domini tetigit eum, 3. Reg. 19.

Prototypon.

Christus humi proſtratus, & ad mortem uſq; afflictus ab Angelo confortatur.

Affectus.

DOmine mi Ieſu doce me orare: orare ſuppliciter, qui animi ſumma veneratione, & corporis infima inclinatione, non modò in genua. ſed in faciem orans, procidiſti. Orare ferventer, qui eaſdem preces ardenti contentione repetîſti, junctis gemitibus inenarrabilibus. Orare amanter, qui clamâſti, Abba Pater, id eſt, Pater, ô mi Pater ut dilectiſſimus Filius, amantiſſimo Patri ſupplicabundus. Orare conſtanter, qui orâſti uſq; ad ſudorem ſangvineum; uſque ad ſupremam agoniam. Orare, cum omni reſignatione, non obſtantibus infinitis difficultatibus, verumtamen, non mea (inquiebas) voluntas, ſed tua fiat. Volo quidem Domine, ſed non valeo ſic orare: ut valeam oro iterum, & millies oro, Domine, doce me orare, idq; obteſtor per preces tuas, tantâ demiſſione, tanto fervore, tanto amore, tantâ conſtantiâ, tantâ reſignatione, pro me effuſas, perq; placabile illud Altaris Sacrificium, in quo ſemper vivis ad interpellandum pro nobis. Amen.

OSCULUM IUDÆ

Confestim accedens ad IESVM, dixit: Ave Rabbi. Et osculatus est eum. Matth. 26.

Typus. Amasa.

Dixit itaq; Ioab ad Amasam: Salve mi frater. Et tenuit manu dexterâ mentum Amasæ, quasi osculans eum. 2. Reg. 20.

Prototypon.

Christum Iudas amicè salutando, & osculando inimicis tradidit.

Affectus.

IUda quid agis? Amoris signo vulnus infligis? mellis oblatione venenum propinas? charitatis officio sangvinem fundis? instrumento pacis mortem irrogas? Iuda quid agis? quò decidisti? de Apostolatu ad apostasiam; de consortio Angelorum ad contubernium dæmonum: de primis Amicorum, ad ultimos hostium; de sublimi gratiæ solio, ad profundam damnationis abyssum; de participatione augustissimi corporis, ad venditionem ejus divinissimi sangvinis? Ah! quantùm sæpè nequitiæ sub fronte blanda; quantum mali sub larva boni tegitur! Id facis peccatrix anima, dum aliquem blanditijs ad peccand umallicis, dum tuis fraudibus decipis; dum per causam pietatis impietatem velas; dum sacram mensam sacrilegè accedis, non dijudicans Corpus Domini. Exeste proditores, procul à me exeste. Moveat nos divinæ dulcedo charitatis, & viscera misericordiæ Christi: qui pro malevolentia favorem; pro odio amorem; pro morte vitam; pro isto osculo præbet amplexum. Hunc amplexum enixissimè desidero, præsertim in hora mortis. Amen.

TORRENS CEDRON.

Egressus est cum discipulis suis trans Torrentem Cedron. Ioan. 18. In eundem præcipitatus est. *Adrichom.*

Typus. David.

Omnes

Omnes flebant voce magnâ, & universus populus transibat: Rex quoq; transgrediebatur torrentem Cedron. 2. Reg. 15.

Prototypon.

Dominus per torrentem Cedron raptatus est, quem cum Discipulis ante transierat.

Affectus.

OMnes de aquis tribulationum; omnes cum Christo de torrente in via bibimus; & trahimur de malo in malum, tolerandum est. Humores nos inflant, ardores exsiccant, escæ gravant; jejunia macerant, gaudia dissolvunt, tristitiæ consumunt: tolerandum est. Solicitudo nos coarctat, incuria dissipat, divitiæ extollunt, paupertas dejicit, infirmitas frangit, mors interimit, tolerandum est. O quando corruptibile hoc induet incorruptionem, & mortale hoc induet immortalitatem? O quando replebimur ab ubertate domûs DEI, & torrente voluptatis potabimur? O quando dicetur, jam hyems transiit, imber abijt: Veni de Libano, veni coronaberis, intra in gaudium Domini tui? Interea, dum tædia vitæ toleranda sunt, in loco hoc peregrinationis meæ, & exilij, pascor Eucharistico manna, pane Angelorum, delicijs cæli: donec aspiret dies æternitatis, & inclinentur umbræ hujus vitæ, donec videam facie ad faciem illum, qui modò absconditus hîc me respicit per cancellos. Amen.

ANNAS.

Vnus assistens ministrorum dedit alapam IESV. Ioan. 18.

Typus. Michæas.

Accessit Sedecias filius Chanaana, & percussit Michæam in maxillam & dixit; Mene ergo dimisit Spiritus Domini & locutus est tibi? 3. Reg. 22.

Prototypon.

Veridicus Servator impudenter in facie cæsus est.

Affectus.

QUisnam ille est, qui à mancipio alapâ crudeli cæditur? Nunquid

non est omnium innocentissimus? Ergò non plectendus. Nunquid non omnium Dominus? Ergò honorandus. Nunquid non omnium Pater? Ergò amandus. Nunquid non electarum sponsus Animarum? Ergò favore dignus. Nunquid non omnium Iudex? Ergò timendus. Nnuquid non omnium Deus? Ergò adorandus. Quî igitur ut innocenti, & Domino, & Patri, & Sponso, & Iudici, & Deo verber tam ignominiosum inpingatur? O cæcitas ò fatuitas, ò crudelitas nimia! O mi Christe, pro injuriæ istius reparatione, te non jam quidem pro tribunali, sed in Altari stantem, omnis innocentiæ fontem esse confiteor, te Dominum veneror, te Patrem diligo: te animæ meæ sponsum amplector: te omnium Iudicem timeo: te Deum vivum ac verum cum omnibus Angelis adoro: impensè flagitans, hanc unam modò à te gratiam consequi, ut omnium injuriam à quocunq; mihi impactam, libentissimè amore tui condonem, quod & nunc ex animo facio. Amen.

CAIPHAS.

Velaverunt eum, & percutiebant faciem eius: & interrogabant eum, dicentes: Prophetiza, quis est, qui te percussit? Lucæ. 22.

Typus. Samson.

Quem cùm apprehendissent Philisthiim, statim eruerunt oculos eius, & duxerunt Gazam vinctum catenis, & clausum in carcere molere fecerunt. Iudic. 16.

Prototypon.

Christo Iudæi oculos velàrunt, multaq; percussione, & contumelijs per noctem oneràrunt.

Affectus.

ECce quomodo afflictio superaddatur afflicto, dum decora facies sordidis sputis inquinatur; divinæ aures, gravibus contumelijs lacessuntur; sereni oculi fædo linteo obteguntur; sacrum corpus duris colaphis oneratur. Sed cui bono hæc ludibria? O peccator, pro superfluo oris, vultûsq; tui cultu ille

le conſpuitur: pro nimia tua aviditate captandæ laudis humanæ ſubſannatur: pro petulanti oculorum tuorum libertate velatur: pro contumaci capitis tui duritie, ille durè excipitur. Sed jam ad eundem, quem ſub Sacramento velatum, fide viva intueris, accede; omniaq; peccata cordato dolore deteſtans, dic illi: Oſtende mihi Domine faciem tuam, & ſalvus ero: inclina aurem tuam ad preces meas, ad preces etiam Latronis inclinatas: converte oculos tuos ad me etiam Petro te neganti, non negatos: benignus annue capite tuo, etiam ad tui proditoris oſcula tua incurvato; & cantabo miſericordias tuas in æternùm, & ultrà. Amen.

PILATUS.

Cœperunt autem illum accuſare, dicentes: Hunc invenimus ſubvertentem gentem noſtram. Luc. 23.

Typus. Daniel.

Tunc reſpondentes dixerunt coram Rege: Daniel de filiis captivitatis Iuda, non curavit de lege tua, & de edicto quod conſtituiſti: Daniel. 6.

Prototypon.

Chriſtus apud Præſidem Pilatum falſa accuſatione traducitur.

Affectus.

ROmano Præſidi reſpondes ô Chriſte. Regnum meum non eſt de hoc mundo. Loquere ô Rex meus, & Deus meus, qui ſub Sacramento lates, ecquinam ſint candidati Regni tuj, & qui ſunt hujus mundi? Mei, qui ambiunt latere, neſciri, omnibus eſſe ſubjecti: illius ſunt, qui per fas & nefas graſſantur ad honores, & officia, cunctiſq; ardent præeſſe. Mei ſunt, qui credunt illud: Beati pauperes ſpiritu: illius ſunt, qui illud: ô beati divites! Mei, qui bona propria elargiuntur: illius, qui rapiunt etiam aliena. Mei, qui in corde & ore habent: Quærite primùm Regnum Dei: illius qui clamant, quærenda pecunia primùm eſt, virtus poſt nummos. Quid inſuper? Mei, qui caſtimoniam juxta ſtatum ſuum rigidè ſervant; illius, qui vagâ

libidine diffluunt. Mei, qui inimicos ex animo diligunt; illius; qui etiam amicos odio habent. Mei, qui sobriè, piè, justè vivunt; illius, qui intemperanter, impiè, iniquè. O Domine adveniat mihi hoc regnum tuum! hoc ingeminabo quotidie. Amen.

HERODES.

Sprevit illum Herodes cum exercitu suo: & illusit indutum veste albâ, & remisit ad Pilatum. Luc. 23.

Typus. David.

Ait Achis ad servos suos: Vidistis hominem insanum: quare adduxistis eum ad me? 1. Reg. 21

Prototypon.

Christus ipsamet Patris æterni sapientia, ab Herode dementis instar, alba veste amicitur, & ad Pilatum remittitur.

Affectus.

QUàm diu procabitur amorem meum amor Divinus, qui etiamnùm in Ara me quærit, quot ludos aget, quot mutabitur in personas? Egressus ut sponsus; cucurrit ut gigas: Iacuit ut infans; fugit ut exul: ambulavit ut peregrinus: obedivit ut subditus: ministravit ut servus. Quid quòd jejunavit ut pænitens, luctatus ut miles, coronatus ut victor? Quid quòd Medici partes inter ægros; Magistri inter discipulos: Patris inter filios explevit? Quid quòd Samaritani, Pastoris, Vinitoris, Mercatoris, Regis, & plurium habitum induit? Et quas non actiones in mei gratiam egit in domibus, ac plateis: in templis, ac synagogis; in oppidis & urbibus; montibus & vallibus, terrâ ac mari? Nondum cessisti amori ò cor durum? se dedit in pabulum; se obtulit in lytrum, se promisit in præmium. Sudavit ut agonizans: comprehensus ut latro: cæsus ut mancipium: velatus ut Pseudopropheta: accusatus ut seductor, habitus ut blasphemus: spretus hic & illusus ut stultus. Vicisti ò Amor Divine, Vicisti, ecce cor meum & omnem amorem,

nunc,

nunc & in æternùm. Amen.

FLAGELLATIO.

Tunc ergo apprehendit Pilatus IESVM, & flagellavit. Ioan. 19.

Typus. Ieremias.

Irati Principes contra Ieremiam, cæsum eum miserunt in carcerem. Hier. 37.

Prototypon.

Iussu Pilati Servator tuus ad columnam vinctus, atrocissimê flagellatur.

Affectus.

QUid hoc rei est? Peccat iniquus, & punitur justus. Delinquit nocens, & plectitur innocens? Offendit impius, & damnatur pius. Quod perpetrat servus, exolvit Dominus: quod committit homo, sustinet DEUS? Nate Deo, quò tua decrescit Majestas, & increscit benignitas? Quò tua descendit humilitas, & ascendit charitas? Ego, ego iniquè egi, & tu pænâ mulctaris? Ego facinus admisi, & tu subjiceris lanienæ? Mihi ista vincula, illa columna, illa tortorum sævitia, illa flagra, illa vulnerum multitudo debetur. O Pater æterne, qui ut mihi vermiculo terræ parceres, non pepercisti Vnigenito tuo, te vehementer obtestor per nimiam tuam & ipsius charitatem, ut tandem sistam fluxum sangvinis istius, & in his, & istis tuâ gratiâ desistam peccare. Ergòne Virgineum illud corpus, divinos illos artus lacerare, talia cogitando, loquendo, agendo pergam? Absit. Ad piacularem hanc aram confugio, priùs hîc moriturus, quàm ampliùs peccaturus. Amen.

CORONATIO.

Imponunt ei plectentes spineam coronam, & cœperunt salutare eum: Ave Rex Iudæorum. Marci 15.

Typus. Aries Abrahami.

Levavit Abraham oculos suos, viditq; post tergum arie-

tem

tem inter vepres hærentem cornibus, quem assumens obtulit holocaustum pro filiò. Genes. 22.

Prototypon.

Ingenti tormento spineum sertum tenerrimo Christi capiti infigitur.

Affectus.

O Mi IESU, qui hîc idem es in templò, qui olim in Prætorio, si me totum debeo prò me facto, quid dabo pro refecto, hoc modo? Nec enim tam facilè refectus, quàm factus. Nam qui me semel, & dicendo tantùm fecisti, in reficiendo dixisti multa, fecisti mira; pertulisti dura: nec tantùm dura, sed & indigna. Heu quàm indigna vel in hoc mysterio Coronationis! Vilissimi enim homines plexo ex spinis acutissimis sertò te coronant; coccineum tibi scrutum instar purpuræ in humeros conjiciunt: arundineum sceptrum dextræ imponunt; curvato poplite Regem Iudæorum ridiculè salutant: in te lingvas exerunt, dentibus frendent, labijs loquuntur; te digitis notant, te conspuunt, te palmis cædunt. Iterum rogo, ô mi IESU, quid dabo prò me refecto, & refecto hoc modo? Firmiter statuo, uti debeo, omnem mei despicientiam, omnem injuriam, omnem ignominiam ferre tui amore toleranter, imò gratanter: quin etiam opto ex illis esse, qui gaudent pro nomine tuo contumeliam pati. Amen.

ECCE HOMO.

Dicit eis: Ecce Homo. Clamabant, dicentes: Crucifige, Crucifige eum. Ioann. 19.

Typus. Iob.

Percussit Iob ulcere pessimo, à planta pedis usq; verticem eius: Iob 2.

Prototypon.

Christus toto corpore saucius, exponitur innumeræ hominum multitudini.

affe-

Affectus.

HEi misero mihi quot telis saucia, quot vulneribus lacerata, quot mortibus mortua est infelix anima mea! Væ mihi peccatori, cùm venerit dies judicij, dies iræ, calamitatis & miseriæ; cùm aperientur libri conscientiarum, cùm dicetur de me: Ecce homo, & opera ejus. Quid faciam tunc Domine DEUS meus, cùm cæli revelabunt iniquitatem meam, & adversùm me terra consurget, & clamabit. Crucifige, Crucifige eum? Ecce nihil respondere potero, sed demisso capite præ confusione coram te stabo trepidus; & confusus. Itane verò? at enim nec dum venit dies illa, dies iræ, dies magna & amara valdè. Cognovi ego, & quidem in hac die mea, quæ ad pacem mihi. Vivens, vivens confitebor tibi Domine, sicut & ego hodie: Confitebor adversùm me injustitiam meam Domino, & tu remittes iniquitatem peccati mei. Peccavi, peccavi Domino! & licèt non audiam, quod semel audivit David: Dominus transtulit peccatum tuum; audio millies: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi; Ecce Homo. Amen.

BAIULATIO CRUCIS.

Baiulans sibi crucem, exivit in eum, qui dicitur Calvariæ, locum. Ioann. 19.

Typus. Isaac.

Tulit quoque ligna holocausti, & imposuit super Isaac filium suum. Gen. 22.

Prototypon.

Crux gravis, humeris Servatoris graviter affectis, injiciur.

Affectus.

DEUS meus, qui ut ubique Divinitate, sic in hac sacra æde, mihi præsentissimus es tuâ humanitate: qui fit ut quoties crux aliqua, sive hæc N. sive ista submittitur, animo exhorream, voluntate averser, verbis obluctor, manus humerosq; subducam? Hic est sensus infirmitatis meæ. Verùm exurge a-

ge anime, confortare, & in omni adversitate audi vocem Christi tui sibi oblatam crucem alloquentis. Veni! ô veni in amplexus meos Crux ab æterno electa, æternis desiderijs fota, infinitis amoribus concupita, omnibus votis expectata! Veni, ô tandem, veni sponsa mea, formosa mea, dilecta mea, ab origine mundi præparata, à Prophetis prædicta, à Patribus expetita, tot Typis præsignata, tot sæculorum, tot Angelorum, tot hominum affectibus exoptata! Veni in manus, in lacertos, in humeros meos, quam die, noctuq; memoriâ, intellectu, voluntate, toto corde complexus fui: te feram, à te ferar: in te vixi, in te moriar, pro salute tua, ô homo, quis quis es. Amen.

PRIMUS LAPSUS SUB CRUCE.

In loco ad occasum vergente, Christus in terram subsidit. *Adrichom. in descript:* Ierusal. n. 118.

Typus. Scala Iacob.

Tulit de lapidibus, qui iacebant, & supponens capiti suo, dormivit in eodem loco. Viditq; in somnis Scalam stantem super terram. Genes. 28.

Prototypon.

Crux est scala cæli, sub quâ non dormiens, sed vigil, sed defectis viribus jacet Servator.

Affectus.

Ecce vir dolorum, novissimus virorum Filius hominis, Filius Dei, vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abjectio plebis, ah humiliatus est nimis! Quid superbis ô homo, non homo, sed pulvis & cinis, quid superbis? quid deliciaris & gaudes? Dic putredini, pater meus es, & mater mea, & soror mea vermibus. Risum reputa errorem, & gaudio dic, quid frustra deciperis? Ecce Deus tuus circumvallatur ærumnis, & hominum pedibus conculcatur. Et tu contra ô homo, animi nimis pusilli, nimiumque dejecti, dum foris pugnæ, dum intus timores, quid percelleris? quid turbaris? quid humi

jaces

jaces? Ad te in terra adrepit dilectus tuus, & svavissimè insusurrat auribus tuis. Noli timere fili mi, ego de tuo fui trepidus, tu de meo esto securus; ego cecidi, ut tu stares: ego pondere peccatorum tuorum pressus fui, ut omni onere levareris: ego sustuli peccata tua, noli timere. Hæc te, ô bone IESU, in sacra Ara jacentem, mihi dicere audio, & obedio. Amen.

VIRGINIS MATRIS OCCURSUS.

Mœstissimo Filio, mæstissima Mater occurrit. S. *Bonavent: lib. Meditat. Vitæ Christi. cap. 77.*

Typus. Virgines ad Oniam concursantes.

Accinctæ mulieres ciliciis pectus, per plateas confluebant. sed & virgines, quæ conclusæ erant, procurrebant ad Oniam. 2. Machab. 3.

Prototypon.

Virginum Virgo domo suâ in viam publicam egressa, Filio suo miserandum in modum afflicto, & affecto, obviam procedit.

Affectus.

O Tristissima Matrum, te adjurat anima mea: & qualis est inquit, Vnigenitus tuus, qui occurrit tibi? Et dicis illi: Vnigenitus meus candidus & rubicundus, sed non illo colore ad miraculum amabili, sed flebili supra omnem modum. In Horto enim Gethsemani candidus sudore, rubicundus cruore. Apud Caipham albo linteo oculis velatis: apud Annam genis alapâ cruentatis. In aula Herodis indutus veste candenti; in Prætorio Pilati purpureâ. In ingressu ejusdem Prætorij toto corpore candidus: in egressu omnibus membris sangvinolentus. Et jam obviam mihi factus, solâ innocentiâ est candidus: alioquin toto corpore purpuratus. Talis est Vnigenitus meus, ô Filia Ierusalem, & ipse est dilectus tuus. O dilecte mi, qui etiam in Sacrificijs nostris inter albentia lilia, ac rubentes rosas; inter candidas hostias, ac vina rubra; inter alba purpureaq; Paramenta conspiceris; da mihi de peccatis meis semper

erubescere, & in sangvine Agni super nivem dealbari. Amen.

Affectus in concursu Filij.

VNde venisti, inquit Mater, dilecte mi, ah! Vnde venisti? Pro dolor! à sangvineo sudore; ab arctis vinculis, à dura raptatione; à crinium vulsione, à crudeli flagellatione; ab horrida coronatione, adhoc funestæ Crucis pondus, laceris humeris sustinendum. Et quonam iturus es? Ad atrocia tormenta; ad Calvariæ culmen; ad vestium spoliationem; ad vulnerum innovationem: ad fellis potum; ad acerbissimam fossis manibus, pedibusq; lanienam; ad infame suspendium; ad novos gemitus, ad clamorem validum, & lachrymas, & amarissimam mortem. Homo querule, quid toties quereris? ubi tuus sudor cruentus? ubi catenæ, flagra, spinæ? ubi felleus potus, clavi, vulnera, Crux talis? Tacebo confusus, & tantùm ingeminabo: DEUS propitius esto mihi peccatori. Amen.

SIMON CYRENÆUS.

Invenerunt hominem Cyrenæum, nomine Simonem: hunc angariaverunt, ut tolleret Crucem eius. Matth. 27.

Typus. Ethai.

In quocunq; loco fueris domine mi Rex, sive in morte, sive in vita, ibi erit servus tuus. 2. Reg. 15.

Prototypon.

Ne Christus omninò deficiat, auxiliatricem manum adhibet Cyrenæus.

Affectus.

DOmine mi Rex, in Cruce ferenda te sequi, tibi servire desidero. Siquidem te sequi dominari est, tibi servire regnare. Vtinam ergo verè dicam: servus ego solùm tuus, tu Dominus meus. Non enim omnes ausi sunt dicere, solùm servus tuus sum ego: nam plures Dominos habent. Venit Ambitio, & dicit, Meus es; quia toti honoribus inhiant. Venit Luxuria, & dicit, Meus es: quia in omnem voluptatem projecti. Venit Avaritia, & dicit, Meus es; quia injusta lucra sectantur.

Venit Ira, & dicit, Meus es; quia non nisi vindictam spirant. Venit Gula, & dicit, Meus es; quia epulantur quotidie splendide. Veniunt omnia vitia, & singula dicunt, Meus es; Qui tot Dominos habent, quàm multorum servi sunt; quot onera, quot juga, quot Cruces tolerant, & heu quàm amaras, quàm graves! O si ego tali emancipatus vitiorum servitute, accurram ad aram tuam, mi Domine IESU, jugumq; suave, & onus leve, id est, Crucem tuam amplectar! Tu solus Dominus meus, & ego servus solùm tuus.

VERONICA.

Hæc Matrona sangvinolentam Servatoris faciem sindone sua expressit, ut passim notum. *Adrichom. in Descript. Ierusal.*

Typus. Tunica Ioseph cruenta.

Tunica filii mei est, fera pessima comedit eum: bestia devoravit Ioseph. Genes. 37.

Prototypon.

QUis olim clamavit, Ostende nobis faciem tuam, & salvi erimus? Non tantùm Domini facies mihi ostensa, sed data; nunquid non in salutis certum pignus, atq; eximium monumentum? Ita loquitur pia Beronice, & pergit loqui. O mi Creator, ô mi Redemptor, quantùm tibi debeo! Opus utriusq; mirabile, sed hujus magis. In primo enim opere me mihi dedisti, in secundo te, & ubi te dedisti, me mihi reddidisti. Data ergo & reddita, me pro me debeo, & bis debeo, quidnam jam tibi retribuam pro te? Et si me millies rependere possim, quid sum ego ad te? Minùs quàm guttula ad Oceanum, arenula ad universum, momentum ad æternitatem. Perennem ego beneficij istius memoriam servabo in sindone ista. O anima mea, quantùm tu tuo Redemptori debes, qui sui memoriam non in mortuo lineo, sed vivâ Hostiâ reliquit, ubi non exanimis facies, sed corpus ejus integrum continetur? O Domine, quia solvendo non sum, te tibi reddo, & me millies tibi. Amen.

SECUNDUS LAPSUS AD PORTAM.

Ad portam Iudiciariam iterum cadit, *Andrichom.*

Typus. Dux Amasa.

Amasa conspersus sanguine, iacebat in media via. 2. Reg. 20. inflictum fuerat vulnus proditoriâ manu Ioabi.

Prototypon.

Denuò subsidit humi Servator, onerosâ sub Cruce, totus sangvinolentus.

Affectus.

PAtientissime Salvator hîc iterum labens, & humum cruentans, exhibes an imaginem, an medicinam peccatoris recidentis, seq; pristino peccatorum tabo, ac sangvine inquinantis? Amantissimè illi dicis: Transiens per te, vidi te conculcari in sangvine tuo, & dixi tibi, cùm esses in sangvine tuo; Vive. Expandi amictum meum super te, & operui ignominiam tuam, & juravi tibi: Vivit Dominus! quia nolo mortem peccatoris, sed magis, ut convertatur, & vivat. Surgam ergo, & ibo ad Patrem meum, & dicam ei: Pater peccavi in cælum & coram te: jam non sum dignus vocari filius tuus: fac me sicut unum de Mercenarijs tuis! Et ecce inclinati sunt cæli, & melliflui facti sunt. Misericordiâ motus Deus meus, descendit ad Altare istud; venitq; in occursum meum, & osculatur me osculo oris sui. Ad cor deinde loquitur, ac dicit mihi; Remissa sunt tibi peccata tua, jam amplius noli peccare. Da mihi Domine hanc gratiam, sed gratiam efficacem. Amen.

FILIÆ IERUSALEM FLENTES.

Filiæ Ierusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, & super filios vestros. Luc. 23.

Typus. Super Iosiam mulierum planctus.

Omnes Cantores atq; Cantatrices, usq; in præsentem diem, lamentationes super Iosiam replicant. 2. Par. 35.

Prototypon.

Israëlitides filiæ immensâ commiseratione tactæ, luctuosam Christi sortem deplorant.

Affe-

Affectus.

VIs Domine me flere, jubes me flere peccata mea, & meorum? Ad Sacrum Altare, velut ad asylum reus accurro & ante illud toto corpore prostratus, exclamo: Heu! Heu! peccavi, Tibi soli peccavi Deus meus, qui potentiam tuam infirmitate, sapientiam ignorantiâ, bonitatem malitiâ offendi. Tibi soli, qui ex indole tua omnem iniquitatem odio habes. Qui solus etiam nosti pro gravitate sua æstimare peccatum. Tibi soli, quia leges tuas transgrediendo, tibi Legislatori præcipuè injurius fui; quia & omnis proximorum læsio, te eorum ferit Auctorem. Tibi soli, qui peculiaribus favoribus præventus, gratijsq́, cumulatus, pro tot bonis, tot mala retribui. Tibi soli, quia animo, corpore, rebus externis, iniquè egi. Quia insuper tu Deus meus, & Accusator es, & Testis es, & Iudex es. Accusator, quem toties & tam graviter læsi: Testis in cujus oculis singula patravi: Iudex omnium, etiam minimorũ. Precor ignosce, qui solus potes peccatis ignoscere, peccatis mederi. Ignosce, ô DEUS, DEUS salutis meæ. Amen.

VLTIMUS LAPSUS.

Ad montem Calvariæ sub cruce prosternitur. *Adrichomius*.

Typus. Onias.

Sacerdotes ante Altare cum stolis Sacerdotalibus jactaverunt se. Iam verò, qui videbat summi sacerdotis vultum, mente vulnerabatur. 2. Machab. 3.

Prototypon.

Ad Calvariæ montis ascensum postremò cadit.

Affectus.

EN cadit perquem cuncti stant; infirmatur, per quem omnes roborantur; in terra DEUS jacet, per quem homines eriguntur in cælum. O dulcedo mea, quot amaritudinibus; ô gaudium meum, quot lachrymis; ô sanitas mea quot vulneribus: ô vita mea, quot mortibus obrueris? Prodigia sunt ista! Non minora succedunt; incipiunt cæli inhorrescere, terra contremi-

ſcere, Templi velum dividi, ſepulchra concuti, lapides conteri, elementa omnia commoveri. Quid tu peccator? Tu prodigiorum omnium longè es maximum, qui in rerum omnium motu, manes immotus: in communi elementorum ſenſu inſenſatus; in ſaxorum fractione non ſcinderis; in rerum animâ carentium vitâ, es mortuò ſimilis. Si quid tamen vitæ in te melioris ſupereſt, in terram prorue, Patrem cæleſtem obteſtare, ut illum ſangvinem humi fuſum, eundemq; qui in quotidiano ſacrificio ipſi offertur, audiat pro te benignè loquentem, ut totus movearis, & convertaris. Amen.

EXTRACTIO VESTIUM ET FELLIS OBLATIO.

Hîc tunica illius extractâ. Adrichom. *Dederunt ei vinum bibere cum felle miſtum.* Matth. 27.

Typus. Ieremias.

Factus ſum in deriſum omni populo. Replevit me amaritudinibus, inebriavit me abſinthio. Thren. 3.

Prototypon.

Ei veſtis evellitur, & loco ſolatij felle potatur.

Affectus.

AFflictæ animæ loquitur dilectus meus, & dicit: Vide ſi eſt dolor, ſicut dolor meus: ad funeſtum Calvariæ montem, pro te adrepens, gravi onuſtus trabe, coronâ ſpineâ confixus: poſt mille gemitus, poſt ſangvineum ſudorem, poſt amaras lachrymas, poſt plures lapſus, poſt cruentos greſſus, pallorem mortis præ me ferens, extremum ſpiritum traho. Vide, ſi eſt dolor, ſicut dolor meus; poſt vitam innocenter transactam: poſt plurima patrata prodigia: poſt innumera in homines merita: nullo jure, ac lege ſervatâ; in ipſo ætatis flore damnatus ſum; poſtq; exhauſtas crebris verberibus vires: poſt hiantia à capite ad imos pedes vulnera in conſpectu infinitæ multitudinis, mihi veſtes crudeliter extrahuntur: vulnera fædè innovantur: atq; inter ſceleratos morituro, pro omni ſolatio fel offertur. Vide, ſi eſt dolor meus; mihi hoc identidem ingeminat

minat dilectus meus, præsertim dum inops solatij sacram mensam accedo: nec aliud solatium peto. Amen.

HUMI CRUCIFIGITUR.

Postquàm venerunt in locum, qui dicitur Calvariæ, ibi crucifixerunt eum. Luc. 23.

Typus. Samson.

Si septem crines capitis mei cum licio plexueris, & clavum his circumligatum terræ fixeris, infirmus ero. Iud. 16.

Prototypon.

Indignissimè Christus humi projicitur, & immani tormento super cruce extenditur, & clavis affigitur.

Affectus.

INdica mihi, quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie? Hoc sæpenumerò rogas, dum ante meridiem, domum illius invisis, ipsoq; pasceris. Indico ego tibi, nomine ejus, quis sit accubitus illius, & simul indico, quis sit tuus. Lectus ejus humi stratus est, in ignominiæ loco; tu lectum honoris, & locum sublimem, ambitiosè quæris. Accubitus ejus inter infames latrones; tuus inter honorifica, & statu tuo majora consortia. Iacet is, inter opprobria, atq; ludibria; tu stas inter gratulationes & plausus. Rursum indico tibi, ubi cubet ille in meridie. Illius in paupertate imò in nuditate commoratio; tua in luxu, & abundantia vestium. Illius thalamus, quàm duris in spinis est: tuus quàm mollis in plumis est! illius manibus ac pedibus parantur crudeles clavi: tu manibus, pedibusq; quid agis? illius exhaustum vulneribus corpus, nullâ quiete datâ projicitur in truncum crucis; tu post exiguos labores omne solatium petis. Dicam, non tantùm volo nosse accubitum dilecti, sed & imitari. Amen.

SUSPENDIUM IN CRUCE.

Stabat iuxta crucem IESV Mater eius. Ioann. 19.

Typus. Serpens Mosaicus.

Fecit Moyses serpentem æneum, & posuit eum pro signo: quem

quem cùm percussi aspicerent, sanabantur. Num. 21.

Prototypon.

Vulneratus pendet in ligno benedictus Filius Dei, velut maledictus, ut omnium vulneribus medeatur.

Affectus.

VEni, accurre, Oriens, Occidens, Septemtrio, Meridies. Ecce panditur terra Sancta, beati pedes, venerandæ manus, benigna brachia, amabile pectus. Eja quisquis es, humi te projice, & hunc adora, quia Deus est; hujus pedes osculare, quia summus Pontifex est: hujus manus prensa, quia Dominantium Dominus est: in brachia hujus involа, quia Pater est: in hujus pectus incumbe, quia sponsus est. Inspice vulnera pendentis, viscera miserentis, pretium redimentis. Hæc quanta sint cogita; hæc in statera tui cordis appende, vt totus tibi figatur in corde, qui pro te totus est affixus in Cruce. Illud spectaculum quondam Christus uni Solymæ, & semel cruentus exhibuit; idem omnibus mortalibus, & locis innumeris, quotidie exhibet incruentus. Sedebo igitur ad hos pedes cum Magdalena: palpabo has manus cum Thoma: pendebo sub his brachijs cum pio latrone: recumbam in hoc pectore cum Ioanne. Amen.

IRRISIO.

Et stabat populus spectans, & deridebant eum principes cum eis. Lucæ 23. 35.

Typus. Elisæus.

Illudebant ei, dicentes: Ascende calve, ascende calve. 4. Reg. 2.

Prototypon.

Contumeliosis verbis Christus impetitur.

Affectus.

NOn tantùm à Iudæis olim, ô mitissime Domine, passus es opprobrium & contemptum; sed etiamnum ab Ethnicis, ab hæ-

ab hæreticis, ab impijs Christianis, quid non injuriæ pateris? illi à fide alieni Venerabiles Aras tuas irrident; insuper isti perfidè destruunt: horum non pauci sacrilegè accedunt. Pro omnibus istis contumelijs, & indignissimis criminibus, ego tuorum omnium infimus, usq; ad abyssum nihili prostratus, flecto genu cordis mei, & cum omnibus Creaturis, quæ in mundis infinitis creari possent, te honoro, te laudo, te magnifico, te extollo, te adoro, te amo. Te præsentem, (audi orbis universe) te æquè præsentem in Templis, in Aris, in Sacerdotum manibus esse credo, atq; præsens & ad dexteram tui Patris in cælis. In hac orthodoxa fide vivo, eamq; Vitâ, & sangvine sigillare paratus, etiam hoc momento, opitulante tuâ gratiâ. In hac fide viva me moriturum esse confido: teq; propitio ad dexteram tuam auditurum? Fides tua te salvum fecit. Amen.

Affectus in Irrisione Christi.

QUæ participatio justitiæ cum iniquitate? aut quæ societas luci ad tenebras? quæ autem conventio Christi ad Belial? Contra Iudæi clamant, Matre licèt ingemiscente; Non ne benè dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes? O portentum! Hæc audiens ô mi Christe, vel taces, vel benignè respondes? Quandonam irato cælo fulmen erumpet, si nunc serenum est? Verùm ille inculcat hoc insuper: Beati estis cùm maledixerint vobis homines, & dixerint omne malum adversùm vos. O impotentes animi mei motus, silete; jam fræna disce pati insane furor, ad duella prosiliens. Hic Christus mundi leges, ac temeraria iussa condemnat; sed hoc addit solatium: Gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis. Amen.

Affectus in Domini Crucifixione.

ECce novum tribunal Iudicis vivorum, & mortuorum, sed jam Rei: Domini omnium, sed jam servi; Dei immortalis, sed jam morientis! Parce ô Iudex, qui pro me Reus es: Parce, ô Domine, qui pro me servus es! Parce DEUS, ô qui pro me moreris! O mi Iudex, sed simul misericordiarum Pater es. O mi Domine, sed pariter primogenitus Frater es. O mi

DEUS, ſed idem ſangvinum Sponſus es. Dicam ego ſpe erectus, ac plenus, non verebor hoc forum, ubi Patris eſt judicare; ubi Fratris eſt fidejubere; ubi Sponſi eſt ſententiam dicere. Quid porro? Accreſcit fiducia, quia eadem in Curia, mihi patrocinabitur Mater. Ab ipſomet Iudice id ſolatium datur, qui non tantùm Ioanni, ſed in ipſo dixit & mihi. Ecce Mater tua, Virginem Cruci adſtantem mihi in Matrem conſignans. Amen.

Affectus Amoris.

O Crucifixe amor meus, Tua non modò Crux, ſed ipſa corporis ſpecies, atq; poſitio nos ad mortem vocat. Inclinas caput, ut peccatores, quantumlibet ab illis injuriâ affectus, oſculeris: diſtendis brachia, ut amplectaris: oſtendis trajectas manus, ut bona omnia largiaris, apertum pectus, ut intra viſcera abſcondas: confixos pedes, ut nos operiaris, atq; ut nullo unquam tempore á nobis recedas. Quamobrem cùm te Domine, in Cruce contemplor, quidquid meis ſe objicit oculis, ad amandum invitat. Lignum, ſpecies, myſterium, vulnera tui corporis, ſed imprimis amor interior clamat, ut amem: nec unquam ex memoria excidat amor tuus. Si oblitus fuero tui o bone IESU, oblivioni detur dextera mea: Adhæreat lingva mea faucibus meis, ſi non meminero tui, & ſi non propoſuero te in principio lætitiæ meæ. Pendens ſemper ante oculos meos ò vita mea, obverſeris ſemper menti meæ ò amor meus; ad te ſemper ſuſpirem ò deſiderium; ad te ſemper confugiam ô aſylum meum; ſemper advolvar pedibus tuis ó mi Deus: ſemper exoſculer manus tuas o mi Domine; ſemper involem in amplexus tuos ô mi ſponſe; & immorer amori tuo, & immoriar!

Actus Amoris.

QUa ratione, ô mi amantiſſime amator! compenſabo ego iſtum tuum amorem; Illa vera ac ſola compenſatio eſt, cùm ſangvis ſanguine ſolvitur. Dulciſſime Domine agnoſco hoc debitum, agnoſco: ne quæſo permittas me unquàm ab eo exſolvi; jube potiùs me iſto ſangvine tuo delibutum, confixumq; clavis ex iſta Cruce pendere. O Crux recipe me ſinu ac complexu

plexu tuo, recipe corpus meum & dimitte corpus Domini mei. Dilatare corona, ut intra istas spinas, caput quoq; meum inferam. Dimittite clavi istas innocentissimas manus, configite cor meum, illudq; compassione & amore vulnerate. Ob hanc causam Apostolus tuus scribit mortuum te esse, ut in vivos, & mortuos imperium obtineres, non minis & pænis, sed amoris operibus. Refer me in numerum sive malorum malis, sive mortuorum; & agnoscam me captivum sub tui amoris dominio.

Affectus in depositione de Cruce.

O Viator stupende Christe IESU, qui ab itineribus æternitatis tuæ, & à summo cælorum digressus, per vias invias, per montes, & valles, per urbes & oppida, per terras, & maria, animam meam assiduo labore quæsivisti: Recordare IESU pie, quòd sim causa tuæ viæ: Ne me perdas illa die. Die illà tremenda, quando cæli movendi sunt, & terra; quando veneris judicare, noli me condemnare! Quærens me sedisti lassus. Redemisti Crucem passus; Tantus labor non sit cassus. Sedisti lassus ad fontem: flexisti lassus in horto: stetisti lassus ad columnam: ivisti lassus ad montem: pependisti lassus in Cruce: jam lassus, imò exanimis in hoc gremio iaces. Ah! tantus labor & dolor, sudor & cruor; tantus amor non sit cassus! Quare eligo priùs mori, quàm posthàc te ostendere. Amen.

EXCEPTIO IN SINUM MATERNUM.

E Cruce depositus, gremio Matris excipitur, etiamnum locus ostenditur. *Adrichom. in descript. Ierusal.*

Typus. Sunamitis.

Posuit filium illa super genua usq; ad meridiem, & mortuus est. 4. Reg. 4.

Prototypon.

Filium de Cruce depositum in sinum suum mæstissima Mater excepit.

Affectus.

O Myrrhæ fasciculum venerabilem, myrrhæ primæ, myrrhæ probatissimæ! Ad expiationem peccatorum, quibus me abundare,

bundare, & ad cumulum meritorum, quæ mihi deesse cognosco. Hunc ego fasciculum inter brachia mea excipiam, & inter ubera collocabo, collectum ex omnibus anxietatibus, amaritudinibus, convitijs, sputis, colaphis, subsannationibus, exprobrationibus, flagellis, spinis, clavis, horumq; pluribus, quæ Dominus meus mei amore toleravit. Hunc myrrhæ tam charum fasciculum, omnis crucifixi amator, de principatu tui pectoris, nec ad horam patiaris avelli. Amara illa omnia, quæ pro te ille perpessus est, alto animo retine, & assidua meditatione perpende. Vtinam in meditatione ista exardescat ignis doloris, ignis amoris; & verè dicas: O beatum incendium, amare Dei Filium, & Dei Filio condolere. Tum verò maximè exæstua, & totus accendere, cùm Divinus Amor, id est Dominus ille tuus, ex Ara ad te convolat, labiis insidet, cor occupat, animam totam adurit. O si! Amen.

SEPULTURA.

Posuit eum in monumento, quod erat excisum de petra Marci 15.

Typus. Ionas.

Erat Ionas in ventre piscis tribus diebus, & tribus noctibus. Ionæ, 2.

Prototypon.

Sepulchro Christi corpus infertur, quod ibidem triduò mansit.

Affectus.

Aspicio hoc sacrum depositum, priusquam sepulchro condatur, idemq; redivivum, antequam ex Altari ad me deferatur, & exclamo: Ecce quomodo amavit me! Dedit genas vellentibus; faciem conspuentibus; capillos extrahentibus; corpus percutientibus; caput coronantibus; humeros crucem imponentibus; manus, pedesq, perforantibus. Ecce quomodo amavit me! Quando unicâ guttulâ sudoris, unicâ lachrymulâ, gressu, gemitu, ictu oculi, voluntatis actu me redimere potuisset: ah! quot guttas sangvinis, quot lachrymas, gressus, gemitus,

tus, horas, dies, annos impendit! Ecce quomodo amavit me, Omne passionis tempus, vocavit horam; Oceanum ærumnarum vocavit calicem; paratissimus pro me non tantùm semel, sed millies in horto jacere, pro tribunalibus stare, per vias rapi, in cruce pendere. Et cui tuum tu impendis amorem? an huic rei N? an illi N? vel isti N? Væ mihi si ampliùs fecero! Te solum ô amator mi, amabo te solum! Amen.

Affectus. in Sepultura.

SEpeliaris Domine in corde meo: ibi invenies, quod quæritur, marmor, & marmor novum. Siquidem in tuis, Matrisq; doloribus petræ scissæ sunt: marmorea sepulchra adaperta sunt: elementa omnia turbata sunt; & eheu! Cor meum novâ suâ duritie mansit immotum! At enim dixisti Domine auferam cor lapideum, & dabo vobis carneum. Da mihi cor illud carneum, ac facile ad parcendum inimicis, ad gratificandum Amicis, ad opitulandum miseris omnibus. Da cor illud carneum, quod compunctione scindatur, pietate molliatur, minis cedat, flagellis emendetur. Quod sit gratum in beneficijs, fidum in consilijs, benevolum in humanis, reverens in Divinis, circumspectum in omnibus. Da mihi cor illud carneum, quot tuo ac Matris dolore liquefiat, quod utriusq; amore moriatur. Hoc unum volo, ac peto. Amen.

Adhortatio Reginæ Martyrum ad suos clientes, ut sibi dolenti condoleant.

EJa nunc age, quisquis es, specta mulierem, naturâ teneram, uberibus lachrymis mersam, & miserescе. Specta Virginem, indole nobilem, doloris gladio sauciam, & ingemisce. Specta Matrem amore ebriam, super unigeniti, & talis unigeniti morte plangentem, & contabesce. At fortasse, quænam sit illa Mulier, quæ Virgo, quæ Mater inquiris? Illa ego Mulier, quæ ærumnis absorpta, sub cruenta Cruce te genui, Filium doloris mei, de quo sub alterius nomine dilectus meus: Mulier, ecce Filius tuus! hoc nomine te designans. Illa ego Virgo, notum miseris asylum, afflictis levamen, Fons omnis

sola-

ſolatij, jam miſera, jam afflicta, jam omni ſolatio deſtituta. Illa ego, deniq; Mater, flebilis IESU Mater, quæ ſuper unici illius morte lamentor, & tali morte, cujus immanitate, indoluêre ſaxa; & inhorruit terra. Igitur, lugete mecum quotquot eſtis omnes! Sed ò præ reliquis, miſeremini mei, miſeremini mei, ſaltem vos amici mei, vos clientes mei, quia amaritudine valdè replevit me Omnipotens. Aſpice iterum, aſpice amaras haſce lachrymas, & cor altiſſimi doloris mucrone transfixum: Verùm ſi obdureſcitis homines; ſi vel maximè vos Clientes, & ſodales mei, filij mei, viſcera mea, gemituum meorum, ne quidem recordamini? tu iterum mecum terra plange, ſaxa rumpimini: tu donuò cælum ingemiſce, & vos Angeli pacis amarè flete.

ORATIUNCULA.

Quam S. P. Ignatius Fundator S. I. ſolebat uſurpare, paululùm aucta.

O Divinitas Chriſti, inhabita me. O Perſona Chriſti, indivina me. O Anima Chriſti, ſanctifica me. O Corpus Chriſti, ſalva me. O Cor Chriſti accende me. O Sangvis Chriſti, inebria me. O Aqua Lateris Chriſti, ablue me. O Sudor & agonia Chriſti, conforta me. O Paſſio Chriſti, ſana me. O Bone IESV, exaudi me. Intra vulnera tua abſconde me. Ne permittas me ſeparari à te. Ab hoſte maligno defende me. In hora mortis meæ, voca me. Et jube me venire ad te. Vt cum Sanctis tuis laudem te in ſæcula ſæculorum. Amen.

Hujus Orationis adinſtar, devotio alicujus ex Doloribus Divinæ Matris, talem confecit Meditationem ſive Orationem, quam nec ingratam, nec inutilem pietati fore exiſtimo.

O Afflictiſſima Virginis MARIÆ Anima, ſolare me.
O Dolentiſſimum DEI Matris Corpus, conforta me.
O Amariſſimæ Reginæ Cæli lachrymæ, purificate me.
O Gemitus DEIparæ, conterite me.
O Tribulatum cor Angelorum Dominæ, recrea me.
O Luctuoſi Dominæ noſtræ ſenſus, ſanate me.
O Anguſtiæ Matris gratiarum, liberate me.

O. DEI

O DEI Genitricis orbitas, associa me.

O Mors Genitricis vitæ, vivifica me.

O MARIÆ amarum Mare, ab omni culpa & pæna, erue me.

O Martyrum Regina, in servum & mancipium tuum recipe me, & in hora mortis meæ suscipe: ut cum omnibus DEI electis, potissimumq; tuis dilectis, diligam & glorificem te, in sæcula sæculorum. Amen.

Hujus quoque Modi est Meditatio illa,

PEs Christi sinister vulneratus est, qui omnia sustinet. Pes dexter vulneratus est, qui omnia possidet. Manus Christi sinistra saucia est, quæ omnia fecit. Manus Christi dextra saucia est, quæ omnia regit. Cor Christi vulneratum est, quod omnia vivificat. Caput Christi spinis horridum est, quod omnia coronat. Scapulæ Christi vulneratæ sunt, quæ omnia protegunt. Brachia Christi vulnerata sunt, quæ omnia amplexantur. Pectus Christi cruentum est, quod omnia fovet. Vultus Christi despectus est, qui omnia lætificat. Sangvis Christi effusus est, qui omnia redemit & abluit. Caro Christi lacerata est, quæ omnia pascit. Anima Christi afflicta est, quæ omnia sanctificat. DEVS in carne passus est, qui omnia beatificat.

O Pes potentiæ, pro me vulnerati IESU, humilia me, exalta Te.

O Pes Iustitiæ, pro me vulnerati IESU, quamvis dignus sim, ne abijcias me.

O Manus Gratiæ, pro me vulnerati IESV, sine Te nihil sum, adjuva me.

O Manus Misericordiæ, pro me vulnerati IESU, Tibi soli peccavi, sicut potes, scis & vis, miserere mei.

O Cor & Latus, pro me vulnerati IESU, sedes amoris, accende me, ut incessabiliter amem Te.

O Caput, sedes sapientiæ, pro me vulnerati IESU illumina me, ut noverim Te, & noverim me.

O VERBUM Caro pro me factum, & in carne pro me passum, habita in me, & habitem in Te, in æternum & ultra. Amen.

Amen.

Singulis hisce Punctis manifestum est, suas, easdq; copiosas inesse meditationum, reflexionum, affectuum, propositorum, postulationum, virtutisq; actionum materias: ut haud dubiè multiplici cum spirituali fructu, atqué gustu, pij meditatoris animus, eas versare possit; quod pleniùs ab experimento suo, quàm à stylo meo, ut discat plurimùm, eidem exopto.

ORATIONES.

B. Hugonis Carthusiani ad quinque Vulnera Christi Domini.

Osculans ter vulnus lateris dices.

O Benignissime IESU, gratias ago dulcissimo cordi tuo per hæc tria oscula, pro omni effluxu amoris, qui à te effluxit, effluit, & effluet absquè fine in me, & in omnes electos tuos.

Ad Vulnus manus dextræ.

O Benignissime IESU, gratias ago liberalissimæ dextræ tuæ, quia ipsa est collatrix & cooperatrix omnium bonorum meorum.

Ad Vulnus sinistræ.

O Benignissime IESU, gratias ago fidelissimæ sinistræ tuæ, quia in omni tribulatione & angustia mea semper tuum in ea invenio refugium.

Ad Vulnus pedis dextri.

O Benignissime IESU, gratias ago tibi pro ferventi desiderio, quo post nos omnibus diebus vitæ tuæ in siti cucurristi.

Ad Vulnus sinistri.

O Creator & Redēptor meus, gratias tibi ago pro dulcissimo Vulnere sinistri pedis tui, quia in eo facillimè semper invenire possum remissionem omnium peccatorum meorum.

DOmine IESU Christe, da mihi toto corde & pleno desiderio sitientiq; anima ad te aspirare, & in te dulcissimo ac svavissimo respirare, totum Spiritum meum, & omnia interiora mea ad te, qui es vera beatitudo, anhelare. Scribe misericordissime Domine vulnera tua in corde meo pretioso sangvi-

ne tuo, ut in illis legam dolorem tuum & amorem. Vulnerum tuorum memoria jugiter in secreto cordis mei permaneat, & dolor passionis tuæ in me quotidie renovetur, & amor accendatur. Da ut mihi omnis creatura vilescat, & tu solus in corde meo dulcescas. Per tuum transvulneratum cor transfige amantissime Domine IESU, cor meum jaculis amoris tui, ita, ut nihil terrenum contineat; sed à sola efficacia tuæ Divinitatis contineatur.

Aliæ Orationes ejusdem.

Ad osculum Pedum.

O Benignissime IESU, ego miser peccator dulcissimis Vulneribus pedum tuorum hoc osculo infigo & repono omnia desideria cordis mei, & tuis conjungo & unio desiderijs, ut exinde plenè purificata, nunquam in posterum terrenis valeant implicari.

Ad osculum Manus dextræ.

O Benignissime IESU, in dulcissimo Vulnere dexteræ manus tuæ recondo omnia spiritualia mea, & quæ in spirituali vita neglexi, ut per te mihi plenè restituantur, & conserventur.

Ad osculum Manus sinistræ.

O Benignissime Iesu, in dulcissimo Vulnere sinistræ manus tuæ repono omnes adversitates, & angustias meas: ut in unione amarissimæ passionis tuæ mihi dulcescant, in summa patientia coram te redoleant.

Ad osculum Lateris.

O Benignissime IESU, in hoc amoris Vulnere omnem amorem & voluntatem meam funditùs resigno, & tuo Divino amori & beneplacito unio, ut ex eo perficiatur & in unum amorem & voluntatem penitus transformetur. Amen.

DOmine IDSU Christe, tuis vulneribus cor meum saucia, tuo sangvine mentem meam inebria, ut quocunque me vertero, semper te videam Crucifixum, & quidquid aspexero, tuo mihi appareat sangvine rubricatum; ut sic totus in te tendens nihil præter te valeam invenire, nihil nisi tua vulnera intueri. Hæc mihi sit consolatio, tecum mi Domine vulnerari,

tecum despici, tecum pati. Hæc intima sit mihi afflictio, præter te aliquid cogitare, aut extra te consolari. Non quiescat, cor meum, bone IESU, donec inveniat te centrum suum ubi cubet, ubi requiescat, ubi suum appetitum terminet.

DOmine IESU Christe, in honorem pretiosæ mortis tuæ toto corde & corpore prostratus obsecro te per amorem illum, qui te vivificatorem omnium creaturarum mori coëgit, ut mortifices in anima mea omnia, quæ tibi displicent in ea, & auferas omnia, quæ me impediunt, quo minùs transformer in te.

ABsorbeat quæso, dulcis IESU, ignita & melliflua vis amoris tui, quæ penetret cor meum, purgetq; & rapiat omnia interiora mea: ut sicut flamma ardens totus ardeam, totus à me ipso deficiam. Te verò solum cogitem, te toto corde desiderem, te solum sciam ac sentiam, tibi soli perfectè placeam, & inseparabiliter adhæream. Amen.

PRecor te, amantissime Domine IESU Christe, propter illam eximiam charitatem, quâ humanum genus dilexisti, quando tu cælestis Rex pendebas in ara Crucis cum divina charitate, cum mitissima anima, cum tristissimo gestu, cum conturbatis sensibus, cum transfixo corde, cum perstrepentibus membris, cum verberato corpore, cum sangvineis vulneribus, cum defluentibus rivis, cum expansis brachijs, cum confixis pedibus, cum extensis venis, cum clamoroso ore, cum rauca voce, cum pallida facie, cum mortali colore, cum lachrymosis oculis, cum vertigine capitis, cum ardenti amore, cum gemebundo gutture, cum sitibundis desiderijs, cum amaro gustu fellis & aceti, cum inclinato capite morti obviante, cum divisione tenerrimi corporis & animæ deificæ, cum aperto latere. In ea charitate precor te pijssime Domine IESU Christe, qua cor tuum amarosum findebatur, ut sis mihi placabilis super multitudine peccatorum meorum, ut compleas in bonis desiderium meum, & bonum, ac sanctum finem vitæ meæ, nec non gloriosam, lætamq; resurrectionem mihi propter tuam largissimam misericordiam tribuere digneris. Qui vivis & regnas DEUS,

per

per omnia ſæcula. Amen.

℣. Proprio Filio ſuo non pepercit DEUS.

℟. Sed pro nobis omnibus tradidit illum.

Oremus.

OMnipotens ſempiterne DEUS, qui ex nimia charitate unicum filium tuum pro nobis incarnari, naſci, pati, flagellari, crucifigi, & mori voluiſti: præſta nobis quæſumus ut per ejus ſacratiſſima vulnera, quæ pro nobis pertulit, ejus pretioſſimo ſangvine purificati à peccatis, erroribus & negligentijs noſtris, tibi Domino Deo noſtro placiti Templum Spiritus ſancti & Patriæ cæleſtis participes efficiamur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Salutatio SS. Vulnerum Chriſti.

Ad dextram Manum.

Ave Manus dextra Chriſti
Perforata plaga triſti,
Nos ad dextram jnbe ſiſti,
Quos per Crucem redemiſti.
Pater noſter. Ave Maria.

Ad ſiniſtram Manum.

Ave Manus Chriſti læva,
Sic confixa manu ſævâ,
Nos ab omni malo leva,
Quos produxit mater Evâ.
Pater noſter. Ave Maria.

Ad dexterum pedem.

Ave vulnus dextri pedis,
Pedem mentis piè lædis,
Dum ad eam ſæpè redis,
Eſto nobis ſpes mercedis.
Pater noſter. Ave Maria.

Ad ſiniſtrum pedem.

Ave vulnus lævæ plantæ,
Quâ virtutū creſcunt plantæ
Nos ab hoſte ſupplantante
Contuere poſt & antè.
Pater noſter. Ave Maria.

Ad vulnus Lateris.

Ave latus perforatum,
Vnde fluxit flumen gratum,
Præbe nobis conducatum,
Ad æternæ vitæ ſtatum.
Pater noſter. Ave Maria.

℣. Vulneratus eſt propter iniquitates noſtras.

℟. Attritus eſt propter ſcelera noſtra.

Oremus.

DOmine IESU Chriſte, qui pro ſalute humani generis quinque vulnera pati voluiſti: tribue quæſumus, ut ob reverentiam illorum vulnerum abſolvi merear ab omnibus peccatis meis, & præſentem vitam bono fine terminare, & à tuæ

dulcissimæ visionis contemplatione nunquam separari. Qui vivis & regnas DEUS per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HYMNI.

De Passione Domini nostri IESV Christi.

Collecti ex R. P. Ioanne Hondemio Anglo, Ordinis Divi Francisci, qui Seraphicum plané affectum spirant.

Exhortatio ad meditandam Passionem Domini nostri IESV Christi.

Monstrosum cor jure crederis,
Dum in ejus morte non frangeris,
Cujus ita tu corde conderis,
Vt non spernat pro te vim funeris.
Quem revera si rediligeres
Aut migrâsses, aut migrans fieres,
Aut compassum migrantē plangeres,
Ne non amans amantem læderes.
Plange sponsi turtur exequias,
Turtur non es, si te non crucias,
Voluptatum æstus abijcias,
Et te solo fletu reficias.
Sustentare pane dolentium,
Et te liget iuge cilicium,
Fletus fluat ad instar imbrium,
Et cor gignat dulce suspirium.
Velle genas, & cor eviscera
Carnis libro dum legis vulnera,
Cùm attendis in carne tenera
Desævire furoris funera.
Os ad loca clavorum duplices
Favos sugens, flores multiplices,
Fontis hauri fluentes latices,
Et amarum haustum multiplices.
Verè prudens apis efficeris;
Si sacratos hos succos suxeris,
Favum mellis divini congeris,
Vitæ flori dum sic inhæseris.

De vinculis Christi.

Vinclis Princeps d[illegible]ris addiceris,
Et ut latro ligatus duceris,
Dator vitæ qui dum sic læderis,
A læsura nos sanas sceleris.
Vincla regem vincentē vinciunt,
Et à vinclis victos eripiunt,
Adæ primi vincla sequatiunt,
Adam novum cùm nexus ambiunt.
Vincla, vincla, nôstis quē stringitis?
Nôstis, inquam, in quo vos jungitis?
Ejus certè, quem sic affligitis,
Myrrha prima stillat de digitis.
Ligaturis caro comprimitur
Et sub ungve cruor congeritur,
Cum rubore livor adducitur,
Quibus ungvis totus conteritur.
Cùm liventem ungvē hunc video,
Et persusum ut rore roseo,
Cur non statim colore liveo?
Et fluenti fletu me immisceo?
Cùm te lumen ligatum videam,
Opto quod tunc dolore peream,
Et cum luce ligata langveam,
Vt doloris langvore transeam.
Quis donabit, ut luctûs onere
Fatigatus possim deficere,
Dum donatur mihi recolere
Regem victum pro furum scelere.
Vincla mea, qui fers in manibus
Tuis, rogo me liga funibus,
Fac perfundi me fusis fletibus,
Politurus tuis doloribus.
Qui vinciris, ut vinctos liberes,

Tui nexus ense me vulneres,
Cordis petram, & saxum superes,
Et mucrone languores laceres.

De alapa Christo inflicta.

Vultum summæ quot sunt deliciæ,
Quo refloret flos amicitiæ
Colaphizat genus perfidiæ
Gens ingrata, fomes infamiæ.
Cùm te, gena, cæsam meminero,
Si plùs vivam, indignè vixero,
Cùm rubentem ictu te videro,
Sum dolendus, nisi doluero.
Gena Cæli diescens cibus,
Erubescis & rubes ictibus,
Te depinxit cælis crudelibus
Rubor duplex, causis duplicibus.
Ictu nec non erubescentiâ.
Simul rubes ô gena Regia,
Et pallori nostro remedia
Tui donat ruboris gratia.
Pudor pœnam revera superat,
Et plùs Regem pium exasperat,
Qui cùm cædi silenter sufferat,
Fit ut agnus, quem lictor lacerat.
Genæ tuæ quassatio
Nostri vultus est reformatio,
Et ruboris ista perfusio
Genæ nostræ coloratio

De Christi flagellatione.

Virgis cædunt manus spurcitiæ
Carnem caram, carentem carie:
Carnis rivus rubescit sauciæ,
Et elangvet flos frontis regiæ.
Plausus plorat, luget lætitia:
Sanitatis langvet constantia,
Mixta livent pallore lilia,
Infirmatur firmans cælestia.
Ora pallent exhausto sangvine,
Gigas gemit naturæ geminæ:
Fortis certat acri certamine,
Fatigatur pugil luctamine.
Vt sub sole tristi nascentia,
Pressa gelu, pallent rosaria,
Regis langvent ora vernantia,
Et exangvis frons livet regia.

Sed, Rex pie, cur non compatior
Cùm te dolat manus immitior?
Adamante non ne sum durior,
Qui cruore mersus fit mollior?
Mors & dolor simul irruite,
Et cor mihi rogo confodite,
Mentis petram rigentem scindite,
Condolentem dolenti facite.

De spinea Corona.

Spina, mihi cur non cor laceras?
Regis nonne fronte degeneras?
Laureandum caput dum laceras,
Cordi meo te precor inseras.
Flos, qui culpæ spinâ non læditur,
Cur pœnali spineto plectitur?
Spina nostra justè reliditur,
Pro injustis dum justus pungitur.
Spina, spina; nôsti quem laceras?
Rex est, sedes donans sidereas:
Fons, qui fauces facit nectareas,
Stillas siti propinans melleas.
Cùm me mundi pungit malitia,
Adsis mihi quæso memoria
Tui certè reminiscentia,
Dat puncturis nostris remedia.
Lege, Lector, sermone supplici
Frontem scriptam spina multiplici.
Spina scribit amoris unici
Chirographum, in fronte simplici.
Me fælicem ô spina faceres,
Si compunctum cor mihi pungeres.
Pungas ergo, cùm pungens superes
Haustus mellis, & favos uberes.
Genu Regem flexum exasperat,
Et in risum honor degenerat:
Ave dicens, risum exaggerat,
Et irrisor regem eviscerat.

De Arundine data Christo pro sceptro.

Gens furoris, genus vipereum,
Sceptrum regi dat arundineum:
Vt det nobis sceptrum sidereum
Sceptrum Princeps adsumit scirpeũ.
Quantũ, Princeps, amore præmines,

Qui probrosa sceptra sic retines?
Probra sumis, ut probra termines,
Ex quo Cæli clarescunt cardines.
Cæli cives, hoc sceptrum cernite,
Et sceptrum mecum deplangite,
Immortales, plangendo vivite,
Et migrare me planctu finite.

De Baiulatione Crucis & nudatione.

Moriturus multis pro miseris,
Crucem portas aptatam humeris,
Ad reorum locum adduceris,
Vt probrosi vim sumas funeris.
Fit concursus grandis currentium,
Regem velut furem spectantium,
Princeps factus grande prodigium,
Iter agis, ambis ludibrium.
Duc me tecum, ut finem videam,
Vt migranti saltem condoleam,
Et ut mortis sacratæ frameam,
Auditurus, dolens persentiam.
Denudaris & vestes exuis,
Nuptialem vestem qui tribuis:
Stolam nobis dum nudus consuis,
Nuditate tua nos induis.
Denudaris, qui vestis lilia,
Vt nudatis ministres pallia:
Caro, veste dum caret regia,
Sub amoris gemit potentiæ.
Hæc nos tua vestit nudatio,
Et honorat angens irrisio:
Dat coronam spinæ rotatio:
Et sceptrari nos facit passio.
Dolens donas dolori gaudium,
Pœnis pressus, das refrigerium:
Alas pandis adinstar avium,
Et pro pullis fit pectus saucium.
Diligentem si rediligerem
Te vel parùm, non sic durescerem,
Imò totus fletu defluerem,
Pro me nudum dum te recolerem.

De Christi crucifixione.

Vestem missa sors dat militibus,
Et transfusus ferratis trabibus,
Conclavaris Rex cum latronibus,
Vt regnare des transgressoribus.
Impleturus Rex vaticinium,
Iniquorum subis consortium,
Et mercaris per improperium
Reprobandis regale solium.
Caro candens livet sub malleo,
Fit & incus ex osse niveo.
Faber orbis sub fabro ferreo,
Rore tremit perfusus roseo.
Puri pedes, cum mundis manibus,
Conclavantur in crucis cornibus:
Fodiuntur venæ cum ossibus
Et madescit crux rubris imbribus.
Non sic sitis lupi luxuriat,
Quem agninus torrens inebriat,
Vt lupina gens cum te laniat,
Et in cruce cruenta sauciat.
Brachiorum illa nobilitas,
Digitorum plana proceritas,
Et candentis palmæ serenitas
Ferro cedunt, & riget lenitas.
Rex amoris nectar perpetuum,
Quidnam volunt hæ plagæ manuum?
Cur sic haurit fontem irriguum
Ferri furor, frangens innocuum.
Vnde ferro tanta licentia?
Vt ingressum regis cellaria
Testis bibat vina vernantia,
Et desiccet dulcoris dolia?
Vnde ferro tale dominium,
Vt confringat Regis rosarium,
Et imponat more gaudentium,
Sertum sibi de rosis regium?
Ferrum certè frænum efficeris,
Luxum Adæ refrænans veteris:
Et dum Adam novum ingrederis,
Cæli nobis secretum aperis.
Manus summo sceptranda lumine,
Cùm ex ferri rubes acumine,
Et recenti signaris sangvine,
Fletus fundi deberent flumine.
Regis langvor allidit oculum,
Cujus lustrat pupilla sæculum,
Et transcendit nascentem flosculum
Quem vernale gignit diluculum.
Pupillarum migrant deliciæ,

Quarum migrat amor in acie
Nox quid facis in lucis facie?
Cur invadis solem meridie?
Lumen nescit frontale speculum,
Dum mors claudit amoris oculum.
O amoris pupillæ pabulum
In me migrans confige jaculum!

Ad Christum crucifixum.

Morti nihil debens quum interis,
Moriturus Rex vitam aperis:
Prædam morti dum te permiseris,
In prædantem victor inveheris.
Vt vinceres amores mentium,
Vltro subis mortis exitium
Parvi pendens lethalem gladium,
Vt lucreris ignes amantium.
Nec humana mors simplex sumitur,
Sed quæ mortes omnes transgreditur:
Sic clarescit, quantùm diligitur,
Qui per mortem tantam redimitur.
Adhuc autem ut frigens ferveam,
Polliceris sedem sideream,
Repromittis, ut tecum teneam
Sceptrum Regni, casúq; caream,
Ergo pastus pudoris ubere,
Quid reposcis pro tanto munere?
Quid me tibi jubes rependere?
Certè solum te rediligere.
Ergo vicem nisi reddidero,
Quales mihi pœnas accelero?
Quod tormentum, si non amavero
Quem amoris sic ense vulnero?
Sed cum omnis sis dator gratiæ,
Sis mentales mihi deliciæ,
Fac ut tibi flos amicitiæ,
Mentis fragret in horto sauciæ.
Et amari eùm te præcipias,
Da quod jubes, & menti venias;
Et sic ægro cordi subvenias,
Vt ad tuas curram delicias.
Patres pascens panis placentiæ,
Da mendico vel micam hodie,
Vt exemplâ sciam esurie,
Vitæ panis quæ sint deliciæ.

Ad eundem.

Cur pœnosa pius amplectitur?
Cur in umbras splendor projicitur?
Quare squalet, quo pratum pingitur?
Grana gignens, granum cur moritur?
Cur potatur aceto vinea?
Cur pupillæ luget lux aurea?
Cur dolatur domus eburnea?
Cur exspirat granum sub palea?
Quare strepit melos Angelicum?
Cur emarcet vitæ viaticum?
Cur marcescit munna magnificum?
Cur velatur jubar Hierarchicum?
Cur clavatur, qui clausa reserat?
Quare pendet, qui mentes ponderat?
Vniversi librum qui reserat
Totum legens, trabes cur tolerat?
Quare livent regnantis latera?
Cur plagatur, qui placat vulnera?
Cur humatur, qui signat sidera?
Cur in vias planas sunt aspera?
Plaga livens colore rubeo
Non est lita, nec fota oleo,
Nil medetur cruori roseo,
Nil tumori valet vulnereo:
Non fomentum, non medicamina,
Sunt tumenti plagæ juvamina:
Non curatur ut cruciamina.
Cura curet lavantis crimina.
Hæc pro nobis Princeps sustinuit,
Qui se vinclis amoris præbuit:
Se dans nobis exemplar tribuit
Hoc eundum iter, quod tenuit.

De Christo crucifixo.

Vbi frontis prioris lilium?
Vbi labri dudum rosarium?
Singulare cur luget gaudium?
Cur mutatur in virum alium?
Faciei quô flos evanuit?
Vbi vultus quem Cœlum stupuit?
Vbi decor, qui pari caruit?
Heu flos vernans totus exaruit.
Nonne Iesum videre pridiè
Summæ nobis erant deliciæ?
Iam erumpit horror in facie.
O quis dolor! quantæ tristitiæ!

Quô fluxêre facta miracula,
Quæ fecerunt stupere sæcula?
Vbi vivens post mortis jacula?
Vbi cæcus immunis maculâ?
Vbi Panis qui mille paverat?
Vbi Vinum, unda quod fuderat?
Vbi mutus qui lingvam reserat?
Et quô rea quam verbo liberat?
Ejus heri fuit eloquium,
Auri melos, mel audientium,
Nunc adductus ad consistorium,
Lingvam ligat & claudit labium.
Herì, stolam Sanctorum texuit,
Et nunc stola carens erubuit,
Herì doctum Cherub edocuit,
Hunc quæsitus ut ovis mutuit.
Herì dedit vincenti lauream,
Ecce portat jam frontem spineam:
Herì dixit se verè vineam;
Hunc labruscam degustat felleam.
Herì solem accinxit radio:
Hunc suspirat pressus sudario,
Sanctis erat heri refectio.
Hunc exclamat in cruce sitio.
Pro mærore qui donat pallium,
Hunc mæroris deducit fluvium;
Solus sanans scissuras cordium,
Sauciatus sanxit suspirium.
Cuncta solus disponens sæcula,
Strictæ trabis tenetur tabula,
A quo datur cælestis infula,
Rex sceptratur arenti stipula.
Qui sic amat, quod nunquâ deserit,
Derelictus & dolens interit,
Latus cujus cum ferrum aperit;
Cælum fractum patenter asserit.
Regem clavi clavatum quatiunt,
Per quem polum triones ambiunt,
Quem Cælestes senatus sitiunt,
Fures sibi consortem sentiunt.
Quicoronam donat pro cinere,
Iam humandus ponetur pulvere.
Vt quid plura? mors veni properè,
Nosq; simul velis invadere.
Sic affines, sic consangvinei
Prolem plangunt ventris Virginei.
Planctus fluunt tanquam turturei,
Rege morso morsurâ laquei.

Oratio ad pectus Christi.

O Amoris pectus ærarium!
Tu divini vini cellarium!
Omnis cæli detraxit pallium,
Qui te nudat amictu vestium.
Te saluto complosis manibus,
Cujus Cælum est impar laudibus,
Instar veris cum vernat floribus,
Delicatis fragras amoribus.
Pectus ave vena clementiæ,
Flos cælorum, fons sapientiæ,
In te bibit fluenta gratiæ,
præco regis jubar Ecclesiæ.
Pectus gignens amoris gemitus,
Charitatis thronus & inclytus,
Fons dulcoris fluentis cælitùs,
Te sitire fac me medullitùs,
Deitatis ô pectus scrinium,
Cur non torquet cor hoc exitium,
Cur rubescis flagellis saucium,
Et livescis ictu cædentium.
Tu bis tinctum colore duplici,
Candens rubes rore multiplici;
Scutum cordis factum magnifici,
Vltrô finis flagris te subijci.
Rogo scutum tu mihi facias,
Cùm sensero mortis molestias,
Te complexus ejus insidias
Non verebor, sed nec versuitias.

Ad Sacratissimum Christi vultũ.

Si daretur pennæ peritia,
Exararem vultûs præconia,
Quem amoris omnipotentia
Docolorat ut hyems lilia.
Tibi vultus transcendens lilium
Magis placet palloris pallium,
Quam coloris decus eximium,
Vt colores, vultus pallentium.
Cum pro nobis gena pallueris,
Tuum nobis decorem inseris,
Ad hoc enim amore cogeris,

Cu-

Cujus volens virtute vinceris.
Si timeres, mors auia temerè
In hunc vultum sacrum irruere;
Non obisses hoc rea scelere,
Alligata jam justo funere.

Ad Cor Christi.

Cor cur libet ita diligere,
Vt claudaris amans in funere?
Nunquid tibi videris vivere,
Dum exspiras amoris vulnere?
Nunquid amor hoc te docuerit,
Quod tu vincis, cùm te devincerit,
Et tunc vivis cùm letho læserit?
Et triumphas, cùm te subegerit?
Nunquid docet, quod donat vivere,
Cùm mucronem vibrat in vulnere?
Num oblectat dans fletus fluere?
Aut plùs sanat, plùs studens lædere?
Ita verè sic amor docuit,
Refer grates, quòd te sic imbuit,
Et sic clamans paratum præbuit,
Contra letha, qui lethum tenuit.
Cor sic amans amoris stillulam
Cordi meo dones vel parvulam:
Fac amoris sacri nubeculam,
Non amantis lavare maculam.
Amor, alvo Matris te texerat.
Et nunc crucis altari lacerat
Nunc lethali telo te vulnerat,
Vt defunctos ad vitam efferat.
Cùm te cano cor amans tenerè,
Pelicanum cogor recolere,
Lanceato qui rostro latere,
Proli migrans mercatur vivere.
Sacer amor secretum reserat,
Vt defunctis medelam adferat:
Lethum donans à letho liberat:
Ense mortis mortem eviscerat.
Cor amoris conscriptum literis,
Turturina corda transgrederis:
Te saluto cor pium miseris,
Loris semper ligandum teneris.
Mihi mortis fundas dulcedinem
Mater limans culpæ rubiginem,
Pietatis fac plenitudinem
Serenare mentis caliginem.

De Christi sepultura.

Cavo tandem saxo reconditur,
Cujus mundus pugillo clauditur,
Quantus dolor cùm stella sternitur,
Et sol verus mundo subtrahitur.
Dulcem Mater flet Vnigenitum;
Tenebroso lare reconditum;
Et dum corpus humatur inclytum,
Ense sentit mulctari spiritum.
Amor Iesu quò totus influis,
Te morari cogit cum mortuis,
Quàm amandum te nobis astruis,
Cùm humandum te tumbæ tribuis.

HYMNUS.

Religiosissimi ac devotissimi Patris Iosephi Anchietæ S. I. ad Beatissimam Virginem Mariam de vulneribus Christi Domini.

De Capite.

Ave Matris cor benignæ,
Quod crudeles pungunt spinæ,
Nati fixæ capiti.
Illi caput perforatur,
Tibi pectus lacerârunt
Mundi culpâ perditi.
Fige meum, ne vagetur,
Intellectum sed rimetur,
Plagas tuas dulciter.
Tu cum IESV, IESVS tecum,
Maneatis semper mecum,
Amplectendo fortiter.

De manu dextera.

Ave Matris cor lugentis,
Quo diris clavus tormentis.
Dextræ manus afficit.
Felix clavus, qui divinum
Natum, simul & benignum
Matris pectus conficit.
Pia Mater Redemptoris,
Tui leviter amoris,
Mihi manum adhibe.
Tange lepram, & mundabor,

Tange vulnus & sanabor,
Et peccantem cohibe!

De sinistra.

Ave partus Matris almæ,
Cui sinistrum vulnus palmæ,
Dirum vulnus imprimit:
Iste clavus tibi impressus,
Quo perimitur IESVS,
Culpæ mortem perimit.
Tuo genitrix dolore,
Salutariqué timore,
Carnes meas saucia.
Vt peccata caveantur,
Dum tremenda formidantur
Domini Iudicia.

De pede dextero

Ave Matris cor sacratum,
Quod contemplor cruentatum,
Dextri pedis cuspide.
Ad te currit cor amantis,
Animusq; singultantis,
Te suspirat avidè.
O situs castitatis,
Svavis odor hamatis
Me sagittis feriat?
Vt extincto carnis bello,
Tua pietas in cælo,
Me victorem capiat.

De sinistro.

Ave Matris cor afflictum,
Quod cum nato gravem ictum,
Lævi pedis pateris.
Nullam culpam cùm patraris,
Omni plenâ cruciaris,
Omni plagâ læderis.
Ne me culpis maculatum.
Me sceleribus fædatum,
Pœnis dede meritis.
Vt cum miti humilitate
Humiliqué paupertate,
Tuis addi subditis.

De Latere.

Ave Matris cor honestæ,
Cujus Simeone teste
Ensis fidit intima,
Dum defuncti latus nati
Rupit militis armati
Hasta crudelissima.
In te spinæ conjurârunt,
Clavi, crux, & quæ fædârunt,
Flagra dura Filium.
Vt cum nato morienti,
Maternæ super menti,
Nullum refrigerium.

Potest addi ob numerum septenarium

Sepultura Christi.

Ave Matris Cor, Amoris
Tumba factum, (heu!) doloris,
Dum Christus sepelitur.
Mors & Amor sua tela
Ponunt post cruenta bella,
Tumulus erigitur.
Cor Mariæ fit tumulus,
Cur peccator non æmulus
Tanti sim depositi?
Sine Mater, cordis mei
Saxum, fiat tumba Dei
IESV reconditi.

Lamentatio de morte Christi Domini, P. Ioannis Hondemii.

Ecce migrat, flos redolentior
Omni flore, melleq; melior.
Sed heu miser! cur non commorior,
Dum sermonem mortis aggredior?
Ecce migrat, quem forti gladio
Verus amor premit in prælio:
Cujus probat affectum passio,
Velut aurum ignis incendio.
Ecce migrat cæli solatium,
Rosa veris, & violarium,
Melos lyræ, viellæ gaudium,
Philomela promens præconium.
Ecce migrat, quem semel cernere
Plùs est sanctis, quâm cælos scandere,
Quem lugentes inferni carcere
Si viderent, carerent funere.
Iugis migrat gemma lætitiæ

Nocte micans ut sol meridie,
Cujus semel lustrari facie
Cælum cæli vocatur propriè
Ecce migrat cæli fragrantia,
Dux decoris, rex plenus gratiâ,
Cujus mulcet semel præsentia
Plùs, quâm torquent mille martyria.
Petrus pede qui pressit maria;
Vera probat ista præconia,
Dum in cruce litatur hostia
Ipsâ lethi lætus angustiâ.

De prodigiis in Morte Christi & de plaga lateris.

Sol ne cernat, extingvit radium,
Vultum morte pallentem regium,
Et ne cernat dolare lilium
Virginale, manus dementium.
Erubescit nudum respicere,
Per quem cælum vestitum sidere,
Sibi mavult lumen adimere,
Lucis fontem, quâm fractum cernere.
Triumphanti dans testimonium,
Morte surgit cœtus fidelium,
Quod testatur vitæ principium,
Dum confringit mortis imperium.
Fenestratur latus in lancea,
Et emanat unda sangvinea,
Fons redundat in carne rosea,
Quo lavatur mens, ut sit nivea.
Templi salit de dextro latere
Aqua viva lavans à scelere,
Dono Dei novit effluere:
Fons iam patens, potens abluere.
Dormientis Adæ subtrahitur
Costa, de qua conjunx efficitur,
Et dum somnus in cruce sumitur,
Sacramentum de costa scinditur.
Regis latus mucrone saucium,
Dum hoc nobis dat refrigerium,
Salutarem ministrans fluvium,
Doliturus propinat gaudium.
Te lætanter (ô latus) lamberem,
Et me melle tuo reficerem,
Felix certè, si te contingerem,
Vel de longè saltem respicerem.
Rex, qui latus in signum fœderis
Nobis primum dignanter aperis,
Aquâ lotos tam digni lateris
Nos exornes, & jungas superis.
Amen.

Adoratio Faciei Salvatoris.

SAlve Divina FACIES,
Quam Cæli tremit acies.
Indignis habita modis,
Vepreis obducta nodis:
Tam serviliter tractata,
Tam crudeliter vexata,
Viliter dedecorata,
Tot modis inhonorata.
Caput spinis terebratum,
Arundine conquasatum.
Cæsaries lacerata,
Cruentis grumis plicata.
Frons puncturis sauciata,
Tuberibus deformata.
Aures rubo laniatæ,
Opprobrijs sauciatæ.
Oculi pleni livore,
Lachrymis, tabo, sudore.
Nasus pugnis violatus,
Fetro odore vexatus.
Genæ vulsæ, deturpatæ,
Crebris palmis oneratæ.
Barba tracta, vellicata,
Sputamentis inquinata.
Os contusum, sorditatum,
Lividum convulneratum.
Dentes collisi, turbati,
Alapis labefactati.
Lingva siti exsiccata,
Myrrhâ, felle, cruciata.
Ego in hos cruciatus
IESV eram destinatus,
Sed tu me sic dilexisti,
Sic amâsti, evexisti,
Ut his me solveres curis.
O Amor cur me non uris?

Passi-

Passionis Dominicæ series per XXIV. horas, *quibus duravit, distributa.*

Ex P. Laur: Bartilij S. I.

Hora VI. à meridie.

Adoro te Domine IESV

Legales cerimonias accuratè observantem.
Desiderium vehemens, quod habueras Pascha illud extremum manducandi, testificantem,
Agnum Paschalem cum Discipulis religiosè manducantem.
Teipsum, in Figura tuî, singulari affectu contemplantem.
A cœna surgentem & vestimenta sua deponentem.
Accepto linteo temetipsum præcingentem.
Aquam in pelvim infundentem & circumferentem,
Pedes Discipulorum abluentem, & linteo extergentem,
Petrum, ni se lavari permitteret, excommunicatione terrentem.
Ad imitationem exempli sui Discipulos exhortantem.

Per huius horæ sanctissimas actiones, & humillimam pedum lotionem, da nobis debitam in tuo servitio diligentiam, accuratam officij nostri persolutionem, & tuæ humilitatis imitationem.

Hora VII.

Adoro te Domine IESV.

Acceptum panem, Deo actis gratijs benedicentem, frangentem, & distribuentem.
Apostolos, ut tuum Corpus ederent, invitantem,
Vt idem, in tuî commemorationem facerent, ordinantem.
Acceptum Calicem, gratijs actis benedicentem;
Illum esse Sangvinem tuum novi Testamenti, asserentem;
Eundem pro nobis effundendum, prædicentem.
Inter duodecim Apostolos distribuentem.
Turbatum Spiritu, & tuam proditionem manifestantem,
Proditorem à scelere deterrentem,
Eundem, pane intincto, illi oblato, indicantem;
Discipulos de primatu contendentes corripientem,

Eisdem.

Eiſdem mandatum de dilectione novum inculcantem.
Triſtitiâ afflictos conſolantem,
Scandalum illa nocte paſſuros præmonentem.
Multa de perſecutionibus futuris, de tuo ad eos reditu, de Spiritu promiſſo diſſerentem.

Per dignabundam ſanctiſſimi Sacramenti inſtitutionem, da nobis tantorum myſteriorum congruam frequentationem.

VIII.

Adoro te Domine IESV.

Pro tua clarificatione & Diſcipulorum cuſtodia orantem,
Hymno dicto in montem Olivarum exeuntem,
In prædio Gethſemani partem Apoſtolorum relinquentem,
Eoſdem ad orandum, ne intrarent in tentationem, admonentem;
Petrum cum Iàcobo & Ioanne, tecum aſſumentem,
Pavere, mærere, & tædere incipientem.
Triſtitiam tuam, uſqué ad mortem teſtificantem,
Ad ſuſtinendum & vigilandum invitantem.
Avulſum à Diſcipulis, ad jactum lapidis, Genua tua in terra deflegentem,
In Faciem tuam procidentem, & Patri DEO ſupplicantem,
Calicem quidem transferri petentē, te voluntati tui Patris reſignātē.

Per triſtitiam & mærorem tuum, da nobis peccatorum veram detectionem: & ſalutarem compunctionem.

Hora IX.

Adoro te Domine IESV.

Diſcipulos dormientes reviſentem ac excitantem,
Petro, quòd unà tecum non potuerit vigilare, exprobrantem,
Ad vigilandum & orandum contra tentationes, exhortantem;
Secundò abeuntem, & iterùm orantem,
Iterùm pro Calice tranſferendo ſupplicantem,
Nihilominùs te ad bibendum iuxta voluntatem Patris offerentem.

Per tuam ſupplicationem & oblationem, da nobis donum orationis, & plenam ad tuum placitum reſignationem.

Hora X.

Adoro te Domine IESV.

Denuò ad Discipulos tevertentem,
Dormientes, quòd oculi eorum gravati essent, invenientem,
Ignorantes quid responderent, relinquentem,
Tertiò abeuntem, ac eundem sermonem orantem.

Per Paternam circa tuos providentiam, da nobis debitam in fuga peccatorum, & studio virtutum vigilantiam.

Hora XI.

Adoro te Domine IESV.

Ab Angelo de cœlo confortatum,
Factum in agonia, prolixiùs orantem,
Sangvineum sudorem copiosè sudantem,
Tertiò ad discipulos dormitabundos redeuntem,
Surgere, quòd propè traditor esset, jubentem,
Proditori & militum cohorti spontè occurrentem,
Eundem ad osculum admittentem, & amicè monentem,
Quemnam armati quærerent, placidè interrogantem,
Voce tua EGO sum, omnes in terram prosternentem,
Vt illæsos Discipulos abire sinerent, mandantem.
Petro, ut evaginatum reconderet gladium, præcipientem,
Abscissam Malcho auriculam tangentem, & sanantem,
Principibus Sacerdotum & Magistratibus, quòd tanquam ad latronē comprehendendum exîssent, objicientem.

Per tuam agoniam & sangvineum sudorem, da nobis spiritûs fervorem & strenuam passionum nostrarum mortificationem.

Hora XII.

Adoro te Domine IESV.

Potestatem tuis hostibus in te concedentem,
A ministris Iudæorum furiosè comprehensum,
Impulsum, tractum, raptatum,
Vinculis astrictum, & verberatum,
Ab omnibus Discipulis fugientibus derelictum,
A monte Oliveti, usque in Ierusalem, insultanter deductum,

Totâ

Totâ illâ viâ indignis modis tractatum,
Ad Annam Caiphæ socerum, primùm adductum.

Per tuam comprehensionem, & laboriosam processionem: libera nos à perenni servitute, da spiritûs libertatem, & cum tua sanctissima voluntate conformitatem.

Hora I. à media nocte.

Adoro te Domine IESV.

Ab Anna de tuis Discipulis, & doctrinâ examinatum,
De satisfactione ad tuos Auditores remittentem,
Ab uno è ministris assistentibus, de responso objurgatum,
Ab eodem gravi alapâ, & ignominiosâ, percussum,
Modestè de injuria cum Percussore expostulantem,
Ad Caipham Pontificē remissum, multas vexationes in via perpessum.

Per tuam coram Anna præsentationem, & alapam gravissimam, da nobis liberam veritatis confessionem, & laborum pro tuo honore generosam perpessionem.

Hora II.

Adoro te Domine IESV.

Coram Caipha summo Pontifice præsentatum.
In medio malignantis Concilij constitutum,
Scurriliter exceptum & subsannantum,
Multis falsis testimonijs, & non convenientibus appetitum;
Ad ea, quæ tibi objciebantur, nihil respondentem,
Per Deum vivum, num esses Christus Filius Dei, adjuratum,
Veritatem liberè confitentem, & Iudæis Maiestatem suam palàm commemorantem,
A summo Sacerdote pro blasphemo propterea iudicatum,
Tanquam reus mortis esses, ab omnibus condemnatum.
A Petro coram ancilla ostiaria negatum.

Per hujus horæ multiplices labores, & vexationes, da nobis peccatorum contritionem, & veram humilitatem, & in studio sanctitatis constantiam.

Hora III.

Adoro te Domine IESV.

Post condemnationem multis iniurijs divexatum,
Contemptibiliter in facie verecundâ consputum,
Ludibriosè oculis velatum,
Colaphis à circumstantibus cæsum,
Palmis & alapis in faciem pulsatum,
Quis te percussisset, prophetizare iussum.

Per huius horæ acerbas passiones, & multiplices vexationes, da nobis peccatorum remissionem, seriam vitæ emendationem, congruam adversitatum tolerantiam.

Hora IV.

Adoro te Domine IESV.

A Petro iterùm, cum iuramento denegatum,
Ab impijs militibus in custodia detentum,
Varijs, ac indignis modis scurriliter illusum,
Multis blasphemiis insolenter oneratum,
Pugnis iteratò cæsum, & in faciem percussum,
A Petro tertiò & quidem cum detestatione abnegatum,
Conversum ad Petrum, & illum misericorditer respectantem,
Vt foras egressus culpâm amarè defleret, efficaciter permoventem.

Per huius horæ vexationes & iniurias gravissimas, da nobis veram nostrî despicientiam, & in te confidentiam, & erga proximum compassionem.

Hora V.

Adoro te Domine IESV.

In Concilio malignantium secundò constitutum,
Iterùm num esses CHRISTUS examinatum,
Veritatem coram omnibus manifestè confitentem,
Iterùm, quasi proprio testimonio convictũ, ab omnibus condemnatũ.
Tanquam impium, Tribunali Gentilitio adiudicatum,
A summis Sacerdotibus, & universo concilio, deductum,

Vincu-

Vinculis onustum, populo concurrente, tractum,
In Prætorium, per satellites à Iudæis submissum.

Per hujus horæ iniurias, fatigationes, & ignominias, da nobis peccatorum detestationem, sinceram tui proximiq; dilectionem, virtutum tuarum imitationem,

Hora VI.

Adoro te Domine IESV.

Coram præside Pilato præsentatum,
Tanquam malefactorum accusatum,
Num esses Rex Iudæorum, â Pilato interrogatum,
Regem te esse, sed non de hoc mundo, professum,
Innocentem à Pilato nominatum,
Tanquam subversorem, & tributa dare prohibentem, insimulatum,
Ad ejusmodi occassiones, cum Præsidis admiratione, silentem.

Per tuam in manus Gentium traditionem, ut malefactoris traductionem, da nobis propriæ voluntatis & reputationis abnegationem.

Hora VII.

Adoro te Domine IESV.

A Pilato, tanquam hominem Galilæum, ad Herodem ablegatum,
Ad Herodis curiam ab indignabundis abstractum,
Coram Herode, quasi de ejus potestate esses, constitutum,
Multis sermonibus ab Herode interrogatum,
A principibus Sacerdotum & Scribis, constanter accusatum,
Nihil penitus ad interrogationes, vel ad accusationes, respondentē;
Ab Herode cum toto suo exercitu despectum,
Veste albâ indutum, & illusum.
Ad Pilatum, ab Herode, remissum,
Herodem & Pilatum dissidentes reconciliantem.

Per tuas relegationes, despectus, & altissimum inter iniurias silentium, da nobis nostrimet vilipensionē, & lingvæ continentiã.

Hora VIII.

Adoro te Domine IESV.

Coram Pilato in veste alba præsentatum,
Iteratis Calumniis à Iudæis oneratum,
A Pilato coram Magistratu, & plebe, innocentem declaratum,
Cum Barraba, insigni latrone, indignissimè comparatum,
Seditioso homini, & homicidæ, ab omnibus postpositum,
Nullam mortis causam te habere, à Pilato denunciatum,
Ad crucem magnis omnium vocibus postulatum,
Iustum ab uxore Pilati significatum.

Per tuam, Iudiciorum perversorum, & vilipensionem, tolerantiam; da nobis tuæ divinæ, gloriæ, studium; & humanæ placentiæ contemptum.

Hora IX.

Adoro te Domine IESV.

Apprehensum à Pilato, & immisericorditer flagellatum,
A Capite usque ad plantas pedum, crudeliter sauciatum,
A militibus in atrium Prætorij deductum,
Veste laceris membris ægrè iniectâ, dispoliatum;
Chlamyde coccineâ ludibundè circumdatum,
Spineâ coronâ immaniter cruciatum,
Arundine in dextera positâ illusum,
Genu flexo Regem derisoriè salutatum,
Sputis inhumaniter deformatum,
Arundine in capite petulanter verberatum,
Alapis pulsatum, & opprobrijs saturatum.

Per tuam acerbissimam flagellationem, & spineam coronationem, & amarissimas illusiones, da nobis veram de peccatis contritionem, debitam carnis macerationem, & omnis superbiæ detestationem.

Hora X.

Adoro te Domine IESV.

In corona spineâ, & purpureo vestimento, foras productum,
A Præside, ECCE HOMO, domonstratum,

Sine commiſerationis ſenſu à Pontificibus deſpectum,
Ad crucis ſupplicium, invaleſcente clamore, poſtulatum,
Quaſi falſo te DEI Filium iactares, inſimulatum;
A Pilato, num DEI Filius eſſes, examinatum.
Iterùm foras productum, & Regem Iudæorum pronunciatum,
A Iudæis, Regem ſuum te negantibus, repudiatum;
Voluntati Iudæorum, à Pilato traditum,
Chlamyde exutum, & proprijs veſtimentis indutum.

Per Confuſiones & reprobationes tuas, libera nos à cæcitate mentis ac duritie cordis, & inter electos connumerare digneris.

Hora XI.

Adoro te Domine IESV.

Crucem tibi impoſitam bajulantem,
Duobus Latronibus ad mortem damnatis comitatum,
A mulieribus publico planctu deploratum,
Filias Ieruſalem alloquentem, & inſtruentem,
Multâ viâ, & cruce ponderosâ, fatigatum;
In montem Calvariæ ſupplicijs infamem, perductum.
Veſtimentis ac tunicâ inconſutili, ſpoliatum,
Vino Myrrhato, & felle mixto, potatum,
Clavis horrendis cruci confixum,
Pro crucifixoribus Patrem tuum deprecantem;
Inter duos latrones medium collocatum,
A prætereuntibus blaſphematum,
A ſummis Sacerdotibus illuſum,
A Latronibus improperatum.
A militibus aceto vexatum,
A Latrone bono invocatum,
Paradiſum invocanti promittentem,
Matrem tuam Ioanni commendantem,
Ioannis aſſiſtentiam favore ſingulari remunerantem.

Per tuæ Crucis bajulationem, & crudeliſſimam crucifixionem: da nobis congruam propriæ crucis tolerationem & ſinceram inimicorum dilectionem.

Hora XII.

Adoro te Domine IESV.

Horâ ſextâ, Sole lugente obſcuratum,
Ab univerſa terrâ, tenebris opertâ, defletum,
Crucis & clavorum tormenta perferentem,
Frigus & ſitim continuam, ſuſtinentem,
Cum lachrymis preces DEO Patri offerentem.

Per tuam in Cruce exaltationem, & acerbiſſimam paſſionem: da nobis affectuoſam tuæ paſſionis meditationem, & ſedulam imitationem.

Hora I, á meridie.

Adoro te Domine IESV.

In cruce pro Mundi ſalute pendentem,
Dolores diſtractorum nervorum perferentem,
Tormentorum incrementum vivaci ſenſu ſuſtinentem,
Ab oratione inter tormenta non ceſſantem,
Matri juxta crucem ſtanti, & dolenti tenerè compatientem,

Per hujus horæ acerbiſſimos dolores; da nobis veram patientiam, & fortitudinem in adverſitatibus.

Hora II.

Adoro te Domine IESV.

Laſſi Corporis pondere in Cruce degravatum,
Clavis fixuras exaſperantibus cruciatum,
Aculeis Coronæ ſpineæ identidem compunctum,
Inter tormenta Crucis, ſiti vehementi vexatum,
Horrores ex aurâ refrigeratâ tolerantem,
Orationem cum lachrymis continuantem,
Heroicis actibus te ad Mortem diſponentem.

Per tuos innumeros ac diuturnos Crucis dolores; dona nobis debitam carnis mortificationem, vitiorum extirpationem, & ſeriam vitæ emendationam.

Hora III.

Adoro te Domine IESV.

Horâ nonâ, voce magnâ exclamantem,
Te à DEO Patre derelictum, manifestantem,
A circumstantibus, quasi Eliam invocares, irrisum,
Extremam tuam sitim testificantem,
Acetum cum hyssopo oblatum acceptantem,
Omnia te consummâsse promulgantem,
Subsannationes insultantium, in tantis cruciatibus, tolerantem,
Moriturum voce magnâ clamantem,
Spiritum tuum in manus Patris commendantem,
Inclinato Capite Spiritum tradentem,
Virtute magnâ secundùm animam ad inferos descendentem.

Per tuam in Cruce desolationem, redemptionis nostræ consummationem, & ultimam exspirationem: da nobis in tuo servitio profectum perseverantem, & felicem vitæ consummationem.

Hora IV.

Adoro te Domine IESV.

Infernales Principatus, potentiâ suâ exspoliantem,
Potestates confidenter traducentem,
Vinctos tuos, in sangvine testamenti, de lacu emittentem,
Palàm de spiritibus tenebrosis triumphantem,
Velum Templi à summo usque deorsum, discindentem,
Terram commoventem, & petras findentem,
Multa corpora Sanctorum, qui dormierant, suscitantem,
Multorum animos salutari timore permoventem,
A Centurione glorificatum,
Verè Iustum, & Filium DEI, prædicatum.

Per tuum Gloriosum ad inferos descensum, & victoriosum de Principe mundi triumphum: da nobis robur in tentationibus, virilem resistentiam, & completam victoriam.

Hora V.

Adoro te Domine IESV.

Secundùm Corpus examine, Divinitati inseparibiliter unitum, in

Cruce

Cruce pendentem,
Ab uno é militibus, in Cruce, lanceâ perforatum,
Sangvine & aquâ, ex aperto latere, manantem,
Agnum mysticum, non confractum, nec osse comminutum,
Assistentiâ piarum Mulierum constanter custoditum,
Solicitâ Ioseph & Nicodemi providentiâ honoratum,
Facultatem Pilati in depositione expectantem.

Per Lateris tui sanctissimi transfossionem, & totius Sangvinis effusionem: da nobis cordis puritatem, & indissolubilem tecum unionem.

Hora VI.

Adoro te Domine IESV.

Ministerio servorum tuorum de cruce depositum,
Myrrhâ & aloë, liberaliter inunctum,
Sindone mundâ involutum,
In novo monumento repositum,
Advoluto saxo magno ad ostium speluncæ, reclusum,
Triduò in sepulchro, gloriosè requiescentem.

Per tuam de Cruce depositionem, & honorificam sepulturam: dona nobis tuæ Passionis iugem memoriam, & copiosæ redemptionis consortes effice.

STATIONES DOMINI Diuturniores.

In Horto plusquam tribus Horis,
In Domo Caiphæ quatuor Horis,
Totidem in Prætorio apud Pilatum,
In monte Calvariæ ferè septem Horis,
Vivus quidem in Cruce ultra 4. Horas,
Mortuus verò duabus circiter Horis,
In sepulchro triginta tribus Horis.

Affectus de singulis articulis Passionis.

DEUS

DEVS qui pro redemptione mundi voluisti nasci, circumcidi, à Iudæis reprobari, à Iuda traditore osculo tradi, vinculis alligari, sicut agnus innocens ad victimam duci, atque conspectibus Annæ, Caiphæ, Pilati & Herodis indecenter offerri, falsis testibus accusari, flagellis & opprobrijs vexari, sputis conspui, spinis coronari, colaphis cædi, arundine percuti, facie velari, vestibus exui, cruci clavis affigi, in cruce levari, inter latrones deputari, felle & aceto potari, & lanceâ vulnerari. Tu Domine per has sanctissimas pænas tuas, quas ego indignus recolo, & per sanctam Crucem & mortem tuam, libera me à pænis Inferni: & perducere digneris quo perduxisti latronem tecum crucifixum: Qui cum Patre & Spiritu sancto vivis & regnas in sæcula sæculorum, A.

Affectus ad Crucem Domini.

BEnignissime ac optime IESV, en me ad te recipio, ad te, ò pie, revertor. Sed rubore suffundor, & vehementer pudet, cùm tua isthæc specto vulnera, cùm cerno spineam coronam, tequé hæc omnia meâ causâ perpessum cognosco. Ego siquidem, ego sum, qui isthæc tam dira inflixi vulnera: ego coronam hanc spineam in tuum sacrũ caput impressi: ego te in hanc Crucem adegi.

Sed ò quanta tua est Charitas? quæ tua clementia & misericordia? Peccavi ego, & tu plecteris, debitæq; necis pænam pro me luis. Ego tuus hostis fui, sed tu per crucẽ tuam me Filium efficis: Servus fui, at tu sangvine tuo me liberum asseris.

O si semel concesseris, ut amore tui totus flagrem, tum verò tibi, cui me ipsum ac omnia mea debeo, libens hanc etiam vitam impendam, Amen.

Orationes ejaculatoriæ Ad ſangvinem Chriſti. P. Vincentj Caraffe.

1. Sangvis Chriſti Lava me
A maculis peccatorum.
2. Sangvis Chriſti ſana me
Ab inordinatis paſſionibus.
3. Sangvis Chriſti ſanctifica me
Gratiæ virtutumq; habitibus.
4. Sangvis Chriſti illumina me
Vivacitate fidei.
5. Sangvis Chriſti eleva me
Certitudine ſpei.
6. Sangvis Chriſti accende me
Igne charitatis.
7. Sangvis Chriſti fortifica me
Tolerantia patiendi.
8. Sangvis Chriſti inebria me.
Deſiderio Martyrii.
9. Sangvis Chriſti abſorbe me
Ab omni eſſe creato, intotum eſſe increatum DEI.
Amen.

Ad Maiorem cultum Salutiferæ Chriſti Paſſionis.



Errores quos in prima & 2da Tetrachordij parte aut præceps incuria fudit, aut humana parùm cavit natura, Lector benevole, si te offendunt ex tabella sequenti corrige.

In Cathalogo Authorum facie 3. lineâ 30. Xaveiius *lege* Xaverius
Ibidem facie 5. lineâ 2. Ord: Præd: *lege* Carthusiensis
In prœmio facie 7. lin: 3. à fine tam faciliùs *lege* tam facilè
In Elencho: pag: 4. lin: 24. Ierosolymitam *lege* Ierosolymitani
Ibid: pag: 16. l. 3. à fine respondenti *lege* respondens

Deinceps in Historia Passionis litera p. paginam n. notas marginales t. textum l. lineam significat.


p. 24. n. l. 3. à fine	Iudæ *lege*	Iudæa
p. 26. t. 15. à fine	sihitacuerint *lege*	Si hi tacuerint
p. 30. n. l. 17.	*Gor alap à*	*Corn: à lapid:*
p. 32. t. l. 7. à fine	dimiittite	dimittite
p. 33. T. l. 6. à fine	timens	timemus
p. 34. N. l. 10.	tudicis	iudicis
Ibid: l. 5. à fine	Patriarchæ	Patriarcha
p. 35. T l. 11.	&	ei
Ibid: N l. 11. à fine	Labatata	Labata
p. 50. N l. 11.	in Iuda	in Iudam
Ibid: l. 30.	sacrilegas	sacrilegos
p. 51. N l. 16.	*contra Sacram:*	contra Sacramentum
p. 57. N l. 5.	ictu	icto
p. 60. N l. 28.	ruore	furore
Ibid: l. 38.	f ciem	faciem
p. 66. N 6. à fine	illectas	illectus
Ibid: l. 5. à fine	muneravit	numeravit
p. 67. N l. 10. à fine	subsistendo	sustinendo
Ibid: l. 4.	favore	fervore

p. 68.

p. 68. N l. 6.	venia	veniâ
p. 71. N l. 3. à fine	indeſertum	in deſertum
p. 71. N l. 31.	tnrpes	turpes
p. 81. N l. 12.	zelnm	zelum
p. 83. N. l. ult:	deſideretur	derideretur
p. 85. N. l. 25.	à verſa	averſa
p. 86. N l. 3. à fine	cripuere	eripuere
p. 91. N l. 4.	ſub ens	ſubens
p. 100. N l. 12.	de ſeruit	deſeruit
Ibid: l. ult:	a labaſtro	alabaſtro
p. 102. N l. 4.	con ditur	conditur
l. 14.	ſuggeſſeruut	ſuggeſſerunt
p. 103. l. 4.	in utile	inutile
Ibid:	manducentibus	manuducentibus
l. 12.	concionemm	concionem



Probatio



[illegible]
Salvatoris D. N.
Jesu Christi